


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
4 C
2

HYDRA SOCINIANISMI EXPUGNATA:

Sive

JOHANNIS VOLKELII MISNICI, DE VERA RELIGIONE,

(*ut falsò inscribuntur*) libri quinque:

quibus præfixus est

JOHANNIS CRELLII Franci

(*ejusdem commatis*) liber de DEO & EJUS ATTRIBUTIS, ita ut unum cum illis opus (*integrumque Socinianæ impietatis Systema*) constituat:


Cum eorundem Refutatione exacta per additas Annotationes & Censuras necessarias,

AUTHORE

SAMUELE MARESIO, S. Th. Doctore ejusdemque Facultatis in Academia Illust. Ord. Groningæ & Omlandiæ primario Professore, ac in Templo Academico Verbi Divini linguâ Gallicâ Administro ordinario.

Cum indicibus necessariis;

TOMUS SECUNDUS.





GRONINGÆ,

Apud Viduam JOANNIS NICOLAI, Inclytæ Civitatis Groningæ Ordin. Typogr. ANNO MDCLIV.

CHRISTIANO LECTORI, SALUTEM.

TAndem aliquando hæc ſecunda pars noſtri *Anti-Volkelii* prodit in publicum. Equidem ſat citò ſi ſat benè, ſeriùs tamen quam ab initio deſtinaveram. Sed multa intervenere quæ iſti moræ cauſam præbuerunt. Nam per Bellum Anglicanum, quod nunc Dei beneficio ſedatum eſt, omnes Typographicæ Officinæ laborarunt ex papyri penuria: ac noſter Typographus, *D. Ioannes Nicolai*, vir in ſua arte diligens & induſtrius, & qui ſemper ſtuduit benè mereri de re literaria, Autumno ſuperiori poſt Nundinas Francofurtenſes abiit ad meliores, adeo ut dum Vidua luget, non ita accuratè potuerit proſpici Præli negotiis. Etiam multum temporis mihi abſumunt occupationes Eccleſiaſticæ & Academicæ: Qui reputaverit ſingulis ſeptimanis ordinariè binas habendas mihi Conciones, quandoque ternas extra ordinem; Lectiones verò publicas ſenas, Theologicas nempe quatuor, Hiſtorico-dogmaticas duas; Diſputationes item publicas meo ordine, eaſque ſatis frequentes, de variis materiis, ſæpè pro deſiderio ipſorum Reſpondentium, conſcribendas eſſe & defendendas; ac privata Collegia minimum duo vel tria quotidie concedenda Studioſæ Juventuti; is ſanè non mirabitur quod in *Volkelio* deartuando, qui labor cùm totum hominem expoſceret fuit tamen mihi hucuſque πάρεργον, Lentulus aliquantulum fuerim. Adhæc inter prioris tomi & hanc ſecundi editionem, multa alia emiſi in Publicum, partim neceſſitate coactus, partim adductus occaſione; cujuſmodi præter nonnulla alia Polemica fuerunt, tum *Synopſis veræ Catholicæque doctrinæ de Gratia & quæſtionibus annexis* ad Catechiſmum Gratiæ Janſenitarum, quæ iterum hoc anno multo auctior recuſa eſt, tum *Apologia Noviſſima* pro ipſis & Auguſtino oppoſita Bullæ Pontificiæ emiſſæ pridie Kal. Junii 1653. nec non *Senio ſacrarum Diſſertationum* propoſitarum & habitarum in hac Academia de variis; ſed maximè *Fœderatum Belgium Orthodoxum*, ſive Confeſſionis Eccleſiarum Belgicarum Exegeſis, quâ illius Veritas ex Dei Verbo & Antiquitate Catholica fusè aſſeritur, & adverſus oppoſitos errores vindicatur; item *Munimen Orthodoxiæ* & perſeverantiæ Euangelicæ contra tentationes & ſcandalum defectionis illius, cujus lugubre exem-

plum, patario *Valeriano Magno*, non ita pridem in Principe magni nominis Germania vidit; ut & *Examen novæ Methodi* ejusdem *Valeriani* cum aliis annexis: Quibus omnibus dum & ego distineor, & Prælum nostrum occupatur, sæpius Justitium fuit indictum huic Operi; quod tamen & vehementer à plerisque Eruditis & Religionis Christianæ amantibus fuit hactenus efflagitatum, & summopere necessarium est hoc tristi tempore, quo Sociniana pestis, quam haud immeritò dixeris omnis impietatis ἀκρόπολιν, videtur nunc in vicina Anglia Sedem sibi Metropolitanam fixisse, nisi quod isthîc facilè admittat & Bella cruenta & Judicia capitalia severissima, sub quorum umbone crevit, quæ aliàs apud Polonos & Hungaros solet improbare. Nam inter varias hæreses, (quarum agmen ducunt ibidem Enthusiastæ & Fanatici omnis generis) quibus fœlix illa quondam Insula ac Orthodoxiæ tenacissima hodie conspurcatur, tantum eminet Socinianismus, *quantum lenta solent inter viburna cupressi*: Nec enim amplius ibi horrenda sua Mysteria mussitat in angulis, ut olim cùm *publicè erubescebat loqui quod secretò docere non metuebat*; sed sub dio explicat omnia vexilla suæ iniquitatis, atque, ut loquar cum Hieronymo *ad Ctesiph. Magistrorum silentia profert rabies discipulorum; quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant*; Non loquor incomperta, *Benevole Lector*; Modò enim ex Anglia allatus est Anglicâ linguâ conscriptus *Catechismus* duplex, major & minor, Londini publicè excusus hoc anno 1654. apud *Ia. Cottrel* pro *Rich. Moone, ad insigne septem stellarum, in Cœmiterio Paulino*, authore *Iohanne Beddle*, sive *Biddello*, Magistro Artium Oxoniensi, editus, uti præ se fert, in eorum gratiam qui merè Christiani nullique sectæ addicti esse volunt, (quamvis nequeant se tales profiteri, quin eo ipso sectam specialem ab aliis omnibus discretam constituant,) & omnes Socinianismi impietates ac blasphemias continet, eructat, propugnat, tracto obtorto collo ad unamquamque suarum Assertionum aliquo Scripturæ testimonio, eodem nequitiæ artificio, quo interdum Pasquillorum scriptores, per summum scelus, ad Homericorum & Virgilianorum Centonum imitationem, carmina sua famosa ex Sacræ Scripturæ phrasibus & verbis contexunt, non reveriti vel impii illius Regis exemplum, qui Danielis v, 3. profanis suis epulis vasa Sanctuarii immiscuerat, vel Theopompi & Theodectæ aut Theodoti justissimas pœnas, quod suis Poëticis scriptis quædam ex Dei Verbo Sacratissimo inserere ausi fuissent, commemoratas Josepho *lib. 12. Antiq. cap. 2.* & Eusebio *lib. 8. Præpar.*

Evang:

Euang. cap. 1. In ferali isto Catechismo Londinensi, qui Rakoviensi Sarmatarum, quem olim Anglia ex sancto & pio zelo publicè cremavit, palmam velle præripere videtur, reperias Deum statui corporeum, figurâ præditum visibili, certo loco circumscriptum, affectibus propriè dictis obnoxium, nescium eorum quæ à Creaturis fiunt liberè, antequam eveniant; Unicam personam naturâ divinam agnosci, rejectâ penitùs S.S. Trinitate; adeo ut juxta eum, tùm demum à Scripturæ simplicitate discessum sit, cùm Constantinus Magnus & Synodus Nicæna prior τὸ ὁμοούσιον, stabiliverunt; Jesum Christum merum duntaxat hominem nihilque præterea aliud agnosci debere, non θεάνθρωπον, non per generationem æternam Deum naturâ, non Patri coessentialem & coæternum; Spiritum Sanctum Creaturam esse, sed reliquis Spiritibus creatis superiorem; Ex peccato Adami naturæ humanę corruptionem vel mortalitatem non profluxisse; Spiritus Sancti communicationem hominibus piis, non præcedere sed subsequi fidem & sanctificationem eorum; Christum nonnisi sub N. F. Mediatorem & Salvatorem esse, nec ex se & principaliter, sed ministerialiter tantum & à Patre, ac demum postquam suâ ascensione gloriosâ in cœlum fuit exaltatus; Ideo sæpiùs dici ex cœlo descendisse, non quod Deus sit manifestatus in carne assumpto semine Abrahæ, sed quod in carne priusquam Israëli manifestaretur fuerit assumptus in cœlum, ibique, ut Moses quondam, Deum viderit facie ad faciem, & ab ipso audiverit quæ postea loquutus est; Ipsum Legem Mosis moralem auxisse & correxisse, longeque meliorem dedisse, ut præceptis, sic promissionibus immortalitatis & vitæ, quæ sub V. T. ignotæ penitùs fuerint; Ejus adorandi rationem ex divina illius natura, quæ nulla sit, non esse arcessendam; Eum non esse functum Sacerdotis munere in sua morte, neque hanc sustinuisse ut nos Deo reconciliaret & satisfaceret justitiæ divinæ pro nobis; adeoque nullo loco habenda quæ vulgò inter Christianos de Merito & Satisfactione Christi pro suis, creduntur & docentur; Non suâ illum virtute resurrexisse, sed alienâ; Omnigenam perfectionem non tantum anhelari, sed obtineri posse in hac vita; Nullo planè loco habendum Baptismum aquæ; Alia planè, eaque merè spiritualis substantiæ, non tantum altera qualitatibus, corpora consequuturos pios in resurrectione; Vitâ æternâ eos gavisuros in nova Hierusalem, quæ ex cœlo descendet in terram novam quam Deus faciet; Priùs cœteris resurrecturos Martyres;

Pios non minùs propter sua bona opera servandos, quam impios propter mala damnandos; Mortem æternam non esse pœnam sensus, sed tantum damni, quæ in mera annihilatione sive absoluta desitione consistat; quod quam latam sceleribus omnibus pandat januam, omnes palpare possunt; ut enim nemo sanus dolet quod non vixerit ante centum annos, sic parum curarent impii se post centum annos non amplius futuros, si nullas acerbiores pœnas haberent in æternum metuendas & luendas. Transeo reliqua de universali Dei amore, ipsiusmet fidei imputatione ad justitiam, ejusdem fidei ex operibus essentiali perfectione, verè Sanctorum defectione possibili, & si quæ talia sunt, ex quibus facile est colligere nostri Belgii Remonstrantismum, viam Socinianismo apud Anglos quadantenus præstruxisse. Quin etiam eo usque *Socinus* nunc Anglis quibusdam est in pretio, ut ad calcem illius Diabolici Catechismi, extet Catalogus variorum librorum apud eundem Typographum prostantium Anglicè, quos inter sunt non solum ejusdē Catechistæ impii duodecim argumenta contra Divinitatem Spiritus Sancti, quæ paullò ante suum obitum refutavit publico scripto R.D. *Cloppemburgius*, in Academia Frisica dū viveret Theologus primarius, sed etiam vita *Incomparabilis* (scilicet) *Viri Fausti Socini* Senensis, hæreticorum omnium pestilentissimi, à quodam Nobili Polono, semi-Turca, ejus hæresibus infatuato, olim scripta, cum prolixo discursu illius Operibus præfigendo: ut nunc videatur sub novo hoc Regimine plurimis isthîc futurus Sanctus Socinus, si Deo placet, & æquè jam cataphractus, quod fuit ejusdē furfuris personatus S. Georgius, Arianorum quondam primipilus, sub Veteri. O deplorandam conditionem Angliæ, quæ post Reges exactos, ipsi Christo Regi Regum mandat exilium, nec videtur majorem Libertatem magno cruore redemptam anhelasse, quam ut Licentiam consequeretur & faceret quidlibet audendi, quidlibet scribendi, quidlibet credendi! Quid profuit Hierarchiam Ecclesiasticam profligasse, si obtinet ejus loco ἀταξία & Confusio? Quid juvat invehi in Antichristianismum qui Romæ visitur, si is interea æquè nocens & apertior admittitur, qui negat ore rotundo Jesum Christum in carne venisse, & juge Sacrificium Ecclesiæ Christianæ, quod in illius morte pro nobis situm est, elatâ manu impugnat & respuit? Quid interest fugasse id genus Idololatriæ quâ Sancti Cœlites & eorum Imagines ac Reliquiæ vitiosè coluntur, si eam interea admiseris quæ profitetur se illum religiosè colere, invocare, adorare, quē tamen ψιλὸν ἄνθρωπον

facit

facit, atque naturâ & essentiâ Deum Titanico ausu negat esse? Eo-ne usque jam extendi in Anglia quondam Religiosissima Indifferentiam Religionum, saltem fortè apud eos quos magis tangit Regionis quam Religionis cura, quiquehomines cùm sint humana tantum satagunt Deo divina relinquentes, quoniam *Divisum imperium cum Jove Cæsar habet*, ut etiam iis qui Salutem per Christum quærunt, (quibus omnibus, modò Pontificij non fuerint, plenissima isthîc Libertas conceditur,) debeant annumerari Sociniani S. S. Trinitatis Blasphematores, Baptismi Christiani Contemptores, Satisfactionis Christi Abnegatores? Censebuntur-ne Salutem per Christum quærere, qui Christum θεάνθρωπον & Emmanuelem negant; qui non Spiritus Christi Gratiæ & Efficaciæ, sed antecedenter ad illam suo Arbitrio suisque viribus deputant suam fidem & sanctitatem; qui, uno verbo, nec morte nec merito Christi servari volunt, sed exclusâ Christi Satisfactione & Justitiâ, cupiunt esse fabri suæ fortunæ, & suorum duntaxat operum perfectione ac meritis nituntur coram Deo? Siccinè homines cœterà vel Pios vel Prudentes, excœcari larvatâ & affectatâ Sanctitate istorum Achristianorum Hæreticorum, qui nihil sublimius sentiunt de Christo Redemptore quam Mahumetani, & in suis moribus ultra Pharisaicam & Philosophicam Justitiam non conscendunt, ac interim Epicureismi & Atheismi Scholam aperiunt publicam, negando animorum immortalitate, carnis resurrectionem, æternos cruciatus impiorum? Absit ab ullo homine verè Christiano, ut accenseat Christianis Salutem per solum Christum quærentibus, hos Christianismi Sadducæos, quibus ea sola Religio cordi est quæ nulla est, quæque eorum demum sapere potest palato, qui cum nullius sint Religionis satis habent eam externè mentiri, ut placeant populo quas fecerint fabulæ, ac cæteroquin omnem Pietatem & Dei Cultum, partim ex civili honestate, partim ex rerum suarum utilitate metiuntur, ut hoc illis sit Proteuangelium, cum Cæsare apud Suetonium *cap.* 30. & Ciceronem *Off.* 3. ex *Phœnissis* Euripidis, *Si violandum est jus regnandi causa violandum est, aliis rebus pietatem colas*, sive potius simules te colere. Vos verò, hujus Fœderati Belgii Theologi Clarissimi & Antitistes Ecclesiarum Vigilantissimi, *attendite vobis ipsis & toti gregi in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei quam proprio suo sanguine acquisivit*, ut cum Paulo loquar Act. xx, 28. Prospicite diligenter, ne restitutis jam nostris cum Anglia commerciis (& faxit Deus Pacis, ut Pax ista duret in ævum)

ævum) ex Anglia revehantur cum fœnore in Belgium malæ merces; quarum prima semina, dissimulari id nequit, ex Belgio in Angliam delata fuerunt. Quinimò illi quo *proximus ardet Ucalegon* incendio restinguendo, omnem operam debemus adhibere, ut sicut olim Telepho contigit, inde Panacea prodeat vulneri Angliæ luctuosæ, unde tam lethale vulnus ei primùm inflictum fuit. Spero hanc meam Operam, sub Benedictione Divina, eò profuturam, nec fore tantum Talismanem efficacem ad procul eliminandos tetros istos & venenatos serpentes Socinanismi & Catabaptismi, sed etiam vim eandem habituram cum illo unguento quod Sympathiæ vel Magneticum appellant, quo etiam procul à læso, vulnus creditur sanari, si illo inungatur pugio qui læsit. Hoc præsertim *Volkelii* venenatum Opus, liberaliter antehac arte Mercuriali quorundam qui quæstum pietatem esse ducunt, per Angliam disseminatum, primarium illud telum amentatum censeri debet quod Satan hactenus in Ecclesiæ Anglicanæ latus intorsit: Quidni ergo sanandis vulneribus quę fecit, inserviet hoc quod nunc ei circumpono Veritatis unguentum, continuam, ac uti confido solidam ejus, adeoque & Biddeliani Catechismi qui illud quasi in compendiū contraxit, refutationem continens? Saltem alios excitabo meo exemplo ad hæc Jehovæ Bella fortiter depugnanda, nec dubium quin præruptâ jam glacie, omnia faciliora sint experturi. Interim successus laborum nostrorum est Deo committendus & commendandus: Nam frustrà Paulus plantat & rigat Apollos, nisi ipse dederit incrementum. Tu, *Benevole & Christiane Lector*, precibus tuis contende apud eum, ut pro suo Paterno & gratuito Favore, mihi largiatur Gratiam quantocyùs tertium sive ultimum tomum expediendi, atque sic universam hanc telam, Sacro sancti sui Nominis Gloriæ Æternæ dicatam, fœliciter pertexendi. Quod si te offendit nefariæ istius hæreseôs incrementum, & in ipso Sanctuario collocatam quadantenus abominationem desolationis, recogita illud Tertulliani *de præscript. hæret. Conditio præsentium temporum etiam hanc ammonitionem provocat nostram, non oportere nos mirari super hæreses istas, sive quia sunt; futura enim prædicebantur; sive quia fidem quorundam subvertunt; ad hoc enim sunt ut fides habendo tentationem, haberet etiam probationem.* Tandem coram Arca corruet Idolon, & Veritas tum plenè triumphabit de Mendacio, cum secretis zizaniis à bono tritico in suprema messe, illa conjicientur in ignem ἄσϐεςον, istius vero *massa purior in horrea Domini reponetur*. Imò Domine Jesu veni, Amen. $\frac{11}{1}$ Aug. 1654.

INDEX

INDEX LIBRORUM

[*tertii & quarti*]

DE VERA RELIGIONE,

& Capitum cujusque libri.

Prior numerus notat paginas textus Volkeliani, quæ in margine signantur; alter vero paginas hujus Codicis.

LIBER III.

De Religione Christiana.


(**) XXXIII. De

LIBER IV.

De Præceptis Christi.

DE VE-

DE VERA RELIGIONE Liber Tertius: DE RELIGIONE CHRISTIANA.



Uæ fuerint priora tempora, quibusque devincta religionibus, satis, ut arbitror, explicavimus. Agendum igitur tandem est de temporibus posterioribus, quæ à viris divinis seculorum fines, & tempora ultima, (*1 Cor: 10. 11. Hebr: 1. 1.*) ideò videntur appellata, quòd iis, durante hoc mundo, nullum aliud seculum, absolutiore cultus divini ratione ab iis distinctum, sit successurum. Quæ enim præteritis seculis adumbrata fuêre, ea nunc viva expressâque imagine omnium oculis ita subjecta sunt, ut ad plenissimam divinæ veritatis notitiam, quanta quidem in hujus seculi rationem cadit, nihil desiderari possit.

‡ *Quibusque devincta*] At religiones hæ, licet œconomiâ & dispensatione dispares, tamen re & substantiâ non debent distingui: Semper namque obtinuit idem Christus, *heri & hodie & in sæcula* Heb: XIII, 8. ceu *agnus mactatus à jacto mundi fundamento* Apoc: XIII, 8. Ut enim unus est Deus, sic una fides & una religio, cujus vinculis homines peccatores Deo religari debent.

Quæ à viris divinis] Hæc hactenus concedimus, non quod alia sit *quoad rem ipsam* religio Christiana ab ea quæ Deo præcipiente & revelante ante Christum incarnatum obtinuerat, sed quod tantum alia sit *quoad modum rei* qui *absolutior* est, nec minùs differt à præcedenti œconomia, quam *viva & expressa imago* distat à crassiori & ὡς ἐν τύπῳ ejusdem vultus adumbratione; quod satis indicat Paulus Heb: x, 1. Hinc Chrysostomus & Theophylactus ex illo monēt Legi σκιὰν sive umbrā deberi, Euangelio εἰκόνα, idest magis ad vivū & suis coloribus vestitam imaginem, in cœlo ἀλήθειαν, idest veritatem, expectari.

Quanta quidem] Meritò id dicitur: Quæ enim Monachi quondam finxerunt de *Euangelio æterno* & œconomiâ perfectiori Spiritus Sancti, cùm duas priores, Pater Legis, Filius Euangelij, habuerint, à quibus haud ita recedunt deliria quędam Anabaptistica, ex animo detestamur.

Nihil desiderari,] Equidem nihil hic desiderari potest ex parte revelationis Divinæ; Est enim Christus is *qui venturus erat nec alium expectamus* Matth: XI, 3. Sed tamē illo lumine revelationis non omnes æquè utuntur & plurimi ad illud se habent ut noctuæ ad solem; quod de Socinianis maximè dici potest.

CAP: I.

De Autore religionis Christianæ; & primùm de ejus natura.

‡ *Respondente* JOHANNE SCHLICHTINGIO, *Frisio-Orientali.*

APpellatur autem hæc divinæ veritatis disciplina Christiana religio, quòd per Jesum, qui Christus nuncupatus est, quemque Deus illius ducem & autorem

autorem esse voluit, tradita est atque promulgata. Estque nihil aliud, quàm cultus divini numinis, quem ipse Deus, proposito vitæ sempiternæ præmio, hominum generi per Christum præscripsit. Quam rem ut penitus perspicia-
37. mus, duo potissimùm attenta consideratione ponderanda esse videntur. Nam & hujus religionis ducem, & eos, qui illius ductum, vel sequi sese profitentur, vel revera sequuntur, intueri oportet. Ac ducem quidem hujus disciplinæ ideo diligentissimè contemplandum existimamus, quòd in perfecta ipsius cognitione totius religionis notitia continetur. Agnitio quippe illius, tum ejusdem personam, tum officium complectitur; quorum utroque rectè cognito, tota Christiana religio cognoscitur.

‡ *Christiana Religio*] Id Nominis sortitur veritatis disciplina post manifestatum Christum, & ex quo cœperunt *discipuli* appellari *Christiani* Act: XI, 26. non quod præcedens disciplina nihil habuerit de fide in Christum & Redemptione per ipsum, sed quod externa œconomia & dispensatio fœderis, qualis per Euangelij promulgationem inter Gentes obtinet, ipsummet Christum in carne apparentem & factum primò *Circumcisionis Ministrum* Rom: XV, 8. authorem habeat, juxta locum Heb: I, I.

Estque nihil aliud] Atqui hæc eadem definitio convenit œconomiæ V.T. Nam & ibi vigebat *cultus Divini Numinis*, & *ipse Deus* eum præscripserat *hominum generi*, licet tunc potissimum & primariò Judæis & Israelitis Psal: CXLVII, 19. Rom: III, 2. & eum præscripserat *per Christum* Angelum fœderis Malach: III, I. per cujus ceu *Mediatoris* & internuncij *manum* ipsa lex data est Gal: III, 19. idque *proposito vitæ sempiternæ præmio*: cùm suo loco satis superque probatum sit etiam Veteres vitæ æternę promissiones habuisse, cujus spe & expectatione se solabantur in terra, in qua sese *peregrinos & advenas* profitebantur, *patriam potiorem*, hoc est *cœlestem*, expetentes *& civitatem illam quæ habet fundamenta* Heb: XI, 14. 13. 14. 15.

In perfecta ipsius cognitione] Id dici non potest, quin eo ipso Jesus Christus verus Deus & vita æterna statuatur, ex ipsiusmet dicto Joh: XVII, 3.

Primò igitur de Jesu Christi persona ita agendum est, ut ejus consideremus naturam; idque pro status ipsius diversitate, tum illorum temporum, quibus in terris versabatur, ratione habita, tum hodiernæ naturæ ipsius conditione diligenter animadversa. Ad priorem igitur naturæ ipsius statum quod attinet, satis apertè ex divinarum literarum monumentis constat, verum eum hominem fuisse. Nam & ex Davidis stirpe illum ortum habiturum jam olim prædictum fuerat; (*2 Sam: 7. 12. Psal: 132. 11.*) & haud aliter se rem habere eventus comprobavit: cùm & hominem eum natum fuisse, & proprias hominum qualitates habuisse, & eos subiisse casus, qui non nisi homini obvenire possunt, compertissimum sit. Qui enim ex humano corpore animaque constat, qui fame sitique premitur, qui cibo, potu, somnoque reficitur atque recreatur, qui miserandos hominum casus lachrymis prosequitur, qui in varias afflictiones, atque adeò in teterrimam ignominiosissimamque mortem

mortem incurrit; (*Matth: 4. 2. Ioh: 19. 28. Matth: 8. 24. Luc: 19. 41. Ioh: 11. 35. Heb: 5. 7.*) is certè quin homo sit, fieri nequaquam potest. Hæc omnia cum in Jesum religionis nostræ ducem ceciderint, quis eum humanâ naturâ ac conditione excludere audebit? Hinc eum & carnem fuisse, (*Ioh: 1. 14.*) & in carne venisse, (*1 Ioh: 4. 2, 3.*) & carnem sanguinemque participasse (*Heb: 2. 14.*) divinis testimonijs edocemur; ut & hominem eum mortalem & fragilem, & dolorum acerbitatibus, & denique morti obnoxium fuisse intelligamus. Quid, quòd idem dux noster, homo aut filius hominis passim apud Novæ scripturæ autores appellatur. (*Ioh: 8. 40. Rom: 5. 15. 1 Cor: 15. 21. 1 Tim: 2. 5.*)

‡ *Ut ejus consideremus naturam*] At primò *naturas* debuisset dicere Volkelius, cum sit Immanuel & θεάνθρωπος; Deinde cum *natura* semper eodem modo se habeat, non potest *hodierna* Christi natura ab ea quam olim habuit distingui, licet ejusdem numero personç, imò & naturæ humanæ quondam assumptæ, *statum* duplicem agnoscamus, exinanitionis alterum, alterum exaltationis, ex Paulo Phil: 11, 6. 7. 8. 9. 10.

Verum enim hominem] Sic tamen, ut simul constet eum quoque verú esse Deum Patri coessentialem & coæternum: Unius quippe naturæ positio & probatio, alterius negatio & remotio censeri non debet.

Et in carne venisse] Nempe quatenus *sermo caro factus est* Joh: 1, 14. & *Deus conspicuus factus in carne* 1. Tim: 111, 16.

Homo aut filius hominis] Sed & dicitur pariliter sæpè filius Dei *unigenitus* & *proprius* Joh: 111, 16. Rom: v111, 32. & *Deus super omnia benedictus* Rom: 1x, 5.

Voluit quippe summus ille salutis nostræ architectus, hac ratione & gloriæ suæ, & saluti nostræ optimè consulere. Ut enim de ipsius gloria primùm agamus; constat eam in patefactione bonitatis, potentiæ, & sapientiæ ipsius inprimis constitutam esse. quæ omnia cum ex eo clarissimè eluceant, quòd is, qui naturâ homo est, fidei nostræ dux & perfector factus est; nihil sanè ad divinam laudem præstantius esse potuit, quàm per hunc eundem hominem universam salutis nostræ rationem & inchoari & absolvi. Ac bonitas quidem Dei in hoc maximè cernitur, quòd hominem tantis divinæ suæ gratiæ ornamentis cumulavit, ut ipsius benignitate verissimæ felicitatis (de qua suo loco fusiùs explicandum erit) non solùm nuncius, sed etiam effector 38.
largitorque existeret. Potentiæ autem divinæ maximum argumentum est, quòd per hominem rem tam arduam, & omnium creaturarum vires superantem conficere potuit. Neque enim eadem Dei potentia, tam illustris, tamque gloriosa esset, si ad tantum negotium eo usus fuisset, qui divinione quadam natura præditus foret. Quid verò de summa Dei sapientia dicam? ea certè in hoc clarissimè perspicitur, quòd nulla commodior ratio, quâ ad illi confidendum perduceremur, excogitari potuit eâ quam in illo

 salutis

salutis nostræ principe constituendo secutus est; qui ob ejusdem naturæ, quam nobiscum habuit, conjunctionem, insitamque erga nos charitatem, rebus nostris consultissimum cuperet, eandemque quam nos edocturus erat, viam ingrediens, ad ingentem Dei fiduciam animos nostros excitaret, illamque mirum in modum confirmaret. Atque hinc simul illud apparet, quod secundo loco proposueramus, Deum nimirum hac via ac ratione saluti nostræ optimè consuluisse. Nam præter id, quod modò diximus, consentaneum etiam erat, ut is nobis dux & autor præficeretur, cujus nos illis in rebus, quæ in hominem cadunt, vestigia persequi posse, exploratissimum haberemus. Quod certè secùs esset, si Jesus Christus excelsiore quadam, & supra humanam conditionem positâ naturâ præditus fuisset.

† *Quod is qui naturâ homo*] At si nihil aliud esset quam ψιλὸς ἄνθρωπος, id officij & laudis ipsi non competeret, cum *maledictus* pronuncietur *Vir ille qui fiduciam habet in homine & statuit carnem brachium suum* Jer. XVII, 5.

Sed etiam effector] At talis esse nequivisset, nisi verus Deus unà fuisset.

Quod per hominem] Primùm Christus non est causa tantum instrumentalis, sed principalis salutis nostræ; unde ipse non rarò ipsa *salus* appellatur, ut Luc: II, 34. Deinde hîc est contradictio in adjecto; si enim per Christum res tam ardua confecta est quæ *omnium creaturarum vires superet*, debet utique & *homine* & omnibus creaturis *major* haberi, adeoque nec ei deneganda *divinior quædam natura*, quam Volkelius impudenter illi abrogat. Quin in eo elucescit potissimum & Sapientia & Potentia Dei; Illa quidem quod rationem idoneam repererit satisfaciendi suæ Justitiæ & genus humanum redimendi per Filij sui incarnationem; Hæc vero, quod eousque evexerit naturam humanam, ut in unum idemque suppositum cum persona τοῦ λόγου coalesceret.

Eandemque quam nos edocturus] At non doctrinâ tantum & exemplo Christus est Redemptor noster & ἀρχηγὸς nostræ salutis, sed potissimùm & primariò satisfactione, merito & efficaciâ; quod evidenter ejus Divinam naturam confirmat. Quare *animos nostros* excitat non minus ad sui quam *Dei* Patris *fiduciam*, ut passim videre est in Euangelio, Joh: III, 16. XIV, I.

Quod certe secùs esset] Verum nec tota ratio salutis nostræ sita est in persequendo *vestigia* Christi, eumque imitando; cum nos invitet non solum ad sui imitationem in moralibus, sed etiam ad devolvenda in se onera nostra Matth: XI, 28. 29. & multa patraverit opera miraculosa quæ admirari debemus non imitari; Nec inde sequitur ipsum *excelsiore quadam & supra humanam conditionem positâ naturâ* præditum non fuisse, eò quod ad ejus premenda vestigia in ijs quæ fecit quà homo invitemur. Quid quod imitatores ipsius Dei debemus esse Eph: v, I. & studere perfectioni ut Pater noster qui est in cœlis perfectus est? Matth: v, 48.

Hæc autem non eò inculcantur à nobis, quòd Jesum Christum in vulgarium hominum turbam conjicere cogitemus. Ut enim, si ad ejus respicias essentiam atque naturam, non nisi hominem eum fuisse constanter affirmamus: sic contrà, si in admirabilem nascendi rationem mentis aciem intendas,

das, si divinam, quæ in ipso adhuc mortali eluxit, potentiam, sapientiam, sanctitatem intuearis, longè omnium hominum genus excellentissimâ dignitatis præstantiâ eum jam tum superasse comperies. Nam ut de nascendi ratione nunc dicamus, ex spiritu sancto conceptus, & ex virgine, (*Matt: 1. 18, 20, 23.*) inusitata planè ratione, & naturæ limites excedente, natus est; & hanc primùm ob causam filius Dei vocari meruit; (*Luc: 1. 35.*) & filius quidem Dei proprius atque unigenitus, quemadmodum eum sacræ literæ appellant. (*Ioh: 1. 18: 3. 16, 18. Rom: 8. 32.*) Nam ne de alijs, ijsque potioribus hujus appellationis causis nunc quicquam dicamus, jure propterea proprius atque unigenitus Dei filius dici potest, quòd & solus hac ratione in lucem editus sit, & statim à vitæ suæ primordio Dei filius extiterit, nec præter Deum ullum alium patrem habuerit. qua de caussa & naturalis Dei filius rectè potest appellari.

‡ *Hæc autem non eò inculcantur.*] Protestatio est facto contraria, quæ nihil operatur.

Nonnisi hominem.] Et in eo bellè conspirant Sociniani, cum Ebione, Cerintho, Photino, Paulo Samosateno, & similibus excetris, per quas jam olim Satan tentavit personæ Christi excellentiam, dignitatem & divinitatem impugnare.

Si divinam quæ in ipso] Si jam in Christo adhuc mortali *Divina Sapientia* & *Potentia* eluxit, cur ergo paullò ante Volkelius volebat distingui naturam Christi hodiernã, ab ea in qua primùm apparuit? aut cur ab ejus exaltatione omnem illius factitiã Divinitatẽ suspendunt adversarij, siquidem jam ante illam Divinâ & Sapientiâ & Potentiâ præditus fuit? Sed quî potuit Christo convenire *divinâ sapientia*, *potentia & sanctitas*, quin essentiâ & naturâ simul Deus fuerit, quandoquidem proprietates Divinæ sunt incommunicabiles Creaturis; nec posset magis Sapientia & Potentia Divina ei convenire qui non sit naturâ Deus, quam risibilitas ei qui naturâ homo non fuerit?

Et hanc primùm ob causam] Id verò palàm falsum est; Neutiquam enim ob illam nativitatem & conceptionem miraculosam Filius altissimi fuit appellatus; aliàs ejus filiatio ex ista miraculosa productione derivata, ejusdem foret ordinis cum Adami & Angelorum filiatione, quos etiam Dei filios jure creationis appellari notũ est Luc: III, 38. Job: I, 6. II, I. 1. Reg: XXII, 19. Imò hi excellentiori quodam modo quam ipse Christus filij Dei forent dicendi, cum magis immediatam originem à Deo per sui creationem ex nihilo habuerint, quam Christus per sui nativitatem ex Virgine; siquidẽ etiam ipsa Virgo mater ejus propriè dicta & naturalis fuerit, atque activè, ut omnes matres solent, ad ejus generationẽ concurrerit. Locus qui extat Lucę 1, 35. non favet adversario: nam dato non concesso synonyma planè esse Euangelistæ, *Spiritum Sanctum* superventurum in Mariam, & *Virtutem* altissimi eam obumbraturam, nihil tamen aliud illud διὸ notabit quam causam consequentiæ & cognoscendi, non essendi & consequentis; ut nõ ideo debuerit esse Filius Dei, quòd ita conceptus foret ex Spiritu Sancto & nasceretur ex Virgine, sed ex eo quod ita conceptus & natus foret colligi debuit eum vocandum & agnoscendum Filium Dei; quoniam non alius potuit esse vel agnosci debuit quam Filius altissimi, qui ita miraculosè ex Virgine matre nasceretur; prout Virginis filius erat vocandus, idest agnoscendus, *Immanuel* Esa: VII, 14. Matth: 1, 23.

Et sanè sunt quoq; alia loca in quibus hæc eadē particula διὸ magis est illativa & rationalis quam causalis, ut Phil: II, 9. Nec pigebit hic annotare Paraphrasim Erasmi eo quoque nos ducentis; *Propter corpus humanum de sui corporis substantia desumptum, rectè dicetur filius virginis ac filius hominis; cæterùm post intellectum hujus nativitatis mysterium, non dicetur filius Ioseph sed filius Dei, non quidem vulgari more quo justi à peccatis purgati ac per gratiam Dei justificati, per adoptionem dicuntur filij Dei, sed singulari ratione vocabitur filius Dei, ex quo verè bis natus sit, semel absque initio, ab æterno æternus, nunc in tempore ex matre mortali mortalis, homo ex homine.* Quod si propter conceptionem istam miraculosam Christus esset & diceretur Dei filius, tum Spiritus Sancti quoque filius posset appellari; à qua loquutione eò magis abhorret Scriptura, quod in isto incarnationis opere Spiritus Sanctus non se habuerit σπερματικῶς, sed δημιουργικῶς, ut loquitur Damascenus. Multò minus ideo posset appellari *filius Dei proprius atque unigenitus, quemadmodum eum sacræ literæ appellant* locis hic Volkelio citatis Joh: 1, 18. III, 16. 18. Rom: VIII, 32. Nam sanè ille demum *unigenitus* dici potest Dei, qui à Deo *genitus est*, Sed concipi miraculosè virtute Spiritus Sancti non magis à Deo gigni est, quam vel fieri miraculosè ex luto terræ, ut Adam, vel creari ex nihilo, ut Angelus, vel formari ex Adami costa, ut Eva. Et qui sic est unigenitus Dei, ut exinde ejus *proprius* filius dici debeat, is sanè propriissimè & ex substantia Patris genitus esse debet; Etenim *proprius*, adeoque & naturalis, dicitur oppositè ad adscititium, legalem, vel adoptivum; ac monstrosa foret generatio unigeniti & proprij filij, nisi is ejusdem naturæ & essentiæ esset cum generante. Præterea in loco Lucæ possumus optimè distinguere Spiritum Sanctum qui superventurus erat in Mariam, & Virtutem Altissimi à qua erat obumbranda; ille enim denotat tertiam Sanctæ Trinitatis personam, cujus efficaciâ & formata originaliterque sanctificata est natura Christi humana in utero Virginis, & simul conjuncta hypostaticè personę τοῦ λόγου: hęc vero ipsum Dei λόγον, ęternū sc. Dei filiū, B. Virginem præsentiâ suâ personali obumbrantē & in ejus utero sibi hypostaticè conjungentem naturā humanā, ex semine sanguine & substantia Mariæ efformatam Spirituque suo sanctificatam: cujus unionis hypostaticæ vi & respectu suppositum τὸ γεννώμενον ex ipsa, utpote eo ipso θεάνθρωπος, jure merito filius Altissimi debuit appellari.

Nam ne de aliis] Sed non possumus ariolari alias, easque *potiores*, causas reddi posse hujus appellationis, si ab hac quam commemorat nunc Volkelius, non modò *filius* Dei, sed quod magis est *filius Dei proprius atque unigenitus* dicatur.

Iure propterea] Absurdè: nam & pari ratione dixeris Adamum proprium, unigenitum, imò & naturalem Dei filium, *quod & solus hac ratione* (nempe per creationem ex luto terræ) *in lucem editus sit, & statim à vitæ suæ primordio Dei filius exstiterit; nec præter Deum ullum alium Patrem habuerit.* Præterea quamvis Christus hactenus ἀπάτωρ fuerit humanitatis suæ respectu quod ex Virgine Matre natus est absque virili semine, tamen quatenus ex ipsiusmet Virginis substantia & semine formatus est, etiam *Davidis* & *Abrahami* filius appellatur.

Qua de causa & naturalis] Filius naturalis alterius quis dicitur bifariàm, vel oppositè ad filios legitimos, vel oppositè ad filios legales aut adoptivos: Priori sensui locus esse nequit cum de Christo agitur; Ergò naturalis ideo censendus est quod ab ipso Patre genitus ejusdem sit cum ipso substantiæ & naturæ.

Cujus

Cujus quidem nativitatis tam admirabilis duplex potissimùm videtur fuisse causa. Primò enim voluit eum Deus, tum illis, quos hoc mysterium tunc 39.
minimè latebat, tum illis, qui postmodùm ejus rei notitiâ instruendi essent, commendatissimum esse, maximamque habere apud illos authoritatem. Deinde consentaneum est, in ipso statim ejus ortu, summo illi Patri spiritualium filiorum suorum generationem hoc pacto adumbrare placuisse, ut accedente postea divinæ voluntatis disciplina, clarissimè pateret, qua ratione in filium Dei evadere eum oporteret, qui ad sempiternam hæreditatem contenderet: nempe eum non ex sanguinibus, ut Johannes loquitur, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex spiritu ipsius nasci oportere. (*Ioh: 1. 13. & 3. 5. & seqq.*)

‡ *Duplex potissimum*] Has causas conceptionis & nativitatis miraculosæ Christi admittimus, sed non solas: Nam insuper ita concipi & formari debuit ea natura humana, quæ hypostaticè unita personæ τῦ λόγυ in idem suppositum cum ipso coalesceret. Adhæc cùm debuerit Mediator noster, esse quoque homo, quò *semen mulieris* contereret caput serpentis, juxta protevangelium Gen: III, 15. debuit utique *ex muliere* fieri Gal. IV, 4. Sed cùm debuerit unà esse homo innocens, sine labe & sanctus atque separatus à peccatoribus Heb; VII, 26. adeoque immunis ab eo originali vitio quocum oportet nasci omnes Adami posteros qui ex viri & mulieris congressu generantur Psal: LI, 7. Joh: III, 6. utique non ex viri semine immundo Job: XIV, 4. gigni debuit, sed concipi ex Spiritu Sancto & nasci ex Virgine: aliàs nec idoneus Pontifex noster apud Deum, nec sufficiens victima ad nostra scelera expianda, futurus. Quî enim aliorum debita quiret dispungere, qui & ipse cum aliis reus esset debendi, qualem oportet esse omnem hominem ex Adamo & semine corrupto viâ ordinariâ & naturali progenitum?

Quo magis illorum sententiam repudiamus, qui eum ex Josephi semine generatum esse affirmant; utpote quæ & luculentissimis Dei oraculis repugnet; & de singulari Christi gloria atque dignitate plurimum detrahat; & denique divinum hoc mysterium, quod admirabili Christi nativitate contineri modò diximus, prorsus extermitet. Arbitrantur isti quidem, se firmissimum opinionis suæ præsidium inde habere, quòd Christus Davidis filius à Divinis autoribus appellatur; quos à mendacii crimine vindicari nulla ratione posse persuasum habent, nisi eum Josephi, qui ex Davidis stirpe ortum habuit, filium esse statuatur. Mariam enim non ex Davidis, sed Aaronis familia natam fuisse, inde colligi ajunt, quòd Elisabetham, quæ ex filiabus Aaronis erat, cum illa cognationis necessitudine conjunctam fuisse scriptum legitur. (*Luc: 1. 5. & 36.*) Addunt insuper & hoc, etiamsi concedatur, Mariam ex Davidis familia ortum habuisse, nequaquam tamen id, quod nos volumus, inde confici: propterea quòd non ex fœminis,

sed ex

sed ex viris unaquæque familia nominetur. Verùm ne hilum quidem istis rationibus subducendis proficiunt. Ut enim Christus ex Davide originem ducere rectissimè dicatur, satis est, eum ex illa genitum fuisse, quæ Josepho jam erat desponsata, (*Matth: 1. 18.*) ejusque uxor facta, quamvis tunc nondum congressi fuissent. Usitatissimum enim ex divino decreto mandatoque erat, ut is etiam filius alicujus diceretur, qui ex illo cujus filius censebatur, natus minimè erat. Voluit quippe Deus, verbi causâ, ut frater fratri absque prole demortuo in matrimonio succederet, ejusque uxore ducta, semen illi excitaret; (*Deut: 25. 5. Gen: 38. 8, 9.*) ut nimirum qui ex ea nasceretur filius, non huic, qui eam sibi matrimonio junxerat, sed illi, qui diem suum obierat, assignaretur. An non igitur multò magis is cujuspiam filius censendus est, qui eo adhuc vivente, absque illius viri consortio, sola Dei virtute, ex ipsius uxore natus, illique ea, qua Deo visum est, ratione donatus fuit?

‡ *Quo magis illorum*] Ut hæc sententia est detestanda homini Christiano, ac meritò olim damnata in Carpocratianis, turpissimis hæreticis, apud Epiphanium *hær.*27. & Augustinum *de hæres. cap.* 7. ita aliter venit refutanda, quam hîc fit à Volkelio, juxta quem non verè & physicè, sed tantum legaliter & putativè Christus filius Davidis fuerit; si quidem non alio sensu Davidis filius sit habendus, quam quo putabatur esse filius Josephi Luc: III, 23. Refutari debuissent à Volkelio argumenta proposita ab illis χριστομαχοῖς *qui cum ex Iosephi semine generatum esse affirmant*; non tam facilè concedi, ut videmus hîc fieri.

Quos à mendacij] Et vera est Scriptura quæ Christum dicit Filium Davidis κατὰ σάρκα Rom: 1, 3. ac ex fructu lumborum ipsius prodijsse Act: 11, 30. nec mendacij est insimulanda dum statuit B. Virginem intactam & inaccessam viro concepisse & peperisse, ipsumque Josephum, non revera, sed duntaxat ex hominum opinione, Christi Patrem fuisse; ὡς ἐνομίζετο, inquit Lucas; *ut existimabatur.*

Mariam enim non ex] Hoc argumentum, quo olim pugnarunt Porphyrius & Julianus contra Christianos, apud Hieronymum *in cap.* 1. *Matt.* & Cyrillum Alexandrinum *lib.* 1. *contra Iul.* imò & Manichæi nonnulli, ut Faustus nominatim apud Augustinum *lib.*23. *cont. Faust. cap.*9. elumbe est & ficulneum. Quasi vero Maria non potuerit esse *cognationis necessitudine* conjuncta cum Elizabetha quæ erat *ex filiabus Aaronis*, quin ipsa quoque Leviticæ stirpis fuerit? Notum enim est cognationes hoc ab adgnationibus distingui, quod agnati duntaxat per virilis sexus personas cognatione juncti sint, quasi à patre prognati, ut Cajo placet: Cognatio vero in genere est necessitudo hominum, (quam *personarum conjunctionem* vocat Alex. Imperator, & *sanguinis necessitudinem* Gordianus) quos ab eodem stipite communi descendentes, sanguis conjunxit naturâ vel legis fictione, ut definitur Vultejo *Comment. Inst. de nupt. n.* 38. Cognatio autem specialiter sic dicta, ut contradistinguitur ab agnatione, est *naturalis per fœminas conjunctio*: specialiter enim *cognati* dicuntur *qui per fœminas conjunguntur*, ut docet Paulus ICtus *ff. de Gradibus l.* 10. §. 2. Igitur si hæc *cognatio* & συγγένεια, quæ intercedebat B. Virgini cum Elizabetha, sumatur genera-

generaliùs, non necessario evincet patrem B. Virginis fuisse ordinis sacerdotalis & ex Aaronis stirpe; cum cognatio non minus procedat à latere materno, quam paterno; Si verò sumatur in significatione specialiori & prout *cognati* ab *agnatis* distinguuntur, debuit necessario hæc inter eas conjunctio per sanguinem maternum procedere; vel quod fuerit mater Elizabethæ ex familia Davidis & nupsisset Sacerdoti alicui, adeo ut Elizabetha ipsa per lineam paternam fuerit Aaronica, Davidica & Mariæ cognata per maternam; vel B. Virginis mater fuerit ex filiabus Aaronis, & nupserit viro ex stirpe Davidis, adeo ut B. Virgo per lineam maternam fuerit Aaronica & Elizabethæ cognata, Davidica vero per paternam. Jam autem ut hoc argumentum à cognatione Mariæ cum Elizabetha, nihil facit ad probandum quod Maria non fuerit ex stirpe Davidis, ita facilè est demonstrare eam revera Davidicæ originis per lineam paternam fuisse: Huc primùm facit ipsius Lucæ authoritas cap: I, 27. ubi dicitur Angelus missus πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην ἀνδρὶ ᾧ ὄνομα Ἰωσὴφ, ἐξ οἴκου Δαβίδ: Illud enim ἐξ οἴκου Δαβίδ, æquè potest ad ipsam Virginem desponsatam referri, ac ad virum cujus sponsa erat; Ideo etiam Epiphanius adversus Antidicomarianitas, *hær.* 78. alludens, ut est verosimile, ad verba Lucæ, disertè monet Deiparam fuisse ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς τοῦ Δαβίδ. Præterea nisi B. Virgo contribulis fuisset Josephi, non eam secum assumpsisset Josephus cum ad edictum Augusti ascendit in urbem Davidis quæ vocabatur Bethlehema, *propterea quod erat ex domo & familia Davidis, ut describeretur cum Maria desponsa sibi uxore quæ erat prægnans* Luc: II, 4. 5. Quibus verbis, ut observatum Grotio *ad eum locum, apertè satis ostendit Lucas etiam Mariam ex genere Davidis fuisse*; Nam alioqui ipsa in familiæ suæ urbe profiteri debuerat. Adhæc cum *domui Davidis* hoc signum divinitùs promittatur Esa: VII, 13. 14. de Virgine conceptura & paritura Immanuelem, eo ipso satis insinuatur ex domo Davidis illam Virginem extituram. Nec desunt interpretes qui illud Esaiæ XI, I. de *virgula* proditura è trunco succiso Isaï, ad B. Virginem referant, ut ad Christum ipsum sequentia de *surculo* qui è radicibus ejus efflorescere debebat. Ita sanè cum veteribus alijs Ambrosius *lib. de Benedict. Patriarch. cap.* 4. *Radix familia Iudæorum; virga Maria; flos Mariæ, Christus; qui fœtorem mundanæ colluvionis abolevit, odorem vitæ æternæ infudit.* Quid quod non possit commodiùs aut certiùs conciliari Matthæus cum Luca, circa Genealogiam Christi, quam ille cap: I. hic cap: 3. diversimodè referunt, nisi statuamus cum plurimis Interpretibus, Matthæum nobis describere Genealogiam Christi legalem per Josephum, cujus pater Jacob fuerit dictus, Lucam vero naturalem per Mariam cujus pater fuerit Heli, Josephi socer: Nec mirum si eo respectu Josephus filius Heli dicatur, cujus gener erat, cum & Saul Davidem suum filium vocet I. Sam: XXVI, 17. 21. & Noemi Rutham filiam suam appellet, quod ejus socrus esset Ruth: I, II. Addimus traditionem hanc constantem in Ecclesia Christiana, B. Mariam nupsisse Josepho cognato & contribuli suo, ex lege Num: XXXVI, 6. ut pote virginem ἐπίκληρον, ad quam fratrum defectu hæreditas paterna, in aliam familiam per ipsius nuptias non transferenda, devoluta erat, ut etiam è veteribus monet Eucherius Lugdunensis, qui vulgò Eusebius Emissenus dicitur, *homil. de nativit. Christi*; Ex hac vero hypothesi, etsi eorum staret sententia, qui censent utrumque Evangelistam in Josephi Genealogia describenda occupari, nihilominus Josephi stemmate assignato, per illud nobis de stirpe B. Virginis sufficienter constaret. Et sanè quotquot è Veteribus in genus B. Ma-

riæ inquisiverunt, si Gnosticos & Manichæos excipias, quibus Joachim pater ejus Sacerdos Leviticus dicitur, eam omnes fecerunt stirpis Davidicæ & Regiæ: Igitur ut concludam verbis Augustini *lib.* 23. *contra Faust. cap.* 8. *cùm unus idemque narrator* Euangelicus, *utrumque dicat, utrumque commendet, & virum Mariæ Ioseph, & Christi virginem matrem, & Christum ex semine David, & Ioseph in serie progeneratorum Christi ex David, quid restat ut credat qui mavult Divino Euangelio quam hæreticorum fabulis credere, nisi & Mariam non fuisse extraneam à cognatione David, & eam Ioseph conjugem non frustra appellatam propter ordinem sexus, & animorum confœderationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus; & Ioseph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum, ne hoc ipsò videretur ab ea fœmina separatus, cui eum conjungebat mentis affectus.*

Addunt insuper & hoc] Sed & hoc telum est æquè arundineum ac prius: Licet enim non *ex fœminis sed ex viris unaquæque familia nominetur*, attamen ut fœminæ quamdiu sunt virgines & innuptæ accensentur paternæ familiæ, ita B. Virgine miraculosè filium suum edente, is ad familiam avi materni, cum ipse patrem non habuerit, eo ipso censendus est pertinuisse. Hic enim si uspiam debet vigere illud Jurisconsultorum, *Partus ventrem sequitur.*

Ut enim Christus] Hoc non est, Volkelî, solvere quæ proposueras adversariorum tuorum argumenta, sed causam quam defendendam in speciem susceperas ipsis prodere. Si enim utrumque largiaris, videlicet nec B. Virginem fuisse stirpis Davidicæ, & familiam Christi ex matris suæ stemmate non esse æstimandam, debebis statuere Christum falsò Davidis filium & ex illius semine secundum carnem asseri in Scripturis. Etenim ut Josephi filius legaliter ac civiliter posset censeri, plurima concurrebant: Primò ipsius Josephi & Mariæ matrimonium, quod verum & ratum fuit, licet nunquam per carnalem concubitum consummatum, ut malè olim Helvidius & Antidicomarianitæ censuerunt; à quibus merito dubitem num multum abludat Volkelius, cum ait Christum *ex illa genitum fuisse quæ Iosepho jam erat desponsata, ejusque uxor facta* (etsi per Sponsalia non fiat uxor, sed futura statuatur) *quamvis tunc nondum congressi fuissent*: quasi post Christum in lucem editum fuerint congressi, nec B. Maria permanserit illa Virgo κατ' ἐξοχὴν quæ commemoratur Esa: VII, 14. Sanè quod dicitur vulgò à Jurisconsultis, *Nuptias non concubitus sed consensus facit, ff. de Reg. juris l.* 30. in hoc Josephi & Mariæ matrimonio est omninò admittendum; Ut autem *Pater is est quem nuptiæ demonstrant*, inquit Paulus ICtus *ff. de in jus voc. l.* 5. ita etiam jure merito Josephus ἐνομίζετο putabatur esse pater Christi, quod illi nupsisset B. Virgo, quæ ipsa hoc respectu ei dicebat Luc: II, 48. *Ecce pater tuus & ego* anxij quærebamus te. Secundò hic venit considerandum ipsum jus Nuptiarum quod vulgò novercæ matris titulum confert, vitrico patris. Hinc est quod eruditi quidam viri existimant non minus illicitas esse nuptias inter comprivignos, utut jure civili concessas, *§. mariti, Inst. de nupt. l. generali.* 34. *§. inter privignos, ff. de ritu nupt.* quam inter fratres & sorores, vel germanos, vel consanguineos, vel uterinos; quam sententiam, nostro tamen judicio minus veram, conatur tueri Antonius Matthæus, summus Jurisconsultus, *in Coll. fundament. juris, Disp.* 7. *th.* 18. Ut ipsi non militet locus Levit: XVIII, 11. non est hujus loci, ut dicamus: Saltem cum privigni filijs soleant accenseri, etiam hoc titulo eo magis Christus filius fuerit Josephi, quod hic ejus duntaxat vitricus, affectu tamen curâ & educatione se patrem præstiterit; prout ipse Christus non minus illi quam

li quam matri, in pueritia sua *subjectus erat* Luc: II, 51. Tertiò ad illam Josephi patriam potestatem in Christum fundandam potuit & illud pertinere, quod cum ex legis præscripto Virginem Mariam ἐπίκληρον agnationis jure duxerit in uxorem eamque suam fecerit, etiam unà quasi jure accrescendi suum fecerit & in filium adoptaverit Dominum nostrum Jesum Christum, & sic eum hactenus familiæ Davidicæ, ad quam ipse naturaliter pertinebat, civiliter inseruerit: Est enim adoptio actus legitimus naturam imitans per quem extraneus, ut definiunt JCti, in alienam familiam jusque filijfamiliàs suscipitur: Et quamvis mera sit fictio juris, realem tamen producit effectum, nempe civilem insitionem adoptivi in stemma, familiam & jura gentilitia adoptantis: Et quidni adoptasset & proprium censuisset Josephus, id quod sine ullo vitio ex legitima & alij omninò intacta sua conjuge, quasi ipsius solo divinitùs insitum, miraculosè nascebatur? At hæc omnia eò tantum faciunt ut Christus per Josephum vulgò censeretur filius Davidis, ac civiliter & legaliter, ex juris fictione, Davidis stemmati ac familiæ inscriberetur; non verò ut diceretur ex Davidis semine factus, aut ex fructu lumborum ipsius prodijsse; quoniam verba hæc non civilem duntaxat aut legalem, sed naturalem & propriè dictam filiationem apertissimè connotant. Quare ut *Christus ex Davide originem ducere rectissimè dicatur*, non sufficit quod Josephus naturaliter ex Davide oriundus pater fuerit Christi putativus, civilis, adoptivus; sed vel ex semine Josephi debuit procreari, quod cogitare impium, vel B. Virgo ex cujus sanguine semine & substantiâ prodijt quoad carnem, & cujus nuptijs cum Josepho innititur omnis illa civilis & legalis patria potestas Josephi in illum, debuit ipsa esse ex domo Davidis & ab illo originem ducere.

Ut is etiam filius] Concedo de filiatione legali & civili, de physica & naturali nego. Lege leviratus, meo judicio, non tam frater germanus quam proximus agnatus, intra gradus jure Divino & honestatis naturalis ad nuptias concessos, fratri mortuo suscitare semen debuit. Nam nec יבמה *levama* propriè *levirum* notat in lege Deut: xxv, 5. sed quemlibet affinem & prioris mariti cognatum, qualis erat Booz ad priorē virū Ruthę quę illi nupsit ex eadem lege; & cæteroquin juris est immutabilis ac honestatis naturalis, quam violatam à Cananæis Deus severissimè ultus est, lex lata Levit: xviii, 16. *Nuditatem fratriæ tuæ ne retegito*; unde & increpitus à Johanne Herodes, ob Herodiadem fratris sui quondam uxorem, licet juxta Tertullianum & alios, eam nonnisi post obitum Philippi domum duxerit; & Pontifici versum olim vitio quod cum Henrico VIII. Anglorum Rege dispensaverit, ut Arturi fratris sui viduam duceret, prout & hodie videmus cum Poloniæ Rege dispensatum fuisse. Sed de eo quicquid sit, proles quæ illâ lege suscitabatur demortuo, illius non erat naturaliter, sed tantum civiliter per fictionem juris. Quare quod dicitur Gen: xxxviii, com. 8. *suscitare semen fratri*, ibid. com. 9. appellatur *suppeditare semen fratri suo*, idest vicariam ei locare operam ad hoc ut non planè censeatur ἄπαις discessisse; Quod Moses Deut: xxv, 6. 7. explicat *excitare fratri suo nomen in Israele*, quatenus secundarum illarum nuptiarum *primogenitus* succedebat *in nomen* defuncti, ne *deleretur nomen ejus ex Israele.* Talis itaque proles taleque semen mortuo suscitabatur, quod illius esset nominaliter tantum non realiter, ex juris fictione non ex origine naturæ. Puer qui nascebatur erat civiliter filius mortui, naturaliter verò superstitis: nec poterat de illo dici quod ex mortui *semine* factus fuisset, aut ex *fructu* lumborum ipsius prodijsset, prout utrumque de Christo Davidis respectu

ſpectu dicitur: Et certè parum ad Davidem ſpectaſſet promiſſio de Chriſto ex illo naſcituro, ſi nonnili putativè & civiliter fuiſſet ſuæ familiæ poſt multas generationes per meram juris fictionem inſerendus. Quod ſi jure civili, nemo poteſt adoptare in nepotem, niſi filius quoque conſenſerit, *ne illi invito ſuus hæres adgnaſcatur, Inſt. de adopt.* §. 7. quî potuiſſet Joſephus adrogare vel adoptare Jeſum Chriſtum, in filium Davidis, ut ſuus eſſet & hæres promiſſionum ipſi factarum, abſque illius conſenſu, quandoquidem ſupponitur eum fuiſſe aliàs ipſi Davidi merè extraneum, & ex ea matre abſque ſemine virili natum quæ ex familia & poſteris Davidis non eſſet? Verumenimvero longè perfectiori modo Chriſtus debebat eſſe ex ſemine Davidis; nempe illius *ſemen quod prodierit è viſceribus ipſius* 2. Sam: VII, 12. & de quo juraverat Jehova, *De fructu ventris tui ponam in ſolio tuo.* Cum autem Chriſtus non fuerit naturaliter de fructu ventris Davidis per Joſephum, ſiquidem non fuit *de fructu ventris* Joſephi, neceſſe eſt eum fuiſſe de fructu ventris Davidis per Mariam, cui dicebat Elizabetha Luc: 1, 42. *Benedictus fructus ventris tui*, adeoque & illam ex Davide originem duxiſſe.

Annon igitur multo] Id tantùm oſtendit potuiſſe Chriſtum jure dici & cenſeri filium Joſephi legalem & civilem; Sed negatâ B. Mariæ origine Davidicâ, non ſufficiet demonſtrando Chriſtum *ex Davide originem ducere*, *& ex Davidis ſtirpe illum ortum* eum habuiſſe, quem olim prædixerant ſacræ literæ, locis paullò ante ab ipſo Volkelio citatis; cum illa loca velint naturaliter ex ſemine Davidis Meſſiam oriturum: Filius adoptivus & merè quoad originem ſuam extraneus, non poteſt cenſeri *ex ſtirpe* avorum & proavorum adoptantis.

Sed jam tempus eſt, ut Chriſti naturam ſecundùm hodiernum ipſius ſtatum perpendamus. Videmus igitur, eum non ampliùs ejuſmodi corpore præditum eſſe, quod imbecillum, quod abjectum, quod doloribus, quod injuriis, afflictionibus, acerbiſſimæ denique morti obnoxium ſit: cùm eum ſummus ille Pater à mortuis excitatum, corpore ornaverit ſpirituali, cæleſti, immortali, & ſplendore inexplicabili collucente; & quod conſequens eſt, omnibus cum humanæ vitæ ærumnis, omnibus calamitatum perpeſſionibus liberatum, ad divinæ ſuæ naturæ ſimilitudinem extulerit.

‡ *Videmus igitur eum*] Admitti poſſet quod dicit Volkelius, ſi corpus Chriſti nunc ſtatueret duntaxat *alterum*, ob qualitates immortalitatis, ſplendoris & gloriæ illi collatas per reſurrectionem ex mortuis; ſed cum revera velit *aliud* planè quoad ipſam rei ſubſtantiam eſſe nunc Chriſti corpus ab eo in quo paſſus eſt & reſurrexit, hæc doctrina meritò eſt rejicienda tanquam Achriſtiana multis nominibus & hauſta ex lacunis veterum hæreticorum; ut Marcionitarum, qui negatâ veritate carnis Chriſti, corpus duntaxat δοκαστικὸν & phantaſticum, maximè poſt reſurrectionem, illi affingebant; Manichæorum, qui fingebant ipſum cum aſcenderet in cœlum corpus ſuum in ſphæra ſolis depoſuiſſe; Origeniſtarum & Johannis Hieroſolymitani, qui negatâ reſurrectione hujus noſtræ carnis, neſcio quæ corpora alterius planè naturæ & ſubſtantiæ piis concedenda in reſurrectione ſtatuebant. Illi errori de alia nunc Chriſti natura humana quoad ſubſtantiam corporis, quam olim fuit in terris, plurima poſſunt opponi. Etenim ut Chriſtus idem

corpus

corpus quod sepultum fuerat retulit ex sepulchro, sed immortalitate & incorruptibilitate donatum, sic cum eodem illo corpore in quo resurrexerat visibiliter ascendit in cœlum & consedit ad dextram Patris sui, unde & visibiliter reversurus est ad judicandum vivos & mortuos Mar: XVI, 19. Act: I, 9. 10. 11. Quin & mox videbimus ex Heb: X, 5. idem illud corpus à Christo illatum in sacrarium cœleste, quod illi in mundum hunc ingredienti adaptaverat Deus; Et si desiit Christus cœlum subeundo esse nobis ὁμοούσιος, aliamque planè naturam induit ab ea in qua versatus fuerat in terris, non est quod amplius ipsum pro fratre nostro primogenito agnoscamus. Imò Christus post suam resurrectionem debuit iterum mori, si corpus quod retulerat ex sepulchro deposuit ascendens in cœlum, ut aliud augustius assumeret; cùm corpus in quo vivas deponere, mori sit. Par quoque debet esse ratio resurrectionis Christi, quæ nostri in consummatione sæculi: Atqui hoc ipsum corruptibile corpus quod nunc gestamus *suscitabitur cum incorruptione & gloria* I. Cor: XV, 42. 43. Ergo etiam Christi corpus in sui resurrectione ac vi illius, gloriâ, incorruptione & immortalitate donatum est, ut illud deponere & aliud assumere cœlum subiturus non debuerit.

Cum enim summus ille] Non *jam à mortuis excitatum*, Deus Christum ornavit gloriâ & honore, sed ipsum excitando ac vi illius suæ resurrectionis; nec ornavit eum post resurrectionem novo corpore *spirituali, cœlesti, immortali;* sed eum suscitando à mortuis, illud ipsum corpus quod jacuerat in sepulchro & in quo resurrexit, per illam ipsam resurrectionem donavit immortalitate & gloriâ; *nam quod mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo* Rom: VI, 14. cui consentit alter locus I. Pet: III, 18. Nusquam etiam Christi corpus *cœleste* dicitur, nec origine aut substantiâ tale nunc fingi posset; cùm unicum corpus Christo conveniat quod in utero B. Virginis & ex illius semine ac substantia sibi cooptavit; licet illud nunc cœleste agnoscam, tùm domicilio & sede, tùm qualitatibus & splendore illi sedi & gloriæ convenientibus; quo sensu ex dicto Pauli I. Cor: XV, 40. cœlestia possint statui corpora piorum in resurrectione, etsi mens Apostoli ibi non sit *cœlestia* formaliter corpora pijs resurgentibus assignare, sed duntaxat generalem corporum quorumcunque, etiam inanimatorum, ut carnium com. præcedenti, distributionem proponere; Nec corpus Christi nunc *spirituale* est naturâ & substantiâ; sic enim deberet esse inextensum, inorganicum, invisibile, impalpabile, contra quam ipse dicebat post resurrectionem Luc: XXIV, 39. sed tantum qualitate, quatenus nec morti, nec corruptioni, nec hujus vitæ necessitatibus, cibi, potus, somni &c. est obnoxium: manente aliàs verissimo quod carni suæ *immortalitatem dedit, naturam non abstulit,* ut ait Augustinus *epist.* 57.

Ad divinæ suæ naturæ] At non tantum ὁμοιούσιος Christus est Patri & similis cum eo naturæ, sed planè ὁμοούσιος, adeo ut qui vidit illum viderit Patrem Joh: XIV, 9. Deinde Divina natura per quam Christus est *effulgentia gloriæ & character personæ* Patris Heb: I. 3. non illi evenit demum post ascensionem in cœlum, sed ei competijt ut ab æterno Rom: IX, 5. Joh: I, I. VIII, 58. sic etiam toto tempore suæ conversationis in carne; siquidem seipsum *inanivit* & *formam* accepit *servi, similis hominibus factus quùm esset in forma Dei, nec rapinam duceret parem esse cum Deo* Phil: II, 6. 7. prout *quùm dives esset pauper factus est*, ut ejus paupertate ditesceremus I. Cor: VIII, 9.

Unde Paulus (*1 Cor: 15.45.*) Christum jam à mortuis excitatum, spiritumque vivificantem effectum, eâ ratione Adamo opponit, quòd hic de terra terrenus, & sic terreno & animali corpore præditus fuerit: ille verò de cœlo cœlestis, cœlestique ac spirituali corpore cinctus, spiritusque vivificans effectus sit. Huc spectat, quòd idem Apostolus ad Philippenses scribens, (*Phil: 3.21.*) Christo gloriosum corpus tribuit, ut illud ab omni fragilitate corruptionisque periculo remotissimum, & admirabili splendore illustratum, cœlesti virtute invictoque robore firmatum ac munitum esse doceat. Fieri quippe non potest, quemadmodum idem alibi testatur, (*1 Cor: 15.50.*) ut caro & sanguis regni divini hæreditatem adeant, aut corruptio incorruptibilitatem possideat, hoc est, ut qui corpore est carneo, ac proinde naturâ suâ caduco, interituique obnoxio, is, dum quidem hunc statum retinet, in cælo, quod immortalitatis sempiternæque gloriæ sedes & domicilium est, perpetuò habitet.

1 *Unde Paulus*] Verùm Paulus I. non instituit comparationem inter corpus Adami & Christi, quoad utriusque substantiam; cùm certum sit Christum participem factum carnis & sanguinis Heb: II, 14. consubstantialem eo respectu Adamo fuisse, à quo & illam suam carnem traxisse vel inde liquet quod Lucas ejus Genaologiam naturalem deducit ad Adamum usque Luc: III, 38. Sed comparationem instituit Apostolus inter utriusque personam quoad earum originem: nam prior Adam è terra oriundus & formatus fuit, unde & illi nomen apud Hebræos, prout & apud Latinos *homo* ab *humo* appellatur: Christus vero alter Adam sæpissimè in Scripturis *è cœlo* venisse & descendisse dicitur. II. Nec demum post resurrectionem suam Christus est *cœlestis & Spiritus vivificans*; quandoquidem etiam priusquam moreretur se vocabat panem Dei, panem vitæ, panem vivum & vivificum qui descendit è cœlo, & quem qui ederit vivet in æternum, Joh: VI, 32. 33. 38. 48. 50. 51. 58. Imò jam tum erat ut fons vitæ ita Spiritus vivificans; Quare explicaturus quod dixerat ibidem com: 54. *Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum habet vitam æternam*, subdit com: 63. *Spiritus est id quod vivificat, caro non prodest quicquam.* Christo itaque convenit esse cœlesti & Spiritui vivifico, opposité ad Adamum χοϊκὸν & terrenum, ratione potissimum suæ divinitatis, cujus respectu dicebatur Joh: III, 13. è cœlo descendisse & in cœlo esse, etiam cum loqueretur in terra; item *mortificatus* carne sed *vivificatus Spiritu, per quem etiam spiritibus qui sunt in carcere profectus* prædicavit I. Pet: III, 18. 19. prout per eundem *Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo* Heb: IX, 14. & *secundum* illum declaratus est *potenter* filius Dei *per resurrectionem ex mortuis* Rom: I, 4. Et sanè cum Paulo, verbis quæ urget Volkelius, opponatur ψυχὴ ζῶσα Adami, & πνεῦμα ζωοποιοῦν Christi, hoc elogium ejus corpori sic dicto vix posset convenire, quin ipsi abrogaretur præsentia animæ rationalis, & Apollinaris delirium tacitè admitteretur. III. Utut ultrò largiar Christum nunc *cœlesti ac spirituali corpore* esse cinctum, quod opponatur animali & terreno corpori Adami, attamen nec corpori Christi præcisè convenit ut sit *Spiritus vivificans*, licet ipse Filius qui ratione suæ Divinitatis *habet vitam in seipso*, etiam non minus

quam

quam Pater *quos vult vivificet* Joh: v, 21. 26. & suis communicet Spiritum illum suum vivificum de quo agit Paulus Rom: VIII, 9. 10. 11. Nec corpus Christi gloriosum, cui nostra corpora mortalia assimilabit in resurrectione Phil: III, 15. cœleste & spirituale dici debet substantiâ & naturâ, sed ornatu & qualitate, quia desijt esse obnoxium ærumnis, necessitudinibus & miserijs quibus in hac valle miseriarum & vita animali sumus obnoxij.

Huc spectat quod idem] Gloriosum quidem nunc agnoscimus esse Christi corpus, ut hîc à Paulo vocatur, non infirmum & mortale, quale erat ante resurrectionem; sed tamen substantiâ & conditione *corpus* est, non Spiritus inextensus & indivisibilis; imò idem corpus quod cruci affixum & sepulchro mandatum, *vile* sive *humile* antea erat; prout juxta Apostolum *hoc corpus nostrum humile transfigurabit, ut conforme fiat ejus corpori glorioso*: Nam sanè hæc transfiguratio non notat depositionem prioris corporis & alterius substitutionem in ejus locum, sed tantum accidentium & qualitatum in illo mutationem in melius. Sic enim Christus *transfiguratus* sive *transformatus* in monte Tabor, cum specimen exhibuit suis Apostolis gloriæ sibi post imminentem crucem obventuræ, non aliud assumpsit corpus, sed eidem illi quod habebat splendorem extraordinarium induxit Matth: XVII, 2.

Qui corpore est carneo] Frustrà quæ de carne & sanguine dicuntur *qualitativè*, sive juxta vitiosas & infirmas qualitates quæ insunt hominibus in hac vita, (nam ita sumitur tum hoc Pauli loco, tum Gal: I, 16. & Eph: VI, 12. ideo hæc duo conjunguntur Paulo *caro & corruptio*, ut intelligatur corruptio carnis, & caro corrupta sive per peccatum inhabitans corruptioni obnoxia;) trahere conatur Volkelius ad corpus carneum, id est ad carnem & sanguinem *substantivè* sic dicta, ac si natura corporea *regni divini hæreditatem* adire non posset. Christi enim corpus post resurrectionem, illius hæreditatis adeundæ capax erat, licet constarot carne, ossibus & sanguine Luc: XXIV, 39. Et Job sic præstolabatur resurrectionem, ut *in carne sua* se Deum visurum confideret Job: XIX, 25. Nec resurrectio foret in consummatione sæculi, nisi erigeretur id ipsum quod prius ceciderat, & cadendo *cadaver* factum fuerat; nec *resurrectio carnis*, qualem credunt omnes Christiani in Symbolo fidei, vulgò Apostolorum dicto, imò *hujus carnis*, ut habet Symbolum Nicænum, si corpora pijs in resurrectione restituenda non forent carnea & organica.

Ac proinde naturâ suâ] Fallitur hæreticus dum omne corpus carneum, eo ipso quod carneum est, facit *naturâ suâ caducum interituique obnoxium*: Corpus Adami in statu innocentiæ carneum erat; illud tamen licet animale & varijs necessitatibus obnoxium, tum quoad individui, tum quoad speciei conservationem, non erat naturâ suâ caducum & mortale; sed è contrario ad perennitatem & immortalitatem conditum, quam & Adam fuisset consecuturus nisi peccasset; Mors enim est *stipendium* peccati Rom: IV, 23. Carneum quoque erat Christi ipsius corpus post resurrectionem; nec tamen ideo quispiam sanæ mentis dixerit illud etiam tunc *natura suâ caducum interituique obnoxium fuisse*; siquidem ut impossibile erat ipsum à morte retineri Act: II, 22. ita illi jam suscitato à mortuis mors ultra dominari non poterat Rom: VI, 9. Ac sicut pertendunt Sociniani Christum in illo corpore suo carneo in quo passus est, antequam sui curriculum auspicaretur raptum fuisse in cœlum, & ibi ex Dei sinu doctrinam Evangelicam hausisse, ita non video qui non potuisset in eodem corpore ibi æternum manere & *perpetuò habitare*, per aliquam transformationem permanentem, qualem transeuntem sensit in monte Tabor

te Tabor Matth: XVII, 2. citra substantiæ suæ corporeæ depositionem; & prout pii superstites in die judicii manente eodem subjecto, derepentè mutabuntur, ut hoc corruptibile ac mortale, immortalitatem & incorruptibilitatem induat 1. Cor: XV, 51. 52. 53.

Adde, quòd auctor Epist: ad Hebr. (*Heb: 10. 5.*) non obscurè testificatur, Deum Christo cælos ingredienti corpus adaptasse, id est, corpus dedisse ad ipsius voluntatem perficiendam aptum atque accommodatum; quod certè immortale omnisque corruptionis expers sit necesse est. Aliter enim ad Dei voluntatem perficiendam, id est, ut ibidem apparet, (*Heb: 10. 10.*) perpetui sacerdotii munere in cælis persungendum, ineptissimum foret.

‡ *Adde quod auctor*] Hæc est horrenda depravatio dicti Apostolici, quod aliàs jugulum petit adversariorum. Nam Christo non demum *cœlos* subeunti, sed venienti *in mundum*, per suam incarnationem fuit *corpus adaptatum*, ut in illo acceptâ formâ servi, obedientem se Patri præstaret usque ad mortem crucis, & seipsum offerret in sacrificium bonæ fragrantiæ, portando peccata nostra in illo corpore suo 1. Pet: II, 24. loco holocautomatôn & hostiarum pro peccatis, quòd talia Deus nec velit nec approbet. Igitur corpus hoc est adaptatum Christo non *cælos ingredienti*, sed *mundum*, ut locus expressissimè habet, idque ut in eo præstaret quod per *holocautomata & hostiam pro peccato, quæ juxta legem offeruntur* Heb: X, 5. 6. 7. 8. obtineri non poterat: Nec potuit exangue esse corpus quod vice holocautomatôn & hostiarum pro peccato illi adaptabatur; Nam pro sanguine taurorum & hircorum, seipsum inculpatum offerendo per Spiritum æternum, debuit suum sanguinem effundere ad nostram redemptionem, Heb: IX, 14. Eph: I, 7. Act: XX, 28.

Quod certè immortale] Quasi vero ipsa mors Christi non pertinuerit ad illam Dei voluntatem perficiendam cujus causâ venerat in mundum & de qua dicebat Joh: IV, 34. *Esca mea est exsequi voluntatem ejus qui misit me & consummare ipsius opus.* Agnosco quidem debuisse immortalitate & gloriâ per resurrectionem ex mortuis donari corpus Christi ut sacrarium cœleste subiret cum proprio sanguine, vim sacrificii sui in cruce oblati Patri jugiter repræsentaturus, & pro nobis coram eo compariturus; Sed nego corpus passibile & mortale, *ineptissimum* futurum fuisse Christo, ad eam voluntatem Dei perficiendam cujus gratiâ profitetur se in mundum venisse, & corpore humano circundatum & carnis ac sanguinis participem fuisse. Ut immortale & gloriosum debet esse nunc Christi corpus ad eam *Sacerdotii* sui partem intercessoriam quâ *in cœlis* defungitur; ita humile, passibile & infirmum debuit esse ad eam Sacerdotii partem satisfactoriam quâ defunctus est in terris, cùm Jehova fecit *ut incurreret in eum pœna omnium nostrûm, & castigatio pacis nostræ* ei fuit imposita, ut eius *tumice* sanaremur Esa: LIII, 5. 6. Sed πρῶτον ψεῦδος Volkelii in eo situm est quod falsò pertendit Christum nihil debuisse in terris exequi eorum quæ ad *perpetui* sui *sacerdotii* munus pertinebant; id est revera nec Christum nec Sacerdotem fuisse actu & functione ante suam ascensionem in cœlum; quod quam prolixum syrma absurditatum secum trahat res ipsa loquitur, & suo loco fusiùs ostendetur. Sufficiat illud ipsum comma 10. X. cap. Heb. quod citat Volkelius, ipsius causæ palàm refragari: Nam ita habet, *Quâ voluntate sanctificati sumus*

sumus per oblationem corporis Christi semel factam; nam illa unica & semel facta oblatio corporis Christi, facta est in ipsius morte, cum per suum *sanguinem* nobis obtinuit *remissionem* peccatorum & *libertatem ingrediendi sacrarium* cœleste Heb: x, 18. 19. Ideo ibid. com. 20. dicitur nobis eò *viam* dedicasse *recentem & vivam per velum hoc est per carnem suam*; & com. 29. dicimur sanctificati per ipsius *sanguinem*; ut omninò illa unica corporis sui oblatio quâ sanctificamur, sit illius corporis quod carne & sanguine constat. Et quoniã deberet *sæpiùs pati* si sæpiùs deberet offerre seipsum, ita sui unica *immolatio ad tollendum peccatum* tum demum facta est cum semel passus & mortuus est, prout *statutum* est *omnibus hominibus ut semel moriantur*, Heb: ix, 25. 26. 27. 28.

Etenim *talis*, inquit idem autor, (*Hebr: 7. 26.*) *decebat*, *ut nobis esset pontifex*, *sanctus*, *innocens*, *impollutus*, *segregatus à peccatoribus*, *& excelsior cœlis factus*. Ubi animadvertendum est, scriptorem istum, non commendare Christi innocentiam sanctitatemque, quæ in ipsius moribus totaque vita semper eluxerit; hoc enim ad rem, quam explicandam susceperat, nihil habebat momenti, nec, sive antecedentem, sive consequentem verborum complexionem spectes, ullum hujus rei vel tenuissimum vestigium apparet. Proponit quippe Divinus iste autor (*versu 25.*) Christum ante oculos nostros, quatenus secundùm ordinem Melchisedeci sempiternus sacerdos existens, æternùm vivit, & hoc ipso legales sacerdotes longè superat, quippe qui mortis importunitate perpetuò vivere prohibebantur. Unde colligitur, eundem authorem, figurata loquendi ratione, nihil nos aliud eo in loco docere, 41. quàm Christum nunc in cœlis existentem, omnibus perpessionibus atque infirmitatibus, quibus homines peccatores subjiciuntur, atque adeò ipsa mortalitate, omnique naturali imbecillitate, quâ iidem sunt circumdati, penitus liberatum, sempiternâ vitâ perfrui.

ꝫ *Etenim* talis, *inquit*] In hoc altero loco nihil est præsidij pro causa Volkelij. Nullis enim fidiculis extorquebit Apostolo, vel Christum tum demum cœpisse defungi suo Sacerdotio cum cœlos subijt; vel ut cœlos subiret debuisse deponere corpus in quo resurrexerat, (& de quo quid factum sit, non dicunt adversarij) & aliud spiritualis planè naturæ, idest corpus non corpus, cum spiritus & corpus specificè opponantur, assumere: nam hoc est τὸ κρινόμενον.

ꝛ *Ubi animadvertendum*] Quod si illa Christi innocentia & sanctitas hîc non commendatur *quæ in ipsius moribus totaque vita semper eluxit*, imò si *ad rem quam Apostolus explicandam susceperat nihil habebat momenti*, debebit Volkelius statuere hanc Christi innocentiam & sanctitatem ad ejus Sacerdotium æternum nihil facere; quo absurdo nihil absurdius dici potest: Et quæsò te Volkelî, si hic non commendatur ea sanctitas & innocentia Christi, quæ in ipsius moribus totaque vita semper eluxit, quam-nam ergo debebimus intelligere? Si verò *antecedentem &* *consequentem verborum complexionem spectes*, senties te errare. Nam plura sunt in quibus Sacerdotem Christum præfert Apostolus sacerdotibus legalibus: Hi *absque*

Hi *absque jurejurando* Sacerdotes facti sunt, ipse vero *cum jurejurando* com. 21. Illi morte intercepti nonnisi ad tempus Sacerdotio defungebantur, unde *plures* in eadem dignitate sibi mutuò succedebant; at hic unicus est, manens in æternum perpetuoque gaudens Sacerdotio com. 23. 24. Illorum Sacerdotium erat ἀνωφελὲς, Lege nihil consummante com. 18. 19. at hic *potest servare perfectè eos qui accedunt ad Deum per ipsum, semper vivus ut interpellet pro eis* com. 25. Illorum sacrificia debebant *quotidie* renovari; at hic *semel semetipsum obtulit pro peccatis populi* com. 27. cùm videlicet animam suam posuit *sacrificium pro reatu*, ut loquitur Es: LIII, 10. Illi denique erant homines ἔχοντες ἀσθένειαν, & *qui quotidie pro peccatis proprijs victimas offerre* debebant com. 27. 28. eoque ineptiores qui aliis opitularentur; at hic fuit majestate Divinâ excelsior cœlis, perfectissimâ sanctitate & in qua ne quidem ipse Momus quippiam reprehendat incomparabilis & planè *separatus à peccatoribus*, adeoque talis qui nec debuerit pro suis peccatis offerre, & potuerit unicâ sui oblatione populum suum plenè sanctificare & redimere. Hæc sanè radio solis descripta, & ex ipsis textus sacri visceribus hausta, luculenter demonstrant quò spectent illa elogia Christi, quod *sanctus sit, ab omni malo alienus, sine labe, separatus à peccatoribus & sublimior cœlis factus*: Non enim illis verbis describuntur præcisè conditiones requisitæ in Christo ad eam Sacerdotij sui partem alteram quâ nunc defungitur in cœlo, sed in genere conditiones requisitæ in vero nostro Pontifice, seipsum semel in cruce sua oblaturo, & deinceps sacrarium cœleste subituro, ut semper vivens intercedat pro nobis.

Unde colligitur] Sed præterea quod nulla hîc est *figurata loquendi ratio*, & longiùs quam putat Volkelius patet scopus Apostoli in multiplici comparatione quam instituit inter *Sacerdotes legales* & Sacerdotem Melchisedecianum, nempe Christum, prout ultrò largimur *Christum nunc in cœlis existentem omnibus perpessionibus atque infirmitatibus quibus homines peccatores subjiciuntur, atque adeo ipsâ mortalitate, omnique naturali imbecillitate quâ ijdem sunt circundati, penitùs liberatum, sempiternâ vitâ perfrui*, ita pernegamus inde sequi, vel Christum suum corpus quod illi mundum ingressuro adaptatum fuerat non obtulisse in cruce pro nobis, ceu verum & summum Pontificem nostrum, ut unicâ hac oblatione consummaret in perpetuum eos qui sanctificantur; vel eum ascensurum in cœlum, illud primum suum corpus in quo resurrexerat deposuisse, & aliud novum induisse alterius planè substantiæ & naturæ: Atque neutrum in æternum ex Scripturis, quæ apertè contra militant, probabunt adversarij.

CAP: II.

De officio Christi, & quidem generatim descripto.

Respondente ad hoc & sequens caput ANTONIO à DORTH, Clivo-Vesaliensi.

SEquitur deinceps, ut de officio Jesu Christi agamus; quod quidem nullum aliud est, quàm generi humano sempiternam afferre felicitatem atque salutem. Qua de caussa passim in Nova scriptura Salvatoris, seu mavis Servatoris titulo decoratur. (*Luc: 2. 11. Ioh: 4. 42. Act: 5. 33. & 13. 23. Ephes: 5. 23. 1 Ioh: 4. 14.*) Quid, quòd ipse luculentissimis verbis testificatur,

eatur, (*Ioh*: 3. 17.) se mundi servandi causâ divinitùs missum esse. Hoc autem muneris sui officium ita partim præstitit, partim etiam nunc præstat, ut & salutem hominibus annunciaverit, & confirmaverit; & ad eam curandam, atque ad exitum perducendum, totum sese pro summa sua potentia, immensaque erga genus humanum charitate contulerit, atque adeò eam nobis aliquando reipsa sit daturus.

‡ *Quod quidem nullum*] Respectu nostri non alius est finis & effectus officij quod Christus suscepit exercendum; sed ipsum met officium Mediatorium Christi, potest definiri Functio oeconomica triplex, Prophetica, Sacerdotalis & Regia, quam Christus θεάνθρωπος, secundum utramque naturam, cujusque tamen servatis proprietatibus, ultrò suscepit ex Patris consilio, ad homines peccatores sibi datos Deo reconciliandos & in æternum servandos: quam definitionem per partes explicamus *in Systemate nostro Theol. loco x.* qui est *de officio Mediatoris.*

Hoc autem muneris] At hîc non debebat omitti quod palmarium est, Christum non solum annunciasse nobis salutem, sed eam nobis procurasse, confecisse, acquisivisse & plenè meritum esse, suâ obedientiâ, satisfactione & morte; prout dicit Paulus Eph: v, 2. quod *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ.* Sed nolunt Sociniani eousque esse obstricti Christo, ut debeant suam salutem, quam malunt ipsi sibi conficere, ejus obedientiæ, satisfactioni & merito acceptam ferre.

In singulis autem hoc loco commemoratis vis aliqua singularis inest. Cum enim hic religionis nostræ dux & autor, divinam voluntatem nobis annunciat, & quantum in ipso est confirmat, prophetæ partes tuetur; cum ad nos in cælestis hæreditatis possessione collocandos divinam suam potentiam adhibet, regis officium facit; cum denique immensa nos charitate complectitur, omnique cogitatione in salutem nostram, quæ peccatorum nostrorum expiatione continetur, incumbit, sacerdotis munere simul perfungitur. Triplex namque illius munus est, propheticum, regium, & pontificium. Quæ omnia unico Christi sive Uncti nomine continentur: propterea quòd olim tum sacerdotes, vatesque, tum reges, per unctionis religionem atque ceremoniam muneribus suis initiabantur; (*Exod*: 29. 7. 1 *Reg*: 19. 16. 1 *Sam*: 10. 1: 16. 13.) maximè tamen regibus id habebatur honoris, ut Christi sive uncti appellarentur; ita ut cum Christum dici audis, regem inprimis dici intelligas.

‡ *Cum denique immensa*] Admittimus quę hîc in genere dicuntur de triplici officio Christi, sive de tribus partibus officij illius Mediatorij quod ad salutem nostram conficiendam sustinet: Sed fallit & fallitur Volkelius dum in eo duntaxat facit Christum Sacerdotem, quòd *immensa nos charitate complectatur, omnique cogitatione in salutem nostram, quæ peccatorum nostrorum expiatione continetur, incumbat.* Annon enim etiam immensa nos complectitur charitate & omni cogitatione

tione incumbit in nostram salutem tum in Prophetico suo munere, cum *divinam voluntatem nobis annunciat & quantum in ipso est confirmat*; item in Regio suo officio *cum ad nos in cœlestis hæreditatis possessione collocandos divinam suam potentiam adhibet?* Quid ergo juxta Volkelium supererit discriminis inter Propheticum, Regium & Sacerdotale munus nostri Servatoris? Aut si Christus expiare nostra peccata censendus est, nos summâ complectendo charitate & omni cogitatione in salutem nostram incumbendo, cur non æquè Prophetico aut Regio ejus muneri adscribenda veniet expiatio peccatorum, ac Sacerdotali illius dignitati? Verumenimverò, peccatorum nostrorum expiatio peragitur à Christo, non ejus duntaxat dilectione erga nos & favorabili de nobis cogitatione, sed sui ipsius oblatione semel factâ in cruce in sacrificium propitiatorium, cum factus est *peccatum pro nobis ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* 2. Cor: v, 21.

Quæ omnia unico] Adeoque nomen Jesu, quod Græcè σωτῆρα significat, Latinè *Salvatorem*, si modò hæc vox satis Latina, aut si mavis *Servatorem*, vel ut alij significantiùs putant posse dici, *Sospitatorem*, propriè connotat beneficium quod à Mediatore consequimur; Nomen Christi sive Uncti, officium triplex per quod summum istud beneficium suum confert.

Maximè tamen] Sed etiam sæpè *Uncti* sive *Christi* epitheton additur in Scripturis cum Sacerdotis fit mentio, nominatim Lev: IV, 3. 16. XVI, 32. Num: III, 3. & Ps: CV, 15. eodem titulo ornantur Patriarchæ & Prophetæ, *Ne attingitote unctos meos, & Prophetas meos ne afficitote malo.* Quare cum Jesum audimus *Christum dici*, non magis eum *Regem* quam Sacerdotem & Prophetam eum dici intelligere debemus. Sed hac arte utuntur Sociniani, ut studiosè celebrent regiam Christi dignitatem, quominus accuratè ejus Sacerdotium, cui bellum ἄσπονδον denunciarunt, innotescat. Gratulamur interea Volkelio quod Christo Regi *divinam* deputet *potentiam*; Si enim ex animo loquitur Divinam quoque illi essentiam & naturam debet concedere; cùm potentia Divina quæ infinita est, naturæ finitæ nequeat convenire.

CAP: III.

De Prophetico Christi munere, & primùm de ejusdem initio.

IAm ut Prophetici Christi muneris explicationem aggrediamur; non alie-
42. num hoc loco videtur, illud priùs perpendere, quod divina oracula tanquam præcursionem quandam huic Christi officio præmittunt, quodque ‡ à Joanne (*Ioh: 1. 1.*) Marcoque (*Mar: 1. 1. & d.*) Euangelii initium seu principium appellatur. Illud autem totum Joannis Baptistæ ministerio continetur. Tunc enim primùm lætissimus de Messiæ adventu, deque insigni & priscis temporibus inaudita felicitate hominibus tribuenda nuncius afferebatur, ac Judæorum animi ad eam excipiendam præparabantur; ideoque uterque Euangelista hoc Euangelij principium ad Joannem Baptistam illiusque disciplinam refert.

‡ *Quodque à Ioanne Marcoque*] Grave est, Volkeli, in limine errare; Quæ enim hîc somnias de Euangelij principio *à Ioanne Marcoque* assignato, ad vestras

τερατο-

τερατολογίας, non ad Euangelicam pertinent veritatem. Nam præterea quod posset dici Marcum, his verbis, *Principium Euangelij Iesu Christi Filij Dei*, non tam denotare voluisse initium ex quo Euangelij œconomia cœperit per ministerium Johannis Baptistæ præcursoris Christi, quam se auspicari inde Euangelicam suam narrationem, ijs prætermissis quæ ad genealogiam, nativitatem & vitam Christi privatam spectabant, utpote repetenda ex Matthæo & Luca, nulla est ratio cur illud Johannis, *In Principio erat Verbum*, potius conferatur cum isto Marci, *Principium Euangelij Iesu Christi*, quam illud Mosis, *In Principio creavit Deus cœlum & terram.* Principium Marci est principium limitatum Euangelij & præconij Johannis Baptistæ; sed principium Johannis est principium absolutum omnium rerum & planè idem cum principio Mosaico in quo Deus condidit cœlum & terram. Johannes describit excellentiam personæ Christi ante suam incarnationem, quod jam extiterit in ipso omnium rerum primordio & per ipsum Pater condiderit omnia; Marcus vero orditur duntaxat suam narrationem à Christi jam incarnati curriculo publico, cujus principium arcessit à Ministerio Baptistæ. Id discriminis observarunt illi Veteres qui quatuor Euangelistis, quatuor animalia Apocalyptica studuerunt applicare: Nam ut nominatim videre est apud Hieronymus *in proœm. ad Matth.* Matthæo hominem attribuerunt, quòd incipiat à Genealogia & generatione humana Christi: Lucæ bovem sive vitulum, quòd auspicetur à Sacerdotio Zachariæ; Marco leonem, quòd initium scribendi faciat à præconio Baptistæ, idest à rugitu leonis in deserto; sed Johanni assignarunt aquilam, quòd ceu aquila in nubibus longè altiùs repetat suæ narrationis exordium, nempe à natura Christi Divina & dignitate τοῦ λόγου; unde & *Theologi* nomen κατ' ἐξαίρετον creditur adeptus. Quare ut haud gravatè concessero principium Evangelij apud Marcum dici præconium Baptistæ, quòd *tunc primùm lætissimus de Messiæ adventu nuncius afferebatur*, nunquam tamen poterit ostendi eodem sensu *principii* vocabulum usurpari à Johanne, vel Johannem loqui de principio prędicationis Euangelicæ, quæ in Baptistæ præconio incœpit. Verùm ita debent agere Sociniani apud fungos, ut Catholicæ fidei eripiant si pote est Achillea & invicta argumenta pro æterna divinitate Christi, quæ ex primo Johannis capite illi suppeditantur.

Tametsi autem alter, nempe Joannes, *principii* vocabulo non perinde ut Marcus, Euangelij vocem adjunxit, subintelligendum tamen omninò esse, tum indè perspicitur, quòd subjecta materia, quam hic divinus autor tractandam suscepit, est Euangelii disciplina; tum quòd apertissimè de illo principio eo in loco verba fiunt, quo jam Sermo seu Verbum, id est Jesus Christus extabat, & ad divinæ voluntatis interpretandæ munus comparabatur: sed erat, ut Euangelista loquitur, *apud Deum*, non apud homines, id est, nondum publicè cœlestis disciplinæ mysterium hominibus explicabat; ideoque illis hujus sui muneris ratione ignotus erat: Deo tamen erat exploratissimè cognitus; utpote qui non solùm ea, qua suprà dixi ratione, ipsius pater esset, sed etiam illum tunc, Joanne interim munus suum exequente, ad hoc propheticum officium instrueret, divinâ virtute muniret, &



invicto robore armaret, ut disciplinam, quam orbi terrarum traditurus erat, divinam, cœlestem, veram atque salutiferam esse, *firmissimis divinæ virtutis argumentis ostendere posset: quemadmodum etiam postea partim per se, partim per Apostolos, aliosque servos suos reipsa fecit.

‡ *Subintelligendum tamen*] Neutra Volkelij ratio id persuadet: Non prior; nam ad *Euangelij disciplinam* pertinet quoque doctrina de æterna divinitate Domini Jesu Christi, quam speciatim Joannes asserendam sibi sumpserat, ut testantur Veteres, adversus Ebionem & Cerinthum, quorum hodie vestigia Sociniani premunt; adeoque ab illius tractatione ordiri debuit. Non posterior; nam *illo quidem principio* de quo verba fiunt à Johanne, jam *Sermo seu verbum, idest Iesus Christus extabat*, sed non extabat incarnatus; nondum enim verbum caro factum erat, adeoque nondum *ad divinæ voluntatis interpretandæ munus comparabatur*, nisi in Dei Prædestinatione & Decreto, 1. Pet: 1, 20. Itaque tunc ὁ λόγος erat, ut Euangelista loquitur *apud Deum*, & in illius *sinu* Joh: 1, 1. 18. non vero apud homines, quia nondum caro factus, nondum quoque poterat inter illos habitare Joh: 1, 14.

Idest, nondum publicè] Hæc glossa est violenta & textum corrumpit: Etenim Johannes opponit τὸ esse *apud Deum*, τῷ versari inter homines, ab illis conspici, ad illos venisse, & tamen ab ijsdem nec agnosci nec recipi, Joh: 1, 10. 11. 14. Idem illi est esse πρὸς τὸν θεὸν, quod Ignatio ad *Magnesianos*, παρὰ τῷ πατρὶ, imò quod ipsi Christo Joh: XVII, 5. παρά σοι, cum dixit, *Et nunc glorifica me Pater* παρὰ σεαυτῷ *apud temetipsum, eâ gloriâ quam habui priusquam mundus fieret* παρὰ σοι, *apud te.* Quin Eruditi observant imitatum hac in parte Johannem phrasim Chaldæi Paraphrastis, sive Onkelos, qui pro eo quod habet textus originalis Exod: XX, 19. *Ne loquatur nobiscum Deus*, reposuit, *Ne loquatur Dominus nobiscum per verbum quod est coram Domino*, vel *apud Dominum*: Sic & æterna Sapientia dicitur fuisse *apud Deum* אצלו *Etselo*, Græcè παρ' αὐτῷ, ante jacta mundi fundamenta Prov: VIII, 30.

Adeoque illius hujus] Absurdè; nullo modo enim potuit esse ὁ λόγος notus hominibus vel ratione sui muneris, vel ratione suæ personæ, illo in principio quo necdum ipse erat *manifestatus in carne*, 1. Tim: III, 6. nec ipsi homines aut ullæ creaturæ erant in rerum natura. Agit enim Johannes de illo principio Mosaico, quo res omnes creari cœperunt δι' αὐτοῦ, eo quod sine ipso factum est nihil eorum quæ facta sunt Joh: 1, 3. 4.

Deo tamen erat] At si esse apud Deum, nihil aliud est quam esse ipsi *exploratissimè* cognitum, nemo erit mortalium cui idem quod τῷ λόγῳ convenire non possit, cum omnes simus Deo *intus & in cute* notissimi, ut de se agnoscit David Psal: CXXXIX, 1. 2. 3. 4. & colligere est ex dicto Pauli Heb: IV, 13.

Ut pote qui non solùm] Ridiculè; nam si quia Christus fuit conceptus ex Spiritu Sancto & natus ex Virgine, censendus est fuisse in principio *apud Deum*, pari ratione dixero in principio Adamum fuisse apud Deum eo quod singulari ratione *illius Pater esset*, eumque condidisset ad sui imaginem ex luto terræ.

Sed etiam illum tunc] Hęc gratis finguntur ab Adversariis, & quia de Scripturis sacris authoritatem non habent eadem facilitate contemnuntur quâ probantur. Nec tali novâ instructione, illo tempore quo Joannes *interim munus suũ* exequebatur, opus erat Christo ad Propheticum munus

exercendum,

exercendum, ut pote in quo *reconditi essent omnes thesauri sapientiæ & scientiæ*, & *habitaret omnis plenitudo divinitatis corporaliter* Col: II, 3. 9. cui *Deus non dedit Spiritum ad mensuram* Joh: III, 34. quem *unxit oleo lætitiæ præ suis consortibus* Psal: XLV, 8. quique *plenus gratiæ & veritatis* Joh: I, 14. jam puer duodecennis Divinæ suæ Sapientiæ luculenta ad stuporem usque auditorum dederat testimonia, & parentibus suis testatus fuerat debere se deinceps occupari in rebus & negotijs Patris sui Luc: II, 47. 49. 52.

Qua de causa & Deus fuisse dicitur, & omnia, nempe quæ in Euangelio continentur, & ad illud quoquo modo pertinent, per ipsum effecta, nihilque quod factum sit, sine ipso factum esse, eodem in loco docemur. Quamvis enim verba ista nullam apertam Euangelij mentionem contineant; subjecta tamen materia, ad quam vox *omnia* à divinis autoribus referri solet, hanc esse verborum istorum sententiam, maximo est argumento. Quam quidem subjectam materiam Euangelij doctrinam esse, paulò antè diximus; & præter inscriptionem ab omnibus receptam, ipsum Joannis officium, qui Evangelij præco fuit, satis unumquemque monere potest.

1 *Qua de causa & Deus*] Valde ambiguè loquitur Volkelius, ut nescias quam speciatim assignet causam illius nominis Dei τῷ λόγῳ attributi; an quod *apud Deum* esset clam instruendus ad Propheticum suum officium, an quod *firmissimis divinæ virtutis argumentis*, potuerit disciplinæ Euangelicæ veritatem & divinitatem comprobare. Sed neutra ratio ad hanc nomenclaturam sufficit: Non prior; Aliàs etiam Moses Deus fuisse diceretur, eo quod apud Deum fuerit per quadraginta dies in monte, ab ipso Legem & Leviticam disciplinam accepturus, quam traderet Israelitis, & *divinam*, *cælestem*, *veramque* esse firmissimis divinæ virtutis argumentis, & plurimis quibus toto suo curriculo inclaruit miraculis, comprobaturus. Non posterior; Nam sic etiam Dij fuisse censerentur, Moses, Prophetæ & Apostoli, quos Deus instituit, & *divina virtute munivit* & *invicto robore armavit, ut disciplinam quam orbi terrarum tradituri erant, divinam, cœlestem, veram atque salutiferam esse, firmissimis divinæ virtutis argumentis ostendere possent*. Et revera Volkelius quamvis grandia in speciem hîc de Christo loquatur, nihil illi tribuit, quod Mosi, Prophetis & Apostolis non conveniat; Nam si Christus multa fecit miracula *partim per se, partim per Apostolos aliosque servos suos*, ita etiam Moses multis inclaruit prodigijs, partim per se, partim etiam per Aaronem & Josuam filium Nun ministrum suum, patratis; & Apostoli non solum pollebant dono miraculorum, sed etiam illud aliaq; Spiritus Sancti charismata conferebant pijs impositione manuum suarum, quod & summoperè mirabatur Simon Magus Act: VIII, 18. Quod si dixeris Christum propriâ virtute miracula patrasse ad veritatis confirmationem, Apostolos verò ejus nomine, tunc sanè veram in eo Divinitatem debebis agnoscere, cùm miraculorum patratio virtutis sit Divinæ & infinitæ, quæ nullius propria esse potest qui naturâ Deus non fuerit. Et quæso te, Volkeli, quomodo jam *Deus* fuit ὁ λόγος, etiam cùm clanculum instrueretur à Patre ad suum munus Propheticum, dum suo munere Baptista defungebatur, si Divinitatem suam, ut sunt placita vestra, demum accepit post suam resurrectionem, ubi

nem, ubi omnis potestas ei fuit data in cœlo & in terra, & nomen suprà omne nomen cui deinceps omne genu flecti debeat? Si etiam tum erat Deus cum Johannes baptizabat, non cœpit id esse demum post suam resurrectionem; maximè cum in Divinitatem, quæ sonat summum gradum potestatis, majestatis, entitatis & perfectionis, non cadat plus & minus; vel si demum post suam resurrectionem & exaltationem factus fuit Deus, utique *Deus* antea fuisse aut dici non potuit. Tantæ molis erat oculos cornicum configere, & soli meridiano offundere caliginem. Quis enim non videat quod ὁ λόγος Deus erat in principio & ab æterno, quia apud Deũ erat & in illius sinu, ceu Patris Filius μονογενὴς & Sapientia personalis, quæ se profitetur genitam ab eo ante montes & abyssos, & illi ad fuit in omnium rerum creatione Prov: VIII, 22. 23. 24. 25. Et certè ut Sapientia illa æterna ibi profitetur quod *Iehova se possederit principio viæ suæ, ante opera sua, ante ullum tempus*, & quod illi adesset essetq; *apud eũ, cum aptaret cœlos & statueret ambitum in superficie abyssi*, ita etiam Johanni dicitur ὁ λόγος fuisse in principio, & eum fuisse apud Deum, imò & Deum, Patri scilicet consubstantialem & coæternum, extitisse, adeoque per ipsum omnia condita & facta fuisse, tam visibilia quam invisibilia Col: I, 16.

Et omnia, nempe quæ in Euangelio] Primùm nequidem hæc Glossa vera foret ex mente Volkelij: Nec enim dixerit per Christum processisse Johannis Baptistæ ministerium & munus, quod tamen statuit principium Euangelij, & de quo non ausit negare ad Euangelium *quoquomodo* pertinuisse. Qui verò Christo deputabit Baptistæ curriculum, quandoquidem interim dum Baptista munus suum exequitur, Christus adhuc hominibus ignotus erat officij sui ratione, & ad illud clanculum apud Deum instruebatur, ut antea ipse persuadere volebat? Præterea *omnia* hæc quæ per Christum facta sunt, ad universi machinam in principio conditam debent necessariò referri: Sic enim constat quomodo & Deus ipse fuerit essentiâ & naturâ, & apud Deum Patrem in ipso rerum creatarum principio, adeoque & ab æterno: Non urgebo ad id quod Thargum Jerosolymitanum Mosis בראשית *Bereschith*, *In principio*, interpretatur, בחכמה *Bachocmah*, *In Sapientia*, quòd Deus per Sapientiam suam ęternam, nempe τὸ λόγον, quæ etiam Prov: VIII, 22. appellatur ראשית דרכו *Reschith Darcho*, *Principium viæ suæ*, omnia condiderit; Nec quod Christus Joh: VIII, 25. rogatus quis esset, respondit, τὴν ἀρχὴν, ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, idest juxta multos Veterum se *principium* omnium rerum appellavit: Hæc enim fateor non sunt apodictica; Sed urgebo quòd conceptis verbis nominatur à Paulo ἀρχὴ, sive *principium*, & πρωτότοκος *omnis creaturæ, in quo* ἐκτίσθη τὰ πάντα, *omnia condita sunt, quæ in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia*, ipsique adeo Angeli, *throni*, *dominationes*, *principatus*, *potestates*; nec solum in ipso condita *omnia*, sed etiam δι' αὐτοῦ, *per ipsum*, utpote qui est πρὸ πάντων, *ante omnes & omnia*, & in quo, sive per quem τὰ πάντα συνέστηκε, *omnia consistunt*, Col: I, 15. 16. 17. 18. Urgebo quod Heb: I, 3. dicitur Pater *per filium sæcula*, τοὺς αἰῶνας, *fecisse*, idest mundum condidisse, ut liquet ex loco parallelo Heb: XI, 3. *Fide intelligimus compactum fuisse mundum verbo Dei*, (Græcè κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας,) *ut quæ cernimus non sint ex apparentibus facta*. Urgebo quod eodem cap. I. Heb. com. 10. de Christo explicatur illa pericopa Psalmi, *Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum cœli sunt.* Urgebo quod sicut *ex Patre sunt omnia*,

ita est

ita est *unus Dominus Iesus Christus per quem sunt omnia* 1. Cor: VIII, 6. Urgebo solemne dictum Davidis Psal: XXXIII, 6. *Verbo Iehovæ cœli facti sunt & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Urgebo quod Apoc: III, 14. appellatur Christus ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ, *principium creaturæ* sive *opificij Dei*, non passivum utique, quod nequidem dicunt Sociniani, sed activum, prout α & ω, *primus* & *novissimus*, in eodem libro quandoque appellatur Apoc: I, II. 17. XXI, 6. XXII, 13. Nec aliter veteres περὶ τοῦ λόγου Dei censuerunt; Ipse Philo Judæus *de opif. mundi* non semel testatur quod λόγος ἐκοσμοποίησεν. E nostris Justinus Martyr *Apol.* I. ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε. Athenagoras similiter; ὁ θεὸς πάντα διὰ τοῦ λόγου πεποίηκε. Tatianus de eodem; τοῦτον ἴσμεν τοῦ κόσμου τὴν ἀρχήν. Theophilus *ad Antolycum*; ὁ λόγος αὐτοῦ δι' οὗ τὰ πάντα πεποίηκε. Similia frequenter occurrunt apud Irenæum & Tertullianum; quæ ut & modò citata refert Grotius, optimus cæteroquin Socinianorum amicus, *ad cap.* I. *Ioh. com.* 3. qui insuper ex Barnabæ epistola observat quod agens de Filio Dei solem vocat opus manuum ipsius; Addo & ego illud Clementis Alexandrini *Pædag. lib.* I. *cap.* 2. ὁ δὲ ἀγαθὸς παιδαγωγὸς, ἡ σοφία, ὁ λόγος τοῦ πατρὸς, ὁ δημιουργήσας τὸν ἄνθρωπον ὅλου κήδεται τοῦ πλάσματος. Ex quibus omnibus luculenter constat & revera Christo Dei λόγῳ omnium rerum creationem tribui à Johanne, contra quam fingit Volkelius, nec totam Ecclesiam à primordiis Christianismi aliter intellexisse Johannem quam de principio omnium rerum & earum per Dei Filium creatione.

Subjecta tamen materia] Scilicet possunt novi isti doctores nodum in scirpo reperire & ellipses in plena planaq; oratione, quas ad lubitum suppleant ex subjecta materia. Atqui subjecta materia hoc loci est Filius Dei æternus, de cujus Divinitate & Majestate condignè dicturus Johannes, debuit commemorare illius existentiam *in principio* & creationem omnium omninò rerum per ipsum, adeo ut nihil sine ipso factum fuerit eorum quę facta sunt.

Quam quidem subjectam] Ita est; sed Euangelicæ doctrinę primarium caput est persona Christi, quam ergo Joannes pro officij sui ratione eò specialius in Euangelio suo describere debuit, ab utraque natura, maximè divina, quòd hanc asserendam potissimum contra illius adversarios Ebionem & Cerinthum suscepisset. Sic enim ex aliis se vetustioribus loquitur Hieronymus *in Catal. script. Eccl. Ioannes Apostolus quem Iesus amavit plurimùm, Filius Zebedæi, frater Iacobi Apostoli, quem Herodes post passionem Domini decollaverat, novissimus omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum aliosq; Hæreticos & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse; unde & compulsus est divinam ejus nativitatem edicere.* Et *procemio in Matth. Is cum esset in Asia & jam tunc hæreticorum semina pullularent, Cerinthi, Hebionis & cæterorum, qui negant Christum in carne venisse, quos & ipse in Epistola sua Antichristos vocat, & Apostolus Paulus frequenter percutit, coactus est ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus de divinitate Salvatoris altiùs scribere, & ad ipsum (ut ita dicam) Dei Verbum non tam audaci, quam felici temeritate prorumpere. Unde & Ecclesiastica narrat historia, cùm à fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se respondisse si indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur; quo expleto revelatione saturatus illud procemium è cœlo veniens tractavit, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus* erat

erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Quod vero Pseudo-Prochorus scribit tum tonitrua vehementia cœlitùs facta in illas voces primas Euangelij erupisse, tam mihi parum probabile est, ut ut non repugnet Baronius *ad an.* 99. *n.* 2. quam illud certum quod observat idem author *n.* 3. reliquos veteres Hieronymo consentire quoad causam & occasionem scribendi, nominatim Irenæum *lib.* 4. *cap.* 11. & Epiphanium *hæresi* 51. Eodem tamen res redibit si malis cum Grotio *præf. ad Ioh.* existimare Euangelistam voluisse se opponere Gnosticis, qui inter suos æonas nominabant λόγον, item ζωὴν, item μονογενῆ & σωτῆρα, & alium rursus dicebant mundi esse opificem, alium Jesum, alium Christum; ostendisse ergo Johannem omnes istos titulos uni eidemque Jesu Christo congruere. Tempore tamen Apostolorum, jam ex orco prodiisse Gnosticos, non putem ita facilè probari posse.

Erat igitur hic summus Propheta noster in illo initio apud Deum: id quod
eam ob causam tanto studio ab Euangelista inculcatur, ut liquidissimò appa-
reat, etiamsi Joannes Baptista tum temporis summa cum laude in suo officio
43. versaretur, magnamque apud omnes haberet autoritatem: Christus vero
quasi in occulto lateret, nec dum gloriam suam patefaceret; non Joannem
tamen, ut populus Judaicus suspicabatur, (*Luc.* 3. 15. *Act.* 13. 25.) sed Jesum
Verbum Sermonémve istum, & lucem veram, id est, Messiam fuisse. Quam
quidem rem multò clarioribus verbis idem Euangelista paulò inferiùs, (*Ioh.* 1.
v. 8. 9.) dum Joannem nequaquam illam lucem fuisse dicit, quæ in mundum
veniens omnem hominem illuminaverit: sed tantùm, ut de ea testimonium
diceret, missum fuisse.

‡ *Erat igitur hic summus*] Primùm Volkelius falsó supponit Filium Dei λόγον appellari simpliciter à munere Prophetico; cùm id nominis primò & maximè illi conveniat non tam ab annunciando nobis Dei Verbo, & quod sit quasi Patris Mercurius & interpres ad homines, quam ab eo quod sit ad supremam illam ac æternã mentem quod λόγος noster ἐνδιάθετος est ad nostram, illius nempe effulgentia, character & imago; de quo cum ex Platonicis aliquid audivissent Poëtę, suo more finxerunt alij Metim, alij Pallada, sive Sapientiam, ex Iovis cerebro natam fuisse. Quale & quomodo Christus sit Dei Verbum & λόγος ille ejus substantialis per quem omnia condidit, videatur apud Galatinum, ex Hebræorum monumentis id explicantem *lib.* 3. *de Arcan. Ver. Cath. cap.* 3. 4. 5. *&* 6. Sanè fuit Dei λόγος quà talis in ipsa creatione mundi, quæ tamen ad Prophetici muneris exercitium non spectabat. Atque hinc verba illa Tertulliani *adversus gentes; Apud vestros quoque sapientes λόγον, idest sermonem atque rationem, constat artificem videri universitatis; Hunc enim Zeno determinat factitorem, qui cuncta in dispositione formaverit.* Secundò supponit falsó adversarius hîc agi de initio prædicationis Euangelicæ, cùm agatur, uti probatum, de principio omnium rerum; & ineptæ ac perabsurdæ nititur explicationi illius phraseôs; cùm esse apud Deum sit frui eâ æternâ fœlicitate & gloriâ in sinu Patris, quam ipse repetit Joh: XVII, 5. & quâ eum nunc frui certissimum est.

Id quod eam ob causam] Fallacia est à non causa ut causa; Cum enim Johannes scriberet, non agebatur de eximendo scrupulo eorum qui suspicabantur Baptistam Messiam esse; siquidem illa suspicio jamdiu

jamdiu poſt decollatum Joannem planè evanuerat; Et dum adhuc latebat Chriſtus, non poterat à quoquam dubitari an Baptiſta potiùs eſſet Meſſias quam ipſe, quia necdum ulla poterat inter utrumque comparatio inſtitui: Sed cauſa ſcribendi alia fuit Johanni, uti dictum eſt. Annon oportet Volkelium inſanire, qui vult ideo dici λόγον fuiſſe in principio apud Deum, ipſumque Deum fuiſſe,& per eum omnia fuiſſe facta, quod Chriſto nondum manifeſtato Iſraëli, in magno pretio habebatur Johannes, & populus ſuſpicabatur eum fore Meſſiam?

Quam quidem rem] Agnoſco id diſcriminis poni inter Baptiſtam & Chriſtum, quod inter præcurſorem Meſſiæ & Meſſiam, famulum & herum, miniſtrum & Dominum; Fateor quoque illi diſcrimini explicando inſervire quod Chriſtus ſit Patris λόγος æternus, ei conſſubſtantialis, & Conditor cum ipſo Univerſi: Sed nego inde ſequi, hanc eſſe paraphraſim verborum Johannis; In principio, non mundi ſed Euangelicæ prædicationis per Johannem, erat ſermo, ideſt Chriſtus merus homo ordinabatur ad munus Propheticum; & interea dum Baptiſta ſuo munere defungebatur, erat apud Deum, ideſt in occulto latebat, & clam ad officium paullò poſt inchoandum præparabatur; & tamen omnia, ſupple quæ in Euangelio continentur, per ipſum facta ſunt, quamvis nihil fecerit eorum per quæ ſummam laudem & magnam apud omnes authoritatem, ſe latente, Baptiſta conſequebatur, facto Euangelij initio; idque ideo quoniam Joannes non fuit vera lux illuminans omnem hominem, ſed tantùm miſſus fuerit ut de ea teſtimonium diceret. Poterunt Sociniani quidlibet ex quolibet facere, ſi tam ridiculam & ἄλογον textus ſacri interpretationem, quæ à ſolis verbi Divini irriſoribus & proficiſci & approbari queat, poſſint ulli homini ſanę mentis perſuadere.

CAP. IV.

De Ioanne Baptiſta, ejuſque officio.

‡ *Reſpondente ad hoc & duo ſequentia capita* JOHANNE NICLENIO, Exoecio-Omlando.

HOc autem Prophetici Chriſti muneris initium, quod Joannis miniſterio contineri demonſtravimus, ut rectiùs intelligatur, operæ precium eſt cognoſcere, quid illud fuerit, quibusque in rebus conſtitutum; ad quod hominum genus pertinuerit; & quàmdiu fuerit duraturum. Primò igitur generatim dicimus, Joannis officium illud fuiſſe, ut Chriſti eſſet præcurſor, quem Deus tanquam alterum Eliam, utpote Eliæ ſpiritu atque virtute præditum, ad ſibi per Chriſtum ſalutis noſtræ negotium aggredienti viam muniendam præmiſerat. (*Mal:4.5. Matth:11.14.17.12.13. Luc:1.17.*) Quam quidem muneris ſui functionem tum prædicando, tum baptizando explevit. (*Marc:1.4. Luc:3.3.*) Prædicationis autem duæ potiſſimùm erant partes, quarum altera vitæ præcipiebat correctionem, quæ pœnitentiæ nomen apud divinos autores obtinuit; altera verò teſtimonium, quod de Chriſto dicebat complectebatur. Ad pœnitentiam porrò ita homines inſtituebat, ut eis ad impietatem vitę abjiciendam, ad ſceleris impuritatem deteſtandam, ad

juſtitiæ

justitiæ sanctimoniæque studium colendum author esset, idque tum illis, qui morigeros sese præstarent, amplissimo scelerum condonationis præmio proposito, tum qui contrà facerent, gravissimo constituto supplicio. Nam & perditos multorum mores acerrimè reprehendebat; & ut dignos verâ pœnitentiâ fructus in posterum ederent, diligentissimè admonebat; & singulos, ab eis rogatus, qua ratione vita instituenda esset, erudiebat; (*Matth:3.7. & seqq. Luc:3.10. & d.*) & sic multos de filiis Israël ad Dominum Deum ipsorum, a quo per summum scelus defecerant, convertebat; & denique quantum in ipso erat, corda patrum convertebat in filios, & rebelles ad prudentiam justorum, ut pararet Domino populum instructum. (*Luc:1.16.17.*)

‡ *Quod Iohannis ministerio*] Sive Propheticum Christi munus *in se* consideretur, sive attendatur ad illius œconomicam & externam administrationem in carne, neutro modo verum est *Prophetici Christi muneris initium, Ioannis ministerio contineri.* Priori enim modo, certum est Christum ab orbe condito fuisse, ut Agnum Dei mactatum Apoc: XIII, 8. ita etiam summum Doctorem & Prophetam Ecclesiæ: Nam & per ipsum ceu Angelum fœderis lex lata fuit in deserto Gal: III, 19. & quotquot extiterunt Prophetæ sub V.T. ejus Spiritu acti sunt, ut docemur evidenter I Pet: I, II. III, 18. 19. Posteriori vero modo, Johannis ministerium non tam fuit initium Prophetici Christi muneris, quam status quidam medius inter Legem & Euangelium, Mosem & Christum Matt: XI, 9. 10. II. 12. 13. Unde ipse profitebatur, crescere quidem debere Christum, se vero minui Joh: III, 30.

Quæ pœnitentiæ] Præstaret uti voce *resipiscentiæ*, quæ efficaciùs notat τῆς μετανοίας officium & partes, ad quam suos auditores, non Johannes modò, sed omnes ante ipsum Prophetæ, & post ipsum Christus ejusque discipuli, semper seriò invitarunt.

Amplissimo scelerum] At eam scelerum condonationem non promittebat aliter quam in Agno illo Dei tollente peccata mundi, quem digito monstrabat, *dicens populo ut in eum qui venturus erat post se crederent, idest in Christum Iesum*, teste Paulo Act: XIX, 4.

Animadvertendum autem hoc loco est, quamvis pœnitentiæ disciplina non minimam Johannis Baptistæ officij partem contineret: nequaquam ta-
44. men eam satis ab illo fuisse explicatam, aut tam perfectè traditam, ut omnia, quæ ad Christianam pietatem constituendam sunt necessaria, ex illa hauriri possent. Neque enim ad præcursorem pertinebat, illud sibi assumere, quod ejus erat proprium munus atque officium, cui præcurrebat, viamque muniebat. Christus namque is erat, qui absolutam omnibusque suis numeris expletam pœnitentiæ doctrinam hominum generi traditurus esset. Quę tamen cum sine prævia animi probitate, ut suo loco docebimus, (*lib: 4. c.1.*) nec satis percipi, nec præstari posset; consentaneum Dei bonitati sapientiæque erat, ut ipsius jussu atque impulsu, divinus iste præcursor fundamenta quædam tam salutaris disciplinę jaceret, hominumque mentes ad studium probita-

probitatis excitaret, & sic ad Christi instituta, tum rectè intelligenda, tum alacriter exequenda præpararet.

‡ *Animadvertendum autem*] Hæc animadversio, quæ non aliò collimat quam ut vitam militarem, licet Johanni approbatam Luc. III, 14. omninò faciat illicitam sub perfectiori disciplina Christi, omni caret fundamento. Etenim eandem omninò pœnitentiam sive potiùs resipiscentiam, & quoad partes & quoad gradus, ursit Baptista, quam & ante ipsum Prophetę prædicaverant, & post ipsum Christus ejusque discipuli annunciaverunt omnibus. Quis enim neget eum perfectam pœnitentiæ disciplinam tradidisse, qui ut modò dicebat Volkelius, *& perditos multorum mores acerrimè reprehendebat, & ut dignos verâ pœnitentiâ fructus in posterum ederent, diligentissimè admonebat: & singulos, ab eis rogatus, quâ ratione vita instituenda esset, erudiebat, & sic multos de filiis Israel ad Dominum Deum ipsorum convertebat*? Si conferantur cum prædicatione Johannis Baptistę ea quę habet Christus Luc: XIII, 3. 5. XXIV, 47. & Petrus Act: II, 38. III, 19. ut alios mittam, facile erit observare eandem utrobique resipiscentiæ disciplinam inculcari. Et cum *omnia quæ ad Christianam pietatem constituendam sunt necessaria*, haud immeritò fide & resipiscentiâ definiantur, nihil in Johannis præconio poterat desiderari, pro illo rerum statu, velo scilicet nondum disciſſo & stante adhuc priori tabernaculo, quod ad solidam pietatem necessarium esset.

Neque enim ad præcursorem] Igitur quò amplius, luculentiùs, exactiùs, Dei Filius in carne manifestatus, Patris sui voluntatem nobis annunciavit, ut eadem fuerit differentia inter ipsum & Johannem, quę inter Solem Orientem & Auroram sive diluculum quotidie observatur, eo minus initium Prophetici Christi muneris, ut volebat antea Adversarius, in ipsius Johannis ministerio potest constitui.

Christus namque is erat] At verò Christus, uti modò dixi, non aliam *pœnitentiæ doctrinam* inculcavit quam Johannes, & qui præcesserant Johannem omnes Prophetę: Imò aliquid rigidius & austerius quoad hæc fuisse in disciplina Johannis quam Christi, satis liquet ex Matt: IX, 14. 15. 16, 17. XI, 18. 19. Sed in eo voluit Christus Johannem superare, quod Redemptionis nostrę mysterium in suo sanguine & promissiones Euangelicas, multo luculentiùs annunciare dignatus fuerit; quò maximè spectat locus 2 Tim: I, 10.

Quæ tamen cum] De eo accuratiùs ibi videbimus. Interea monemus perabsurdè præviam animi probitatem requiri ad pœnitentię doctrinam & exercitium; cùm è contrario nulla hominibus insit probitas animi nisi per studium resipiscentiæ & conversionis ad Deum: Antea enim nemo est qui faciat quod bonum est, ne unus quidem Rom: III, 12. ut pote qui sint omnes naturâ filij irę & mortui in peccatis suis Eph: II, 1. 3. Et quam ineptè præviam requireres vitam in homine suscitando ex mortuis, tam absurdè præviam exigeres probitatem animi in homine à morte illa spirituali ad novam vitam per studium & opera resipiscentię traducendo.

Fundamenta quædam] Sed & Lex & Prophetę omnes præparabant hominum mentes ad Christi doctrinam alacriùs suscipiendam; & Johannes præparabat suos auditores ad Christum, non præconio resipiscentię imperfectioris eos disponendo ad aliquam sublimiorem pœnitentiam quam Christus esset annunciaturus; sed tùm eos per resipiscentiam seriam & plenam, quam urgebat, præparando ad fidem salvificam in Christum, quę ab illa separari non debet; tùm etiam illos sensu peccatorum & miserię suę humiliando, quò majori cum alacritate Gratiam & Redemptionem quam Christus adferebat susciperent & admitterent.

Cap. V.

CAP. V.

De Johannis, quod Christo reddidit, testimonio.

IAM ut de Johannis testimonio disseramus, attentè considerandum est; tum quid de Christo fuerit testificatus; tum ad quem finem omnem sui testimonij rationem direxerit. Eorum autem omnium, quę de Christo Johannis testimonio continentur, summa in hoc consistit, quòd illum, ut ratione prophetici muneris, ita omnium aliorum, quę in illo clarissimè cernuntur, sibimet ipsi, omnibusque adeò priscorum temporum prophetis, quibus ipse fuit major, longè anteponit. (*Matth:11.11. Luc:7.28.*) Sibi ipsi tunc eum præfert, cum illum virum nominat, qui sese secutus, prior, (*Ioh:1.15.30.*) seu, ut reliqui confirmant Euangelistę, (*Matth:3.11. Marc:1.7.*) fortior ipso evaserit; quia prior eo fuerit. Quod quidem perinde est, ac si hunc in modum locutus fuisset: hic est, qui licet tempore me posterior fuerit, dignitatis tamen & admirandę sublimitatis ratione factus est præstantior, meque divinissimis quibusdam & planè cælestibus qualitatibus mirum in modum superat: nempe quia etiam ipsius muneris ratione me longè antecellit; cum is ipse muneris, quod ego gero, finis ac terminus sit, ad quem quicquid dico, quicquid ago, est referendum. Quò fit, ut jure me ita abjiciam atque prosternam, ut me indignum putem, qui calcei ipsius corrigiam solvam. (*Ioh:1.27.*) Qua de causa, ut Euangelista illum lucem veram minimè fuisse asserit: ita & ipse Baptista, se Christum nequaquam esse ingenuè fatetur. (*Ioh:1.8.20:3.28.*)

1 *Longè anteponit*] Nempe ut servis herum, fidelibusque ministris hæredem & filiumfamiliâs.

Sibi ipsi tunc] Non dixit Johannes quod Christus se prior fortior-ve *evaserit*, quasi aliquamdiu de prioritate aut robore cum illo contenderit, sed absolutè & simpliciter quod se prior & validior esset.

Quod quidem perinde] Hæc glossa corrumpit textum, non exprimit illius mentem: Nam etsi Johannes posteriorem Christum seipso faciat, quoad apparitionem nempe, muneris sui auspicia, & manifestationem Israeli, non secùs ac phosphorus si loqueretur Solem pone se venire diceret, attamen illum facit se priorem non solum dignitate, sed etiam existentiâ & duratione: Nam quamvis illud ἔμπροσθέν μου γέγονεν Joh:1,15.27.30. de præcellentia dignitatis sumi queat; nec omninò malè reddatur à Beza *antepositus est mihi*; sic enim Gen:XLIX,20. ubi Jacob dicitur Ephraimum præposuisse Manassi, in Græco textu est ἔθηκε τὸν ἐφραὶμ ἔμπροσθεν τοῦ μανασσῆ; attamen & potest commodè intelligi de prioritate existentiæ & temporis, ut sonet *ante me erat* vel *fuit*, ut etiam reddidit Syrus interpres, meliùs quam Latinus, *ante me factus est*; & saltem illius præferentię quoad dignitatem, causam assignat Baptista prioritatem durationis & existentię: *Antepositus est mihi, quia prior me erat*: Duratione utique; nam licet sex mensibus junior esset, nativitatem humanam quod attinet, tamen quà λόγος fuit ab æterno Mich:V,2. & jam erat in principio rerum creandarum Deus ipse & apud Deum Joh:1,

Joh: I, I. Nec tantum Joannes Christum sibi præfert dignitate ac duratione, sive tempore, sed etiam virtute & robore: Dicit enim quod sit se ἰσχυρότερος: quoniam videlicet ille est ἰσχυρὸς & Deus fortis, qui rapinam non ducit se æqualem Deo esse: Eam enim vim ac virtutem illi tribuit, quę in nullam creaturam cadere potest, quâ suos baptizat Spiritu Sancto & igne Matt: III, II. Imò dum se indignum reputat qui solvat calcei ipsius corrigiam, licet omnibus Prophetis major, & tantus ut, ipso Christo judice, non surrexerit ullus ipso major inter natos mulierum Matt: XI, II. satis superque ostendit majorem inter se & Christum distantiam se ponere, quam inter duos meros homines concipi queat, etsi illud Terentij ad ravim usque ingeminetur, *Homo homine quid præstat.*

Neque divinissimus] At neq; *divinissimæ & planè cœlestes* qualitates cuiquam possunt tribui, qui naturâ Deus non fuerit; & qui *divinissimis quibusdam & planè cœlestibus qualitatibus mirum in modum superat* eum, quo tamen inter genitos ex mulieribus nullus unquam major extitit, is sanè alterius naturæ quam merè humanę esse debet.

Nempe quia etiam] Absurdè; cùm è contrario ideo agnoscat Christum *ipsius muneris ratione* sibi antepositum, quia duratione, potentiâ & majestate multis parasangis se superet; & longè majus sit inter se & illum discrimen quam inter calonum ultimum & Imperatoriam majestatem; Se enim servum esse, Christum verò Dominum, cui vias præparatum & populum benè instructum paratum venerat; Se stellam ultimæ magnitudinis, Christum vero Solem & lucem mundi, quem crescere se vero minui oportebat: Nam, ut ait Plinius Junior *in panegyrico*, *Est hæc natura syderibus, ut parva & exilia validiorum ortus obscuret*; Se famulum & ministrum fidum in tota domo ipsius, ut de Mose dictum Heb: III, 5. At Christum, ut filium præesse suæ domui; cujus est area, quam purget arrepto ventilabro, & triticum quod in horreum suum cogat & condat Matt: III, 12. Quod si solum *muneris* discrimen, non vero etiam naturę, Baptista inter se & Christum agnosceret, utique non plus à Christo differret, quam à Mose quilibet alius Propheta, aut à Paulo vel Petro Christi Apostolis, quivis gregarius Episcopus: Nec potuisset ipse Christus negare quenquam Joanne majorem extitisse inter natos ex mulieribus, sive meros homines, quin eoipso se censu & numero merorum hominum dispungendum statueret.

Qua de causa] Sanè poterat Joannes censeri lux ministerialis & secundaria; prout Apostoli *lux mundi* appellantur Matth: V, 14. Imò ipse dicitur à Christo fuisse *lucerna ardens & lucens*, & voluisse Judæos *ad momentum exultare ejus luce* Joh: V, 35. Sed negatur fuisse lux principalis & primaria, quod soli Christo, ceu Patri luminum & Soli Justitię convenit; & de quo non secus quam de Patre illud veniat usurpandum, *Deus lux est, nec tenebræ in illo ullæ sunt* I Joh: I, 5.

Verùm audiamus, quo pacto adhuc Joannes Christi præ se excellentiam extollat. Dicit igitur, se in aqua baptizare: Christus vero in spiritu & igne baptizaturum. (*Matth: 2. 11.*) Cujus rei explicationem, cùm ad alium locum pertineat, nunc omittemus, ut Johannis de Christo testimonium persequi possimus. Appellat enim præterea eum agnum Dei; (*Ioh: 1. 31. 36.*) idque 45
propter incredibilem animi mansuetudinem, singularem vitę morumque puritatem atque innocentiam, summam denique divini muneris excellentiam.

Quia

Quia enim non solùm totus à Deo ortus est, sed etiam divinissima ratione peccata expiat; quis non videt, meritò eum Dei, seu planè divinum agnum appellari? Alludit quippe Joannes ad universa illa sacrificia, quę pro expiandis hominum peccatis olim offerebantur. Denique illis quoque verbis Christum sibi ipsi longè præfert Johannes, dum illum sponsam habere, & ideo sponsum esse, se verò amicum tantùm sponsi esse significat: (*Ioh.* 3.29.) nempe quia Christus verus ac proprius populi divini dux ac servator, atque adeo dominus futurus esset, ipse verò ejus glorię ac dignitati tantùm subserviret.

1 *Dicit igitur*] Nempe hic inter se & Christum illud ponit discrimen quod est agnoscendum in omni Sacramentorum administratione, inter Ministrum signum externum conferentem, & v.g. panem Domini, ac ipsummet Deum Spiritu suo rem significatam exhibentem, ut v.g. in sacra Cœna panem qui est Dominus.

Appellat enim præterea] Verum illud est quod Christus *agnus Dei* dicatur, maxime per allusionem tùm ad agnum Paschalem 1 Cor: v, 7. tùm ad sacrificium juge in quo vesperi & mane agnus immolabatur pro populo; eò quod à Deo destinatus & datus fuerit ut agnus innocens Is: LIII,7. in victimam piacularem pro peccatis nostris: Sed hæc observatio recidit in crura adversariorum, & inservit adstruendę contra illos Satisfactioni Christi: Nec enim potuit ut agnus Dei expiare peccata, quomodo in sacrificiis legalibus agni qui mactabantur hominum peccata typicè expiabant, quin mors ipsius habuerit rationem sacrificij propitiatorij, pro nostris peccatis & vice nostrûm oblati, ut factus *peccatum* pro nobis fieremus Dei justitia in ipso 2 Cor: v, 21.

Nempe quia Christus] At 1. Si Christus *verus & proprius* suorum *Servator* est dicendus, ergo salutis nostræ debet esse causa principalis & primaria (adeoque naturâ & essentiâ verus Deus & vita æterna) non verò duntaxat instrumentalis & secundaria, ut volunt adversarij. 2. Nequit esse *verus & proprius* Servator sive λυτρωτὴς, quin verum & propriè dictum λύτρον pro nobis redimendis obtulerit. 3. Id *Sponsi* nomen quod speciatim Christo convenit, argumentum continet irrefutabile pro ipsius vera & æterna Divinitate, quam Johannes sub hoc titulo agnovit & indicavit: Nam Ecclesię quę una est, unicus tantum sponsus esse debet; juxta primævam conjugij institutionem, *Erunt duo in carne una*: Majestas & thorus jugalis nullam admittunt societatem: Unicus vero ille Ecclesiæ sponsus Deus est, qui eam desponsat sibi in sæculum Oseę II, 19.20. Hinc Idololatriæ & adulterij spiritualis rea tam sæpè apud Prophetas peragitur Ecclesia Israelitica, quòd Jehovâ suo Sponso relicto, se iis prostituerit qui naturâ dij non essent, ut speciatim videre est Ezech: XVI, 15. & seqq. Oseę II, 2.5.7. & passim alibi. Si ergo unicus Ecclesiæ sponsus Deus est, nec illa duos simul sponsos magis potest admittere quam honesta matrona simul duos maritos, mundus duos soles, aut abrogari debet hoc ἀξίωμα Christo, aut eo ipso quod illi conceditur, verus æternusque Deus cum Patre necessariò est agnoscendus. Nec sanè futura fuisset Pauli Zelotypia circa Corinthios, *Zelotypia Dei*, ut eam vocat, quòd eos ut virginem puram suo ministerio aptasset *uni viro*, nempe *Christo* 2 Cor: XI, 2. nisi ille unicus vir Ecclesiæ Christus, Deus quoque esset super omnia benedictus Rom: IX, 5.

Etsi verò Joannes omnibus iis locis, quibus Christum sibi ante posuit, etiam cæteris Prophetis anteposuisse censendus est: tamen aliquanto apertiùs id facit illis verbis, quibus eum è cælo venisse confirmat, & super omnes esse, (reliquis interim, utpote terrenis, terrena loquentibus,) & quicquid vidit audivitque testari, quamvis ipsius testimonium pauci admodum admittant: qui tamen admittit, eum, veracem esse Deum, consignare. Quem enim Deus misit, inquit, is Dei verba eloquitur: cum Deus non ex mensura spiritum donet. Amat pater filium, & ei omnia tradidit in manum. (*Ioh: 3. 31. & d.*) Ex his Baptistę verbis apertissimum est, Christum duabus potissimùm de causis prophetici muneris dignitate omnibus, qui ante ipsum vixerunt, vatibus superiorem fuisse. Primò, quòd nullus prophetarum in cælo unquam fuit, nec Deum propriè loquendo vidit, nec ab ipso immediatè, quod dicitur, didicit, quę hominibus proponeret: Christus verò in cælo fuit, & vitam illam beatam, quam hominibus obtulit, vidit, Deumque præsentem intuitus est, & nullâ interjectâ causâ mediâ, ab ipso saluberrimam accepit disciplinam, quam hominum generi traderet, (*Io: 8. 28. 3. 11. & d. & 22.*) quę eam ipsam ob causam, & divina & cælestis appellari meretur, & cum qua prophetarum, adeoque ipsius Joannis doctrinę collatę, quamvis alioquin divinę, terrestrium tamen & humanorum dogmatum instar obtinent.

1 *Primò quod nullus*] Hoc quidem agnoscimus discrimen, quatenus *supernè & è cœlo* venit, per nostrę carnis assumptionem, & ceu Dei λόγος ac *unigenitus Dei Filius qui est in sinu Patris* Joh: 1, 18. ex eodem illo sinu hausit omnem illam doctrinam, quam nostrâ indutus carne hominibus annunciavit; non verò quo sensu fingunt Sociniani ipsum in cœlum raptum fuisse, ac ibi coram à Deo de Euangelica doctrina institutum fuisse: quasi ante imaginarium illum raptum, cujus nec vola nec vestigium extat in Scriptura, & de quo Veterum nemo quicquam vel somniando cogitavit, rerum divinarum & suæ vocationis nescius ac imperitus fuerit, aut demum trigesimo vitæ suæ anno, debuerit dici *secundus homo de cœlo cœlestis*, cùm antea non secus ac quisquam aliorum fuisset *de terra terrestris*, juxta ipsius cum Adamo antithesim apud Paulum 1 Cor: xv, 47. Sanè quo momento Christus natus fuit ex Virgine, imò conceptus Spiritus Sancti operâ in illius utero, Filius Dei Patri coæternus è cœlo descendisse & venisse œconomicâ sua in carne apparitione censendus est: prout Veteribus ejus dies natalis Epiphaniæ & Theophaniæ, Græcè τῶν ἐπιφανίων καὶ θεοφανίων, nomine fuit appellatus; ἡ ἡμέρα τῶν ἐπιφανίων ἐστὶ ἡμέρα τῆς Χριστοῦ γεννήσεως κατὰ σάρκα, inquit Epiphanius *hær. 51. contra Alogos*; & Isidorus Pelusiota *lib. 3. Epist.* 110. Τὰ θεοφάνια ἡ τοῦ Σωτῆρος κατὰ σάρκα γέννησις. Nec enim ille Christi descensus è cœlo fuit localis, per quem superioribus locis in quibus priùs fuerit relictis, cœperit in inferioribus hisce conversari; tùm quia Deo qui replet omnia, nulloque loco vel excluditur vel includitur, mutatiò loci non potest competere; tùm quia conceptis verbis de Christo, etiam dum in terris versabatur, & post-

& postquam è cœlo descendisse dicebatur, nihilominus asserit Scriptura, per verba temporis præsentis quod esset in sinu Patris Joh: I, 18. & in cœlo Joh: III, 13. Sed ille descensus Christi è cœlis est intelligendus κατ᾽ οἰκονομίαν, per quam citra mutationem loci, cœpit visibilis in carne factus & assumptâ formâ servi conspici & conversari inter homines; qui tunc debuerunt id justè de illo dicere, quod Lystrenses falsó de Paulo & Barnaba voce Lycaonicâ clamabant Act: XIV, 11. Deum videlicet assimilatum hominibus ad nos descendisse. Et qui negaverit descensum è cœlis Deo sæpè tribui in Scripturis sensu metaphorico, pro aliqua vel apparitione, vel operatione extraordinaria inter homines, is ultrò cœcutiet ad lumen solis: Videantur loca Gen: XI, 7. XV, 5. XVIII, 21, Exod: XIX, 11. 20. Num: XI, 17. Id viderunt etiam ipsi Judæi: Nam Mæmonides *in More Nev. p.* 1. *cap.* 10. sic loquitur; *Quandoquidem genus humanum, in infimo loco, infimoque gradu constitutum est respectu Dei, ipse autem Deus in supremo gradu, non quidem ratione loci, sed ratione essentiæ, majestatis & potentiæ, ideo quando ipsi placet sapientiam largiri alicui, vel prophetiæ donum super quosdam ex nobis effundere, vocatur Mansio Prophetiæ super aliquo, vel Habitatio Majestatis, & præsentiæ Divinæ in loco aliquo descensio.* Et cum Christus à cœteris omnibus eo differat quod è cœlo venerit, utique ejus descensus ex cœlis non potest is esse quem fingunt adversarij, qui videlicet illius raptum antecedaneum in cœlos subsequutus fuerit: Nam per talem descensum & adventum è cœlo, nihil ipsi tam speciale competeret, quod pari ratione Paulo & Joanni similiter tribui non posset: Paulus enim de seipso testatur quod in Paradisum raptus fuerit & ibi ineffabilia audiverit quæ homini eloqui non liceat 2 Cor: XII, 4. Joannes similiter Spiritu correptus ascendit in cœlum ubi illi Deus ostendit quæ postea futura erant Apoc: IV, 1. 2. Jam verò per id quod Christus è cœlo venit & descendit, non solum à Joanne & Prophetis V. T. debet distingui, sed etiam ab omnibus omninò hominibus, qui omnes ex terra terreni sunt, ipse solus è cœlo cœlestis.

Fuisse porrò Christum in cælo, Patremque suum vidisse, ipse luculentissimè testatur: *(Ioh: 3. 13: 6. 62. ib. 46. conf: 1. 18.)* Quod quidem plurimum ipsius officio dignitatis adjungere, insuper patet inde, quòd naturaliter fieri non potest, ut homo quisquam Deum intueatur; & ideo singularissimę illius benevolentię assignandum est; si tanta cuipiam felicitas contingat. Si enim etiam posteriora ejus naturaliter à Mose videri non poterant, sed summâ illius misericordiâ factum est, ut ea aspiceret: *(Exod: 33. 20.)* quantam tan-
46. dem Dei in Christum charitatem tunc extitisse, & ideo quantam ad hujus Prophetæ dignitatem accessionem factam fuisse putabimus, cum illum in cælum assumeret, & seipsum ei videndum præberet, omniaque ad tantum munus exequendum necessaria coràm ostenderet?

‡ *Fuisse porro Christum*] Quod nemo præter ipsum dicitur ascendisse in cœlum, Joh: III, 13. non debet intelligi de ascensione locali, cùm Enoch & Elias ante Christi incarnationem in cœlum ascenderint & translati fuerint; sed de sublimi & accuratissima rerum cœlestium cognitione, & penitissima ac familiarissima cum Deo communicatione, quæ nulli unquam aliorum Prophetarum contigerit, imò

rit, imò ne ipsi quidem Mosi; qui licet dicatur id accessus habuisse ad Deum ut *in os alloqueretur* eum, *adeo ut speciem similitudinemque Iehovæ intueretur* Num: XII, 8. attamen non ascendebat in cœlum, sed tantum in verticem montis, ut ibi cum Deo communicaret, & ejus mandata ad populum capesseret: Id debuit intercedere discriminis inter servos & Filium, quod illi quasi in vestibulo aut atrio consistant, hic vero omnium consiliorum & secretorum Patris particeps fiat in ipso penitissimo conclavi & quasi Sanctuario illius; Nec aliter quam sensu hoc metaphorico, illud *ascendisse Christi in cœlum* interpretabitur, qui attendet ad locum Pauli Rom: x, 6. 7. collatum cum Deut: XXX, 12. *Non est ut dicas in corde tuo, quis ascendet in cœlum? aut quis descendet in abyssum?* ut nempe cognoscat verbum Jehovę: Ubi τὸ ascendere in cœlum, est propriè consequi notitiam rerum sublimium & cœlestium, longè ab hominum cognitione remotarum: Si quis etiam propiùs attendat ad verba Christi, non necessariò ex illis colliget quod dicat se ascendisse in cœlum, quod nulli alij concessum fuit; sed tantum quod cum mortalium nemo id concessum fuerit ut ascenderet in cœlum, aut penetraret in arcana Dei ea annunciaturus hominibus, eorum revelatio à solo Filio fiat; qui eum in finem ita descendit è cœlo, ut nihilominus maneat constans in cœlo, non affectu tantum & quoad πολίτευμα, sed essentiâ & naturâ, quà unum cum Patre in sinu ejus semper est. Textus Græcus ita sonat: οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Jam autem illa particula εἰ μὴ, utut per *nisi* reddatur à Vulgato interprete ipsoque Beza, non necessariò est exceptiva illius regulæ generalis, sed potest sumi adversativè, hoc modo: Nemo quidem ex hominibus mortalibus ascendit in cœlum: Sed is qui descendit è cœlo, filius est hominis, qui etiamnum in cœlo est. Nec desunt Scripturæ loca in quibus *nisi* pro *sed* usurpatur: Emanuel Sa eo refert Matt: XII, 39. Joh: V, 19. 1 Cor: VII, 17. Gal: II, 16. Ego certius præter duo ultima, quod extat Matt: XXIV, 36. *De die illa & hora nemo novit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater,* idest, *sed solus Pater*: Item quod legitur Joh: XVIII, 12. *Quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis*: pro *sed filius perditionis periit*, ut pote qui speciali custodiæ summi Pastoris nunquam commissus fuerat. Sanè id malim, quam cum quibusdam viris eruditis, enallagen temporis præteriti pro futuro concipere in verbis Christi; οὐδεὶς ἀναβέβηκεν, pro οὐδεὶς ἀναβήσεται. Quicquid sit non negamus Filium Dei fuisse in cœlo Patremque suum ibi jugiter & ab æterno vidisse & contemplatum fuisse, priusquam formam servi assumeret; sed non patimur id rapi obtorto collo ad imaginarium ipsius raptum in cœlum post suam incarnationem, & priusquam manifestaretur Israeli; Nam quà homo, non ante in cœlum ascendit, quam peractâ sui immolatione in cruce pro nobis, morteque devictâ per gloriosam suam resurrectionem ex mortuis, subiit sacrarium cœleste, quo debet contineri usque ad restitutionem omnium, & in quo jugiter intercedit pro nobis. Itaque Scriptura nullius alterius ascensionis Christi in cœlum localis & propriè dictæ meminit, quam illius quæ pertinuit ad ejus triumphum 40. die post resurrectionem suam à mortuis; & quam solam in Symbolo Apostolorum omnes Christiani se credere profitentur. Hinc Paulus illam ascensionem Christi in cœlos, opponit ejus descensioni *in partes infimas terræ* Eph: IV, 9. 10. idest revera ejus conceptioni & formationi in utero; nam ita etiam se *in imis partibus terræ* conceptum & formatum fuisse, dicit David Psal: CXXXIX, 15. Itaque suâ ascensione gloriosâ eò rediit Christus ubi

erat prius Joh: VI, 62. non per aliam aliquam ascensionem in corpore quâ huic præluserit, sed per eam cum Patre & in illius sinu majestatem & gloriam, quam ante hanc œconomicam exinanitionem ad quam se demisit assumptâ nostrâ carne, possederat à jactis mundi fundamentis, idest ab æterno; & in cujus possessionem se restitui ac redire petit Joh: XVII, 5.

Quod quidem plurimum] Sed cùm ita vidisse Patrem solius sit Filij Joh: VI, 46. utpote qui solus est *in sinu Patris* Joh: I, 18. & cui soli competit eum perfectissimè nosse Matt: XI, 27. illa visio aliûs planè ordinis esse debet ab ea quę negatur Mosi & omni viventi Exod: XXXIII, 20. & cujus sunt semper consortes tum Angeli in cœlo Matt: XVIII, 10. tum omnes omninò beati Job XIX, 25. Psal: XVI, 11. XVII, 15. Matt: V, 8. 1 Joh: III, 2. Adhæc id quod concessum fuit Mosi adhuc viventi videre *posteriora* Dei, I. Pertinebat ad operationem sensitivam, quæ fit oculo corporeo; quatenus Mosis oculis Deus subjecit aliquod Symbolum sensibile, sed imperfectum, suæ majestatis & gloriæ: At quod Christus dicitur vidisse Patrem, spectat ad operationem non sensitivam, cum Deus incorporeus sit invisibilis absolutè oculis corporeis, etiam beatorum, ut docet Augustinus *epist.* 112. sed intellectivam, quæ in ipso sonat perfectissimam essentiæ ac voluntatis Divinæ comprehensionem, cujus mera creatura, ut pote finitę perfectionis & operationis, capax esse nequit: nam à finito non potest infinitum comprehendi: unde Scholastici meritò docent beatos in cœlo non tam *comprehensores* esse dicendos quam *apprehensores*; juxta illud Thomæ 1. 2. *q.* 4. *art.* 3. quod ex Augustino desumptum est, *Attingere Deum mente, magna est beatitudo: comprehendere autem est impossibile.* II. Mysticum fuit & Symbolicum, destinatum significandæ ænigmaticæ & speculari illi notitiæ Divinæ quę cadit in pios in hac vita per lumen gratiæ, ut distinguitur à clariori & longè perspicuiori illa cognitione quam consequentur in cœlis per lumen gloriæ: Nam hi duo distincti gradus cognitionis Dei, sive hę duę cognitiones distinctę, quarum prior *vespertina*, posterior *matutina* dici potest, differunt eodem ferè modo quo differt videre aliquem à tergo & eum in facie tueri, ut evidenter docemur 1 Cor: XIII, 9. 10. 11. 12. Hinc Mæmonides *lib.* 1. *More Nevoch. cap.* 21. dicit *quod Deus Opt. Max. absconderit à Mose apprehensionem illam quæ visio faciei vocatur, & transire fecerit eum ad aliam cognitionem, scilicet operum vel actionum sibi attributarum*: adeoque censet *vel quod totum hoc negotium* (Mosaicum) *mera sit visio Prophetica, & quod tam per id quod petivit Moses, quam per id quod ipsi denegatum est, & per id quod est consequutus, apprehensiones intellectuales intelligantur; vel quod ibi fuerit etiam apprehensio sensualis, visio scilicet, sed rei alicujus creatæ, per cujus visionem, assequutus sit Apprehensionem intellectus, ut Onkelos exposuit.* Id verò quocunq; modo sumatur, cum alterius sit ordinis ab eo quod tribuitur Filio Dei, in sinu Patris jugiter & ab æterno versanti, frustrà huc à Volkelio adfertur.

Quantum ad hujus] At sanè supponit adversarius τὸ κρινόμενον, videlicet ex mente Joannis Baptistæ non aliam proponi distinctionem inter Christum & alios Prophetas, adeoque & Baptistam ipsum, quam graduum illuminationis; cum tamen ex iis quę hactenus annotata sunt liqueat Joannem Baptistam se & alios Prophetas à Christo distinguere, tanquam meros homines à Deo, famulos ab hero, Ministros ab hærede & filio: Aliàs quandoquidem plus & minus, ut vulgò dicitur, non variant speciem, sicut omnes illæ prærogativę quas Judæi, ex parte freti loco qui extat Num: XII, 6. vindicant Mosi præ aliis Prophetis, relatæ Buxtorfio *Synag. Iud. cap.* I. (ut quòd Deus cum

aliis Prophetis per Angelum intermedium loquutus sit, cum Mose ore ad os; quod alij per insomnia nocturna, aut interdiu jacentes & valdè consternati, suas Prophetias acceperint, ipse stans & de die, absque ullo terrore; quod alij nonnisi rarò prophetarent, ipse quoties volebat;) non ponunt essentiale discrimen sed tantum accidentale inter Mosen & alios Prophetas θεοπνεύστους; sic etiam juxta Socinianos, non plus erit discriminis inter Christum & Mosem quam inter Mosem & Danielem, si solo gradu & modo illuminationis Propheticæ Christus à reliquis omnibus Prophetis veniat distinguendus.

Cùm illum in cœlum] Sed jam ante dixi hoc esse nuperum Socinianorum commentum, non solum destitutum omni Scripturæ & Antiquitatis testimonio, sed etiam directè contrarium fidei Christianæ, quæ hactenus ex Scripturis nullam aliam agnoscit assumptionem vel ascensionem localem in cœlum Christi in carne manifestati, præter eam quæ die quadragesimo ab ipsius resurrectione gloriosa facta describitur in Euangelio. De illo unico abitu & ascensu Christi hominis quà hominis ad Patrem, videantur quoq; loca Joh: XIII, 1.3. XIV, 3 12 28. XVI, 28. XX, 17. Quin hoc ipsum commentum repugnat aliis horum Hæreticorum placitis: Alibi enim negant Christum intulisse vel potuisse inferre in cœlum corpus illud in quo resurrexerat, & fingunt quod illo deposito, aliud spirituale & æthereæ naturæ induerit, eò trahentes obtorto collo dictum Psaltis Paulo citatum, *Corpus adaptasti mihi* Psal: XL, 7. Heb: X, 5. hoc nixi ficulneo argumento, Carnis Resurrectioni, quam omnes Christiani credunt, evertendæ destinato, quod caro & sanguis nequeant admitti ad gloriam cœlestem, & regnum cœlorum possidere; quos errores suo loco profligamus: Jam autem aut falsum est quod fingunt Christum in sua carne, adhuc mortali & necessitatibus hujus vitæ obnoxia, à Deo in cœlum assumptum fuisse & se Deum videndum illi præbuisse, si omnino impossibile fuit Christi corpus etiam post resurrectionem & mortem devictam, ut pote carne constans & sanguine, assumi in cœlum, & ad cœlestis gloriæ visionem & fruitionem admitti: aut nulla subest ratio cur corpori Christi post resurrectionem, nostræque carni ad similitudinem ipsius, cum mors absorbetur in victoria, id negetur potuisse vel posse evenire, quod impurissimi hęretici tam largiter fingunt in pergula sua pictorum, contigisse ipsi Christo in carne sua mortali & priusquam pateretur: Si enim Christus in illa sua carne mortali, (in qua tamen nemini unquam dabitur videre Deum, uti antea visum ex Mose, cum ad id oporteat hoc corruptibile incorruptibilitatem induere) potuit assumi in cœlum & ad Dei visionem admitti, quanto magis potuerit in cœlum ascendere in illo suo corpore quod per gloriosam resurrectionem immortalitate & incorruptibilitate donatum retulit ex sepulchro? Moliantur quicquid velint Volkelij Hyperaspistæ, nunquam poterunt evidentissimam hanc contradictionem in suis placitis diluere, aut hæc omninò ἀσύγκλωστα legitimè συγκλώθειν.

Et seipsum ei videndum] Primò oculis corporeis Deus videri nequit; cùm sit, ut ante dictum, incorporeus & invisibilis, Joh: I, 18. Col: I, 15. 1 Tim: I, 17. Heb: XI, 27. Et tamen Volkelius videtur Christo in cœlum assumpto tribuere quod Deus *seipsum ei videndum* præbuerit oculis corporeis, prout Moses corporeis suis oculis vidit ea Symbola creata præsentiæ & gloriæ Divinæ, quæ per metonymiam signi *posteriora* Dei appellantur. Deinde ad visionem Dei beatificam, qualem hanc fuisse oportet, si videlicet ea sit quam optavit Moses, nec quamdiu viveret consequi potuit, ex regula illa generali Exod: XXXIII, 20. *Non potest me homo videre & vivere*, nemo potest admitti in

carne sua mortali: Nec enim meta cum stadio, fides cum visione, via cum patria, confundi debet. Eaque est immediata oppositio inter Viatores & Comprehensores, ut vulgò loquuntur, ut nec Viatoris sit quamdiu in via est apprehendere sive consequi gloriam, nec Comprehensor aut Apprehensor semel factus possit ad ærumnas & labores viæ redire: sunt enim Paradisi flores ἀμίαντοι καὶ ἀμαράντοι, nec foret vera beatitudo si novis miseriarum procellis interrumpi posset: Hinc Begardis & Beghinis vitio vertitur meritò in Clementinis *lib. 5. tit. 3. qui est de hæret. cap. Ad nostrum*, quod statuerent, *hominem posse ita finalem beatitudinem, secundum omnem gradum perfectionis in præsenti vita assequi, sicut eam in vita obtinebit beata.* Hinc statuunt solidiores Theologi quod Lazari quatriduani anima non fuerit illo quatriduo admissa ad Dei visionem beatificam, sed in loco dispensationis tantisper asservata, quoniam ad vitam hanc mortalem, reliquum suæ viæ emensura, ex Dei occulto consilio debebat redire. Hinc docet Apostolus pios superstites in die judicij, momento & jactu oculi esse mutandos ad ultimam tubam 1 Cor: xv, 51. quò possint admitti ad visionem Dei beatificam, cujus nemo capax est priusquam hoc corruptibile & mortale, incorruptibilitatem & immortalitatem induerit, absorptâ morte in victoriam 1 Cor: xv, 53. 54. Nec dubium quin repentinam illam mutationem ac morti resurrectionique nostræ analogam senserit Elias cum ascendit turbine in cœlum 2 Reg: 11, 11. Cùm itaque Christus in illa sua fictitiâ assumptione in cœlum, carne mortali & passibili adhuc circumdatus esset, nec talem mutationem expertus tunc fuerit, & inde statuatur iterum rediisse ad ærumnas hujus vitæ & dolores mortis, falsum omninò est illum eò fuisse assumptum ad Deum ipsum videndum visione illâ beatificâ, quæ & Mosi fuit negata ante suum obitum, & nemini adhuc viatori potest obtingere.

Omniaque ad tantum] Debuit quidem Mosi ostendi in morte exemplar juxta quod Tabernaculum perageret Exod: xxv, 40. At cum Christus non ad sensibilem sed ad intelligibilem & mysticam Ecclesiæ constructionem ordinaretur, non possum capere quid illud sit, quod Pater Filio, ceu necessarium ad suum munus exequendum *coram ostendere* potuerit. Hæc faciliùs à Socinianis fingi, quam ab ipsis intelligi nedum explicari possunt.

Neque quicquam rei istius veritati derogat, quòd quo tempore hæc evenerint, affirmare non possumus. Satis quippe est, veracem Dei spiritum, ipsumque adeo Christum asserere, sese & de cælo descendisse, & Patrem vidisse, & ab eo didicisse, quæ diceret, & faceret. (*Ioh: 6. 38. 46. c. 12. 49.*) Nam Paulum ad tertium usque cælum raptum fuisse (*2 Cor: 12. 2.*) eandem ob causam planè credimus, quantumvis quo omnino tempore factum illud fuerit, ignoretur, nec exactè sciri posse videatur. Quod idem de illo statuimus, quod Christus Nathanaëli ab illo tempore, quo eum alloquebatur, futurum dixerat, ut ipsius discipuli apertum cælum viderent, & Dei angelos ascendentes & descendentes super filium hominis. (*Ioh: 1. 51.*) Hoc enim quin exitu comprobatum fuerit, minimè dubitamus, quamvis de tempore compertum non habeamus.

‡ *Neque quicquam rei*] Imo sanè plurimum: Si enim id evenisset, ut somniant hæretici, cùm tanti fuisset momenti & ad solennem Christi in suo munere inaugurationem pertinuisset, ejus circumstantias non dissimulatura fuisset Historia Euangelica, quæ multò plures minoris momenti non reticuit. Id sanè non potuit evenisse ante Christi baptismum, cum privatam adhuc vitam viveret, & demum in illo ad suum munus, cujus tamen jam quædam dederat tyrocinia ætatis suæ anno 12. inaugurari publicè cœperit. Non potuit quoque demum post Christi baptismum factum fuisse, ut Volkelio audacior Smalcius audet definere *cap. 4. de Divinit. Christi*; nam in Baptismo suo, ut agnoscunt adversarij, Spiritu Sancto quoad hominem plenè repletus fuerat, & ijs instructus donis quæ ad suum munus exequendum erant necessaria, ut ulteriùs de illo edoceri, Sapientia ipse Patris, non debuerit: Tum per Spiritum fuit illicò non assumptus in cœlum, ut edoceretur à Deo de rebus ad suum munus necessariis, sed *subductus in desertum ut tentaretur à Diabolo* Matt: IV, 1. Nec alibi fuit quam in deserto, inter feras, per totos illos quadraginta dies suæ tentationis, ut expressè dicitur Marc: I, 13. Luc: IV, 2. Præterea jam tum constabat Iohanni antequam eum baptisasset illum è cœlo descendisse, etsi eum distinctè & personaliter demum dignoverit ex Spiritus Sancti descensu super ipsum Ioh: I, 30. 31. 32. 33.

Satis quippe est] Imò hæc & similia nihil faciunt ad mentem adversariorum: Nam 1. nullo horum testimoniorum quæ citat Volkelius, imò nullo Scripturæ loco, dicitur Christus à Patre *didicisse* quę habeat dicenda & facienda. Neque id illi fuit necessarium, cum sit Sapientia Patris æterna & in *illo omnes thesauri Sapientiæ & notitiæ absconduntur* Col. II, 3. & quâ homo profecerit palam cum ætate *Sapientiâ, staturâ & gratiâ apud Deum & homines* Luc: II, 52. II. Suprà explicavimus quo sensu Christus dicatur è cœlo descendisse, non videlicet mutatione loci, sed assumptione nostræ naturæ: prout Deus *descendere* quandoque dicitur in Scripturis, cum se præsentem sistit hominibus inopinatâ quadam vel apparitione vel operatione. Non obest autem quod urgent aliquando adversarij ipsum *Filium hominis* dici è cœlo descendisse; nam hoc nomen non est naturæ & abstractum, sed personæ & concretum; & quod personæ sic denominatæ tribuitur debet restringi ad eam naturam quæ illius attributi capax est. Nam ipsi quoque Sociniani Christum fabricantes ex humana natura & divinitate officiali, fateri coguntur sæpè Christo, ab humanitate tamen denominato, tribui quæ divina sunt, & sæpè de illo humana prædicari, cum tamen à Divinitate illa factitia & fictitia denominatur. III. Quod dicit Christus ex seipso se non esse loquutum, sed Patrem qui se misit sibi præcepisse quid dicat & loquatur Ioh: XII, 49. nihil minus designat quam raptum illius in cœlum quem comminiscuntur adversarij; sed partim œconomicam legationem quâ nomine Patris, assumptâ formâ servi, fungebatur inter homines, partim ordinem processionum æternarum in divinis; nam ut Filius est à Patre, sic à Patre loquitur & docet Ioh: V, 29. 30. partim denique doctrinæ quam annunciabat consensum & uniformitatem cum Patris decreto & voluntate Ioh: VII, 16. Tunc sanè ex his probabunt Sociniani raptum illum imaginarium Christi, ubi confecerint etiam Spiritum Sanctum priusquam mitteretur ad Apostolos, assumptum fuisse in cœlum, edocendum à Deo & Christo de iis quæ suggereret sanctis, quia de illo dicit Christus, *Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit loquetur; Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & renunciabit vobis* Ioh: XVI, 13. 14.

Nam

Nam Paulum ad tertiam] Primò quod omninò singulare Christo est, etiam ad exclusionem maximorum Prophetarum & Doctorum quos unquam habuit Ecclesia, nempe descendisse sive venisse ex cœlo, non potest eodem sensu tribui Apostolo; & per consequens hoc exemplum nihil facit ad rhombum. Deinde nunquam dicitur Paulus ob illum raptum ex cœlo descendisse; imo ipsemet uni Christo tribuit quod è cœlo cœlestis fuerit. Præterea cùm raptus Pauli ita fuerit exstaticus ut ipse nesciverit num extra corpus vel in corpore fuerit, non video quî ausint cum illo conferre adversarij assumptionem Christi in cœlum quam somniarunt: An ergo etiam nescierit Christus num is suus raptus vel in corpore vel extra corpus contigerit? Ad hæc Paulus debuit à Deo speciatim edoceri de illa veritate cujus ex se nullo modo capax fuisset: Sed Christus summus ille noster Doctor tali institutione non eguit, imò ex illius plenitudine hauserunt omnes Ecclesiæ Doctores & sub V. & sub N. T. Denique falsum est Paulum ad tertium usque cœlum raptum fuisse ut disceret à Deo quæ diceret & faceret. Etenim nec ille raptus ei contigit cum ad Christianismum & Apostolatum primùm vocaretur, (tunc enim cecidit in terram non fuit raptus in cœlum Act. IX, 4. 6.) nec factus est eam ob causam quam dicunt adversarij, ut nempe à Deo perciperet doctrinam proponendam Ecclesiæ; nam è contrario testatur ἄῤῥητα fuisse & quæ effari homini non liceat, illa quæ ibi audiverat 2 Cor. XII, 4. de quibus per consequens ipsemet per totam suam vitam religiosè siluit, contentus eorum ad privatam suam consolationem recordari. Quam ille doctrinam acceperit à Deo promulgandam, satis nobis liquet ex sacra Scriptura, Act. XX, 27. 1 Cor. XI, 23. XV, 3. Non item quid illi in suo raptu revelatum fuerit. Et cum hoc nosse nostrâ non referret, etiam potuit ignorari tempus quo contigit: Quamvis tamen Paulus characterem temporis illi suæ narrationi addiderit, dicens se *ante quatuordecim annos*, cum eam scriberet Epistolam, in illum raptum incidisse: Nec desunt Chronologi qui ad annum Christi 58. rejiciunt, ut Baronius, hujus epistolæ scriptionem, è quibus si demas quatuordecim, habebis annum Christi 44. qui tertius aut quartus ad minimum, imo juxta plerosque sextus aut septimus, erat à conversione Apostoli.

Quod idem de illo] Sed primò hoc eventurum conceptis verbis dixit Christus; nusquam verò Scriptura dicit id quod de illius raptu in cœlum fingunt adversarij: Quod si factum diceretur, securi possemus esse temporis quo contigisset. Deinde id quod tunc Christus Nathanaeli dixit, non est sumendum ad literam de chasmate & hiatu in cœlis videndo, & Angelis visibiliter apparituris, qui ascenderent & descenderent super filium hominis; sed allegoricè & mysticè debet intelligi de Christo exinde à suis discipulis agnoscendo pro vera illa Scala Iacobi quæ describitur Gen. XXVIII, 12. per quam & nos in cœlum eniti ascendereque possumus, & cœlestia beneficia ad nos descendere & conferri queant, etiam Angelorum Ministerio favorabili, quod nobis nunc Deo per Christum reconciliatis in ipso conceditur Heb: 1, 14. Igitur optimè monet Calvinus *ad eum locum Ioh.* multum errare eos *qui anxiè quærunt tempus & locum ubi & quando Nathanael & reliqui cœlum apertum viderint; potius enim quiddam continuum designat, quod semper extare debebat in ejus regno.* Quam in sententiam ceu ex Augustino & Cyrillo desumptam concedit quoque Toletus *annot. 70. in 1. Ioh.* statuens *non ad aliquam singularem visionem, hoc pertinere, sed ad totam Christi dispensationem,* quoniam *in Ecclesia gubernanda Angelorum utitur ministerio.* Sed præterea etsi hoc Christi dictum pertineret

heret ad extraordinarium & speciale aliquod ὅραμα ijs personaliter eventurum quos alloquebatur, nihil faceret ad raptum Christi, quem Volkelius gratis supponit factum fuisse; Cùm enim illum nec futurum nec factum, uspiam dicat Scriptura, quis sanus eò referat hanc visionem, quæ ideo ceu facta deberet suspici, quod illam futuram prædixisset Christus?

Deinde ex eodem Johannis testimonio intelligimus, Christi doctrinam perfectam omnibusque numeris absolutam esse. Cum enim dicit, (*Ioh: 3.35.*) Deum omnia illi dedisse in manus, hoc asserit, Deum illi omnia, quę ad perfectam voluntatis suæ notitiam, sempiternamque hominum salutem pertinent, largè effuseque donasse. Ex quo fit, ut idem planè Joannes dicere censendus sit, quod ipse Christus de se hunc in modum prædicat: (*Matth: 11. 27.*) *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, quæ scilicet ad exactissimam rerum divinarum scientiam, & quod consequens est, ad æternæ felicitatis adeptionem sunt necessaria. Hanc enim esse Christi mentem, ipse contextus indicat, cùm mox subjungat: *& nemo novit Filium, nisi Pater; nec Patrem quis novit, nisi Filius, & cui Filius voluerit patefacere.* Quibus verbis sine dubio nobis persuasum esse vult, neminem hominum per seipsum mente comprehendere, nedum aliis perspicuè enunciare posse, quis & qua ratione filius Dei sit, quantaque & quàm multa, quoque pacto, salutis humanæ causâ illi patranda atque subeunda sint, & in quantum divinissimæ tum sapientię, tum potentię gradum sit extollendus: solum autem Patrem, ad quem tota tam admirandæ salutis ratio, tanquam ad fontem atque originem bonorum omnium referenda est, plenam istorum omnium perfectamque scientiam tenere: nec quemquam esse, qui, qua ratione summus ille rerum omnium dominus tum Pater sit, tum quanto & ipsum Christum, & cæteros omnes filios filiasque suas amore prosequatur, quamque amplum illis hæreditatis patrimonium decreverit, & 47.
quâ viâ, cujusque operâ eos ad tantum honoris atque felicitatis gradum perducere velit, intelligat, nisi Dei filius ad tantæ nos rei cognitionem instituat.

‡ *Hoc asserit, Deum*] Verum utriusque hujus loci evidens hîc proponitur corruptio; cùm frustrà ad munus Christi propheticum & perfectam voluntatis Divinæ notitiam restringitur, quod extendi debet ad munus illius regium & plenam in omnia potestatem, quam à Patre est consequutus, juxta locum celebrem Matt. XXVIII, 18. Facilè fero ut illa duo loca Ioh: III, 35. & Matt. XI. 27. eodem sensu sumantur; Sed tamen nequeunt restringi ad solam Divinæ voluntatis notitiam & jus illius promulgandæ, quin sic iterum Christo Paulus æquetur, ut de eo hîc pariliter dici potuerit Deum omnia illi dedisse in manus, id est effusè illi communicasse *omnia quæ ad perfectam voluntatis suæ notitiam sempiternamque hominum salutem pertinent*: Etenim ipsemet profitetur Act. XX, 27. se non subterfugisse quominus annunciaret *omne Dei consilium*. Et sanè cum χεὶρ Græcis non minus quam Hebræorum יד *Iad*, potestatem significet, non video quâ licentiâ possit ad voluntatis Divinæ plenam notitiam restringi id Christi dictum quo profitetur

Patrem sibi *omnia* in manum dedisse, id est ejus imperio & potestati subjecisse; prout dicitur à Patre *hæres omnium constitutus* Heb. 1, 2. Sed malunt Sociniani ita restringere dicta Christi quę adstruunt plenam & supremam ejus potestatem in omnia, ordinatam tamen ad credentium & electorum salutem perficiendam, quòd sentiant evidentius inde nasci argumentum pro æterna Divinitate illius.

Quæ scilicet ad exactissimam] Distinguere & limitare non licet, ubi lex nec limitat nec distinguit.

Hanc enim esse Christi] Imò cum Luc. x, 21. eadem verba occurrant & tribuantur Christo in Spiritu exultanti, postquam reversis septuaginta discipulis ac dicentibus, *Domine etiam dæmonia nobis subjiciuntur per nomen tuum*, ille responderat, *Spectabam Satanam, ut fulgur è cœlo cadentem; Ecce do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & supra omnem vim inimici, & nihil vos lædet, &c.* inde certiùs liquet ideo Christum profiteri omnia sibi tradita à Patre, quo redderet rationem, & ejectorum dæmoniorum in nomine suo, & potestatis suis indultæ calcandi serpentes & scorpiones.

Cùm mox subjungat] Hæc verba non sunt exegetica præcedentium, quasi in eo formaliter sita sit omnis potestas Christo concessa, quod nemo noverit Patrem nisi se revelante; sed illis copulativè duntaxat subjunguntur, per modum adjuncti aut necessariæ consequentiæ: Is enim solus cui omnia tradita sunt à Patre, potest quoque nos in salutarem Dei notitiam deducere.

Quibus verbis sine dubio] At sanè 1. Ipsi adversarij putant se facillimè & *mente comprehendere & aliis perspicuè enunciare posse quâ ratione* Christus *filius Dei sit*, dum nempe æternam ipsius generationem audent respuere. Nec 2. agitur hîc tantum, ut nugatur Volkelius, de rerum à Christo & per Christum administratarũ notitia, sed de mutua ac perfecta Personarum ipsarum Divinarum cognitione, & necessaria gratia ac luce Christi ad salutarem Patris notitiã, quę demũ in ipso tanquam illius imagine potest obtineri Ioh: xiv, 9. Deniq; perperam *cœteri filij filiæq;* Dei hîc Christo conjunguntur, cùm ille alterius ordinis sit filius Dei quã reliqui, quippe qui sit illis unà cum Patre *fons & origo* omnium bonorũ quæ consequuntur.

Hoc quia abundè præstitit, meritò in divinis oraculis, & character divinæ substantię, & splendor divinæ glorię, (*Heb:1.3.*) & Dei imago (*2 Cor:4.4. Col: 1. 15.*) & sermo & lux, (*Ioh:1.1,9.*) appellatur: quòd nimirum Dei alioquin inaspectabilis voluntatem nobis expresserit, & ante oculos constituerit. Qua de causa divinis monitis incitamur, ut omnibus aliis disciplinis posthabitis, uni Christo adhæreamus, in quo id est, in cujus doctrina, omnis divinitatis plenitudo continetur; (*Col:2.8,9.*) id quod nihil aliud est, quàm Christi disciplinæ eam vim esse, ut non partem aliquam salutiferę veritatis, non umbram, non nutu significatam, sed clarissimam plenissimamq; divinæ voluntatis rationem complectatur. Hæc omnia ut Joannes maximo animo testificaretur, Deus Jesum jam & natum ad testandam veritatem, (*Ioh:18.37.*) & eo, quo diximus, modo comparatum, in illius conspectu, prophetico muneri tunc consecravit, cum ad ejus baptismum sese conferret: idque tum hac voce de cælo emissa, *hic est filius meus charissimus, qui mihi acceptus est*; tum admirando illo spiritus sancti descensu. (*Matt:3.16. Ioh:1.32,33,34.*)

2 Hos

‡ *Hoc quia abundè*] Fallacia hic committitur à non causa ut causa; nam quicquid fingant adversarij, longè aliæ subsunt rationes hujus nomenclaturæ in Christo, quam quod Dei voluntatem nobis promulgaverit. Fuerunt enim Apostoli, sunt & quilibet fideles Ministri Ecclesiæ, præcones exacti voluntatis divinæ; Nemini tamen eorum justè tribuas ullum horum titulorum Christo speciatim assignatorum in his locis. Dicitur enim Heb:1,3. non *character divinæ substantiæ* sed *effulgentia gloriæ & character hypostaseos*, idest personæ, Dei Patris, qui nonnisi sibi simillimum filium genuisse ab æterno censendus est: Vtroque vero hoc titulo non exprimitur quid Filius incarnatus præstiterit in suo prophetico munere, sed quid sit in seipso respectivè ad Patrem, & quam jure verbis immediatè præcedentibus dixerat Apostolus & eum *hæredem omnium* esse agnoscendum, & Patrem per illum *secula* fecisse, idest mundum condidisse; prout Vniversi creatio eodem capite versu 10. illi conceptis verbis tribuitur. Dicitur *Dei imago* 2 Cor:IV,4. Col:1,15. non quod *voluntatem Dei* hominibus annunciet; quis enim fando audivit alicujus Principis legatum ejus imaginem appellari? sed quod Deus de Deo, lumen de lumine, Patri suo sit & ὁμοιούσιος & ὁμοούσιος, ut qui videat ipsum, Patrem quoque viderit, quia & in ipso Pater est & ipse in Patre Ioh. XIV, 9. 10. imò naturâ, non minus quam voluntate, ipse & Pater unum sunt Ioh. X, 30. Et cum filius quilibet sui patris à quo genitus est imago sit Gen. V, 3. non alio sensu Christus *imago* Patris dicitur, quam quo ejus filius μονογενὴς Ioh. III, 16. & proprius Rom. VIII, 32. appellatur. Appellatur quoque λόγος sive *sermo*, non simpliciter ob annunciatam hominibus Dei voluntatem; hoc præstitit fideliter post ipsum quilibet Apostolus, quorum tamen nemo Dei λόγος citra blasphemiam posset appellari: imò jam λόγος erat in principio, & antequam ulli homines essent quos alloqueretur, & priusquam ipse *caro* fieret ad Euangelij præconium inter illos; Sed potissimum quod sit Patris λόγος ἐνδιάθετος & Sapientia æterna, cui etiam sub nomine מימרא Chaldæus Interpres non semel tribuit Creationem universi; Nam pro eo quod est in Hebræo Es. XLV, 12. *Ego feci terram & hominem super eam ego creavi*, in Chaldæo est, *Ego in verbo meo*, aut *per verbum meum*, *feci terram & homines super eam creavi*; & Es. XLVIII, 13. pro eo quod Hebraicus textus habet, *Manus meą fundavit terram*, Chaldæus legit, *Verbo meo fundavi terram*: Imò ipse textus originalis vocem דבר ejusdem significationis hîc adhibet Psal: XXXIII, 6. *Verbo Iehovæ Cœli facti sunt.* Eadem fere extant 2 Pet. III, 5. Qualis sit ille λόγος, & quam optimè id nominis Messiæ nostro conveniat, & jam aliàs suprà docuimus, & videre est apud Galatinum *lib. 3. de Arc. Cath. Verit. cap. 4. & seq.* Eum quoque λόγον Ethnicorum sapientes, Zenonem nominatim, *Vniversitatis artificem* statuisse, testis nobis antea fuit Tertullianus *adversus Gentes.* Denique Christus *lux* dicitur, non tantum effectivè & ex parte nostri, quod nos illuminet suâ doctrinâ, quo modo etiam Apostoli *lux mundi* dicuntur Matt. V, 14. sed etiam substantialiter & subjectivè, prout Deus dicitur *lux* esse, nec ullas in se habere tenebras 1 Ioh. 1, 5. Ideo dicitur ὁ λόγος non solum *lux*, sed etiam *vita* hominum fuisse, ita ut *in ipso vita* fuerit Ioh. 1, 4. Igitur Adversarij eximios hos Filij Dei titulos iniquiùs coarctant & restringunt, dum per illos nihil præter voluntatis Divinæ expressionem Euangelij præconio factam, significari volunt.

In quo, idest, in cujus doctrina] Et hæc Glossa est textus corruptiva: Id enim

enim Apostoli dictum, non est intelligendum de doctrina Christi, sed de illius persona: Siquidem hæc dicuntur à Paulo de Christo, *qui est caput omnis imperij & potestatis, in quo circumcisi sumus circumcisione quæ fit sine manibus*, & cui sumus *consepulti per baptismum* Col: II, 9. 10. 11. 12. Adhæc nequeunt de doctrina Christi sumi illa verba Apostoli, *In eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*; sed tantum de illius persona cujus corpus illud *templum* erat augustissimum, de quo ipsemet dixit Ioh: II, 19. *Destruite templum hoc & intra triduum excitabo illud*; loquebatur enim Christus *de templo corporis sui* ibid. v. 21. in quo videlicet realiter & σωματικῶς per unionem hypostaticam (juxta quam noster Immanuel factus est,) omnis Deitas plenissimè habitat, (nam λόγος caro factus ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν Ioh: 1, 14.) non tantum τυπικῶς & umbraticè, ut in templo Ierosolymitano, quatenus lex *umbras* duntaxat habebat bonorum futurorum, quarum *corpus* Christus est Heb: x, 1. Col: II, 17. Agnoscimus equidem etiam illa doctrinæ Christi convenire, quæ hic de ea dicuntur à Volkelio; sed negamus eam ejus perfectionem exprimi iis verbis quæ de Christi persona sunt intelligenda, quod in ipso habitat *omnis plenitudo Deitatis*. Id enim elogij nemo sanæ mentis poterit ullâ ratione vel in totum corpus Biblicum transferre; si præsertim meminerimus Apostolû non simpliciter τῆς θειότητος, *Divinitatis*, sed τῆς θεότητος, *Deitatis*, idest ipsiusmet naturæ & essentiæ divinæ, plenam habitationem in Christo asserere; ne *divinum* duntaxat ipsum statuamus, aut ejus Euangelium, sed ipsummet naturâ Deum confiteamur: vide etiam Col: 1, 19.

Et natum ad testandam] Non ideo se *natum* dixit Christus Ioh: XVIII, 37. sed ideo se venisse, quò obiter insinuaret, se quà λόγος Patris præextitisse suæ apparitioni & manifestationi in carne.

Eo, quo diximus, modo] An ergo ausit Volkelius asserere, id quod nesciri suprà statuebat, Christum jam tum & in cœlum raptum fuisse & è cœlo descendisse, quo sensu fingunt adversarij, cùm fuit baptizatus in Iordane?

Prophetico muneri] At I. Si tunc consecratus fuit Christus *muneri Prophetico*, ergo non fuit in illo suo munere inauguratus in cœlo, per illam ejus in cœlum assumptionem, quam somniarunt in suo Parnasso Socinus & illius discipuli. II. Etiam ante suum baptismum Christus specimina saltem quædam ediderat illius sui muneris Prophetici, ut liquet ex ipsius disputationibus & interrogationibus inter Legis Doctores Luc: II, 46. III. Illa Patris vox de cœlo emissa in Christi baptismo, *Hic est filius meus dilectus in quo acquiesco*, primariò personam Christi ejusq; divinitatem & dignitatem commendabat, & secundariò spectabat ad illius officium, non tantum Propheticum, quod revera solum agnoscunt Sociniani cum Mahumetanis, sed etiam Sacerdotale & Regium: Nam & Sacerdos sive Pontifex dicitur constitutus ab eo qui illi dixit *Filius meus es tu* Heb: v, 5. & Rex similiter est præfectus Sioni, cum Iehova illi dixit *Filius meus es, Ego hodie genui te* Psal: II, 6. 7. & illo admirando Spiritus Sancti descensu in Christum, cum baptizatus fuit ejus in unctio solemnis & mystica, de qua Psal: XLV, 8. ad triplex hoc munus conjunctim significabatur.

CAP: VI.

De fine Testimonii Iohannis.

SEquitur ut quis finis Joanni, in tam præclaro testificandi munere propositus

ſitus fuerit, videamus. Is autem his verbis ab Euangeliſta exponitur, (*Joh: 1. 7.*) *ut*, inquit, *omnes crederent per ipſum*, id eſt, ut teſtimonii ipſius gravitate atque pondere ad Chriſto fidem adjungendam, omnemque in illo ſpem atque fiduciam collocandam commoverentur. Hic verò vix fieri potuiſſe dices, ut Johannes propoſitum ſibi terminum ac finem aſſequeretur; cum nullum, quo fidem autoritatemque ſuis dictis conciliaret, miraculum ediderit. (*Joh:10.41.*) At non ſola miracula, quæ per aliquem edantur, autoritatem ei conciliant: cum ſummus ille Dominus aliis quoque rationibus fidem illis conciliare poſſit, quos ad præclara in terris munera obeunda adhibet. Id quod, ne longiùs abeamus, in hoc Joanne noſtro clariſſimè cernimus. Quantam enim illud vim habuiſſe putabimus, ad eum diviniſſimum eſſe hominem planè demonſtrandum, quòd (*Luc:1.10,11,20,58,63.*) Patri ipſius Zachariæ angelus admirabili quadam ratione apparens, illius tum nativitatem, tum muneris adminiſtrationem prædixit: quòd parentibus ſenectute confectis, &, quod 48.
maximum hic pondus habet, matre ſterili prognatus eſt: quòd ejuſdem Zachariæ, qui Angelo hanc rem prænuncianti fidem habere nolebat, lingua repentè obmutuit, nec, uſque dum exitu divinum pronunciatum compleretur, ullam vocem emittere potuit: quę plurimorum ſermonibus celebrata, facilè ad totius Judaici populi aures pervenire potuerunt. (*Luc: 1.65, 66.*) Adde, quòd eum Deus in deſerto degere, veſtiumque ac ciborum ſingularitate, à vulgari uſitataque hominum vivendi ratione ſeparatum eſſe voluit: quòd denique tanta animi magnitudine, tantaque dicendi libertate eum armavit, ut nec plebis metueret odium; nec Phariſæorum, qui tunc rerum potiebantur, vereretur autoritatem; nec regiam extimeſceret majeſtatem: quin omnes ſcelere inquinatos in os reprehenderet, officiique ſui munus palàm, inque omnium oculis exequeretur. Atque hæc tanti apud univerſum populum erant, ut maxima illius pars, his ſolis contenta, nullum requireret miraculum, illumque & prophetam, & tantùm non Chriſtum eſſe perſuaſum haberet. (*Matth: 21.26,32. Luc: 3.15: 7.29: Act: 13.25.*)

‡ *Omnemque in illo ſpem*] Id verò nequit legitimè fieri quin Chriſtus verus & ſummus Deus agnoſcatur; cum maledictus pronuncietur qui ſpem & fiduciam ſuam reponit in alio quam Iehova Ier: XVII. 5. 7.

Diviniſſimum eſſe hominem] Hactenus ergo ex mente Socinianorum Baptiſta æqualis Chriſto, ſi non ſuperior: Hic enim illis nihil aliud eſt quam homo divinus: ille vero, ſi Volkelio fides, etiam in ſuperlativo diviniſſimus eſt habendus: Quo vero Scripturæ teſtimonio talia epitheta comprobabunt?

Quantam enim illud vim] At hæc omnia non forte ita publicè innotuerant, ut apud omnes Iohannis Auditores debitam ipſi authoritatem conciliarent: Saltem Luc:1,65.66. illorum fama ultra Zacharię viciniam & *montanam regionem Iudææ* non extenditur. Vt niſi Deus ſpeciali efficaciâ ejus præconio benedixiſſet, cœtera

cœtera illi destituto signis & miraculis non suffecissent ad fidem apud populum conciliandam.

Adde quod eum in deserto] Hîc nonnulla sunt dubiæ veritatis. Falluntur qui putant Iohannem extra domum paternam & procul ab omni hominum conversatione in loco deserto fuisse educatum: Fabulis ea de re jactatis nolim immorari, cùm nec ipse Baronius eas nisi timidiusculè admittat *ad ann.* 1. §. *Epit. Sp.* 13. de illo ab Herode in Bethlemetica cæde ad lanienam communem petito, & per Zachariam patrem abdito in spelunca quadam in deserto; de ipso Zachariâ ideo inter templum & altare occiso mandato Herodis; de Elizabetha matre quę ad speluncam confugerat isthìc mortua quadragesimo post die; de puero ibi per Angelos curato & educato donec manifestaretur Israeli; quæ omnia quod Scripturarum destituantur authoritate, eadem facilitate respuuntur quâ proferuntur: Satis esto quod desertum Iudæę in quo cœpit suo muneri vacare Matt: III, 1. non significet omninò inhabitatam solitudinem, ei similem in quam Christus abductus fuit à Spiritu ut tentaretur à Diabolo; sed regionem horridiorem, montanam & minùs cultam, in qua tamen sex urbes fuisse colligitur ex Ios: XV, 16.62. ac inter eas illa ipsa quam Zacharias & Elizabetha incolebant Luc: 1, 36. Itaque eadem illa ipsa regio montana Iudæę, in qua natus & educatus fuit Iohannes, & desertum Iudæę appellatur Matt: III, 1. & simpliciter desertum Matt: XI, 7. Luc: 1, 80. quòd incultior quidem & sterilior, non tamen omninò inhabitata esset. Non dubium autem quin ut asperior erat, ita etiam austerior fuerit ac simplicior ratio vivendi incolarum, ad quam dum Nazaræorum victum & amictum adjecit Iohannes, ex speciali ad Nazaræatum vocatione quæ extat Luc: 1, 15. aliquid habuit in vestibus & cibis austerum & singulare præ vulgo & Nazaræis ordinariis ac votivis, quod oculos & animos populi in se convertebat. Hinc dicitur venisse *nec edens nec bibens* Matt: XI, 18. quod Scribæ & Pharisæi non minùs in argumentum calumniæ trahebant, quam facilitatem convivandi cum omnibus quâ Christus utebatur. Ipsam villosam vestem Prophetis speciatim in usu fuisse colligitur ex Es: XX, 2. Zach: XIII, 4. 1 Reg: XIX, 14. Heb: XI, 47. quibus testimoniis consentit Clemens *in epist. ad Corinth.* Nazaræos similiter hirtam gestasse togam, quæ vestis quoque erat lugubris apud Iudęos, ex Rabbinorum monumentis colligunt eruditi. Nec potuit cum severiori habitu, conjungi victus simplicior, & citra scrupulosam superstitiosam-ve affectationem frugalitati magis congruens; qualem Catoni suo ascripsit Lucanus cum ait,

Huic epulæ vicisse famem, magnique Penates
Sommovisse hiemem tecto, pretiosaque vestis
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam.

Atque hæc tanti] Fateor hæc omnia simul, motiva potuisse dici populo ea consideranti, ut Iohannem ceu divinitùs submissum suspiceret; Non tamen suffecissent, nisi & præcessissent vaticinia de illo præmittendo in spiritu Eliæ qui viam pararet Domino, & Deus Gratiæ suæ efficaciam adjunxisset ipsius præconio, quò non ceu vox hominis, sed tanquam ipsius Dei oraculum & Verbum susciperetur. Et sanè ut quæ præcesserant de illo Prophetiæ sufficiebant iis convincendis qui illius vocationem in dubium vocare voluissent, ita etiam efficacia & vis per quam ejus prædicatio animos Auditorum subibat & penetrabat, eosque persuadebat dicere de illa *Vox Dei non hominum*, impediebat quominus illi de sua vocatione litem præposterè moverent.

CAP. VII.

CAP: VII.

De Baptismo Iohannis.

‡ Respondente ad hoc & duo sequentia capita ALEXANDRO TILIKINGIO, Groningano.

IAM postquam quo pacto Joannes prædicando viam Domino muniverit, satis, ut videmur, explicavimus, consequens est, ut quomodo id fecerit baptizando, videamus. Ex divinis igitur testimoniis (*Matth:3.6,11.*) intelligimus, illum per externam aquæ ablutionem eos, quos impuritatis scelerumq; pœnitebat, quique melioris vitæ rationem sese inituros palàm profitebantur, in suorum discipulorum numerum adscripsisse, & sic pœnitentiæ disciplinæ ritus istius religione initiasse. Cur autem hac potiùs, quàm quavis aliâ ceremoniâ uti maluerit, hanc plerique causam fuisse existimant, quòd Deus, cujus jussu atque imperio id faciebat, illi hominum generi, quod crebris ablutionibus assuefactum erat, sese quodammodo accommodare voluerit. Adde, quòd ad veram pœnitentiam, quæ animi quædam ablutio est, repræsentandam; publiceque profitendam, vix aliquid hoc ritu accommodatius esse videbatur.

‡ *In suorum discipulorum*] Sed cùm venisset præparatum viam Domino, non tam sibi, quam ipsi Christo discipulos faciebat Act: XIX, 4. adeoque non solum *pœnitentiæ*, sed etiam fidei in Christum religione istius ritus initiabat.

Uti maluerit] At eam non elegit pro suo arbitrio, sed ex jussu & mandato Numinis: Fuit enim baptisma Iohannis è cœlo Matt:XXI,25. & conceptis verbis profitetur se divinitùs missum fuisse ut baptizaret Ioh: 1, 33. quod etiam confitetur hic Adversarius.

Illi hominum generi] Sed illius instituti gravior adhuc ratio potest adferri: Cum enim Proselyti Iustitiæ apud Iudæos per tria fierent, nempe מלה *milla*, circumcisionem, טבילה *thebbila*, immersionem sive baptismum, & קרבן *korban*, oblationem. placuit Deo ex illis tribus baptismum seligere, quo sub Novo Fœdere justitiæ & fidei initiarentur, quotquot deinceps Christo inserendi & ad ipsius gratiam & disciplinam traducendi venirent. Imò sunt è Iudæis qui referant proselytos duntaxat domicilij, solo lavacro, missâ circumcisione & oblatione, admissos fuisse, quo sic ab Idolorum cultu se recedere profiterentur; atque ita narrant multa hominum millia Davidis & Salomonis tempore abluta fuisse. Sunt & qui scribant temporibus Messiæ tantam fore turbam conversorum, ut per lavacrum non per circumcisionem sint admittendi. Igitur quod hac cæremoniâ speciatim Ioannes erga Iudæos sit usus, ideo videtur factum ut indicaret illos, utut veteres fœderatos Dei, in tantum jam à vera pietate desciuisse, ut Idolorum cultoribus accensendi essent, planeque eorum exemplo totum vitæ genus mutare deberent, si vellent esse salvi. Sed quod hoc eodem ritu, auspicio facto à Ioanne, voluerit Deus nos omnes initiari Christo & fœderatis N. T. annumerari, suas habuit rationes magis speciales;

Nam I. ad id voluit adhiberi ritum Iudæis quidem usurpatum erga proselytos, sed nullo tamen expresso aut generali mandato præscriptum, ut esset quasi vinculum quo Synagoga cum Ecclesia Christiana connecteretur. Nam sic etiam in alio N. T. Sacramento, nempe sacra Cœna, Christus adhibuit ritus ex traditione usurpari solitos patri-familiâs, cum erat comedendus agnus Paschalis, uti ex Munstero, Baronio, Scaligero, & aliis liquidò ostendi posset. Maluit autem Deus in Sacramentis N. F. sanctificari ritus jam olim ex mera hominum traditione receptos, quam expressâ suâ lege præscriptos, non quò traditiones ἀγράφυς in rebus fidei commendaret, quæ passim damnantur in Scripturis, nominatim Matt: xv, 9. sed ne aliquid Legale sub Euangelio retinendo, reliquorum Legalium observationem exigere videretur. II. Missis proselytismi veteris circumcisione & oblatione, solius Baptismi usum voluit retineri, quò & faciliora præstaret Sacramenta N. T. ut quandoque loquitur etiam Augustinus, & eò acceptiora, quod unà liberationem ab onere circumcisionis & sacrificiorum externorum inferrent. Quin his & illi, in quibus fiebat quædam sanguinis effusio, unus successit baptismus incruentus, ad significandum nihil amplius sanguinis fundendum superesse ad salutem conficiendam, post sacrum cruorem Sospitatoris nostri effusum in cruce. III. Cùm peregrini in Rep. Iudaica abluti & non circumcisi, solis legibus illis tenerentur quas Deus toti hominum generi dederat, septem præcepta Noachidarum vulgò dicuntur, eo ipso quod omissâ circumcisione & oblatione, per solam ablutionem initiemur Christo, testatum voluit Deus Christi Discipulos legibus cæremonialibus non ampliùs teneri, utpote ab earum jugo per ipsum liberatos, juxta id quod extat Gal: v, 1.

Quod crebris ablutionibus] Sed & lege Mosaicâ præscripti erant illi frequentes βαπτισμοὶ quorum fit mentio Heb: ix, 10. quod huic ritui à Iohanne usurpato non convenit; & apud Gentiles ipsos non minùs crebræ erant lustrationes & ablutiones religiosę: unde illud celebre apud Græcos, θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά, & istud Poetę,

O nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Tolli fluminea posse putatis aquâ.

Adde quod ad veram] Plura tamen hoc ritu & significari & obsignari quam solam veram pœnitentiam, nempe baptismum flaminis, nostram cum Christo insitionem & communionem, ipsam in ejus sanguine remissionem peccatorum, &c. sic universa docet Scriptura, ut qui id ignoraverit, suum & baptismum & Christianismum eo ipso nescire censendus sit.

Qua porrò ratione, & quo pacto ceremonia ista à Joanne peracta fuerit, Matthæus luculentissimis verbis declarat, (*Matth: 3. 16.*) cum Christum, postquam à Joanne baptizatus fuerat, ex aqua egressum esse asserit; ut facilè appareat, ritus istius religionem non aspergendo, ut hactenus à plurimis creditum fuit, sed in aquam immergendo, eàve se abluendo, confectam
49. fuisse. Quid enim aliàs est causæ, cur ad eam perficiendam in aquam descendendum fuisse credamus? Deinde ideo Johannes Ænone prope Salem baptizasse dicitur, (*Ioh: 3. 23.*) quia aquæ ibi fuerint multæ. At quid aquarum opus est copiâ, ubi aliquot guttarum aspersione res conficitur? Huc accedit, quòd verbum βαπτίζω, à quo baptismi vocabulum deducitur, immergendi,

gendi, nec non lavandi significationem habet; & sic baptismus nequaquam aspersionem, sed immersionem atque ablutionem designat.

‡ *Qua porrò ratione*] Non inficior equidem Baptismum Johannis per immersionem fuisse celebratum, quò spectant loca Matt: III, 16, & Joh: III, 23. Sed pertendo vocem βαπτίζειν in Scripturis non solùm immergendi sed etiam adspergendi habere significationem, adeoq; baptismum a Christo Servatore institutum non minùs adspersione quam immersione peragi posse. Id si demonstravero non solum hic Socinianorum error profligabitur, sed unà dabuntur in pudorem qui illum ex Socinianis haustum audent retinere, ut illi in Anglia Fanatici & Independentes, qui solâ adspersione tinctos, juxta morem in Occidente passim ab ævo receptum, ceu non legitimè baptizatos, *alio rursus baptismate non purificant sed incestant*, ut loquar cum Valentiniano, Valente & Gratiano AAA. *l.* I. *C. Ne sacrum Baptisma iteretur.* Ex Hornæi, sub Honori Reggi nomine, Commentario *de Statu Eccl. in Anglia*, varia exempla possent referri illius Anabaptismi Sociniano more, in fluminibus, etiam mediâ hyeme celebrati, non sine discrimine vitę in quibusdam, pudicitiæ in aliis: Videatur *pag.* 100. *&* 102. Cum Socini juvenca hac parte, ut multis in aliis capitibus, triturat Hugo Grotius *ad Matt:* III, 6. censens baptismum *mersatione*, non *perfusione* esse celebrandum: Et miror Doctissimum Editorem & Refutatorem nuperum *Compendioli Socinianismi*, ad *cap. ult.* §. 7. ubi dicebantur Sociniani, usuras non simpliciter damnare, aversari omninò ludum aleæ & chartarum, item saltationem & potationem ebriosam, nec non luxum in vestibus, *in cœtibus autem Ecclesiasticis ferè nullos ritus usurpare præter ritum sacræ Cœnæ; nam baptismum adultorum foris in publico aliquo flumine administrant*, &c. hæc omnia vel tanquam ἐξαγώνια, ut Vir Celeberrimus loquitur, admittere, *vel talia de quibus litigare non censeat operæ pretium*: Forte ita loquutus est quod ad finem properaret: Nec enim crediderim ipsi ἐξαγώνιον vel indifferens esse baptisma in cœtu Ecclesiastico non administrari, & necessariò per immersionem in aliquo flumine publico esse celebrandum. Vocem βαπτίζειν & βαπτισμὸν, non semper immersionem significare, evidenter patet ex usu Scripturæ: Nam Marci VII, 14. dicitur de Pharisæis & Judæis, quod ex foro reduces, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται οὐκ ἐσθίουσι, & quod retineant βαπτισμοὺς ποτηρίων καὶ ξεστῶν καὶ χαλκίων καὶ κλινῶν: Jam autem non baptizabantur Judæi & Pharisæi immersione, sed tantum aspersione illius aquæ lustralis, cujus confectio describitur Num: XIX, 2. & seqq. & in cujus usum non habebant balnea domi, in quæ se totos demergerent, sed duntaxat hydrias illas, quarum fit mentio Joh: II, 6. *Non*, inquit ipse Grotius, *in quibus sedentes lavarentur, sed unde deprompta aqua vasis minoribus adferretur, ad purgandas subindè non manus tantum sed & calices.* Nec ullus sanæ mentis sibi persuadebit Pharisæos & Judeos aliter baptisasse suos etiam lectos, quam leviori ῥαντισμῷ & aspersione. Imò ipsi Marco hæc duo συνωνύμως prædicantur de Pharisæis, quod non comedant ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας & ἐὰν μὴ βαπτίσωνται: Unde liquet quod βαπτίζειν, & πυγμῇ νίπτειν τὰς χεῖρας, illi idem sint; jam autem lavare manus non est toto corpore mergi; imò nequidem ipsas manus suas πυγμῇ lavando immergebant aquæ, sed eas duntaxat eluebant aspersione & effusione ex aquali. Quin etsi horum baptismus ante cibum aliquid ultra manuum lotionem significaret, ut nonnullis eruditis viris

placuit, inde tamen non sequeretur illum mersitatione peractum fuisse: Et quamvis nolim Epiphanio *in Panario* contradicere statuenti Hemerobaptistas inter Judæos, existimasse neminem posse vel *purè* vel *fœliciter* vivere nisi quotidie in aqua mergeretur (alterutrum enim horum adverbiorum debet subintelligi in Epiphanij textu, qui tantum habet illos statuisse ἄλλως πως μὴ εἶναι ζῆν ἀνθρώπῳ εἰ μήτι ἄρα καθ' ἑκάστην ἡμέραν βαπτίζοιτό τις ἐν ὕδατι,) attamen quæ fuit pauculorum Fanaticorum hæresis, non potuisset ab Euangelista tribui Pharisæis & Judæis in communi. Sed etiam quicunque fuerit ille baptismus Judæorum & Pharisæorum Marco commemoratus, certissimum saltem illud est aspersiones Lege præscriptas, ῥαντισμοὺς Græcè dixeris, etiam βαπτισμοὺς appellari Heb: IX, 10. Nam qui eo commate βαπτισμοὶ dicuntur Paulo, postea non obscurè per aspersionem exprimuntur com. 13. Neque purificationes communes Lege Cæremoniali præscriptæ, quas Apostolus βαπτισμοὺς vocat, alio ritu quam aspersione peragebantur. Ipse hîc Adversarius subdolè tribuit voci huic βαπτίζειν *immergendi* & *lavandi* significationem, quasi hæc duo sint planè synonyma; Nam lotio immersione latiùs patet, & peragitur quoque aspersione: Patet quod dico vel in manuum lotione Judæis familiari, quæ non immersione, sed adspersione duntaxat, vel aquæ in manus effusione solet peragi. Et quod Græcis est βαπτίζειν, id Latinis vetustissimis Scriptoribus, Tertulliano nominatim, *tingere* est; Potest autem aliquid tingi, sive infici humore, vel colore, non minùs aspersione, quam immersione; Ciceroni 1. *de Orat. tinctus literis* dicitur qui illis mediocriter tantum est adspersus; & *tingere poculis* apud Horatium 4. *Carm. ode* 12. est aliquem rore Liberi patris, ut alij loquuntur, aspergere. Sic Martialis *Epigr. lib.* 1. *Tingit cutem Charinus & tamen pallet*: & *lib.* 5. *Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis*, utrà; autem hæc tinctura cutis & capillorum, non fit immersione, sed aspersione. Et si quæ loquutiones Sacræ Scripturæ circa baptismum alludunt ad ritum immergendi, utpote usitatiorem, maximè Judæis, quò pertinent loca Rom: VI, 3.4. Col: II, 12. non desunt multæ aliæ quæ solam adspersionem respiciant, quò Spiritus Sanctus insinuet perinde esse quo ritu baptizemur, immersione an adspersione, modò adsit λουτρὸν & ablutio: Huc potissimum faciunt vaticinia Prophetarum de effundendis aquis puris super credentibus, ut nominatim Ezech: XXXVI, 25. quæ non solum de baptismo flaminis, sed etiam de baptismo fluminis plerique veterum sunt interpretati: quod etiam Galatinus *lib.* 10. *de Arc. Verit. Cath. cap.* 2. Rabbinorum confirmat testimoniis: Ac prout aspersio baptismalis optimè convenit cum ῥαντισμοῖς sub V.T. usurpatis, quorum fit mentio Heb: IX, 13. 19. 21. ita etiam analogiam habet convenientissimam cum aspersione illa mystica & spirituali in Baptismo significata, cujus meminit Sacra Scriptura Heb: X, 22. XII, 24 1 Pet: 1, 2. Ac prout aspersione baptismali significatur & obsignatur nobis ῥαντισμὸς τῶν καρδιῶν ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, per ῥαντισμὸν interiorem sanguinis Christi nos mundantis ab omni peccato, unde hæc duo conjunguntur ab Apostolo, ἐρραντισμένοι τὰς καρδίας, καὶ λελουμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ, sic eidem non minùs quam immersioni optimè respondet baptismus ille flaminis in Spiritu Sancto & igne, quem in aqueo suo significatum, à Christo expectandum esse dicebat ipse Johannes Matt: III, 11. Imò æquè commodè hoc aspersionis ac immersionis ritu nostra mortificatio & cum Christo sepultura, simulque resurrectio in novam vitam exprimitur; Dum enim effunditur aqua super frontem & diffluit in oculos

in oculos, quædam est brevis submersio; & cum citissimè effluat, videtur momento aspersus, sibi ex mortis imagine ad vitam, specie quadam resurrectionis, traduci. Quin ausim dicere hanc utramque regenerationis partem, tali aspersione aquæ in fronte & oculis meliùs repræsentari, quam saltem in illa immersione quæ in טבילה *thebbhila*, sive baptismo Judaico obtinebat, de quo ita loquitur Schindlerus in suo *Lexico* ex Rabbinorum monumentis; *Baptismus talis est ut quis in aqua sedeat ad cervicem usque, & ita sedens discat seu cognoscat aliquot legis præcepta difficilia & facilia.* In illo enim ritu nihil est quod habeat imaginem vel mortis & sepulturæ, vel resurrectionis ex illa. Nec dubium quin Apostoli utrumque ritum baptizandi, modò per aspersionem modò per immersionem, ut sese offerebat occasio, retinuerint: Immersionis est exemplum Act: VIII, 38. 39. Sed aspersione debuerunt uti Apostolis Act: II, 42. cum uno die in ædibus privatis, in quibus balnea non esse poterant tantæ multitudinis capacia, homines quasi ter mille baptizati sunt. Idem suspicari licet de baptismo in ædibus privatis celebrato, Pauli ab Anania Act: IX, 18. Cornelij & domesticorum ejus à Petro, aut saltem ad Petri mandatum Act: X, 47. 48 Commentariensis Philippensium & totius familiæ ipsius à Paulo & Silâ Act: XVI, 33. Hinc ritus aspersionis non minùs quam immersionis à temporibus Apostolorum indifferenter obtinuit inter Christianos. De immersione, maximè in Oriente & sub tepidiori cœlo, nemo dubitat: Aspersionis verè usus obtinuit in Clinicis, qui *adspergine aquæ*, ut loquitur Tertullianus *de Pœnit. cap.* 6. inserebantur Christo: Et Cyprianus *epist.* 76. *ad Magnum* se consulentem super hac ipsa quæstione, respondet neminem debere moveri, *quod adspergi vel profundi videantur ægri, cùm gratiam Dominicam consequuntur, quando Scriptura Sancta per Ezechielem Prophetam loquatur & dicat, Et adspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris.* Neque in Clinicis solis baptizandis talis adspersio obtinuit ab ævo, sed etiam quandoque in aliis: Etenim Walafridus Strabo *de rebus Eccl. cap.* 26. ex Passione B. Laurentij, libro benè antiquo, ut ut hodie interpolato, illius rei exemplum commemorat satis illustre, cùm miles quidam Romanus nomine, *urceum afferens cum aqua, opportunitatem captavit qua eum offerret B. Laurentio ut baptizaretur.* Walafridi hæc sunt verba; *Notandum non solum mergendo, sed etiam desuper fundendo, multos baptizatos fuisse & adhuc posse baptizari; sicut in passione B. Laurentij quendam urceo allato legimus baptizatum. Hoc enim solet evenire cum provectiorum granditas corporum, in minoribus vasis hominem tingi non patitur.* Nec si maluit Baptista eo potissimum se conferre ad baptismi sui celebrationem ritu immersionis, ubi *aquæ multæ* erant, quod nollet recedere in gente Judaica à more recepto circa proselytos, inde sequitur necessariò, in flumine vel in mari esse omnem baptismum celebrandum, aut ad illum simplicem aspersionem non sufficere; Nam ut vel buccella panis in Eucharistia sufficit significandæ & obsignandæ plenissimæ nostræ nutritioni Spirituali per Christi corpus, licet illa panis buccella non sufficiat nutritioni corporeæ & sedandæ fami, ita etiam *aliquot guttarum aspersione*, potest nobis commodè significari & obsignari in baptismo, plena aspersio sanguinis Christi super conscientiis nostris ad illarum emundationem, etsi paucę illæ guttæ non sufficiant ad balneum & plenam ablutionem sordium corporearum. In ejusmodi enim signis sacramentalibus non attenditur moles & quantitas, sed institutio & significatio. Ideo benè monet Tertullianus *lib. de bapt. cap.* I. & 12. nullam esse distinctionem, *mari quis aut stagno, flumine aut fonte, lacu aut alveo,*

diluatur. Itaque contra quam concludit Volkelius, baptismus revera *ablutionem* designat, quocunque ritu, vel aspersionis, vel immersionis, peragatur: Et perabsurdè synonyma facit hæc duo, ablutionem & immersionem, cùm etiam citra immersionem, solâ effusione & aspersione, ablutio queat procedere.

CAP. VIII.

In quo docetur, ad quam gentem Johannis officium spectaverit.

SEquitur, ut ad quod hominum genus Johannis officium spectaverit, animadvertamus. Constat igitur, Johannem cum sua disciplina non nisi ad gentem Judaicam, nominatim autem ad peccatores, missum fuisse. Neque enim in ulla exterarum gentium ora, vel prædicandi, vel baptizandi eum munus executum fuisse comperimus. Adde, quòd ne Christus quidem Joannem subsequens aliò, præterquam ad perditas domus Israeliticæ oves sese missum fuisse confirmat. (*Matt: 15.24,26.*) Neque enim fas tunc erat, liberorum panem sumere, catellisque objicere. Quid, quòd idem Christus legatos suos tunc temporis ad exteras nationes iter habere prohibuit. (*Matt. 10. 5.*) Nondum quippe dies ille mortalibus illuxerat, quo reliquæ gentes in divini populi societatem adsciscerentur; eratque hoc mirandum Dei beneficium, quod in illas aliquando conferre decreverat, tanto involutum mysterio, ut tunc etiam, cùm maturum hujus rei tempus advenisset, Apostoli dubitaverint, atque adeò planè nesciverint, an in Ethnicorum domos ingredi, ibique cælestem Christi doctrinam proponere liceret. (*Actor: 10.34.*) Nam & Petrus tunc demum hoc sese mysterium didicisse ostendit, cùm divinis monitis impulsus Cornelij ædes intraret: & hujus rei nomine acriter ab iis, qui erant ex circumcisione, reprehensus fuit; (*Act: 11.5. & d.*) qui tum demum, cùm illis facti sui rationem reddidisset, totam rem, ut erat, exponendo, vocem mutârunt, & veluti rem novam, ac post homines natos inauditam admirantes, Deo gratias egerunt, qui etiam externas nationes pœnitentiæ dono ad sempiternæ vitæ adeptionem affecisset. (*Ibid: v. 18.*)

† *Nominatim autem*] Quasi vero quidam *non peccatores* extiterint illa in gente, quos non debuerit Johannes ad resipiscentiam revocare, & sic ad fidem in Christum jam jam exhibendum, imò suo sensu exhibitum, traducere: Imò ejus gentis fuêre maximi peccatores, qui Johannis voci noluerunt auscultare; Ideo ad laudes Johannis à Christo promulgatas *totus populus & publicani justificarunt Deum, baptizati baptismo Johannis; Pharisæi vero & Legis interpretes consilium Dei aspernati sunt adversus semetipsos, non baptizati ab eo*, Luc. VII, 29. 30.

Hæc autem omnis oratio nostra horsum spectat, ut appareat, quanto in errore illi versentur, qui Johannis baptismum, de quo potissimùm hic agendum est, ad exteras gentes pertinere statuunt. Nam si Johannes ad solos Judæos missus est; facilè est intelligere, quicquid est in doctrina Johannis,
50. quod suâ naturâ homines non obliget, quales sunt omnes externi ritus ac ceremoniæ

moniç, id reliquas gentes haudquaquam absolutè aut per se obstringere.

‡ *Hæc autem omnis*] At primò non videt hæreticus hoc argumentum in sua crura recidere: Si enim baptisma Johannis ideo ad Gentes exteras non spectat, quòd ipse *ad solos Iudæos missus* fuerit, nec etiam ad nos pertinebit doctrina, beneficium & baptismus Christi, eo quod *non alio præterquam ad perditas domus Israeliticæ oves sese missum fuisse* affirmârit. Secundò cum statuant adversarij principium Euangelij à Johannis ministerio arcessendum esse, aut negare debent ad alias gentes pertinere integrum Euangelium Christi, aut hoc illius initium, quod in baptismo Johannis situm volunt, ad solos Judæos restringere non poterunt. Tertiò distingui debet inter baptismum Johannis ut ejus manu & ministerio debebat administrari, & eundem ut ordinabatur à Deo in Sacramentum initiale totius Novi Fœderis: Nam & se à Deo missum ut baptizaret satis testatur Joh:I,33. & quotquot ejus baptismo tingebantur, initiatos fuisse Christo, etsi pro tempore id non satis assecuti fuerint, constat ex Act: XIX, 4. Priori sensu, facilis do etiam baptismum Johannis numericè sic dictum & personæ ac ministerij ipsius respectu, ad solos Judæos pertinuisse: Sed posteriori sensu baptismus Johannis specificè consideratus, ut est Novi Fœderis sacramentum initiale, quod etiam Christus ideo non minùs voluit in seipso consecrare, quam Circumcisionem, quo se utriusque populi circumcisi & baptizati Redemptorem profiteretur, dubitari nequit quin ad exteras quoque gentes pertineat; Quò facit ipsummet Christi mandatum expressissimum de docendis omnibus gentibus & illis baptizandis in nomine Patris Filij & Spiritus Sancti Matt: XXVIIII, 19. Nec enim alius potest esse naturâ & specie hic baptismus ab eo quem Johannes administravit, Christus in seipso suscepit, & postea per suos saltem discipulos in ipsa Judaica gente, & cum adhuc nefas ipsis esset *ad exteras nationes iter habere*, celebrari curavit Joh:III,22 IV,1.2. Sanè qui baptismum illum Christi, ministerio suorum discipulorum administratum, vel alterius ordinis fuisse statuerit à baptismo Johannis, vel ideo ad nos non spectare dixerit, quod pro illo tempore, ad solam Judaicam nationem pertineret, pari ratione statuet Eucharistiam à Christo tunc temporis institutam, quo necdum fas erat *liberorum panem sumere catellisque objicere*, nobis Gentilibus non esse communicandam. Uno verbo baptismus à Johanne administratus, *reliquas gentes haudquaquam absolutè aut per se obstringit*; sed I. secundum quid; quia non habet necessitatem medij, sed duntaxat præcepti; 2. per aliud; nempe non propter ministerium Johannis, sed propter institutionem & mandatum Christi, quo ejus celebratio ad omnes gentes extenditur.

Illius verò, quem diximus, erroris causam, istud vel solùm, vel potissimùm attulit, quod cùm baptismo aquæ omnes omnium ætatum homines perpetuò obstringi summâ contentione pugnarent, mirum in modum exemplo Christi à Johanne baptizati, causam suam constitui existimarunt; par esse rati, ut qui ad Christi ductum se applicarunt, ii omnes ipsius actiones imitando persequantur; idque eò magis, quòd ipse Christus asserat, (*Matth: 3. 15.*) *Sic decet nos omnem iustitiam implere.* Atqui primò animadvertendum erat, Christum ex Israëlitis, ad quos solos, ut demonstravimus, Johannes cum suo baptismo missus erat, oriundum fuisse; ideoque istam consecutionem

nem tum firmam stabilemque futuram, si & perpetuò Joannis officium duraturum fuisse, & nos ex eodem cum Christo populo ortum habere demonstratum fuerit. Sed quia longè aliter se res habet, consequentia argumenti nulla est.

‡ *Illius vero, quem diximus*] Et jam ostendi, nihil in eo erroris subesse, & certum est quod non tam ab exemplo Christi, quanquam & illi suum insit pondus, quam ab illius mandato, arcessatur baptismi necessitas, non illa quidem medij, uti loquuntur in Scholis, cùm scitè Bernardus *epist. ad Hugonem* moneat solum contemptum Sacramenti damnare, non meram illius privationem, sed præcepti, ex ordinatione & institutione Domini. Expressius est ad id Christi mandatum quàm ut negari possit Matth: XXVIII, 19. cui accedit promissio Marci XVI, 16. & jugis Apostolorum praxis, qui utique intellexerunt satis superque quid sibi Dominus præscripsisset: Non simpliciter ergo Theologi urgent imitationem Christi; quem scimus in singulis imitandum non proponi; sed supposito illius mandato, urgent quoque ejus exemplum, quo commendavit honorem habendum institutis à Deo ritibus, & quàm à nemine contemni debeant: Ut taceam quod ipse per hunc ritum quo Dei populo inserimus, eidem populo velut concorporatus est, certosque suo exemplo fecit omnes qui ut oportet baptizantur, apertæ ipsis januæ ad regnum cœlorum, & consequendi nominis & juris filiorum Dei. Id vidit Scriptor antiquus *Constitutionum*, quę vulgò Clementi Romano tribuuntur *lib. 7. cap.* 23. ἐβαπτίσθη δὲ καὶ ἐνήστευσεν, οὐκ αὐτὸς ἀπορρυπώσεως ἢ νηστείας χρείαν ἔχων ἢ καθάρσεως, ὁ τῇ φύσει καθαρὸς καὶ ἅγιος, ἀλλ' ἵνα καὶ Ἰωάννῃ ἀλήθειαν προσμαρτυρήσῃ, καὶ ἡμῖν ὑπογραμμὸν παράσχῃ.

Atqui primò] Hæc exceptio nullius est valoris: Nec enim ideo simpliciter Christus impleturus omnem justitiam debuit baptizari quòd esset Israelita, quandoquidem ut paulò post dicit Volkelius, *ne omnes quidem Iudæi* baptismo Johannis *adstricti* erant sed quòd esset Dei Filius, qui debebat suo baptismate *baptisma Iohannis comprobare*, ut loquitur Hieronymus *in* 3. *Matth.* & à Johanne in illo ritu quasi inaugurari, & Redemptor generis humani ac Dei Filius agnosci & proclamari; & suo exemplo nobis præire in usurpatione ejus ritus quem novi populi initiationi jam Deus destinaverat.

Si & perpetuò Iohannis] Licet officium & ministerium ipsius erat cessaturum, tamen perpetuum Deus volebat esse ritum illum baptismi, quem prior, nec sine speciali Numinis jussu, usurpaverat: Aliàs, ut cum ipsius carcere & morte cessavit ejus officium, baptismus similiter debuisset cessare, nec à Christo mandari aut illius Apostolis usurpari.

Et nos ex eodem] Debemus baptizari cum Christo, non utique quod simus secundum carnem oriundi *ex eodem cum illo populo*, sed quod ad illius populum mysticum pertineamus: Nec etiam debemus baptizari baptismo Johannis, quà formaliter erat appendix ministerij quo ad breve tempus ipse fungebatur inter Judæos, sed quà idem ille Baptismus sub N. F. successit Circumcisioni, & à Christo fuit destinatus in Sacramentum initiale novi populi, ut per Baptismum consepeliremur ipsi in mortem Rom: VI, 4. Igitur consequentiæ quæ ducitur ab exemplo Domini pro observatione baptismi à Johanne primum administrati, sed ex Christi ipsius mandato continuandi sub Euangelio, neutra Volkelij observatio vim enervat; tùm quia potuit continuari baptismus, ut de facto fuit continuatus post Johannẽ & cœterà jam cessante ipsius officio; tùm quia non magis quam ipsum Christi Euangeliũ & beneficiũ ille ritus ad solos Judæos est restringendus.

Nec

Nec est quod dicant, multò minùs Christum ritu illo, quàm nos, obligatum fuisse; & cum nihilominus eum amplexus fuerit, à nobis multò magis eundem Joannis baptismum, suscipiendum esse. Nam præterquam quòd, ut diximus, Christus ex Judaica stirpe ortus erat; etiam non generali, ut reliqui, sed singulari vel mandato, vel causâ, ad eum baptismum impulsus fuit, ut mox apparebit. Atqui neutrum horum in Christianos generatim omnes cadere apertissimum est. Ex quo fit, ut verba illa Christi, *Sic decet* &c. non quidem ad nos, sed ad ipsum Christum, & fortasse ad Johannem etiam, referenda sint. Quod ut rectiùs intelligatur, animadvertendum est, non omnes Christi actiones ejus generis esse, ut eas omninò imitari nostri sit officii. Ut enim in re aliqua Christi vestigiis omninò insistere nostrarum sit partium, necesse est, rem illam communiter nobis cum Christo injunctam, nequaquam autem Christi muneris propriam esse; & porrò planè ad Christianæ religionis naturam essentiamque spectare; nisi fortè ædificationis ratio postulet, ut id, quod per se observatu necessarium non est, præstemus; quo pacto hoc Christi exemplum, de quo agimus, ad nos pertinere haud negamus, ut paulò post intelligetur.

‡ *Nec est quod dicant*] Et hæc ratio benè procedit, supposito, uti jam ante dixi, Christi ipsius mandato de baptismo recipiendo: Nam quod ipse fecit tantum dicis causâ, cùm lavacro non egeret, quippe qui, ut ait Hieronymus *contra Lucifer. non tam mundatus est in lavacro, quam lavacro suo universas aquas mundavit*, multo magis nos obligat, qui & sordium nostrarum debemus esse nobis conscij, & mandatum ab ipsomet de illo pœnitentiæ & regenerationis lavacro subeundo tam expressum accepimus.

Nam præterquam] Quàm nihil huc faciat Christi origo Judaica, ante dictum; Agnosco etiam lubens ipsum *non generali*, ut reliquos, *sed speciali vel mandato vel causâ ad eum baptismum* impulsum fuisse: Verùm hæc inter alias fuit ei specialis causa, ut nobis exemplo suo præluceret ad eum in posterum usurpandum ritum, quem ipse in sua persona dedicare & consecrare dignatus est.

Atqui neutrum] Licet non eodem fine debeamus baptizari quo Christus, attamen ideo debemus baptizari, quia ipse nobis præivit ad usurpandum eum ritum quem speciali de causa usurpavit, & cujus observationem *generali* suo mandato omnibus injunxit.

Non quidem ad nos] Ultrò largior hæc verba *Sic decet*, ad Christum & Johannem directè referenda esse: Justum quippe erat & Christum ad Johannis baptisma venire, & Johannem Christum ad illud admittere: Sed id non impedit quominus inter justissimas rationes ob quas id fieri oportuit, etiam ea referatur, ceu pars illius justitiæ quam omnem implere decebat & Christum & Johannem, quod hoc suo exemplo Christus omnibus peccatoribus ad se venturis voluerit prælucere circa hujusce ritus usurpationem, quam suis & præceptis & promissionibus in perpetuum commendare voluit.

Necesse est rem illam] At sanè id verissimum & certissimum est de Baptismo, qui licet necessitatem medij non habeat, habet tamen necessitatem præcepti; uti liquet ex præcedentibus.

Et porrò planè] Quid ni *ad Christianæ religionis naturam essentiamque* æquè pertinebit.

tinebit Baptismus ac Sacra Cœna, quam infra *lib.4. cap. 22.* dicet adversarius esse cæremoniale Christi præceptum, quod *fidelium nationi* tradere voluit? Nec enim aliter arbitramur Baptismum ad religionis Christianæ essentiam & naturam pertinere quam Eucharistiam, quatenus videlicet utriusq; religiosam observationem Christus nobis præscripsit & commendavit.

Nisi forte ædificationis] At ea semper postulat id non negligi quod à Christo & institutum & commendatum fuerit, cujusmodi baptisma est: Neque volumus illud *per se observatu necessarium* esse, quasi haberet necessitatem medij, sed per Christi tum exemplum, tum mandatum, ut habeat duntaxat necessitatem præcepti. Sanè qui dixerit Apostolos nonnisi vitandi scandali gratiâ, tot hominibus baptismum contulisse, utpote illis minùs observatu necessarium, is eo ipso non parum detrahet ipsorum honori, & pari ratione poterit statui eos sacram Synaxim celebrasse, potiùs quod ita *fortè ædificationis ratio* postularet, quam quod ritus in se sit observatu necessarius: Socinianos crediderim ex gente Sabinorum; nam & ipsi somniant quod volunt.

Verùm ut unde digressa erat, eò revertatur oratio nostra; tantum abesse dico, ut Joannis baptismo omnes in perpetuum gentes devinciantur, ut ne omnes quidem Judæi illo prorsus adstricti fuerint. Erat enim Joannis baptismus iis gentis illius hominibus injunctus, qui à vita impura & flagitiosa ad sanctitatis studium tota mente converterentur, cujus rei ratio uno pœnitentiæ
51. nomine continetur. Itaque si qui tunc in Israëlitica natione cum justitia vixerunt, eos pœnitentiâ non eguisse, & res ipsa loquitur, & D. Jesus luculentissimè testatur; (*Luc:15.7.*) & ideo talibus Joannis baptismum imperatum non fuisse, adeò in promptu est, ut res disputatione non indigeat. Extitisse autem hujusmodi genus hominum, aut extare saltem potuisse, inde colligitur, quod eodem seculo, atque adeò post natum jam Joannem, singulari virtutis atque justitiæ laude floruerant, præter parentes ipsius, Simeon, Anna Phanuelis filia, (*Luc:1.6. 2.25,17.*) Maria, quam Joanne munus suum obeunte superstitem fuisse satis constat, ejusdemque maritus Josephus. (*Matth: 1.19.*) Hujus generis hominum vel nullus Johannis baptismum accessit, vel certè non publico, & generatim omnes obstringente mandato, sed singulari quadam ratione impulsus, hoc fecisse censendus est.

‡ *Ut ne omnes quidem*] Atqui modò antea *generale* faciebat mandatum inter Israelitas, de baptismo Johannis usurpando, ita ut Christus ideo quoque illum susceperit *quod ex Iudaica stirpe ortus* esset; Et cum inter Judæos nemo esset tam perfectè justus qui immunis ab omni labe non egeret resipiscentiâ, regeneratione & remissione peccatorum, siquidem regula sit generalis Christi Joh: III, 3. *Nisi quis sit genitus iterum, non potest videre regnum Dei* & Luc:XIII,3. *Nisi resipiscatis omnes itidem peribitis;* ita nemo erat qui non teneretur venire ad Johannis baptismum, initiandus Christo, & baptizandus ad resipiscentiam & remissionem peccatorum; quò spectabat ille baptismus Matt:III,II. Luc. III,4.

Itaque si qui tunc] Illud *Si* nihil ponit in esse; nec Christus Luc:XV,7. supponit dari tales justos qui omninò pœnitentiâ non egeant; cùm nemo sit qui non peccet & impingat

& impingat in multis 1 Joh:1,8. Jac:III,2. Sed debet ibi loquutus fuisse de justis, vel duntaxat comparativè, ut dicantur pœnitentiâ non egere, nempe tam solemni & vehementi, quam illi qui in gravissima lapsi peccata eaque diutiùs continuata de toto vitæ genere migrare tenentur; vel potius qui tales sint suâ opinione & δοξαστικῶς, non in rei veritate & coram Deo: Nec aliter tales justi dicuntur non egere pœnitentiâ, quam quomodo dicit Christus Matt: IX, 13. se non venisse vocatum *justos* (eos nempe qui seipsos justificant, instar ejus cujus fit mentio Luc:X, 19. nec non superbi illius Pharisæi qui turgebat proprię suæ justitię vanâ opinione Luc:XVIII, 11.12.) sed peccatores ad resipiscentiam. Ut autem tales justi, nonnisi æquivocè & apparenter ac falsæ suæ opinionis & philautiæ respectu ita dicti, hic intelligantur, id potissimum persuadet quod uni duntaxat peccatori resipiscenti, nonaginta novem justi qui pœnitentiâ non egeant opponuntur: nam istorum δοξαστικῶς tantum justorum, qui se pœnitentiâ non egere sibi persuadeant, numerus facilè nonagies novies superabit numerum peccatorum seriò resipiscentium & sese convertentium ad Deum: quo sensu dicuntur publicani & meretrices præivisse imaginariis illis justis in regnum Dei Matt:XXI,31. Nemo autem sanę mentis suspicabitur unicum peccatorem resipiscentem opponi nonaginta novem verè & propriè justis, quasi vel illius unius resipiscentia sit acceptior Deo & Angelis, quam horũ continuata sine interruptione pietas & justitia; aut talium jústorum tam vilem esse annonam inter homines, ut facilius sit reperire nonaginta novem perfectè justos & pœnitentiâ non egentes, quam unum peccatorem qui resipiscat: cùm tales justos qui quæsierit in hujus vitæ cœno, censeatur quærere quod nec ipsi Angeli reperire possunt, nedum Diogenes cum sua lucerna; sicut scriptum est Rom: III, 10. *Non est justus ne unus quidem.*

Extitisse autem] Cùm hi & eguerint remissione peccatorum, & redemptionem per Christum expectarint Luc: II, 28. non eo sensu *justi* fuerunt, ut omni caruerint labe per resipiscentiæ studium & fructus eluendâ; sed tales potuerunt fuisse comparativè ad alios, & quod syncerè & sine fuco pietati studerent ac justitiæ. Nec de Simeone nec de Anna dicitur quod *justi* fuerint, nedum ita justi ut eo ipso non eguerint pœnitentiâ: Dicitur Josephus fuisse justus quo sensu Hebraicè צדקה, *tsedacha*, sæpè significat χρηστότης & misericordiam ac ἐπιείκειαν, quæ τὸ ἀκριβοδίκαιον non urget, prout Aristoteles ait τὸ ἐπιεικὲς esse δίκαιον δικαίου τινὸς βέλτιον: Etenim hoc elogium datur Josepho eò quod nollet sponsam suam παραδειγματίσαι & in eam lege decerni: Hoc notavit ante nos Chrysostomus, *ad eum Matthæi locum*; δίκαιος ὢν, τοῦτ' ἔστι χρηστὸς ὢν ἐπιεικής: At eum qui eo sensu justus statuatur non egere pœnitentiâ quotidianâ ob peccata quotidianæ incursionis, nemo sanus dixerit: Zacharias & Elizabetha dicuntur ambo fuisse justi, tum secundum quid & comparatè duntaxat ad alios, tum quod sincerè & ἀνυποκρίτως vacarent cultui Divino & studio pietatis: Sed cum inter Dei mandata & præcepta quæ servabant, ut scitè contra Pelagianos observat Augustinus, etiam illa essent quæ exigebant hostias & sacrificia pro suis peccatis, non possunt censeri simpliciter vixisse absque omni peccato, adeoque nullâ omninò pœnitentiâ eguisse.

Hujus generis] Nec tales unquam post lapsum Adami vel extiterunt vel porrò sunt extituri in hoc mundo, qui nullâ egeant pœnitentiâ, & quæ ariolatur Volkelius de iis quos commemorat sunt planè ἀπροσδιόνυσα: Simeon & Anna, Zacharias & Elizabetha proculdubio, & verosimiliter ipse Josephus, jamdiu satis conces-

cesserant priusquam Joannes suum munus publicum auspicaretur; quare mirum non est si ab ipso baptizati non fuerint; De Maria cum taceat Scriptura, tam proclive esset affirmare eam æquè baptizatam fuisse ac ipsum Christum, quam Volkelio id negare: Nec si illa ad baptismum Johannis non accessit, id factum fuerit conscientiâ & imaginatione suæ perfectionis, cùm proculdubio etiam ex Christi præscripto quotidiè remissionem peccatorum suorum à Deo precata sit; sed fortè quod cum baptisma celebraretur à Johanne per immersionem & in publico loco, ex sequiori sexu nulla ad illud accesserit. Nathanael, verus ille Israelita in quo dolus non erat Joh: I, 48. videtur tamen fuisse priùs, ut Andreas, Petrus & Philippus, ex discipulis Johannis: Nec minor justitiæ laus debetur Nicodemo quam Josepho Arimathæo qui bonus & justus dicitur Luc: XXIII, 50. & quo cum pollincturæ Christi vacavit Ioh: XIX, 38. 39. tamen Nicodemo necessarium erat renasci (cur non & Iosepho Arimathæo) ut ingrederetur in regnum cœlorum Ioh: III, 3. Si qui ergo tales viri boni & pij, qui in summa Reip. corruptela justa sua corda affligebant & expectabant regnum Dei, venerunt ad Iohannis baptisma, ut eos non omninò illud neglexisse piè credi potest, illi non aliâ videntur fuisse impulsi *ratione*, quam *publico & generatim omnes obstringente mandato*; quod cum omnes omninò peccati in sua conscientia convictos spectaret, nequiverunt vel sanctissimi super seipsis reflectentes, se extra quærere, aut non ultrò illud admittere lavacrum regenerationis & sigillum remissionis peccatorum promissæ iis qui resipiscunt & omnem suam fiduciam in Christo reponunt.

Jam verò, ut ad rem propiùs accedamus, nullum dubium est, quin, si unquam aliquis repertus fuit, qui vitam cum sanctimonia traduceret, non solùm Christus is fuerit, sed omnes etiam, qui aliqua justiciæ laude floruerunt, longè superaverit; utpote qui nihil unquam adversus Dei legem voluntatemque commisit. Hic igitur, ut suprà innuimus, nequaquam illo præcepto, quod omnibus generatim erat traditum; sed vel singularissimo Dei mandato, vel peculiari quadam ratione commotus, ad hunc baptismum sese contulit. Duæ autem potissimùm rei istius causæ dari possunt. Primò voluit Dominus hujus sui facti exemplum aliquod relinquere, tum viris primariis, tum generatim universo populo. Ac illis quidem ita, ut clarissimum eis demissionis atque humilitatis lumen præferret, ne videlicet ob sanctitatis, quâ alios superarent, existimationem, à reliquo se populo sejungerent: quippe cum ita se gerere non sanctitatis, sed superbiæ cujusdam argumentum sit. Nam præterquam quòd, qui ita agunt, alios præ se contemnunt; etiam tempus illud antevertunt, quo ipse Deus illorum, qui verè sancti sunt, gloriam illustraturus est. Et quidem hanc ipsam ob causam Christus, nulla in re gloriam suam quæsivit, quippe persuasum habens, eum esse qui quæreret, (*Ioh: 8. 50.*) suoque tempore mirum in modum ipsum exaltaturus esset. Iam ad universum populum quod attinet, ideo Iohannis baptismum minimè neglexisse videtur, ut suo exemplo omnes incitaret ad viris divinis alacriter obtemperandum.

Hic

‡ *His igitur ut suprà*] Et hoc ultrò largimur, peculiari ratione motum fuisse Christum ut veniret ad baptismum Johannis: Sed nec alij cum ipso quoad innocentiam ac justitiam sunt conferendi, nec illius consilij ab eo suscepti rationes satis commodè hîc enarrantur.

Primo Voluit Dominus] Etsi hominum quorumlibet intersit non negligere publicam cum reliquo populo peccatorum suorum professionem, cùm nemo eorum sit qui non peccet; attamen humilitatis studium id non exigebat à Christo, ut omnis omninò peccati expers se nihilominus peccatorem, ut cœteri omnes, profiteretur; cùm aliàs & suam innocentiam mordicus tueatur Joh: VIII, 45. & à peccatoribus segregatus omninò fuerit Heb: VII, 26. ut qui peccatum non noverit 2 Cor: V, 20. & in cujus ore dolus non sit repertus Is: LIII, 9. Huc faciunt verba Erasmi in *Paraphrasi, cap. 3. Matt. Hæc ita gesta sunt dispensante Deo, ut & admirabilis Christi modestiæ pararetur exemplum, & Ioannis testimonio constaret omnibus Christum haudquaquam ullius mali sibi conscium postulasse baptismum: Sic enim baptizatus est ut circumcisus, ut purificatus in templo cum matre* &c. Sed omnibus voluit in hac sua humiliatione præbere exemplum, 1. in genere ritus divinitùs institutos non negligendi; 2. in specie Baptisma suscipiendi, cujus usum nobis in sua persona consecrasset.

Ideo Iohannis] Ergo suo exemplo nos incitat ad *alacriter obtemperandum* suis Apostolis & Discipulis qui nos ad baptisma suscipiendum ad ipsius exemplū, quamvis alio fine, invitant. Hoc addo quod licet Baptismus non conveniret Christo ratione finis specialis, velut peccatori, licet appareret *in similitudine carnis peccati* Rom: VIII, 3. conveniebat tamen ei ratione finis generalis, velut Mediatori fœderis, cujus Sacramentum initiale debuit in sua persona nobis consecrare.

Sequitur, ut alteram hujus rei causam ponderemus, quæ est, quod incommodis quibusdam Christus hoc suo facto occurrere voluerit. Animadvertendum enim primò est, facilè fieri potuisse, ut nisi ad Iohannis baptismum accessisset, populus de aliqua ipsius à Iohanne dissensione suspicaretur. Ut igitur summæ utriusque consensionis, summæque voluntatum conjunctionis argumentum extaret, omninò à Iohanne baptizari voluit. aliter ægrè homines illi adduci potuissent, ut Iohanne, cujus summa erat apud ipsos autoritas, derelicto, Christo sese dicarent. Deinde voluit Christus, quamvis nullius sceleris affinis esset, ut aliis rebus, ita & hoc pœnitentiæ baptismo, reliquis mox sibi adhæsuris, ratione sanctitatis se longè inferioribus, sese veluti conjungere, & ad eos se demittere, ut non exiguam illis de salute, quam ipse adeptus est, consequenda dubitationis, quæ ex ista dissimilitudine oriri potuisset, materiam subtraheret. 52.

‡ *Animadvertendum enim*] Sed primò subordinata non pugnant: Nec fines secundarij qui videntur hîc annotari tollunt primarium quem ante proposuimus, & ad quem attendebat Christus cum dixit, *Sine nunc; ita enim decet ut compleamus omnem justitiam.* Deinde non videtur hic fuisse scopus Christi, prævenire sc: nequid *populus de aliqua ipsius à Iohanne dissensione suspicaretur*; nisi statuamus Christum scopum hunc quem intenderat assequutum non fuisse; nam illi nihilominùs suspicioni locum fuisse ex diverso utriusq; instituto, non uno loco docet Euangelium:

Quia venerat Johannes neque manducans neque bibens, dicebatur vulgo, *Dæmonium habet*; sed de Christo minus scrupulosé cum omnibus conversante, id ferebatur, *Ecce homo edax & vini potator, publicanorum amicus & peccatorum*, Matt: XI, 18.19. Imo ipsius-met Johannis discipuli aliquid dissensus subesse putarunt inter Christum & suum præceptorem, eo quod ipsi & discipuli Pharisæorum frequenter jejunarent, neutiquam vero discipuli Christi Matt: IX, 14.

Aliter ægrè homines] At hoc *ægrè* accidisse ipsiusmet Johannis discipulis, satis liquet ex Joh: III,26 ubi narrant suo præceptori non sine quodam cordolio, quomodo Christus quoque baptizaret & omnes ad eum venirent: Id quoque *ægrè* accidisse Pharisæis, quod Christus plures discipulos faceret & baptizaret quam Johannes liquet ex Joh:IV,1.

Deinde voluit Christus] Sed præterea quod hæc ratio vix differt à priori, non poterat Christus aliter hoc suo facto subtrahere peccatoribus materiam *dubitationis de salute, quam ipse adeptus est, consequenda*, quam eo sensu qui explicatur à Grotio *in 3. Matt.* his verbis; *Ipse per hanc ceræmoniam quæ nos populo Dei inserit, eidem populo velut concorporatus est, certosque suo exemplo fecit omnes qui ut oportet baptizantur apertæ ipsis regiæ cœlestis, ac consequendi spiritus & juris filiorum Dei*: quod sanè nihil aliud est dicere, quam quod inficiabatur supra Volkelius, Christum hoc suo exemplo omnes omnium ætatum homines ad Baptismum ceu Januam fœderis Ecclesiæ & cœli obstrinxisse. Sed longè nervosiùs & solidiùs fines baptismi à Christo suscepti explicantur ab Hieronymo *ad 3. Matth.* quam à Novatoribus istis, quibus hæc una cura τῇ ἀσεβείᾳ δουλεύειν. *Triplicem ob caussam*, inquit ille, *Salvator à Ioanne accepit baptismum; primum ut quia homo natus erat omnem justitiam & humilitatem legis impleret: Secundò ut baptismate suo Ioannis baptisma comprobaret: Tertiò ut Iordanis aquas sanctificans per descensionem columbæ, Spiritus Sancti in lavacro credentium monstraret adventum*; ac insuper doceret, quod *si Deus ab homine accepit baptisma, nullus à conservo dedignetur accipere*; Addo ex aliis quartam rationem, voluisse Christum suo exemplo, perennem authoritatem conferre Sacramento baptismi.

CAP: IX.

In quo ostenditur, quàm diu Iohannis officium duraturum fuerit.

IAm ut, quàm diu Iohannes personam istam gesturus fuerit, intelligamus; constat, eum non nisi ad illud tempus functionis suę rationem producturum fuisse, quo Christus jam plenè officii sui munus exequeretur. Cum enim illum Christi præcursorem, totumque adeò ipsius officium præparationem quandam fuisse constet earum rerum, quæ à Christo mox subsequuturo suscipiendæ ac perficiendæ erant; parumné liquet, Christo jam officium suum ingrediente, præcursoris munus paulatim cessasse? (*Ioh: 3. 22. & d.*) Ideo autem Iohannis ministerium tunc cessasse dicimus, cum Christus plenè munus suum exequeretur, quòd Ioanne adhuc libero, & quasi reliquias sui muneris persequente, Christus jam publicè suam disciplinam tradere cœpit: plenissimo autem ore, plurimisque & admirandis operibus eam tunc demum & promul-

promulgavit, & confirmavit, cùm Iohannes in carcerem conjectus esset. Is enim in carcere demum, illius miraculis auditis, duos discipulos misit, qui ipsius nomine eum illum esse, qui ventruus erat, testificarentur, frustraque alium expectari. (*Matth:11.*) Christus autem respondens, miraculaque sua enumerans, haud obscurè indicat, se Ioannis testimonio non ampliùs indigere. Clarissimè enim apud Ioannem Euangelistam opera sua Ioannis testimonio præponit, cum ait: (*Ioh:5.16.*) *Ego habeo testimonium majus Ioanne. Opera, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ea ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Quòd verò Ioannem reliquias officii sui tunc peregisse dicimus, cùm Christus Euangelium prædicare inciperet, id verissimum esse inde patet, quòd cùm omnes sese ad Christum conferrent, Joanne quodammodo neglecto, ipse Ioannes discipulis suis tanto Christi splendore offensis,
& æmulatione quadam pro præceptoris sui dignitate æstuantibus respondit, 53.
illum crescere, se autem decrescere oportere, (*Ioh:3.26,27,30.*) id est, sibi suæque doctrinæ, ut inchoatæ atque imperfectæ, loco cedendum: Christi verò disciplinam ac religionem quotidie magis magisque amplificandam esse. Nec mirum, cùm Iohannes nec solidam pœnitentiæ disciplinam, ut suprà diximus, populo explicuerit ac præscripserit; nec, quæ vera esset peccatorum condonatio, satis aperuerit; nec suam doctrinam ullo corroboraverit miraculo; nec denique eo baptismo homines initiaverit, cujus virtute in pietatis studio continerentur; sed omnes ad Christum rejecerit, qui quibus in rebus vera pœnitentia peccatorumque remissio constituta esset, luculentissimè nos edocuit; qui portentis miraculisque post hominum memoriam inauditis, salutarem suam disciplinam confirmavit; qui denique non in aqua, sed in spiritu & igne baptizando, (*Matth:3.11.*) tantum suis addidit virium, ut statum suum cum firmissima fide ad extremum tueri possent.

‡ *Nec mirum, cum Iohannes*] Sophisma est à non causa ut causa: Ratio enim vera cur decrescere debuit Johannes crescere Christus, non aliundè debet arcessi, quam ex eo quod servus domino, phosphorus soli, præcursor ipsi Regi, cedere debebat. Aliàs ipsi Johanni fit injuria si statuatur *solidam pœnitentiæ disciplinam* non explicasse; cùm nec aliam μετάνοιαν Christus & Apostoli urserint qnam Johannes, nec alios convenientes pœnitentiæ fructus à suis auditoribus exegerint. *Satis* quoque *aperuit*, pro ratione muneris sui præcursorij, *quæ vera esset peccatorum condonatio*, dicendo populo ut crederent in eum qui post se venturus erat Act: XIX,4. & Christum indigitando sub hoc elogio, *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi* Joh: 1,29. Nec potuit ejus baptismus alius esse quam ipsorum-met Apostolorum Christi, cujus nempe vis & efficacia omnis est à baptismo flaminis & Spiritu Christi. Si itaque baptismum Johannis præcisé, ut ab ipso externè administrabatur, consideraverimus, admittimus ultrò quod de eo dicit Volkelius, videlicet ad regenerationem perficiendam nullius eum virtutis fuisse: prout & in baptismo nostro minister nihil de suo confert præter aquam & *σαρκὸς ἀπόθεσιν ῥύπου*

 uti.

uti dicitur 1 Pet: III, 21. At si idem baptismus Joannis consideretur, ut à Deo præscriptus & institutus ac solemni ejus munitus promissione, dubium non est quin Christus in illo vim & efficaciam Spiritus sui exeruerit: Aliàs non potuisset baptizasse *in remissionem peccatorum*, uti eum fecisse legimus Luc: III, 3. Ideo Basilius non perperam monet quod qui baptizabatur à Johanne in Jordane, εὐθὺς ἐλάμβανε τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων, *illicò remissionem peccatorum consequebatur*, *Orat. Quomodo aliquis baptizetur baptismo Euangelij*. Et Ambrosius *lib.* 1. *de Spiritu Sancto, cap.* 3. *Ioannes in remissionem peccatorum in advenientis Iesu, non in suo baptizavit nomine.* Hóc quoque notavit Prudentius *Cathemer. hymnō* 7. ubi de Baptismo Joannis sic loquitur;

Hortator ille primus & doctor novæ
Fuit Salutis; nam sacrato in flumine
Veterum piatas lavit errorum notas:
Sed tincta postquam membra defæcaverat
Cœlo refulgens influebat spiritus.
Hoc ex lavacro, labe demptâ criminum
Ibant renati; &c.

Sed omnes ad Christum] Hoc utique debuit facere, tanquam illius præcursor; & quem non minus Christus superabat quam lenta solent viburna cupressi, utpote qui fons esset & author illius salutis, cui viam præparandæ Joannes venerat, quam longè dilucidiûs & maxima cum miraculorum gloria erat ipse in posterum annunciaturus, & à quo omnis sui ministerij & baptismi efficacia unicè penderet.

Qui denique non in aqua] At etiam Christus eundem aquæ baptismum, nobis commendavit & mandavit; licet illius omnis efficacia ab igneo ejus Spiritu pendeat. Quod enim Johannes dicebat olim, id etiamnum hodie quilibet administer baptismi aquei usurpare debet, *Ego quidem baptizo vos aquâ*, sed *qui venit post me, ipse baptizabit vos Spiritu Sancto & igni* Matt: III, II. Subministramus aquam, ipse Spiritum; distribuimus in Sacra Cœna panem Domini ore manducandum, ipse erogat fidei Spiritu suo panem Dominum.

Quod cum ita sit, palàm est, Iohannis officio nullum ampliùs locum esse. Qua de caussa & Paulus (*Act:13.25.*) Iohannem tunc, cum omnes ad Christum rejiceret, cursum suum absolvisse testatur. Ex quibus simul colligitur, Iohannis muneri neminem successisse, ita nimirum, ut tanquam illius vicarius, pari autoritate, eodemque pœnitentiæ baptismo, homines in ipsius disciplinam reciperet. Quòd enim Apostoli ante Christi mortem vel resurrectionem baptizando, Iohannis vicem obiisse à quibusdam dicuntur, falsum est: cum Iohanne adhuc vivente, munerisque sui officium administrante, Iesu Christi discipulos jam baptizasse, & Iohannem propterea decrescere, Christum contrà crescere cœpisse videamus: (*Ioh:3.22.26.*) quod unum ad errorem istum refellendum satis est; nisi & hoc insuper considerandum putamus, quòd ad Iohannis successorem constituendum, omnibusque declarandum, expressum requirebatur Dei mandatum: Apostolos autem vi mandati divini ad baptizandum impulsos, nihil planè constat. Probabilius est, eos Iohannis imitandi studio incitatos baptizasse, Christo pro sua sapientia consentiente, in re præsertim indifferente, & illi hominum generi adeò jam familiari, ut tam subitò abrogari sine gravi offensione vix aut ne vix quidem posset.

2 *Qua de causa*] Non ibi dicit Paulus quod *tunc* Johannes cursum suum absolvisset; sed quod in suo curriculo continuando & implendo, ceu Christi præcursor omnes ad eum remiserit: In eo non finis & terminus proponitur cursus Johannei, sed summa & scopus totius curriculi ipsius.

Ex quibus colligitur] Id equidem verissimum. Sed ut qui hodie in Ecclesia Christi pœnitentiæ studium & necessitatem inculcant, id non faciunt tanquam Johannis *vicarij*, sed tanquam præcones verbi Divini; sic baptizantes, ut fecerat Joannes, in resipiscentiam & remissionem peccatorum, id faciunt prout & ipse fecerat, ex Domini mandato & instituto, & tanquam illius unius ministri, quos mysteriorum suorum dispensatores constituit 1 Cor. IV, 1.

Quod enim Apostoli] Hoc nihilominùs verum est Apostolos baptizando *ante Christi mortem vel resurrectionem*, non quidem *Ioannis vicem obiisse*, aut in illius munus specificè præcursorium successisse, cùm fuerit extraordinarium & ipsi personale; sed tamen in eodem munere genericè sic dictum continuasse tam prædicando resipiscentiam & fidem in Christum, quam in ejus nomine baptizando: cum hoc solum discrimine quod Johannes baptizabat in ejus nomine qui post se venturus erat, Apostoli verò Christi idem cæteroquin baptisma administrabant in nomine ejus qui à Johanne designatus jam manifestabatur Israeli; Ut enim perperam colligas ex eo quod Johannes in suo munere personali & extraordinario nullum potuit consequi successorem, fuisse alterius ordinis & naturæ ab ea quam prædicabat & baptismo obsignabat, tum resipiscentiam tum remissionem peccatorum quam Apostoli ante & post resurrectionem Christi annunciarunt, non utique ut vicarij vel successores Johannis, sed ut participes cum ipso ejusdem genericè sic dicti ministerij Christi; sic ob finitum Joannis morte ipsius personale munus, frustrà statueris alterius ordinis & naturæ ab eo quem conferebat, fuisse baptismum ab Apostolis Christi ante & post illius resurrectionem celebratum: Eadem utrobique fuit & pœnitentia ac remissionis peccatorum annunciatio, & administratio Baptismi si rei substantiam spectemus; Sed aliqua fuit diversitas in circumstantiis; quod Johannes ex singulari officio omnia hæc sua ordinaret ad Christum qui post se venturus erat, cujusque erat præcursor; Apostoli vero ad Christum qui jam venerat post Johannem & manifestatus erat Israeli & à quo hoc ministerium acceperant.

Apostolos autem vi] Mandatum Christi proculdubio acceperunt, non ut Johanni succederent in munere ipsius specifico quod personale erat, & paulatim imminuebatur exhibitione Christi, sed ut eundem ritum baptismi initialem N. F. continuarent. Cùm enim expressé dicat Scriptura quod Christus *baptizabat*, nempe manu & ministerio suorum discipulorum Joh. III, 22. 26. IV, 1. nemo sanus potest dubitare quin *vi mandati* Christi Apostoli id præstiterint. Id enim faciebant ut ministri Christi; ergo non tantum ex illius tacito consensu in re indifferenti, ut nugatur Volkelius, sed ex aperto illius mandato; aliàs non posset dici id fecisse quod illi faciebant, nisi juxta vulgatum illud, Quod quis per alium facit, id ipse fecisse censendus est: Cùm enim dicitur de Christo quod baptizabat, debet intelligi, judice Tertulliano *de Baptis. simpliciter dictum more communi, sicut est v. g. Imperator posuit edictum, aut præfectus fustibus cæcidit: Numquid ipse proponit; numquid ipse cædit? semper is dicitur cui præministratur.*

Probabilius est eos] Imo id ipsum est omninò improbabile, eò quod ipse Christus hoc per illos fecisse dicatur. Non ergo simpliciter ex imitatione Johannis; aliàs

aliàs id non ægrè laturi fuissent Johannis discipuli; sed ex ipso expresso mandato Domini, qui ritum à Iohanne cœptum usurpari, non *abrogari* ullo modo, sed è contrario in pepetuum continuari, licet cum aliqua circumstantiarum immutatione, volebat.

Verumtamen tum Johannis baptismum abrogatum, tum baptismum hunc Apostolorum immutatum fuisse, postquam Christus in cælum sublatus est, hinc perspicuum est, quòd tunc non nisi in Christi nomen baptizari cœpit, id quod antea nec à Johanne, nec à Christi discipulis factitatum erat: cùm necdum in Christi nomen vitæ correctio peccatorumque venia prædicaretur. (*Luc*: 24. 47.)

‡ *Verumtamen tum Iohannis*] Agnosco aliquid immutatum in Baptismo post ascensionem Christi: Nam exinde juxta illius præscriptum Matt:XXVIII,19. cœpit magis distinctè & explicitè administrari in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti, atq; in similitudinem mortis & resurrectionis suæ jam factæ Rom:VI,3.4.5. Sed quemadmodum Baptismus quem Christus per suos Apostolos ante suam mortem administrari curabat, substantiâ & re conveniebat cum baptismo eorundem Apostolorum quem contulerunt post ascensionnem ipsius, licet forte nonnisi implicitè ille conferretur in nomine SS. Trinitatis, & solum interpretativè ad mortem ac resurrectionem Domini respiceret;ita etiam re & substantiâ prior ille Apostolorum Christi baptismus conveniebat cum Baptismo Iohannis, licet in quibusdam circumstantiis differrent: Ut enim Sacra Cœna quam Christus instituit pridie suæ mortis, eadem est cum illa quam hodie celebramus in Ecclesia, licet illa respiceret instantem Christi mortem quæ erat adhuc in fieri, nostra respiciat Christi mortem quæ jamdiu facta est; sic etiam idem est hodiernus noster baptismus cum eo quem Apostoli Christi administrabant ante illius mortem, ut & hic idem cum eo cujus ministerium fuit Iohanni speciali modo commissum: Nam licet Baptismus Iohannis dirigeret ad Christum jamjam venturum; & prior Baptismus Apostolorum, ad Christum jam exhibitum & moriturum; noster vero respiciat Christum qui mortuus est pro peccatis nostris & resurrexit propter justificationem nostram; attamen prout unus idemque est utrobique Christus, sic utrobique idem essentiâ baptismus debet intelligi: cujus per consequens triplex status assignari potest; inchoationis sub Iohanne, continuationis ante mortem Christi per ejus discipulos, & perfectionis post illius resurrectionem: Natus est hic ritus sacer sub Iohanne, adolescere cœpit discipulorum Christi ministerio ante illius passionem, & statam virilemque ætatem est consequutus post ascensionem Domini. Si obtineret quod dicunt Iudæi in tractatu *Iebamoth*, *cap*.8. perfectam rationem circumcisionis non innotuisse Abrahamo sed Iosuæ, eo quod Iosua ad resectionem præputij quæ מלה *milla* dicitur, adjecerit illam pelliculæ distentionem atque reflexionem, quæ cum fiat unguibus circumcisoris multo plus habet doloris quam ipsa resectio, & פריעה *perignah* appellatur, inde tamen non sequeretur circumcisionem Abrahami & Iosuæ, ob alicujus circumstantiæ differentiam, in re & substantia non convenire, aut illam minus fuisse quam hanc signum & sigillum justitiæ fidei. Est autem falsissimum quod hîc supponit Adversarius, quod ante ascensionem Christi *nec à Iohanne nec à Christi discipulis* baptisma *in nomen Christi*

Christi administratum fuerit: De Iohanne primùm dicam: Non potuit baptizasse in suo nomine: Quam enim id nemini liceat, patet ex dicto Pauli 1 Cor: 1, 15. Et cùm ipsius baptisma fuerit è cœlo Matt: XXI, 25. atque à Deo missus fuerit baptizatum Ioh: 1, 33. Luc: III, 2. utique debuit baptizare in nomine Dei à quo missus fuerat, adeoque saltem implicitè in nomine Sanctæ Trinitatis, cùm verus Deus, sit unus essentiâ trinus personis: Speciatim censendus est omninò baptizasse in nomine Christi, siquidem baptizando baptismo pœnitentiæ populo dicebat, ut crederent in venientem post se, hoc est in Christum Jesum Act: XIX, 4. Nec potuit baptizare in remissionem peccatorum Luc: III, 3. quin eoipso baptizaret in nomen Christi, cùm non sit aliud *nomen* datum sub cœlo per quod oporteat nos servari & consequi remissionem peccatorum Act: IV, 12. X, 43. Mutam fuisse totam hanc Johannis cæremoniam, nemo sanus censuerit; & Veterum nonnulli existimarunt, illum fuisse hac usum formulâ, *Baptizo te in nomine venturi Messiæ*; Ita Ambrosius *lib.* I. *de Spiritu Sancto cap.* 3. & Hieronymus *in cap.* 2. *Ioëlis*, quos Lombardus & plerique Scholasticorum sequuntur. Sed quid his immoramur? cùm Paulus Act: XIX, 4. 5. non solum dicat Johannem Baptistam monuisse suos auditores *ut crederent in eum qui veniebat post ipsum, hoc est in Christum Iesum*, sed etiam disertè asserat, quod qui è populo audiverunt Johannem, idest Johanni hæc annuncianti crediderunt, *baptizati fuerint in nomen Domini Iesu.* De Christi Discipulis multo minus negari possit eos in nomen ipsius baptizasse; cùm reverâ ejus Euangelium promulgarent: Nam ut nequit baptismus administrari, quin administretur in alicujus nomine, uti liquet ex 1 Cor: 1, 13. 15. sic non potest concipi Christi discipulos in alterius nomine baptizare ausos fuisse. Imò si Magister sententiarum audiatur, tunc baptizarunt *in nomine Trinitatis, scilicet in ea forma in qua postea baptizaverunt gentes*; *quæ* inquit ille *ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum*: *lib.* 4. *sent. dist.* 3. *lit. G.* Ratio vero quam temerariæ & omni fundamento destitutæ suæ assertionis vult Hæreticus nobis obtrudere, planè evanida est: Licet enim *necdum inter gentiles in Christi nomen vitæ correctio peccatorumque venia prædicaretur*, quod demum solenniter debuit fieri *apud omnes gentes incipiendo à Hierusalem* Luc: XXIV, 47. post resurrectionem illius, tamen statui non potest resipiscentiam & remissionem peccatorum à Johanne & Christi discipulis ante ejus resurrectionem & assumptionem in cœlum annunciari solitam, in alterius quam ipsius nomen annunciatam fuisse: tùm quia remissio peccatorum, cujus adjunctum necessarium & inseparabile est resipiscentia, nonnisi in Christo & per ipsum potest obtineri, ut ante dictum; tum quia prædicatio discipulorum Christi extra dubium fuit Euangelica & nominis Christi Matt: X, 7. 18. 22. Luc: X, 9. 16. 17. &, vel ex hypothesi ipsorummet adversatiorum, pertinuit similiter ad Euangelium Christi, (nam inde illius arcessunt initium) ministerium Johannis; unde Scriptor *Quæst. ad Orthod.* apud Iustinum *q.* 37. vocat baptismum Iohannis προοίμιον τ̃ εὐαγγελίου τῆς χάριτος; Euangelio autem nonnisi in Christi nomen, vitæ correctio & peccatorum venia prædicatur, nisi tale Euangelium comminiscantur Sociniani, à Iohanne & discipulis Christi annunciatum, quod tamen Euangelium Christi dici non possit.

Et quidem ut clariùs pateat, nequaquam Iohannem in Christi nomen baptizasse, illud attentè considerandum est, quod de duodecim illis discipulis, in quos Paulus Ephesi inciderat, memoriæ proditum est. (*Act: 19. 3. 5.*) Hi enim 54.

cùm sese Iohannis baptismo initiatos dicerent, Paulo id procurante, in Christi demum nomen baptizabantur; ut facilè intelligi possit, Iohannis baptismum, non solùm in Christi nomen administratum minimè fuisse: sed etiam altero hoc invalescente, illum prorsus corruisse.

‡ *Et quidem ut clariùs*] Imò hic locus jugulum petit causæ adversariorum: falsum enim est hos baptismo Johannis initiatos, postea iterum Paulo procurante in Christi nomen fuisse baptizatos; sed è contrario illìc docet Paulus quod qui auscultarunt Johanni Baptistæ dicenti ut crederent in eum qui venturus erat, fuerint ab ipsomet Baptista baptizati in nomen Domini Jesu: Referam verba Pauli apud Lucam, com. 4. & 5. εἶπε δὲ Παῦλος, Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας, τῷ λαῷ λέγων εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν ἵνα πιστεύσωσι, τουτέστιν εἰς τὸν χριστὸν Ἰησοῦν: ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. Tota series ostendit non minus esse Pauli ultima hæc verba quam priora, quandoquidem in ultima pericopa particula δὲ respondet particulæ μὲν quæ præcesserat in prima; Aliàs hiulca erit tota hæc oratio, & planè ἀνανταπόδοτος. Quid quod hæc verba de re præterita agunt, non verò de eo quod tum in præsenti fecerit Apostolus: qui cum videret hos, licet baptizatos baptismo Johannis in nomen Christi, (quanquam id non satis ipsi intelligerent,) nescire an esset Spiritus Sanctus, hoc est num ejus Charismata communicarentur credentibus & baptizatis in nomen Christi, postquam juxta ritum rudes catechisandi eos edocuit de natura & indole baptismi quem susceperant cum à Johanne baptisati fuerant, illis manus imposuit ad ea Charismata conferenda, quæ num baptizatis Christianis communicarentur necdum noverant. Non nescio aliòs aliter respondere ad hunc locum, imò Vossium *Disput.* 8. *de baptismo* §. 33. hanc nostram interpretationem ut novellam nimis, quippe natam se nato, & à Marnixio Sanctæ Aldegondiæ Domino, Bezæ primum suggestam, respuere: Sed cum Veteres non omnia viderint circa Scripturæ sensum, nimis durum foret nihil admittere in eo genere quod Antiquitatis testimonio non esset suffultum; Neq; id debent exigere Sociniani, quibus nihil magis in usu quam à Veteribus diffidere: Et quamvis de loco Lucæ desint nobis Veteres, de re ipsa tamen quidam ex illis satis apertè veritati adstipulantur: Unus instar omnium esto Ambrosius *lib.* I. *de Spiritu Sancto, cap.* 3. *Ioannes in remissionem peccatorum in advenientis Iesus non in suo baptizavit nomine*: Ideo negat hos duodecim à Johanne fuisse baptizatos; nam ita porrò loquitur: *Et ideo Spiritum nesciebant, quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Iohannes baptizare solebat, acceperant.*

Quid verò de illis tribus hominum millibus dicam, quos omnes Petri Apostoli jussu in Christi nomen baptizatos fuisse palàm est? (*Act:*2.41.) cum jam antè saltem aliquos ex illis à Ioanne baptizatos fuisse, ideo perquam sit verisimile, quòd ad illius baptismum omnem Hierosolymam, omnemque regionem Iudaicam confluxisse, scriptum legamus. (*Matth:*3.5.) Nisi igitur istos bis unum eundemque baptismum temerè subiisse volumus; fatendum est, Iohannis baptismum, nec in nomen Christi ab illis susceptum antea fuisse, nec posteriore isto vigente necessarium ampliùs fuisse.

Quid

‡ *Quid vero de illis tribus*] Sed neque in hoc argumento plus est virium quam in præcedenti: maximè cum procedat ab eo duntaxat quod *verosimile* videtur. Iam alij ante Socinianos has ratiunculas collegerant, quas refutatas videre est à nostro Chamiero *Panstr. tom. 3. lib. 5. cap. 13.* Nos paucis expediemus: Primùm etsi aliqui ex illis neophytis non satis instructi de baptismi irreiterabilitate, aut baptismi Iohannis cum eo quem conferebant Apostoli identitate, denuò curassent se ab Apostolis baptizari, licet prius tincti à Iohanne, hic eorum error nec patrocinaretur Anabaptismo, nec Volkelij causam statuminaret: cùm nemo sanus ab eo quod perperam factum sit, possit quicquam circa quæstionem juris validè concludere. Deinde non est ita verosimile ut suspicatur Hæreticus, quosdam ex his tribus millibus jam antea a Ioanne fuisse baptizatos: Nec enim sic *omnis Hierosolyma* accesserat ad baptismum Iohannis, ut nulli superfuerint in urbe quos quadriennio post baptizarent Apostoli; Hic enim, ut inquit Emanuel Sà, *utitur Scriptura modo loquendi vulgari; Sic enim solemus dicere, Tota civitas concurrit, id est maxima pars civium.* Et præterea illi ter mille homines in prima Pentecoste baptizati, non tam Hierosolymitani fuêre quam Parthi, Medi, Elamitæ, Cappadoces, Mesopotami, Romani, similesque exteri & peregrini, qui propter festum maxima sui parte Hierosolymas venerant; quamvis nolim negare etiam multos ex illis Hierosolymis propter religionem suas sedes fixisse.

Illud etiam magnum huic veritati presidium affert, quòd cùm Iohannis baptizandi partes exequeretur, dubitatio quædam populo injecta erat, num ipse Christus esset, nec ne. (*Luc: 3.15.*) Cui dubitationi nullus locus fuisset, si in Christi nomen baptizasset. Quis enim ita omni humano sensu orbatus fuisset, quin ex hoc ipso intelligeret, eum Christum minimè esse? Quid quòd Christum in suum ipsius nomen baptizatum a Iohanne fuisse, consequens esset. quod quidem absurdissimum esse, quis non animadvertat?

‡ *Illud etiam magnum*] Sed minus adhuc video præsidij in hac observatione quam in superioribus. Etenim illa subdubitatio populi de Iohanne num fortè ipse foret Christus qui tum expectabatur, antecedenter se habebat ad ipsius baptismum visum vel susceptum, non consequenter; Qui eminùs audiebant virum Sanctum in deserto Iudææ novo ritu hominibus annunciare pœnitentiam & remissionem peccatorum, subdubitabant apud se num fortè ipse futurus esset promissus Messias: sed qui hoc præjudicio occupati cominùs accedebant, audiebant eum se profitentem Messiæ prodromum & baptizantem in nomen ejus qui post se venturus erat, ac baptizaturus suos Spiritu Sancto & igne: Aliàs cum ille ipse sermo qui versiculo immediatè sequenti tribuitur Iohanni, *Ego vos baptizo aquâ* &c. sit habitus post baptizatum Christum ad Primorum ac Pharisæorum legatos, sciscitantes ab ipso num esset Christus, facilè inde liquet illam subdubitationem populi de Iohanne non fuisse eorum qui coram interfuissent, sed eorum qui cum occasione rumorum de ipso disseminatorum, in eam suspicionem devenissent, illum fortè esse Messiam, his suis subdubitationibus Primores populi moverunt ad mittendos Iohanni suos legatos qui coram cum ipso agerent & rem totam propiùs cognoscerent.

Quid quod Christum] In eo nihil est difficultatis, quod non viderint & expediverint quidam Veterum: Nam Gregorius Thaumaturgus, *in Sancta Theophania*, sic Baptistam introducit loquentem;

tem; *Alios dum baptizo, baptizo in nomen tuum, ut credant in te venientem cum gloria. At te baptizans cujus faciam mentionem? In cujus te nomine baptizabo? An in nomine Patris? At eum totum habes; An in nomine Filij? At non est præter te alius naturâ Filius Dei; An in nomine Spiritus Sancti? At semper unà tecum est.* Quare dubium non est quin Christus ut suscepit nostrum baptisma, illud nobis consecraturus in sua persona, juxta illud Authoris *de baptismo Christi* apud Cyprianum, *Veniebat Christus ad baptismum, non egens lavacro in quo peccatum non erat, sed ut Sacramentis perennis daretur authoritas;* sic etiam eodem ritu baptizatus fuerit quo reliqui, qui in nomine Trinitatis, saltem implicitè, baptizabantur; Quod nihil absurdi continere facilè reputabimus si cogitemus illum quà hominem potuisse baptizari in nomine Patris Filij & Spiritus Sancti. Et si quid adversarijs videtur in eo minus conveniens quod Christus fuerit *in suum ipsius nomen* baptizatus à Johanne, pari igitur ratione negent Christum debuisse baptizari baptismo resipiscentiæ in remissionem peccatorum, cujusmodi erat baptismus Johannis; siquidem neutra in ipsum cadere potuit. Et cùm in alicujus nomen conferretur baptisma Johannis, in illud nomen Christus ipse debuit baptizari. Longè autem præstat dicere Johannem baptizasse in nomine Christi quam in suo; & multo absurdius foret Christum in nomen Iohannis fuisse baptizatum, quam in suum. Ad hæc sicut Christus instituendo Eucharistiam comedit panem & ebibit poculum Eucharisticum, quorum utrumque dabat suis Apostolis in sui memoriam, licet non comederit nec biberit formaliter in memoriam sui & in symbolum effusi pro se ipso sui cruoris; ita etiam cùm baptizaretur à Johanne, eo quidem baptismo materialiter tingebatur qui in suo nomine resipiscentiæ & remissionis peccatorum obsignandæ gratiâ administrabatur, licet formaliter non fuerit baptizandus in suo nomine ad remissionem peccatorum suorum: quia alio fine huic ritui subjicere se voluit ac debuit quam reliqui, videlicet ut eum nobis in sua persona consecraret, illum nobis suo exemplo commendaret, & per eundem populo baptizato concorporaretur; ut debuit populo circumciso per circumcisionem coadunari & incorporari.

Adde etiam illud, quòd Iohannes eos baptizabat, qui Christo nondum fidem adhibuerant, & ideo illos, ut in Christum crederent, admonebat. (*Act:19.4.*) Atqui ad hunc Apostolorum baptismum nemo admittebatur, quin palàm & apertè se in Christum, non quidem futurum, sed præsentem credere profiteretur. Cujus rei maximum argumentum illo sermone continetur, quam hac de re Philippus cum Eunucho habuit. *Quid*, inquit Eunuchus, *prohibet me baptizari? Philippus, si toto animo credis, inquit, licet. Credo, inquit ille, Iesum esse Christum filium Dei.* (*Act:8.36,37.*)

‡ *Adde etiam illud*] Agnosco aliquod discrimen in circumstantiis inter baptismũ Johannis & nostrum; in eo potissimum, quod noster administretur in nomine Christi, plenè exhibiti & qui jam pro nobis passus est & resurrexit ex mortuis; ille verò conferretur in nomine Christi jamjam exhibendi, & quem digito monstrabat Johannes dicendo, *Hic est agnus Dei qui tollit peccata mundi;* sed non magis essentiale est illud discrimen, quam id quod intercedit inter eam Sacram Cœnam quæ hodie celebratur in Ecclesia, & illam quam primò manducarunt Apostoli pridiè

quam

quam Christus pateretur; Hæc enim spectabat mortem Christi mox sequuturam; nostra verò mortem Christi jamdiu consummatam. Ita qui adulti baptizantur post ascensionem Christi, profitentur se credere in Christum jam exhibitum & defunctum opere Redemptionis nostræ; at qui baptizabantur à Johanne, imò post Johannem sublatum à Christi discipulis ante illius Passionem, profitebantur se credere in Christum vel statim exhibendum, vel paullò post consummaturum quod ad remissionem peccatorum & salutem nostram conficiendam requirebatur: Quare Johannes non baptizabat *eos qui Christo nondum fidem adhibuerant*, ut mentitur Volkelius; sed eos qui se offerebant baptizandos priùs catechizabat & monebat ut crederent in eum qui post se veniebat, nempe in Jesum Christum Act:xix,4. Non priùs Johannes baptizabat quam docebat: Catechismus & adhortatio baptismum debebat præcedere: Cùm ergò illos quos esset baptizaturus admoneret *ut in Christum crederent*, eo ipso censendus est neminem baptizasse qui non profiteretur se fide amplecti beneficium Messiæ jam-jam exhibendi, idest remissionem peccatorum per ipsum.

Sunt autem, qui ex hoc ipso effici putant, Iohannem in Christi nomen baptizasse: quòd auditores suos admonuit, ut in eum, qui venturus erat, Christum crederent. *(Act:.19.4.)* Verùm eos vehementer falli, istud manifestò indicat, quòd non requisierit Ioannes à suis auditoribus, ut jam tum in Christum crederent, etiam antequam is sese patefecisset, & munere suo publicè fungi cœpisset: sed ut tum, postquam ille venisset, & officium suum obire cœpisset, id facerent. Ad id verò, ut quispiam in Christi nomen baptizetur, illud requiritur, ut baptismum suscipiendo profiteatur, se in Christum jam credere, & sacrosanctam ejus disciplinam amplecti. 55.

‡ *Sunt autem qui ex hoc*] Et meritò id pertendimus: Nec enim Johannes stipulabatur fidem in futuro, sed in præsenti; licet ea fides in præsenti adjungenda esset Christo jam jam apparituro: Si enim illi non ante debuerunt in Christum credere quam Prophetico suo munere personaliter defungi cœpit, utique neque nos amplius deberemus in illum credere, quippe qui illum personaliter nobis concionantem non audiamus. Et cùm non fide futurâ sed præsenti fuerit opus ad resipiscentiam & remissionem præsentem peccatorum quæ obsignabatur in baptismo, utique non ad fidem in futurum, sed ad fidem in præsens invitabantur à Johanne. Aliud est non esse loco vel tempore præsentem rem creditam, aliud est fidem erga vel circa illam non iam requiri præsentem, sed demum ubi ea patefacta fuerit: Ex hoc principio non debent Sociniani inpræsentiarum credere Resurrectionem mortuorum & vitam æternam, sed demum ubi illę apparuerint; licet dixerit Apostolus Heb:xi,1. fidem esse demonstrationem vel elenchum rerum quæ non videntur, & Christus pronunciarit Thomæ beatum eum qui non viderit & crediderit Ioh:xx,29. Habent isti homines manus oculatas, id demum credunt quod vident. Etiam apud Habacuk ii, 4. uti locus citatur Heb: x, 37. 38. fides in præsenti, ceu patientiæ necessariæ firmamentum, exigitur erga eum de quo ibidem dicitur, *Adhuc modicum & qui venturus est veniet & non tardabit.* Quin fideles sub V.T. eâ fide servati sunt & Christum venturum amplectebantur, quâ nos sub N.F. Christum exhibitum suscipimus ad salutem. Sed aliud hic latet myste-

mysterium iniquitatis; nempe non aliter fidem deberi Christo quam ratione muneris sui Prophetici, & inquantum nobis Dei promissiones & gratiam annunciavit, non verò ratione muneris sui Sacerdotalis, & quatenus nobis suâ obedientiâ & morte vitam & salutem æternam acquisivit. Uno verbo, ut largimur id requiri ut quicunque baptizatur *in Christi nomen*, *profiteatur se in Christum jam credere & sacrosanctam ejus disciplinam amplecti*, ita pertendimus neminem à Johanne baptizatum fuisse, qui non profiteretur eo ipso se jam in Christum mox appariturum credere, & sacrosanctam ejus disciplinam, prout jam ab ipso Johanne proponebatur, amplecti velle. Licet enim nondum Christus *sese patefecisset* præconio personali Euangelij, tamen jam in illum mox patefaciendum & remissionem peccatorum resipiscentibus promissam suâ obedientiâ confecturum, credere & potuerunt & debuerunt quotquot & resipiscentiæ beneficium à Deo erant consequuti, & consequi voluerunt peccatorum suorum remissionem ab ipso.

CAP. X.

De ipso Christi Prophetico munere.

‡ *Respondente ad hoc & sequens caput* PHILIPPO JENOTEAU, Sedanensi.

Consequens nunc est ut quoniam satis de Iohannis officio explicavimus, tandem ad prophetici Christi muneris considerationem nos applicemus. Primò igitur illud animo recolendum est, quod suprà diximus, hoc Christi officium in divinę voluntatis consistere, tum annunciatione, tum confirmatione, ab ipso, dum in terris fuit, peracta. Sunt quippe & aliæ ejusdem rei confirmandæ rationes, divinis literis consignatæ, de quibus suo loco agendum nobis erit.

‡ *Primò igitur*] Christi Propheticum munus nimis angustis cancellis hîc includitur: Etenim ut lubens do hîc describi istius officij externam administrationem à Christo in carne versante, sic nego, Primò hujus officij exercitium ad ea tempora restringendum per quæ Christus *in terris fuit*, & personaliter tanquam circumcisionis Minister, uti dicitur Rom: xv, 8. voluntatem divinam annunciavit & variis signis confirmavit. Etenim Christus, ut pote Angelus fœderis & faciei, summus Doctor atque Propheta Ecclesiæ fuit ab initio mundi, & manebit in æternum. Ideo dicuntur veteres Prophetæ acti fuisse à Spiritu Christi prophetico qui in ipsis erat 1 Pet: 1, 11. adeo ut ipsemet in Spiritu profectus, Noæ quem afflabat ministerio, ad resipiscentiam quondam invitarit rebelles illos spiritus qui nunc æterno carceri mancipati tenentur 1 Pet: III, 19. 20. Et absolutè statuitur esse unicus noster Doctor Matt: XXIII, 8. 10. Et cùm omnes Christiani debeant se Christi discipulos profiteri, etiam postquam in terris corporaliter esse desijt, illum eo ipso pro summo suo Propheta & Doctore debent agnoscere: Nego secundò, totum munus Christi Propheticum situm esse in sola *Divinæ voluntatis tùm annunciatione* orali & externa, *tùm confirmatione* per miracula: Nam etiam suos docet internè efficaciâ & lumine Spiritus sui sancti, qui de suo accipit & renunciat nobis Joh: XVI, 14. Et in eo superat omnes alios Prophetas quanta-vis celebritate commendentur: Illi enim nihil aliud possunt quam sono verborum suorum aures hominum

hominum perstringere; at hic corda penetrat, illisque inscribit sua verba: Illi student suadere; sed hic potest tanta cum vi persuadere, ut pluribus catenis corda pertrahat, quam olim Hercules Gallicus, auditorum suorum multitudinem per catenulas ex ore suo prodeuntes sibi subjiciebat; Et potissimùm internæ illius institutionis respectu, completur per Christum id quod scriptum est in Prophetis, *Et erunt omnes edocti à Deo* Joh: vI, 45.

Ac divina quidem voluntas, quam oratione complectimur, novo illo fœdere continetur, quod Christus Dei nomine nobiscum fecit; & ideo ejusdem fœderis sequester, seu mediator appellatus est. (*Hebr:8.6.9.10.&12.24.*) Cùm autem mediator, ut inquit Apostolus, (*Gal:3.20.*) non sit unius, omnisque fœderis ratio duas requirat partes, quarum altera sibi alteram amoris conjunctione devinciat; idcircò & in hoc fœdere una ex parte Deus fuit, qui pro immensa sua benignitate hominibus hoc sanctissimum pactum deferret; ex altera parte homines constiterunt, qui tantam tamque admirabilem Dei bonitatem gratissimâ mente complecterentur: Christus verò, haud aliter ac Moses vetus illud fœdus cum Israëlitis a Deo feriens, (*vid:sup:lib:2.*) medius inter Deum hominesque stetit, & tanquam inter nuncius, quid Deus ante mundi fabricationem de nobis decrevisset, ipsius jussu atque imperio exposuit.

‡ *Ac divina quidem*] Primò cùm viguerit Novum fœdus, (quod fœdus & Gratiæ & Euangelicum dicitur opposite ad fœdus Naturæ, quod est Legale & operum,) etiam ante tempora Christi in carne manifestati, debuit igitur jam tum illius sequester fuisse & summus Propheta. Deinde Christus *dum in terris fuit,* non tantum Euangelium annunciavit, sed etiam Legem inculcavit, explicavit, & à falsis Pharisæorum & Scribarum glossematis solidè vindicavit: Nec enim venerat ut legem dissolveret sed ut eam impleret Matt: v, 17.

[*Cùm autem Mediator*] Non satis exprimitur ab Adversario mens Apostoli: Satis enim res ipsa loquitur quòd omnis internuncius sit inter duos aliquo modo contracturos: ut hoc dicere superfluum, ne ineptum dicam, fuisset Apostolo. Sed aliò respicit: Mediatorem enim hic intelligit εἰρηνοποιὸν & reconciliationis: adeoque dicit Mediatorem non esse unius, idest non esse inter istiusmodi partes quæ unum sint amore, voluntate & consensu: sed quæ inter se dissentire & odio gravissimo in se mutuo flagrare intelligantur. Nam prout in omnibus linguis receptum est ut illi qui se mutuo diligunt unum esse dicantur; ita illi non censentur esse unum, sed inter se dissidere, quibus reconciliandis & unà conjungendis Mediatore sive internuncio opus est. Agnoscimus itaque fœdus per Mediatorem initum & restitutum inter *duas partes*; sed partes priùs inter se dissidentes *propter transgressiones*, ut loquitur Apostolus; ita ut illæ à Mediatore fuerint inducendæ respectu partis offendentis, & sufficienter reparandæ respectu partis offensæ, quo omnis illa inimicitia tolleretur cujus fit mentio Eph:II,15.16. Sed illud dissidium quod peccatum excitaverat inter partes fœderandas ac reconciliandas mediatione Christi, hîc subdolè dissimulat Volkelius, ne aliquid dicat quod satisfactionis pro nobis à Mediatore præstandæ necessitatem adstruere videretur.

Idcirco & in hoc fœdere] Duas illas partes

partes agnoscimus in hoc fœdere, sed quæ priusquam Mediatoris interventu reconciliarentur mutuo inter se odio conflictabantur: Eramus enim naturâ ob peccata nostra & per illa θεοστυγεῖς, ut loquitur Paulus Rom:1,30. idest Dei osores & exosi Deo, cujus oculi sunt mundiores quam ut aspiciat malum, idest ad illud conniveat, ipsumque velit inultum relinquere Hab:1,13.

Christus vero haud aliter] Nec Moses Mediator inter Deum & homines uspiam appellatur, quemadmodum monuimus ad *lib.2. cap.*10. & quamvis medius Moses steterit inter Deum & populum, Deum consulturus circa regimen & negotia populi, & ad populum Dei mandata & constitutiones relaturus, attamen multo *aliter* Mediatoris officio defungitur Christus inter Deum & nos: Nec enim solùm nos edocet de voluntate Dei & ratione quam inire dignatus est ad nostram salutem conficiendam, sed insuper placat Deum peccatis nostris iratum & pacem nostram conficit suo sanguine, utraque unum faciendo, & nos reconciliando Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam Eph: II, 14. 16. Uno verbo non fuit Christus Mediator Dei & hominum duntaxat per munus suum Propheticum, exponendo *quid Deus ante mundi fabricationem de nobis decrevisset*, sed etiam per munus suum Sacerdotale & Regium: Isto nos deducendo in omnem veritatem & sanctitatem Spiritu suo; illo nostra scelera expiando, &per sacrificiũ sui in cruce peractũ nobis impetrando redemptionem æternam Heb:IX,12. Hic vero duo notanda maximè veniunt: Primum est quod videatur adversarius totum Mediatoris munus in Christo restringere ad officium illius Propheticum; quâ ratione perire oportet officium Christi tum Sacerdotale tum Regium, imò debet Christus destitisse à Mediatoris munere; ex quo desijt esse in terris; siquidem juxta hypotheses Volkelij, nec officio Prophetico Christus defunctus est nisi *dum in terris fuit*, & quod Mediator ac sequester fuit inter Deum & homines, non aliud sonat quam quod pro munere suo Prophetico *quid Deus ante mundi fabricationem de nobis decrevisset, ipsius jussu atque imperio exposuit.* Cur non ergo pari ratione isti homines Paulum Apostolum facient Mediatorem Dei & nostri, cùm protestetur se non subterfugisse quominus exponeret & annunciaret *omne Dei consilium*, utique illius etiam jussu & imperio Act:XX,27. At vero *si esset mediator Paulus*, (verba sunt Augustini *contra epist. Parmen. lib.2. cap.8.*) *essent utique coapostoli ejus; ac si multi Mediatores essent non constaret Paulo ratio quâ dixerat, Unus enim Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Alterum est quod si *ante mundi fabricationem* id Deus de nobis servandis decreverat quod Christus in Euangelio suo exposuit, debuit absolutum esse decretum ante fabricationem mundi de Christo mittendo ad Redemptionem generis humani: Cùm autem tale decretum supponat necessariò peccatum, siquidem nemo mittitur redempturus alios quam perditos, quam certò & infallibiliter Deus ante mundi fabricationem ea decreverat de salute nostra quæ Christus nobis annunciavit, tam certa, necessaria & infallibilis debuit esse futuritio peccati, licet futurum fuerit per actum Creaturæ ultroneum & liberrimum: Unde liquet & certò ac infallibiliter præsciri à Deo futura contingentia & libera, & posse ea quæ liberè & sponte fiunt habere necessitatem hypotheticam & infallibilitatem eventus; quorum utrumque negant Sociniani.

Quæ quidem res quò rectiùs cognoscatur, intelligendum est, fœderis hujus pactionem ex parte Dei insigne continere promissum, quo is sese nostrum Deum

Deum fore spopondit; (*Hebr:8.10.*) quod tamen ut ratum firmumq; sit, ex nostra etiam parte requiri, ut illius præceptis morem geramus. Iam ut, quæ ad Dei partem spectant, ea meliùs intelligamus, duo hoc loco examinanda sunt: quorum alterum est divina ista promissio; alterum ejusdem confirmatio. Quod enim ad promissionem attinet, non satis intelligi videtur, quâ ratione summus ille Dominus sese Deum nostrum præstare velit, nisi pluribus sacrorum voluminum adhibitis testimoniis, hoc quale sit plenissimè aperiamus. Quibus quidem pro majore ejus rei explicatione, hanc quasi promissi istius summam præmittendam existimamus, ut nimirum sic statuamus, Deum polliceri (*Hebr:8.12.*) omnia sese scelera atque flagitia, voluntariâ oblivione contriturum, tutoremque ac benefactorem omnium illorum futurum, qui vitâ impurâ relictâ, omne studium ad sanctissimi istius fœderis conservationem contulerint. 56. Hanc promissionem Christus, locupletissimus divinæ voluntatis interpres, ita nobis explicat, ut & præsentis & futuri seculi bona complectatur. Quam rem Paulus Apostolus miro verborum compendio hunc in modum exprimit; (*1 Tim. 4. 8.*) *Pietas*, inquit, *ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat vitæ præsentis, & futuræ.*

‡ *Fœderis hujus pactionem*] Sed non debuit hîc omitti quæ partes fuerint Mediatoris in hoc fœdere, & quid præstiterit pro nobis apud Deum, ut sponderet Deus *sese nostrum Deum fore*, &, quod dissimulat etiam perperam Volkelius, propitium futurum iniquitatibus nostris & peccatorum nostrorum non amplius recordaturum: ita enim ex Jeremia Apostolus Heb:VIII,10.11.12. Adhæc *insigne* illud Dei *promissum*, nullo alio nititur fundamento quam Christi satisfactione & merito; *Quotquot enim sunt promissiones Dei, in ipso sunt Etiam & Amen ad Dei gloriam*, inquit Paulus 2 Cor:1,20.

Quod tamen ut ratum] Imò amplius requirebatur ad κύρωσιν illius fœderis, nempe ut mors testatoris, Christi scilicet, interveniret, eo quod testamentum in mortuis ratum sit, nec quicquam valeat vivente testatore Heb:IX,16.17. Aliàs nihil hîc de isto fœdere dicit, quod de legali & Mosaico dici æquè non possit: Nam Deus & isthîc spondebat se Deum nostrum futurum, & nihil aliud ex nostra parte requirebat, quam ut ejus præceptis morem gereremus: Imò si ratihabitio & effectus salutaris Dei fœderis nobiscum ex nostra sola obedientia ejus mandatis præstanda suspenderetur, non verò niteretur Christi merito, morte & sanguine, non plus solaminis ad nos rediret ex fœdere hoc novo & Euangelico, quum ex Legali & veteri. Sed ita decet Socinianos extenuare & dissimulare vim & naturam fœderis gratiæ, quòd propriæ suæ justitiæ constabiliendæ unicè studeant.

Quorum alterum] Hæc subdolè sic dicuntur quò insinuetur non aliò inservisse mortem & sacrificium Christi, quam confirmandæ promissioni Divinæ; cùm è contrario inservierit Deo placando & nobis reconciliando, ac promerendæ illi gratuitę promissioni quâ spondet se Deum nostrum deinceps fore.

Quasi promissi istius summam] At hæc non est *summa* hujus promissi, quo Deus spondet se Deum nostrum fore, sed potius promissum illud est consequens gratuitæ illius remissionis peccatorum quam in Christo pollicetur; Quin illa *voluntaria* eorum oblivio, nititur Christi sanguine & pro-

& propitiatione, Rom: III, 25.

Qui vitâ impurâ relictâ] Hoc quoque puræ vitæ studium à nobis postulatur ceu τεκμήριον & consequens veræ & salvificę fidei, quâ in Christi meritum debemus recumbere. Verum Volkelius debuit hic *fidei* oblivisci, quia Christi beneficium & satisfactionem, quò illa respicit, in hoc Dei fœdere detrectat agnoscere.

Hanc promissionem] Scilicet non alias partes in hoc fœdere adversarij deputant Christo quam interpretis & præconis: & quam perperam promissiones vitæ præsentis pietati factas interpretentur, oppositè ad promissiones vitæ futuræ, suo loco infrà videbimus.

CAP. XI.

De promisso vitæ æternæ.

VT igitur à futuræ vitæ promissis, propter summam eorum magnificentiam, initium ducamus, duo hoc loco consideranda sunt, quorum alterum Novi fœderis præ Veteri illo continet præstantiam; alterum futuræ illius vitæ descriptionem habet. Ac prius quidem illis authoris divinissimi verbis explicatur, (*Hebr:8.6.*) *Nunc*, inquit, *tantò melius sortitus est* (Christus) *ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus promissis est sancitum.* Meliorum quippe promissorum nomine vitæ sempiternæ, cum perfecta peccatorum remissione conjunctæ, pollicitatio designatur; hincque apparet, promissionem istam in prisco illo fœdere factam minimè fuisse. Aliter enim nec novum Testamentum melius, nec in melioribus promissis constitutum esse, jure dici potuisset.

‡ *Ac prius quidem*] Non est quid hîc repetam ea quæ scripsi *ad cap.* 19. *lib.* 2. Hoc loco Heb: VIII, 6. agnoscimus commendari præstantiam *Novi fœderis præ Veteri*, quocunque modo Vetus Fœdus intelligatur. Primò melius est Novum Testamentum & meliores habet promissiones quam fœdus Legale & operũ, quod homo irritum fecit suâ transgressione; Non utique quoad res ipsas promissas; Nam etiam fœderi Legali sive operum addita erat promissio vitæ æternæ, *Hoc fac & vives*; Ideò Christum turgentem illum juvenem opinione proprię suæ justitiæ, non aliò amandabat quam ad Legem, ut eam servando consequeretur vitam æternam Matt: XIX, 16. 17. Sed quoad promissionum firmitatem & certitudinem eventus: Nam prioris fœderis promissiones pendebant ex putri paxillo arbitrij humani, & perfectam obedientiam ab hominibus flagitabant; At Novi Testamenti promissiones pendent ex Christi merito & immutabili Dei gratiâ, juxta quam operatur in nobis & velle & perficere Phil: II, 13. Deinde si comparetur Novum fœdus cum Oeconomia Mosaica in ritibus & typis cæremonialibus & umbraticis constituta, ut res significata cum suis signis, & hoc facilè intelligitur, tantò Novum fœdus præstare Veteri, quantò umbræ corpus superant Col: II, 17. Etenim non negamus Oeconomiam Mosaicam, consideratam in solo esse suo typico & significativo, distinctè à rebus significatis & oppositè ad illas, longè deteriores promissiones habuisse nostris: cùm nostræ sint rerum spiritualium & cœlestium, illæ in se consideratę ac citra respectum ad res significatas, fuerint

fuerint duntaxat rerum terrenarum & carnalium: prout αἰσθητὰ & sensibilia oportet esse omnia per quæ Deus vult suos ad νοητὰ & intelligibilia deducere. Tertiò si spectetur modus & lumen quo cum fœdus gratiæ proponitur post adventum Christi, hactenus quoque meliores illius promissiones dici debent, quod longè clariùs, distinctiùs, faciliùs, nobis nunc salus æterna proponatur, quam sub Oeconomia Mosaica, etiam considerata cum respectu formali ad res significatas; Nam cæremoniæ legales duplicem habebant χρῆσιν, Legalem aliam quam apertiùs urgebant, aliam Euangelicam, quam nonnisi perobscurè & sub variis typorum involucris indicabant; quò spectant ea quę de Sacramentorum V. & N. T. differentia post Augustinum ex Dei Verbo explicant Theologi. Sed quæcunque hîc comparatio instituatur, nunquam inde efficietur, vel fœdus Legale vel Mosis Oeconomiam nullam vitæ æternæ promissionem habuisse; Et Volkelius supponit gratis, non probat, quod *meliorum promissorum nomine, vitæ sempiternæ, cum perfecta peccatorum remissione conjunctæ, pollicitatio designetur*: Nam κρειττόνες ἐπαγγελίαι apud Paulum, non tam materialiter debent sumi de rebus promissis, quam formaliter de promissionum ipsarum perspicuitate, certitudine & eventu; prout etiam Vulgatus & Syrus interpretes non habent *præstantiora promissa, sed excellentiores promissiones*: Adeoque in eo non sunt meliora promissa N. F. quod habeat pollicitationem *vitæ æternæ cum perfecta peccatorum remissione conjunctæ*; quasi ea pollicitatio non fuerit sub V. T. Sed quod eam habeat longè efficaciori, evidentiori, & certiori modo propositam; quod nos ultrò largimur.

Hincque apparet] Non procedit argumentum à dicto secundum quid ad dictũ simpliciter: Fatemur enim priscum fœdus Legale scilicet & operum, quod cum Adamo & ejus posteris pactum fuerat, & suo sensu fuit renovatum ministerio Mosis, quò homines peccatorum suorum magis convincerentur & illo pædagogio ad Christum adducerentur, non habuisse pollicitationem remissionis peccatorum: Nam flagitabat perfectissimam obedientiam, à qua vel tantillum deflectens homo, debuit incidere juxta Legis ipsius sanctionem in maledictionem & mortem. Hinc nulla sacrificia Levitica considerata in sua χρήσει legali, remissionem præstabant peccatorum, sed tantum hominibus admonendis & convincendis de suo reatu inserviebant: quo respectu Lex erat litera occidens ac ministerium mortis 2Cor:III,6.7. nec non chirographum adversus ipsosmet peccatores cruore victimarum conscriptum, quo se agnoscebant reos mortis, & quod Christus cruci suæ affixum sustulit è medio Col:II,14. Fatemur quoq; lubentes Vetus Testamentum sumptum pro Oeconomica Mosaica, non habuisse alias promissiones typicas & umbraticas quam temporales & terrenas; quo sensu ultrò id largimur quod habet Theodoretus *ad cap.* 8. *Heb. Breviter ostendit excellentiam. Vetus enim testamentum habebat corporales promissiones adjunctas, terram fluentem lacte & melle, & olivetorum & vinetorum terram, & filiorum multitudinem, & quæ sunt his similia; Novum autem vitam æternam & regnum cœlorum.* Sed primò negamus priscum fœdus Legale & operum, cum Adamo sancitum & renovatum suo modo per Mosem, non habuisse pollicitationem vitæ æternæ: Nam cùm vitam æternam recuperemus in Christo, illam in Adamo amisisse debuimus: Nec dubium quin huic pollicitationi Adamo contestandæ, inservierit Arbor vitæ, cujus nomen transfertur in Christum Apoc:II,7. XXII,2.14. quòd eam vitam nobis restituat & conficiat, cujus obtinendæ pignus certum illa arbor Adamo erat, si permansisset in obsequio. Et cum Lex mortem & male-

dictionem æternam minaretur sui transgressoribus, debuit viceversâ illis polliceri benedictionem & vitam æternam, juxta interpretationem ipsiusmet Christi dicentis Matt: XIX, 14. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Huc faciunt expressissima verba Mosis quæ extant Deut: XXXI, 19. *Contestor hodie contra vos cœlum & terram, me vitam ac mortem proposuisse tibi, benedictionem ac maledictionem; quare vitam electurus es, ut vivas tu cum semine tuo.* Deinde negamus priscum fœdus, ministerio Mosis cum Israele sancitum, nullas vitæ æternæ & remissionis peccatorum promissiones habuisse: Cum enim Moses debuerit Tabernaculum omne ad exemplar in monte visum exstruere Exod: XXV, 40. utique illa typica & terrena quæ proponebat, significationem spiritualem & cœlestem habere oportuit. In temporalibus ergo promissis æterna proponebantur, ut in Archimedis sphæra vitrea, machina cœlestis veniebat contemplanda: & licet cruor victimarum non effecerit ullâ vi suâ remissionem peccatorum, tamen illius certò per sanguinem fœderis consequendæ pignus erat indubium: Et frustrà diceretur populus Israeliticus, qui sub illa tutela & pædagogia Legis nihil à servo differebat, fuisse nihilominus hæres & dominus omnium Gal: IV, 1. 2. si nihil illi juris competiisset ex fœdere Dei in vitam æternam. Præterea non diffitentur Sociniani resipiscentiam & fidem in Christum habere promissiones remissionis peccatorum & vitæ æternæ: at utrique illi fuit locus etiam sub Veteri testamento; unde dicuntur pij sub illo servati fuisse per gratiam Domini Jesu Christi sicuti nos Act: XV, 11. & eundem cibum ac potum spiritualem nobiscum edisse & bibisse 1 Cor: X, 3. 4. & expectasse civitatem quæ habet fundamentum, ipsamq; cœlestem patriam quęsivisse, postquam promissa eminus conspicati & amplexi fuissent Heb: XI, 10. 13. 14. 15. 16. Nec aliter posset intelligi qui fuerit Circumcisio signum & sigillum justitiæ fidei Rom: IV, 11. Lex tota pædagogus ad Christum Gal: III, 24. Christus ipse idem heri, hodie & in æternum Heb: XIII, 8. & agnus mactatus jam inde à jacto mundi fundamento Apoc: XIII, 8. Plura huic veritati comprobandæ possent adferri: Sed quoniam plæraque ex iis mox Volkelius conabitur eludere, ab illis nunc cumulandis consultò abstinemns, ne præproperè id videamur agere, quod paullò post hærendo vestigiis Adversarii fusiùs & distinctiùs agendum erit. Hæc paucula in antecessum sufficient evertendæ thesi Volkelianæ, quâ statuit *promissionem istam*, vitæ scilicet æternæ & remissionis peccatorum, *in prisco illo fœdere factam minimè fuisse*: cùm nonnisi promissione Divinâ freti potuerint pij sub V. T. & remissionem peccatorum suorum petere ac consequi, & vitam æternam cum fiducia expectare; quorum utrumque illis convenisse, non omninò inficiantur Sociniani.

Aliter enim nec novum] Jam ostendimus *aliter* illam comparationem intelligendam esse, nec tam res promissas spectare, quam modum, ordinem, efficaciam, claritatem, similesque circumstantias ipsarum promissionum, in suo formali consideratarum. Et sanè etiam suppositâ tam sub Lege, quam universim sub V.T. promissione vitæ æternæ, manebit tamen quod dicit Apostolus: Nam 1. Conditio legis est *Hoc fac & vives*, quæ simpliciter est impossibilis homini peccatori Rom: VIII, 3. nec ullum relinquit locum pœnitentię, ut facit Euangelium. 2. Promissiones Euangelij habent adjunctam efficaciam Spiritus Sancti erga electos, unde Euangelij ministerium, *ministerium Spiritus* appellatur 2 Cor: III, 8. sed Legales, omni carent efficaciâ apud omnes. 3. Promissio N. F. complectitur donum perseverantiæ, quod nec præstabat nec pollicebatur priscum fœdus. 4. Promissiones V. T. sunt obscuræ & sub variis typorum terreno-

terrenorum involucris propositæ; at quę feruntur in N.T. Sole meridiano sunt clariores: nulla autem solatur nos promissio, nisi in quantum nota fuerit. Denique promissiones V.T. solam gentem Judaicam spectabant; at promissiones N.F. pertinent indiscriminatim ad omnes.

Rem autem planè, ut dicimus, ita se habere, inde perspicuum est, quòd Moses de industria dataque operâ antiqui illius fœderis promissa enumerans, nullam vitæ sempiternæ mentionem facit. Quinimò in tantæ Dei gratiæ loco maximum, ipsaque legis promissa propemodum superantem, minarum numerum reposuit. Et hanc ipsam ob caussam legis vis in animis hominum sese exserens, servitutis spiritus est appellatus: vis verò Evangelii, divina virtute patefacti ac confirmati, spiritus adoptionis filiorum nominatur: (*Rom:8.15.*) quia hoc tempore non perinde minarum suppliciorumque severitate homines in officio continentur, ut antea; sed magnificentissima beatæ immortalitatis, quę Dei filiorum est hæreditas, promissione, in Dei studium incitantur. Atque hæc quidem promissio ideo melior dicitur, quòd vita sempiterna, cui æterna felicitas unà cum solidissima gloria est inclusa, omnia bona olim Israëlitis promissa, utpote terrena, fluxa, momentaneaque, infinitis partibus superat.

‡ *Rem autem planè*] Falsum id esse jam supra docuimus vel ex Deut:xxxi,19. ac pluribus infrà demonstrabitur. Et quamvis minùs explicitè fiat mentio *vitæ sempiternæ* apud Mosem, quod clarior ejus annunciatio Christi temporibus servaretur, perperam tamen inde colligas nullam omninò illius mentionem à Mose fieri; Satis est quod ea debuerit intelligi nomine *vitæ*, contradistinctè ad maledictionem & mortem. Aut negent Sociniani pietatem à Mose fuisse inculcatam, aut agnoscant unà propositas ab ipso promissiones vitæ æternæ; siquidem pietas promissiones habet vitæ præsentis & vitę futuræ 1 Tim:iv,8. Et cùm ipsimet Judæi apud Mosem varia reperiant documenta immortalitatis animæ & resurrectionis mortuorum, quæ in unum corrasit Menasseh Ben Israel in tractatu Hispanicè scripto *de la Resurrection*, annon Sociniani vel pejores vel cœciores Judæis, quod tam præfidenter negent ullam vitę sempiternæ mentionem extare apud Mosem?

Quinimo in tanta] Agnosco ferè plus minarum habere Mosem in sua Lege quam promissionum, quia hunc ordinem exigebat populi infantia & rigor disciplinæ sub qua continebatur Gal:iii,23. iv,3. Sed interea vel ex ipsis minis, juxta oppositorum legem, sensus & indoles promissionum Mosaicarum debet intelligi. Quî enim hæ nonnisi corpus & vitam præsentem spectasse censebuntur, si illę ad animam quoque & in æternum extendebantur?

Et hanc ipsam ob causam] Legale & operum fœdus, ut renovatum suo sensu ministerio Mosis, habet absolutè Spiritum servitutis: quatenus suo terrore servilem metum pœnę injicit hominum conscientiis, imò eos servos pœnę pronunciat. Oeconomia vero Mosaica nonnisi comparatè & secundum quid annexum habebat Spiritum servitutis; & in quantum, juxta regulam Apostoli, *hæres quamdiu infans est nihil differt à servo, quamvis sit Dominus omnium* Gal:iv,1. Ac sicut Spiritus ille servitutis comparatiuus, & tantum secundum quid ita dictus, neque filiationem tollit, neque hæreditatis testamentariam

tariam & paternam promissionem, quam etiam id confirmat quod ille hæres, qui Spiritu servitutis continetur in officio, sub tutoribus & curatoribus sit; ita nec absolutus servitutis Spiritus, qui Legis præconium apud hominem peccatorem comitatur, efficit quominus fœdus operum statuatur promisisse vitam æternam sub perfectę obedientiæ conditione: Imò hinc illæ lachrymæ, illeque servilis timor, quòd sentiat peccator se multiplici suâ inobedientiâ tam eximiâ promissione penitùs excidisse.

Atque hæc quidem] Volkelius semper eadem oberrat chordâ: Nec enim Paulus confert ibi vitam æternam cum bonis terrenis Israelitarum, sed tantum ejusdem vitæ æternæ promissiones in N. F. factas, cum iis quę de eadem vita æterna habuit Lex & V.T. prout suprà ostendi quid inter utrasque sit discriminis. Aliàs qui sibi persuadebit bona divinitùs promissa fuisse duntaxat *terrena, fluxa, momentaneaque*, is ex Dei populo, haram faciet porcorum glandibus saginatorum in diem mactationis: Et cum ista bona terrena & fluxa uberiùs & liberaliùs plerumque impiis quam piis obveniant, dum Deus suos salutari diætâ in officio continet, (videantur loca Psal: XVII, 14. LXXIII. 3. & seqq.) debuit aliquid ampliùs esse in promissis divinis, cujus expectatione se solarentur pij, pressi egestate, aut conflictati cum illa tentatione, quę ex rebus secundis impiorum, *quorum portio est in hac vita*, plerumque oritur.

Hujus autem beneficii magnitudinem novo demum fœdere Deum nobis pactum esse, multis aliis divinis testimoniis confirmatur. Clarissimum illud Pauli testimonium est, (*1 Tim: 1. 9.*) quo confirmat, *gratiam nobis in Christo Iesu ante tempora secularia datam*, id est, designatam; *nunc verò adventu salvatoris*
57. *toris nostri Iesu Christi manifestatam esse; qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium.*

Hujus autem beneficij] Id gratis fingi à Volkelio, constabit examine locorum quibus conatur hunc suum errorem adstruere.

Clarissimum illud Pauli] Hoc testimonio docemur equidem Redemptionis beneficium in Christo nobis ab æterno divinitùs destinatum, reipsâ præstitum fuisse manifestatione Christi in carne, ejusque morte pro nobis; idque nunc nobis constare præconio Euangelij, quo vitam & immortalitatem produxit in lucem: barbarè nimis & absurdè habet V. V. *illuminavit vitam*. Sed à producta in lucem vita & immortalitate præconio Euangelij post mortem Christi, ad negationem promissionum vitæ & immortalitatis sub V.T. non procedit argumentum: Nunc quidem clariùs, apertiùs, universaliùs, promissiones vitæ & immortalitatis proponuntur per Christum, quam ante adventum ipsius sub V.T. Sed tamen ejusmodi promissionibus, licet non ita apertis & dilucidis, pij & fideles illorum temporum non penitùs caruerunt. Nam illis salus in Christo obventura innotuit multifariàm, per promissiones de semine mulieris contrituro caput serpentis Gen: III, 15. & de semine in quo benedicendę erant omnes gentes Gen: XII, 3. Gal: III, 8. 16. per vaticinia longè plurima; per typos item & figuras. Verùm omnia facta sunt manifestiora sub N.F. Nam Christum habemus exhibitum, illi verò eum habuerunt ἐν τῇ ἐπαγγελίᾳ καὶ τῇ ἐλπίδι, adeoque duntaxat exhibendum Act: VIII, 32. XXVI, 6. Rom: I, 2. Gal: III, 8. Attamen quemadmodum nos servamur per Christum exhibitum, ita illi salutem sunt adepti per eundem exhibendum

bendum Act: xv, 11. xxvi, 6.7. Joh: viii, 56. Ut licet minùs manifestas & dilucidas habuerint promissiones vitę & immortalitatis quam nos, illarum tamen omninò exsortes non fuerint. Neque, quod magis ad rem est, agit Apostolus de absoluta manifestatione immortalitatis & vitæ per Euangelium; quasi ante incarnationem Christi incorruptionis & vitę promissiones penitùs & omni modo apud omnes ex æquo occultæ fuerint; Sed agit maximè de illa manifestatione inter Gentiles, qui antea nihil cum Rep. Israelis aut promissionibus Dei commune habuerant; Subdit enim illicò se ad id constitutum esse præconem & Apostolum & doctorem *gentium*, nempe ut per Euangelium produceretur in lucem inter gentes vita & incorruptio quam Christus suâ morte nobis peperit & acquisivit. Quis vero non videt non ideo Israelitas destitutos fuisse promissionibus vitę æternę, quòd illę tum demum affulserint Gentilibus, antea extraneis quoad pactorum promissiones Eph: ii, 12. cùm cœpit apud eos Apostolorum ministerio Euangelium annunciari? Confer locum Eph: iii, 5.6.7.8.9. ex quo eam esse mentem Pauli 2 Tim: 1, 9.10. quam dicimus, vel cœcus palpare possit: Ibi enim docet Apostolus, hoc *mysterium*, aliis ætatibus occultatum, *nunc vero revelatum esse sanctis ejus Apostolis & Prophetis per Spiritum, Gentes videlicet esse cohæredes & concorpores consortesque promissionis ejus in Christo per Euangelium*: & illius se profitetur factum ministrum ex dono gratiæ Dei, ut sibi, *longè minimo omnium sanctorum data sit gratia euangelizandi inter gentes impervestigabiles illas opes Iesu Christi; & in lucem proferendi omnibus*, (ubi idem occurrit verbum φωτίζαι, quod extat in loco ex 2 Tim: 1, 9. 10. quo nititur adversarius) *quæ sit œconomia*, idest dispensatio, *mysterij quod erat absconditum à sæculis in Deo, qui omnia condidit per Iesum Christum.* Ex hoc sanè loco evidentissimè patet productam dici in lucem, incorruptionem & vitam per Euangelium, non simpliciter & absolutè, quasi ne quidem inter Israelitas ullæ extiterint promissiones immortalitatis & vitę; sed tantum secundum quid inter Gentiles & Ethnicos, de quibus antea vix sciebatur eos in salutis per Christum acquisitæ societatem deventuros.

In eandem sententiam, & divinus ille author Epistolæ ad Hebræos multa dicit. Illud enim quàm luculentum hujus rei testimonium est, *(Heb: 2.3.)* quo *salutem nostram prædicationis initium à Domino sumpsisse* confirmat? Et illud, *(Heb: 9.8.) Hoc declaravit spiritus sanctus, priore tabernaculo statum habente, nondum patefactam fuisse viam in sacrarium*, id est, in cæleste illud tabernaculum, quod Christus primus ingressus est, quodque, dum legis ille cultus durabat, nequaquam apertum erat. Huc & illa ejusdem authoris verba pertinent, *(Hebr: 7.19.)* ***Nihil ad perfectum perduxit lex, sed introductio melioris spei, per quam appropinquamus Deo.***

In eandem sententiam] Imò nulla quę faciant ad mentem adversariorum, si rectè perpendantur. Singula expendamus.

Illud enim quam luculentũ] Judicium est mentis perturbatæ in hoc scriptore, quod locum quem ita *luculentum* jactat, tam lutulentè referat. Quis enim id intelligat, *salutem nostram prædicationis initium à Domino sumpsisse*? Fateor prædicationem salutis nostræ, uti nunc sub Euangelica œconomia proponitur, & indiscriminatim ad omnes populos spectat, initium sumpsisse à Domino in carne manifestato & facto circumcisionis Ministro;

nistro; sive, ut habet textus, salutem illam quam negligere non debemus, primùm cœpisse enarrari per ipsum Dominum: Sed an quia doctrina salutis, hoc modo speciali deinceps dispensanda, cœpit enarrari per Dominum, (Filio Dei submisso ad malos agricolas, post varios ipsius famulos & ministros pessimè mulctatos) inde sequetur ergo ante illius enarrationis tempora altissimum fuisse de ista salute silentium inter homines? Annon eam expectabat in ipso lecto emortuali Jacob Patriarcha, dicens eodem ferè spiritu quo efflabat animam, *Expectavi tuam salutem, ô Iehova!* Gen: XLIX, 18. Annon ejus fiduciâ se solabatur Simeon, qui voti sui compos ex Christo in cunis amplexo, in hæc verba prorumpebat Luc: II, 29. 30. *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum cum pace, quia viderunt oculi mei salutem tuam?* Annon Christus Servator, descriptus, promissus, annunciatus per omnes Prophetas, adeoque & illa ipsa salus cujus princeps & ἀρχηγὸς nobis futurus erat suo tempore? Sanè Petrus testatur conceptis verbis Act: X, 43. *omnes* Prophetas id testimonij dare Christo *remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum;* & Paulus magnus præco hujus salutis, profitetur se nihil docuisse *extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerant* Act: XXVI, 22. Quare non potest negari aliquod præconium salutis istius in Ecclesia præcessisse manifestationem Christi in carne; unde & *mortuis euangelizatum* fuisse dicitur 1 Pet: IV, 6. idest iis qui jam mortui erant ante adventum Christi, ut etiam Andradius Payva interpretatur *lib. 2. Defens. Conc. Trid.* Adeoque nonnisi limitatè & secundum quid posse intelligi eum locum Heb: II, 3. quem Volkelius simpliciter & absolutè vellet interpretari: Vidit eam Apostoli mentem interpres Syrus, qui apud Tremellium ita eam reddidit, *Quomodo nos effugiemus, si contempserimus hæc quæ sunt ipsa salus nostra, quæ cœperunt à Domino nostro dici, & ab illis qui ab ipso audiverunt in nos confirmata sunt?* Consentit Boderiana versio, nisi quod pro *ipsa salus nostra*, habet *ipsa vita nostra*: Ex his enim liquet agere eum de salutis doctrina sub ea forma & œconomia quâ cœpit per Christum promulgari, non simpliciter de ipsa salute, ac si antea nulla illius spes, nulla promissio, extitisset; contra tot Scripturæ testimonia & nominatim Act: XXVI, 6. 7. ubi Paulus expressè dicit se trahi in judicium *ob spem promissionis factæ patribus nostris à Deo; ad quam* promissionem *duodecim tribus nostræ* Deum *nocte & die assiduè colentes, sperant se deventuras.* Igitur utrobique, tam sub V. quam sub N. T. eadem salus fuit proposita & promissa; sed varia fuit illius promissionis dispensatio, ejusque promulgandę modus diversus: Obscurior & ignobilior extitit ante tempora Christi, quibus ipsa Lex augustissima Angelorum ministerio lata fuit: Clarior & nobilior per ipsum, ut pote ipsorummet Angelorum Conditorem & Dominum: Hanc esse mentem Apostoli tota contextus series evidentissimè demonstrat. Vult enim ostendere eò attentiùs audiendam esse doctrinam Evangelij quæ nunc promulgatur, quò major est ipsis Angelis Dominus noster Jesus Christus qui prior quadantenus fuit præco hujusce dispensationis.

Et illud, Hoc] Eadem chordâ oberrat Volkelius, & à negatione modi, ad negationem rei vitiosissimè procedit: Ex eo quod salutis præconium, quale nunc est, incœperit à Christo, non sequitur ergo salutem ipsam absolutè ante incarnationem Christi tacitam fuisse in Ecclesia. Similiter ex eo quod non fuerit *patefacta* via in sacrarium cœleste sub V. T. malè colligas ergo neminem eò penetrasse: Etenim non erat patefacta iis qui erant in atrio, idest Gentilibus Apoc: XI, 2. quos inter & Israelitas velum oppansum distinguebat Eph: II, 14. Sed tamen non absolutè

absolutè latebat Dei populum ad Sacerdotale regnum evocatum, nec pus & fidelibus ex illo erat planè inaccessa. Deinde nondum erat patefacta, supple clarè & perspicuè; nam ea est vis vocabuli Græci πεφανερῶσθαι; Sed tamen à negatione clarioris patefactionis ad rei ipsius negationem, non licet argumentari. Patet ex simili loco 1 Joh: III, 2. *Nunc Filij Dei sumus, sed οὔπω ἐφανερώθη τί ἐσόμεθα:* idest nondum id tam clarè & dilucidè nobis apparuit, ac apparebit in ipso reditu Christi, qui ubi apparuerit nos sibi similes est redditurus; Ut enim cùm hoc ultimo loco dicitur nondum patefactum esse quod erimus, id non debet intelligi absolutè; siquidem varias jam habemus promissiones & revelationes de fœlicitate futura; sed duntaxat secundum quid, quatenus distinctior & magis perspicua cognitio summæ illius fœlicitatis nobis conferetur secundo Christi adventu; tunc enim non per fidem amplius sed per aspectum ambulabimus 2 Cor: v, 7. Ita etiam quod videtur dicere Apostolus, nondum patefactam fuisse Veteribus viam in sacrarium, non est ita sumendum quasi tabernaculum cœleste *nequaquam apertum* fuerit ad pios excipiendos, sed quod ratio & via eò perveniendi distinctiùs & apertiùs innotuerit per apparitionem primam Christi, qui *vitam ac incorruptibilitatem in lucem produxit per Euangelium*, 2 Tim: I, 10. & se ipsum esse viam, veritatem & vitam, conceptis verbis professus est Joh: XIV, 6. Sed præterea illud Apostoli ἔτι τῆς πρώτης σκηνῆς ἐχούσης στάσιν, non est intelligendum de tempore quo vigebant cæremoniæ, quasi sub V.T. non fuisset ullo modo patefacta via in sacrarium, aut tempus cum tempore conferatur; sed de imbecillitate & inefficacia cultus Levitici, cui prius tabernaculum erat assignatum, quatenus in se consideratus nullius erat virtutis ad cœlum reserandum; Iis enim qui illis sacrificiis legalibus citra respectum ad rem significatam volebant inhærere, ut faciebant adhuc tempore Pauli illi qui deserviebant tabernaculo Heb: XIII, 10. erat revera ἄβατος plane ἄβατος, *cœlum inaccessum*, ut loquar cum Chrysostomo; eo quod demum, ut inquit Hieronymus *ep. ad Dard. sanguis Christi sit clavis paradisi.* Etenim per Christum, ejusque *sanguinem*, non per sacrificia legalia in se citra σχέσιν ad Christi mortem considerata, *habemus libertatem ingrediendi sacrarium, eâ viâ quam dedicavit nobis recentem & vivam*, idest quæ vivifica est & nunquam veterascit, *per velum, hoc est per carnem suam*, Heb: x, 19. 20. Sed cùm mors Christi jam moraliter extiterit sub V.T. & suam energiam exeruerit in credentes, unde dicitur *agnus mactatus à jacto mundi fundamento* Apoc: XIII, 8. etiam per velum carnis Christi crucifigendæ & illius sanguinem effundendum, in sacrarium cœleste penetrarunt. Igitur Apostolus hoc reverâ sibi vult, non potuisse illis patere viam in cœlum qui adhærebant cultui vigenti in priori tabernaculo, & illius insitâ vi se servandos arbitrabantur; cùm nonnisi per propitiationem veram, solidam, irreiterabilem, quæ est in Christo, reseretur sacrarium cœleste: Hanc enim urget allegoriam adversus Judæos sui temporis, ut Heb: XIII, 10. qui illi tabernaculo adhuc stanti & cæremoniali cultui pertinaciùs adhærebant; Nam subjicit ad verba quæ in præsentiarum tractamus illam suam observationem de via ad sacrarium nondum manifestata priore tabernaculo adhuc consistente, *exemplar* fuisse *pro tempore præsenti, quo dona sacrificiaque offeruntur quæ non possunt consummare cultorem.* Nisi malimus dicere simpliciter quod stante priori tabernaculo, idest continuante illius cultu, non patebat aditus in sacrarium, eò quod is cultus cessaret demum in festo propitiationis; quo significaretur nullum mortalibus ingressum ad gaudia cœlestia dari, quocunque se vertant, nisi per veram illam propitiationem,

quam in Christo consequimur; At illius per fidem Veteres fuisse participes est certissimum. Aliàs quam non possit statui absolutè cœlum fuisse ἄβατον pus & sanctis V.T. ante tempora nativitatis & mortis Christi, patet evidentissimè ex tota Scriptura, quæ docet Elię cœlum fuisse pervium 2 Reg:II, 10. ut etiam antea Enocho, quem Deus ad se assumpsit ne videret mortem Heb:XI,5. Gen:V,24. Animas piorum tunc quoque ad Deum rediisse Eccl:XII,7. quiete, pace & fœlicitate donandas Psal:XVI,II. XXVII,13. XXXI,6. XXXVI,9. Luc:II,29. Imò morientes in Domino, in sinum Abrahæ, idest regnum cœlorum & Paradisum, fuisse delatos Luc: XVI,22. Matt: VIII,II. Luc: XXIII,43. Uno uerbo per gratiam Domini nostri Jesu Christi servatos fuisse sicuti nos Act: XV,II. Et cùm non inficientur Sociniani pios qui vixerint sub V.T. consequuturos vitam æternam in ultimo die, nemo autem sit futurus illius particeps nisi per Christum, necesse est fateantur & efficaciam mortis Christi extendi ad pios V.T. adeoque illis non minùs quam nobis viam sacrarij fuisse reseratam, & per consequens promissiones illos habuisse salutis in Christo obtinendæ; cùm nemo particeps sit salutaris beneficij Christi & redemptionis quæ in ipso est, nisi in eum crediderit; nulla vero possit esse fides in Christum nisi ubi promissiones ejus propositę fuerint Rom: X,17. At inquit Volkelius, *Christus primus ingressus est* in tabernaculum cœleste; R. Nusquam id dicere Scripturam; imò illam huic assertioni evidenter contradicere, uti liquet ex iis quæ modò diximus. Et quod extat Heb:VI,19.20. Christum ingressum esse intra velum ut *præcursorem pro nobis*, potest spectare speciatim fideles Novi Testamenti; nisi malimus illam præcursionem Christi intelligere non sensu physico & in ordine temporis, quasi nemo ante ascensionem Christi in cœlum & gaudium Domini fuerit receptus, contra quam ante visum; sed sensu morali & in ordine causalitatis, eò quod nemo unquam eò sit receptus nisi vi & efficacià mortis Christi: quo sensu dicitur *primogenitus ex mortuis* Col: I,18. Apoc: I,5. & *primitiæ eorum qui obdormierunt* 1 Cor:XV,20. non quod absolutè nemo ante ipsum fuerit ex mortuis revocatus, sed quod nemo sit habiturus jus ad resurrectionem gloriæ, nisi in ipso & per ipsum.

Huc & illa ejusdem] Sed parum est in his verbis præsidij pro Adversarij sententia. Nam si sit antithesis inter Legem moralem, sive fœdus operum ac naturæ, & Euangelium, sive fœdus gratiæ, inde non sequitur caruisse Legem promissionibus vitę æternę, sed tantum destitutam fuisse vi & efficacià eò nos perducendi; quod illi impossibile fuisse, *eo quod viribus esset destituta in carne*, testatur Paulus Rom: VIII,3. Eo respectu melior est spes quę Euangelij fœdere excitatur, non quod aliæ sint res promissæ, sed quod earum obtinendarum fiducia sit certior, & via ad illas facilior, ductore Christo. Quod si dictum Apostoli intelligatur de Lege cæremoniali, certum est τελείωσιν fidelium non pependisse ex illis ritibus aut occulta vi eorum, sed ex Christi merito quod potest statui ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος, quam & pij V.T. in ipso solo obtinuerunt, ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι, ne sine nobis consummarentur & consecrarentur Heb: XI,40. Inde tamen non sequetur fideles sub illa legali œconomia viventes nullas habuisse promissiones spirituales, sed tantum legales ritus ad quos alligabantur, non potuisse eos consecrare, sanctificare & ad perfectionem deducere; verùm illam perfectionem & consecrationem adscribi debere rei significatæ, cujus demum virtute ad Deum accedimus, & in qua melioris spei introductionem obtinemus. Aliud autem est Apostolum Legi cæremonia-

moniali opposité ad Christum & contradistinctè a re significata, quæ melioris spei introductio est, abrogare vim consecrativam & perfectivam, aliud quod vellent adversarij, nullas sub illo cæremoniali cultu fuisse promissiones spirituales & salutis: Imò piorum illius temporis spem meliorem fuisse benedictionibus terrenis, & illos plus ultrà processisse, nec absolutè diffitentur Sociniani, qui illis nolunt omnem spem vitę æternę præscindere, & liquet evidenter ex Act:xxvi,6.7. Non desunt quoq; viri docti qui statuunt juxta mentem Apostoli ipsam Legem vocari introductionem spei melioris; ut sit sensus, *Nihil sanctificavit* aut perfecit *Lex* cæremonialis cum suo sacerdotio, *sed* fuit *introductio melioris spei*, idest ad rem longè meliorem, nempe Christum Gal:111,24 Rom:x,4. *per quam* spem, vel per quem Christum in quem speramus, accedimus ad Deum Rom: v, 2. Erant enim fœderi typico typica quoque objecta bona quæ speranda proponebantur, sed eâ lege ut manuducerent veros Israelitas ad spem bonorum longè præstantiorum per Messiam obtinendorum.

His adde illa Iohannis verba: (*1. Ioh:1.2.*) *Annunciamus vobis vitam eternam, qua erat apud Patrem, & manifestata est nobis.* Ex quibus constat, vitam æternam ante Christi prædicationem, de quo tempore ibi loquitur, in abdito Dei consilio ac decreto latuisse, nec hominibus fuisse patefactam. Opponit enim inter se illa, *Erat apud Patrem*, &, *manifestata est nobis.* Hinc idem Apostolus de Dei sermone, h.e. de Christo, primo perfectæ Dei voluntatis interprete, alibi ait, (*Ioh:1.4.*) *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum*, hoc est, ipsi commissa erat vitæ æternæ, & viæ ad eam ducentis annunciatio, quâ hominum animos mirificè collustravit, & ignorantiæ tenebras, quantùm in ipso fuit, ab iis depulit. Quod idem alio iterum loco edisserit, (*1 Ioh:5.10.11.*) dum ait: *Hoc est testimonium*, (nempe *quod Deus testatus est de filio suo*) *quòd vitam aternam dedit nobis Deus, & hac vita in filio ejus est.* Quibus in locis de eo quod Christo primò ac propriè conveniat, sermo est.

‡ *His adde*] Hæc est violenta interpretatio & à mente Apostoli planè aliena: Nec enim Johannes vitæ æternę nomine aliud intelligit quam ipsummet Christum, qui sic frequenter dicitur in Scripturis Joh:1,4. xi,6. 1 Joh:v,20. & quem ipse versu præcedenti λόγον τῆς ζωῆς, sermonem vitæ, appellaverat. Est enim Apostolo ὁ λόγος τῆς ζωῆς, etiam ipsa ζωὴ, quæ ἐφανερώθη & apparuit incarnatione Domini 1 Tim:111,16. & ita facta est visibilis, ut eam suis se oculis vidisse & manibus contrectasse, cum reliquis Apostolis, Johannes ibidem contestetur. Est autem Christus vita æterna & subjectivè in se, cùm sit α & ω, Pater æternitatis, nec initium habens dierum nec finem vitæ Heb: vii, 3; & omnibus piis & fidelibus tam efficienter quam objectivè; siquidem illam vitam æternam acquisivit suo sanguine, & eam ipsis confert tùm in hac vita per fidem salvificam, tùm in futura sui visione & fruitione; ἐφανερώθη autem ὁ λόγος τῆς ζωῆς, qui & ipse vita est æterna, cùm caro factus est & habitavit inter homines, & spectari potuit gloria ejus ut gloria unigeniti à Patre Joh:1,14. Sed priusquam manifestaretur & conspicuus fieret in carne, erat apud Patrem, πρὸς τὸν πατέρα, ut dicitur

fuisse in principio πρὸς τὸν θεὸν Joh: I, I. Frustra igitur ex hoc loco vult colligere Volkelius *vitam æternam ante Christi prædicationem, in abdito Dei consilio ac decreto latuisse, nec hominibus fuisse patefactam*; cùm non agat Johannes de promissione vitæ æternæ, sed de illius authore, nempe Dei Filio; nec de badito Dei consilio, sed de sinu Patris in quo Filius erat antequam appareret in carne Joh: I, 18. nec simpliciter de manifestatione promissionum ad vitam æternam spectantium, sed de Christi apparitione in carne ut eam nobis compararet suo sanguine. Quùm autem pij. sub V. T. expressas & luculentas habuerint promissiones de Christo qui verus est Deus & vita æterna I Joh: v, 20. suo tempore exhibendo ad hominum redemptionem, non ita latebat in abdito Dei consilio promissio vitæ æternæ, quin illi tunc se solarentur spe certâ ejus obtinendę per Christum exhibendum: quę causa fuit Abrahamo Patri credentium gestiendi ut videret diem Christi & ex illo eminùs conspecto tantopere lætandi Joh: VIII, 56. Interim observetur inconstantia Socinianorum; nam cum Joh: I, I. dicitur ὁ λόγος fuisse in principio apud Deum, illud πρὸς τὸν θεὸν interpretari volunt de raptu Christi in cœlum qui præcesserit ipsius manifestationem Israeli, ut ibi clanculum à Patre ad suum munus propheticum instrueretur, de quo dictum est suprà cap. 3. At I Joh: I, 2. ubi dicitur fuisse πρὸς τὸν πατέρα, conantur id de latente promissione vitę æternę in abdito Dei consilio & decreto interpretari; cùm tamen idem utrobique significetur, nempe Dei Filium æternum antequam carnem nostram indueret fuisse apud Patrem & in illius sinu pro deliciarum suarum jugi argumento Prov: VIII, 30.

Hinc idem Apostolus] Nec primaria nedum sufficiens ratio est illius nominis quo Christus λόγος appellatur, quod sit interpres voluntatis Divinę, uti suo loco fusiùs annotavi; nec ideo potest dici fuisse *in ipso vita*, quod *ipsi commissa* esset *vitæ æternæ & viæ ad eam ducentis annunciatio*; Nam ut quilibet Prophetarum & Apostolorum deberet dici ὁ λόγος, eò quod quilibet eorum fuerit Interpres voluntatis Divinę, si hæc esset palmaria hujus appellationis ratio, ita de quocunque gregario Verbi Divini Ministro, cui ex suę vocationis natura incumbit *vitæ æternæ & viæ ad eam ducentis annunciatio*, non secus ac de Christo posset dici quod *in ipso vita* sit, & quod *vita* sit *lux hominum*, si id elogij Christo à Johanne tribuitur ob talem annunciationem ei commissam. Dicitur itaque quod in eo fuerit vita, idest fons & scaturigo vitę, quod vero Numini convenit Psal: XXXVI, IO. Act: XVII, 28. Et quod eo ipso fuerit unà lux hominum, adeoq; cum Patre Pater luminum à quo proficiscitur omnis bona donatio Jac: I, 17. Solet enim Scriptura, ut in loco Psalmi jam citati, lucem & vitam conjungere, & utramque tam in spiritualibus quam in corporalibus ex Dei Filio, vita & luce, ejusque plenitudine, haurire debemus Joh: I, 16. Eo sensu *sicut Pater habet vitam in seipso, ita dedit Filio habere vitam in seipso* Joh: v, 26. Et dicit ipse Christus de semetipso, *Ego sum lux mundi* Joh: VIII, 12. XII, 46. utique longè alio sensu quam suos Apostolos lucem mundi appellavit Matt: v, 14. Hi enim fuère tantum circuli deferentes lucem, non ipsa lux substantialiter & originaliter, prout de Johanne Baptista dicitur quod *non erat ille lux illa, sed missus fuerit ut testaretur de luce* Joh: I, 7. Christus vero est ipse *Sol Iustitiæ* Mal: IV, 2. *Oriens ex alto* Luc: I, 78. & ipsissima lux essentialis & originalis, ad quam nostrę faces extinctę debent accendi denuo, ut Vestalium ignis casu extinctus ad Solis lucem & radios erat denuò accendendus. Uno verbo dicitur Christus *vita & lux*, non solum ab effectu doctrinæ quam annunciat

nunciat, quomodo non differret à suis ministris qui & Lux mundi appellantur & verbum vitæ nobis annunciant, sed etiam ab essentiali Divinitate & perfectione; quo sensu Deus est simul ὁ ὢν καὶ ὁ ζῶν, & Deus ille *vivus* appellatur Act: xiv, 15. diciturque non solum lucem habitare inaccessam 1 Tim: vi, 16. sed lux ita esse, ut tenebrę in illo nullæ sint 1 Joh: 1, 5. Sed hæc est Volkelij malignitas in Christum, quâ studet aliud agendo, Divinitatis suę argumenta, quę ex istiusmodi attributis efflorescunt, eludere ac supprimere.

Quod idem alio iterum] Hic locus nihil facit ad probandam Volkelij depravationem, quâ præcedentem nititur corrumpere. Etenim quod dicitur in Filio esse vita æterna, nihil aliud denotat quam ipsum esse authorem, largitorem, fontem inexhaustum, vitæ & salutis; ut iniquè & contra mentem Apostoli ac Scripturæ stylum restringatur ad solam istius vitę annunciationem & promulgationem. Interea tamen neque hoc neq; præcedenti loco probatur quod intendit adversarius, nullas vitę æternę promissiones extitisse ante tempora Christi in carne exhibiti. Nec enim si speciali modo commissa ipsi fuit vitæ æternæ & viæ ad eam ducentis annunciatio, inde sequitur ergo illius vitæ promissionem & annunciationem nullam antea extitisse in V. T. Imò inverto argumentum & per illud everto sententiam Volkelij: In V.T. Christus fuit promissus; Sed Christus est vita æterna & lux vera: Ergo in V.T. fuit promissio vitę æternę & lucis verę. Nec prætereundum quod in priori loco dicitur in pręterito, *In ipso vita* ERAT *& vita* ERAT *lux hominum*, quò videlicet denotetur id ipsum fuisse Christum antequam in carnem veniret & sui Euangelij ipsemet pręco existeret; adeo ut, (inquit Toletus commentaturus ad illa verba *Ioh:* 1. *In ipso vita erat*) *etiam ante carnem assumptam, illi qui eius adventum in carne præcesserunt, in Verbo propter futurum incarnationis mysterium per fidem vitæ restituerentur; de quibus dicitur* 1 *Cor:* 10. *Bibebant ex consequente eos Petra; Petra autem erat Christus; ut non immeritò Apoc:* 13. *dicatur Agnus occisus ab origine mundi; in ipso ergo vita erat.*

His omnibus divinis testimoniis duas evidentes rationes apponendas duximus. Primò enim constat, vitæ immortalis spem nobis ostensam, ex Dei cognitione ea ratione pendere, quatenus Pater est, id est, quatenus verissimam illam solidissimamque filiis suis hæreditatem donare constituit. Atqui hoc pacto Deus à priscis illis suis cultoribus agnitus non fuit. Tametsi enim Patris quoque nomine illum appellatum tunc fuisse non diffitemur; eam tamen vocabuli istius vim, quam nunc patefaciente Christo tenemus, illis seculis apertam fuisse pernegamus: cùm Christus planissimè dicat, (*Matt:* 11.27.) neminem cognoscere Patrem, nisi Filium, & cui Filius voluerit revelare. Omnibus igitur ad se veniendum esse, ibidem asserit, hoc est, ipsius disciplinæ diligentissimas aures præbendas, fidemque firmissimam adhibendam, si animis requiem invenire, id est, ad verissimam sempiternæ felicitatis spem erigi atque excitari velint.

Primo enim constat] Nimis crudè dicit Volkelius pios sub V.T. Deum tanquam Patrem non agnovisse; tametsi fateatur etiam Patris nomine illos Deum quandoque compellasse. Qui enim Deum nuncupat Patrem ille se filium ejus profitetur;

qui verò filius est, est etiam hæres Dei & cohæres Christi Rom: VIII, 17. Dico itaque veteres quidem illos non eam παῤῥησίαν habuisse clamandi *Abba Pater* quę nobis sub N.F. obtingit per Spiritum adoptionis; & hinc fieri quod tam raro videamus Deum in V.T. sub nomine Patris invocari: Hujus tamen rei causam non fuisse quod nullum jus haberent ad hæreditatem cœlestem, nullasve de illa promissiones essent consequuti; etenim erant etiam *hæredes* & *domini omniū* Gal. IV, 1. Sed quod cùm *hæres quamdiu infans est nihil differat à servo* ib. & jure Hebræo non liceret servo Dominum suum Patris nomine compellare, sub dura illa & rigida tutela ac pædagogia Legis sub qua custodiebantur *conclusi in eam fidem quæ futurū erat ut revelaretur* Gal: III, 23. minùs liberaliter haberentur: Sic enim in familiis honoratioribus infantes benè educati, parentem suum potius Domini, reverentię ergo, quam Patris nomine compellant: non tamen nesciunt se filios esse & futuros hæredes bonorum paternorum. Et cùm non ausint negare Sociniani *vitæ immortalis spem* aliquam sanctos sub V.T. concepisse, oportuit eos, etiam ex hypothesi Volkeliana, & Deum cognovisse *quantum Pater est, idest quatenus verissimam illam solidissimamque filiis suis hæreditatem donare constituit*; qui enim illi dixissent tam cordatè Es: LXIII, 16. *Tu Pater noster es, quamvis Abraham nesciturus nos, & Israel non agniturus nos esset, tu Iehova Pater noster es, vindici nostro à sæculo nomen est tibi?* & per consequens *vocabuli istius vim* non penitùs ignorasse. Quod si nulla spes vitę immortalis fuisset sub V.T. inter pios, non potuissent differre ab Ethnicis, quos Apostolus dicit fuisse *abalienatos à civili statu Israelis & extraneos quod ad pactorum promissiones, spem non habentes, & absque Deo in mundo* Eph: II, 12. Retorqueo itaque hoc ipsum argumentum in Volkelium: Illi habuerunt promissiones spirituales & vitę æternæ quibus, ceu Dei filiis & hæredibus, *vitæ immortalis spes* ostendebatur: At talis spes certa ostendebatur piis ceu Dei filiis & hæredibus sub V.T. Expendatur ad id locus qui extat 2 Sam: VII, 15. necnon Psal: XVI, 5. 11.

Eam tamen vocabuli] Id absolutè nequidem ipsa impudentia ausit pernegare. Licet enim beneficium adoptionis nostrę in Dei filios nunc clarùs & distinctiùs intelligamus sub Euangelij luce & *patefaciente Christo*, Veteres tamen illius cognitione & sensu penitùs destitutos non fuisse ex iis quæ modò diximus luculenter apparet.

Cum Christus planissimè] At verò etiam sub V.T. Christus ceu Angelus fœderis pios deducebat per Spiritum suum in eam cognitionem Patris quæ ipsis pro ratione illorum temporum obscuriorum sufficeret ad vitę æternę spem certam & quæ non pudefacit ex illius promissionibus concipiendam. Est enim ipse Christus idem heri & hodie & in sæcula Heb: XIII, 8.

Omnibus igitur ad se] Transeo quod videatur Volkelius illam Christi invitationem restringere ad solam institutionem invitatorum, cùm tamen ad eorum quoque spectet redemptionem: Sed quam verum est neminem posse *ad verissimam sempiternæ fœlicitatis spem erigi atque excitari*, nisi fide & obedientiá ad Christum veniendo, tam necesse est in Christum credidisse Veteres pro modulo revelationis sibi factæ in Dei Verbo, eò quod negari nequeat illos ad verissimam sempiternę fœlicitatis spem erectos atq; excitatos fuisse; quod liquet non solum ex antithesi Gentilium ad ipsos Eph: II, 15. verum etiam ex variis Scripturæ testimoniis, nominatim Act: XXVIII, 20. & Heb: XI, 9. 10. 14 15. 16. Hæc enim erat *spes Israelis* & omnium verorum Israelitarum, quod *expectarent civitatem quæ habet fundamenta*; & sese *professi peregrinos & advenas* in terra palàm ostendebant

debant *se patriam requirere, terrenâ potiorem, hoc est cœlestem; Quapropter Deum non pudet eorum, idest cognominari Deus eorum; paraverat enim eis urbem.*

Alterum hujus rei argumentum ex Christi præceptorum perfectione ducitur, quâ, ut suo loco docebimus, omnia antiquę illius legis præcepta superant. 58
Consentaneum enim planè est, ut perfectiori obedientiæ perfectioribus mandatis debitæ, præstantius proponatur præmium.

‡ *Alterum hujus rei*] Sed perfectio hæc mandatorum Christi in genere morum supra Legem moralem, commentum est putidum adversariorum, quod suo loco refutabitur; & cui in antecessum sufficiat opposuisse hæc duo: Primum quod Psal: XIX, 8. doctrina atque lex Jehovę *perfecta* sive integra dicitur, restituens animam: Unde ei addere vel detrahere erat severissimè prohibitum Deut: IV, 2. XII, 32. Alterum quod Legisperito sciscitanti quid opus facto sibi esset, ut per opera sua vitam æternam obtineret, Christus nihil proponit præter Legem, quâ ex illius ore auditâ, statim subjicit, *Hoc fac & vives* Luc: X, 28. Id utique non responsurus de antiquę Legis præceptis si *perfectioribus* duntaxat *mandatis* præmium vitæ æternæ proponeretur. Adde quod Sociniani sic volunt perfectiora esse mandata quæ proponuntur sub Euangelio, ut statuant exactiorem & accuratiorem ac rigidiorem obedientiam Legis Deum sub V. T. exegisse: Jam autem nulla subest ratio cur *præstantius præmium* potiùs proponatur perfectioribus mandatis, quorum observatio minus severè & rigidè exigitur, quam mandatis minus perfectis quorum obedientia accuratior requiritur: Nam obedientiæ dignitas quam præmium respicit, ex natura ipsorum mandatorum simpliciter, aut præceptorum perfectione majori vel minori non debet æstimari, sed tantum ex mandatorum præstatione: Plus enim est obedientiæ, adeoque plus juris ad præmium, in eo qui accuratiùs servaverit præcepta ad quę obligatur, licet imperfectiora fuerint aliis sibi non datis, quam in eo qui nactus perfectiora præcepta, laxiùs, negligentiùs, & minùs accuratè illa custodierit. Errat ergo Volkelius perfectiorem statuendo obedientiam esse quæ præstatur perfectioribus mandatis: cùm perfectiùs quandoque possit obediri præceptis minùs perfectis, & perfectioribus magis languidè & imperfectè.

Huic tamen veritati aliquot sac: lit: opponuntur testimonia, quibus confirmari putatur, non minùs Israëlitis olim, quàm nunc Christianorum nationi, vitæ æternæ beneficium promissum fuisse. Interim tamen nulla profertur ex ipso fœdere antiquo à Mose descripto ejus rei promissio, præsertim aperta: sed testimonia petuntur vel ex Prophetis, qui aliquod post latam legem seculis vixerunt, & quorum vox non ad omnium, ad quos antiquum fœdus spectavit, aures pervenit; vel ex peculiaribus quibusdam exemplis; aut ex novi Fœderis scriptis, mysteria olim abdita evolventibus atque in lucem proferentibus. Atqui si vita æterna non minùs Israëlitis, quàm Christianis, fuisset promissa, in ipso Fœdere ad omnes spectante, aperta ejus rei debuisset fieri mentio. Id quod initio semel monere placuit, ne in singulorum testimoniorum examinatione, ad quam nunc accedimus, repetendum esset.

‡ Huic

‡ *Huic tamen veritati*] Imò huic mendacio Volkeliano confutando multa inserviunt Scripturæ loca, nulla ei confirmando.

Non minus] Id ambiguè dicitur. In re convenit inter Israelitas & Christianos, non tamen in rei modo & perspicuitatis gradu.

Interim tamē nulla] Id falsum esse liquet ex iis quæ *ad cap.* 19. *lib.* 2. fuerunt disputata; & ipse adversarius malè sibi conscius restrictivè loquitur: siquidē non diffitetur aliquam in ipso Mose talem promissionem extare, licet minùs apertam: Nec debuit tam *aperta* esse umbrarum tempore.

Vel ex Prophetis] At quis sibi persuadebit aliam fuisse religionem tempore Prophetarum, quam tempore Mosis? Maximè cum tam sæpè Lex & Prophetæ in Scripturis conjungantur ut Matt: XI, 13. Joh: 1, 46. Imò inde magis liquet tali promissione fœdus Mosaicum & V. T. non caruisse, eo quod apud Prophetas ad V. T. spectantes non semel occurrat: Ut enim Paulus hujusce promissionis præco fidissimus, nihil docebat *extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerant* Act: XXVI, 22. sic nec Prophetæ V. T. ullam inculcarunt promissionem quæ jam fœdere & œconomiâ Mosis non contineretur, & per consequens *quæ non ad omnium ad quos antiquum fœdus spectavit aures* pervenisset.

Vel ex peculiaribus] Sed illa singularia in generalibus fundantur.

Aut ex novi fœderis] At undè melius edoceamur de sensu & natura promissionum factarum sub V. F. cùm non minùs Vetus in Novo fuerit revelatum quam Novum velatum in Veteri?

Atqui si vita æterna] Utique satis *aperta* fuit pro ratione temporis; aliàs nullo jure hæretici fuissent Sadducæi, quorum patrocinium Volkelius indirectè voluit suscipere. Quò magis autem convincatur, & Sociniani ipsismet Judæis pejores & in Deum ejusque Verbum ac Fœdus magis injurij agnoscantur, sufficiat observasse quod Menasseh Ben Israel Judæus, *lib.* 1. *de Resur. cap.* 1. hoc proponat lemma, illo videlicet capite *probari resurrectionem mortuorum authoritate textus Mosaici*; Pudeat Socinianos quod Judæi hodierni etsi habeant *velamen cordi suo impositum cùm legitur Moses* 2 Cor: III, 17. plus hauriant lucis ex Mose de resurrectione & vita æterna, quam ipsimet. Uno verbo, ut mors & maledictio quam Moses comminabatur non erat tantum vitæ præsentis, sed futuræ potissimum, sic benedictio & vita quam promittebat, longiùs spectabat quam temporalia & præsens ævum, & ad spiritualia ac æternitatem extendebatur; ut non immeritò dixerit Christus illi juveni de quo Matt: XIX, 17 *Si vis ingredi ad vitam, serva mandata*; Rogatus autem fuerat de vita æterna; dixerat enim alter com: præc: *Doctor bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?*

Id quod initio] At quam nihil in eo situm sit contra nos, partim liquet ex iis quę jam dicta sunt, partim apertiùs constabit ex iis quæ postea dicentur.

Primò autem illa Ezechielis verba proferuntur: *Hæc dicit Dominus: ecce ego aperiam tumulos vestros; & reducam vos de sepulchris vestris.* (Ezech: 37. 11, 12.) Verùm hoc loco, non quidem de vera propriaque mortuorum excitatione, sed de populo Israëlitico è Babylonicis, ut ita dicam, claustris emittendo, & in pristinum statum restituendo, inq; terram Judaicam reducendo, sermonem esse, ipsa contextus ratio convincit. Ita enim ibi ait Deus: *Fili hominis, ossa hæc universa domus Israël est. Ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi*

& abscissi sumus. Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris, popule mi, & inducam vos in terram Israël. Et inferiùs iterum: *Ecce ego assumo filios Israëlis de medio gentium, ad quas abierunt, & colligam eos circumquáque, introducamque eos in terram suam.* Id quod paulò superiùs illis hunc in modum pollicitus fuerat: *requiescere vos faciam in terra vestra.* Intelligendum quippe est, Israëliticum populum, quamdiu Babylonica servitute premebatur, omnibus suis ornamentis, quæ tum in divino cultu, tum in splendido quodam vitæ statu sita erat, ita spoliatum fuisse, ut non immeritò cum ossibus aridis, carneque denudatis, necnon in sepulchro quodam conditis, comparari potuerit. Qua de caussa ipsimet Israëlitæ de se usurpabant istiusmodi verba: *Aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra & abscissi sumus.* Putabant enim, de se jam actum esse; nullam superesse spem recuperandæ pristinæ libertatis; nunquam se ex captivitate, quâ tunc detinebantur, in patriam, atque ad pristinam fortunam redituros. Quem 59.
metum, vel desperationem potiùs, ut illis eximeret Deus, Prophetæ speciem exhibuit ossium aridorum, iterum inter se coëuntium, quæ carne vestita, recepto spiritu revixerint. Ex quo fit, ut hoc in loco divinus vates prædicat fore, ut Israëlitæ in patriam suam è variis locis revocati, in pristinam dignitatis conditionem restituantur, omniaque libertatis gloriæque ornamenta ita recuperent, ut quasi ex sepulchris excitati, & spiritu ac vitâ donati meritò dici possint. Etsi enim cæteroqui nulla spes sit, in Deo tamen spem esse, qui virtute id suâ queat efficere: quemadmodum nec ossa à se invicem divulsa atque arida, cum quibus ipsi se comparaverant, naturaliter inter se denuo coagmentari, carnibus obduci, spiritum ac vitam recipere queant: sed nihilominus tamen virtute divina possint.

‡ *Primò autem illa Ezechielis*] Multum inesse ponderis huic loco est evidens, cùm ipsius resurrectionis futuræ idea ibi Prophetæ & toti Ecclesiæ per ipsum exhibeatur. Quamvis enim hæc promissio spectaret liberationem ex captivitate Babylonica & Judæorum reditum in suam patriam, tamen spectabat quoque sub illo typo liberationem ex mortis imperio & resurrectionem gloriæ. Opponit igitur perperam Volkelius quæ erant componenda in hac promissione, nempe propriam mortuorum excitationem, & populi restitutionem in integrum; cùm hæc sub illius effigie promittatur, & populo typus & pignus futura esset resurrectionis futuræ. Utrumque enim beneficium complectuntur verba illa Dei per Prophetam, *Ecce ego aperiam sepulchra vestra, deducam vos è sepulchris vestris, popule mi, reducamque vos in terram Israelis.* Scitè ideo Tertullianus *de resurr. carnis, cap. 29. Non posset de ossibus figura componi, si non id ipsum & ossibus eventurum esset:* & Hieronymus *in Ezech. Nunquam poneretur similitudo resurrectionis, ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio & futura crederetur; quia nemo de rebus non extantibus incerta confirmat.* Frustrà ergo se fatigat Volkelius in probando Ezechielis promissionem spectare restitutionem Israelis, quod

quod non negamus; Sed pertendimus ὅραμα Prophetæ ita destinatum fuisse illi restitutioni temporali significandæ, ut insuper eò certiorem ejus restitutionis fiduciam faceret quod ultimę resurrectionis futurę fidem indubitatam excitaret & comprobaret. *Hic textus*, inquit Menasseh Ben Israel, *lib. 1. de resur. cap. 2. §. 4. expressus est & infallibilis, quo sine omni dubio probatur resurrectio.* Ita Sociniano Achristiano oculatior est in Scripturis Judæus apella.

Deinde illud quoque Jobi pronunciatum in medium afferri solet: ***Ego novi redemptorem meum esse viventem, & novissimum qui super terram surget: ac post pellem meam contriverunt istud, & ex carne mea videbo Deum.*** (*Iob: 19. 25.*) Sic enim ex Hebraico idiomate legitur in magnis Bibliis Roberti Stephani. Vulgata verò Bibliorum editio sic habet: ***Scio quòd redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum.*** Hic facilè quemlibet animadvertere planè mihi persuadebo, quantum inter
22 hanc illamque istorum verborum interpretationem intersit. Quâ quidem lectionum diversitate factum est, ut de ipsorum verborum sententia interpretes plurimùm dissentirent. Quod cùm cuilibet ex annotationibus, quæ in Roberti Stephani Bibliis appositæ sunt, constare possit, sententiis illis recensendis supersedebimus. Illud sufficit ostendisse, nihil istic de mortuorum resurrectione contineri: cùm in ipsis fontibus Jobus non de se, sed de redemptore suo dicat, eum novissimum super terram, seu pulverem surrecturum constiturumque esse. ne de eorum, quæ consequuntur, verborum discrepantia, quæ inter Hebræum textum, & vulgatam Bibliorum interpretationem cernitur, quicquam nunc dicamus. Quare cum vulgaris sententia verbis Hebraicis nequaquam conveniat, multò tutius, & ad veritatem firmius futurum est, si ipsam subjectam materiam secuti, Jobum hoc dicere statuamus: Sese divina ope ex summis afflictionibus, quibus tunc miserandum in modum cruciabatur, tandem emersurum, & in corpore suo, ad pristinam sanitatem revocato, singularem Dei tum potentiam, tum benignitatem atque clementiam agniturum: quemadmodum sanè agnovit, ut ex
60. ultimo libri illius capite perspicuum est. Quòd si quis arbitretur, visionem Dei, quam sibi Jobus polliceatur, in hanc vitam nequaquam cadere, ac proinde Jobum de alia quadam vita omninò loquutum esse concludat; is nimirum vehementer fallitur. Jobus enim, ut in ultimo illius libri cap: (*versu 5.*) legimus, Deum alloquens, ita inter alia ait: ***Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te.*** id quod de clariore potentiæ, sapientiæ, ac providentiæ divinæ cognitione videtur accipiendum. Quare nil est necesse statuere, Jobum de futura vita loquutum esse, quia se Deum visurum esse dixerit.

‡ ***Deinde illud quoque Iobi***] Inest quoque huic loco sua emphasis; Quamvis enim Judæi hoc testimonium aliò referant & pauci quidam Christiani eorum

premente

prementes vestigia, Jobi spem hîc loci non attollant ultra restitutionem suam temporalem, attamen plurimæ textus ipsius circumstantiæ ostendunt eum longiùs respicere, & se solari fiduciâ resurrectionis & fœlicitatis æternę adversus ærumnas quibuscum conflictabatur & pręposterа hominum de se judicia. Primùm enim quicquid istuc est beneficij expectat à suo Redemptore: Est autem hic vindex & גאל *Goel* Jobi, Dominus noster Jesus Christus, Messias tunc adhuc venturus, qui ἀπολύτρωσιν erat pręstiturus, ipse גאל הדם *Goel hadam*, *vindex sanguinis* Levit: xxv, 25. Ruth: iii, 13. in suo sanguine; Et Mercerus qui mallet id referre ad Deum Patrem, agnoscit tamen quod *fides veterum sine dubio erat in Deum Patrem per Messiæ redemptionem.* Jam autem nequivit esse aliud quam spirituale & æternitatem spectans beneficium illud quod Vir Sanctus à Redemptore Messia & per illum præstolabatur. Deinde id beneficij expectat Job tempore ultimi judicij: Dicit enim Redemptorem suum esse viventem & *novissimum qui super terram surget.* Quamvis enim non penitùs sit improbanda V.V. quæ habet *& in novissimo die de terra surrecturus sum*, nec sit alienum ab usu Scripturæ & hoc ipso loco, si dicatur Job de seipso loquutus in tertia persona, quod interpres reddiderit ideo per primam, attamen fateor commodiùs hoc ad ipsum Redemptorem referri; qui cum sit primus & novissimus Es: xliv, 6. etiam in novissimo die surget super terram ad judicium universi, & ex terra ac pulvere revocabit mortuos, juxta id quod legitur Joh: v, 28. 29. Tertiò, beneficium hic sperat Vir Sanctus quod demum post suam mortem esset consequuturus; nempe post corpus suum consumptum corrosumque à vermibus quorum in sepulchro esca futurus erat. Imò necesse est illud נקפו *Nikkephu*, tacitam habere relationem ad vermes eos à quibus post pellem suam erosam, corporis sui reliquiæ erant absumendæ. Quartò beneficio illo confidit erosum & consumptum antea suum corpus sibi restitutum iri per resurrectionem. Siquidem etiam post pellem suam depositam & corpus suum à vermibus consumptum, sit restituendus in integrum, atque carne sua Deum visurus; quod utique fieri non poterit quin rursum circumdetur pelle suâ, ut habet Vulgatus Interpres; Nec potest hæc Dei visio quam in carne sua se consequuturum confidebat alia esse quam fœlicitatis æternæ, & ejusdem ordinis cum ea cujus fit mentio Psal: xvi, 11. xvii, 15. Matt: v, 8. 1 Joh: iii, 2. Hæc radio solis descripta sunt, ut meritò de isto Jobi loco dixerit Hieronymus *ep. ad Pammach. de error. Ioh. Hieros. Quid hac prophetiâ manifestius? Nullus tam apertè post Christum, quam iste ante Christum de resurrectione loquitur.* Ipsi Græci interpretes qui ante Christum vixerunt eadem verba de resurrectione sunt interpretati: ἐπὶ γῆς ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀντλοῦν ταῦτα: *Ut in terra resuscitet pellem meam quæ hæc exantlat.* Eodemque redire Chaldæum paraphrastem norunt eruditi.

Hîc facile quemlibet] Est quædam in verbis diversitas, at in sensu conveniunt. Et quamvis orationis ratio magis concisa, conveniens homini cum variis tentationibus luctanti, aliquam discrepantiam pepererit inter interpretes, tamen plerique omnes in reipsa conveniunt.

Istud sufficit ostendisse] Affirmare id facilius est Volkelio quam ostendere, cum superiùs allata argumenta sint apodictica; Et quamvis *in ipsis fontibus Iobus non de se sed de Redemptore suo dicat, eum novissimum super terram seu pulverem surrecturum constiturumque esse*, id non evertit nostram probationem; Nisi enim de futura sua resurrectione loqui voluisset & die judicij, quid opus fuisset agere de suo Redemptore, qui novissimus super terram surrecturus & constiturus esset, utique

ad sui tum vindicias solemnes & glorificationem æternam?

Iobum hoc dicere statuamus] Omnes circumstantiæ textus jam annotatæ contrarium persuadent: Licet enim Job non desperaverit de potentia Dei, tamen illam valetudinis & fortunarum suarum restitutionem quam postea consecutus est, neque tum sperabat, neque noverat certò futuram. Quin dato non concesso, his verbis Jobi exprimi illam restitutionem temporalem quam postea obtinuit, saltem illam prædicere non potuerit his loquutionibus quæ evidenter respiciunt resurrectionem mortuorum, quin eam sub hujus imagine & simulachro descripturus illius quoque fidem & expectationem simul profiteretur; prout apud Ezechielem eodem fine reductio populi Israelitici ex captivitate Babylonica in terram suam, per vivificationem ossium & cadaverum prædicitur.

Quod si quis arbitretur] Imò insanit qui arbitretur Jobum hoc loco controverso agere de ea Dei visione de qua dixit cap. XLII,5. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Nam hoc loco agit de visione beatifica cujus spe se solabatur in suis ærumnis, & quam nonnisi in novissimo die à supremo Universi judice & post suam resurrectionem certò exspectabat: quò pertinet illa vocula *Novi*, cui similis extat 2 Tim: 1, 12. At ultimo capite agitur de visione secundum quid sic dicta, quatenus Job audiebat Deum se immediatè alloquentem, redarguentem & convincentem: Hæc verò Dei visio ut nullo modo expectabatur à Jobo in sua calamitate, tantum abest ut noverit antea illam sibi obventuram, ita per se nihil faciebat ad ipsius solamen, sed tantum hanc illi extorquebat Confessionem & Palinodiam, *Idcirco aspernor* (illa quæ dixi) *atque pœnitet me in pulvere & cinere.* Ineptè igitur Volkelius in ultimo Jobi capite quærit executionem ejus quod cap. XIX, 25, 26. tanta cum fiducia profitebatur se in die judicij consequuturum, ad suam & consolationem & exaltationem.

Quid verò, inquies, illud est, quòd Daniel (Dan:12.2,3.) divinissimus vates, *Multos de his, qui dormiunt in terræ pulvere, resurrecturos esse* testificatur; *alios quidem in vitam æternam, alios in opprobria, & ad contemptum sempiternum. Qui autem docti fuerint*, inquit, *quasi splendor firmamenti fulgebunt; & qui ad justitiam erudierint multos, quasi stellæ in sæculum & in æternum.* Hîc animadvertendum est, Danielem non de generali, adeoque non de propriè sic dicta mortuorum resurrectione orationem habere: præsertim si literalem, quem vocant, verborum sensum spectes, id quod & veteres nonnulli, & recentiores interpretes animadverterunt.

2 *Quid vero inquies*] Summę est impudentiæ velle hoc testimonium Danielis aliò traducere. Omnia enim ostendunt luce meridianâ clariùs, verba hæc nonnisi *de propriè sic dicta mortuorum resurrectione* esse intelligenda, adeoque *literalem* sensum non aliò posse detorqueri. Hîc enim mortui literaliter intelliguntur qui *dormiunt in pulvere:* Resurrectio eorum expressè proponitur, eaque bipertita, alia ad *vitam æternam*, alia ad *opprobria & contemptū* æternum; quod idem habet Christus Joh:v,28.29. Beatorum quoq; gloria iisdem ferè verbis describitur à Daniele, quibus in eodem argumento usus est Apostolus 1 Cor: xv, 41. 42. 43. Nec pigebit hîc annotare ad majorem confusionem Socinianorum Josephi Jachiadæ Judæi paraphrasim verborum Danielis com. 2. *Tunc fiet miraculum resurrectionis mortuorum*;

rum; nam multi dormientium in terra pulverulenta expergiscentur; hi ad vitam æternam qui sunt sancti; illi vero ad opprobria & detestationem æternam, qui sunt impij: Urit itaque hic locus Socinianos bifariam; 1. quia apertum testimonium continet resurrectionis mortuorũ in V.T. 2. quia etiam impios resurrecturos asserit ad pœnas æternas; quod utrumque negant hæretici.

Id quod & Veteres] Ex Veteribus unus fortè posset proferri Porphyrius Religionis Christianæ hostis infensissimus; quem sequuntur oppidò pauci recentiores Porphyriani; quos inter ad hunc locum Grotio placuit suum nomen profiteri; Ut autem cum talibus contra Veritatẽ Christianam conspirent Achristiani Sociniani, nihil mirum; Aliàs communis interpretatio Judæorum & Christianorum literalem verborum Danielis sensum de mortuorum resurrectione sumit. Sed dato non concesso interpretationem Volkelianam esse admittendam, & vaticinium Danielis de populi liberatione temporali esse intelligendum, tamen eo ipso evinceretur illo tempore creditam fuisse in Ecclesia resurrectionem futuram mortuorum, quod beneficium temporale sub illius nomine & imagine exprimeretur: nam metaphoræ à rebus notis & certis desumuntur. Ita dum Scriptores N. T. restitutionem nostram per gratiam exprimunt sub imagine & nomine secundæ creationis, eo ipso supponunt veritatem & certitudinem creationis primæ, prout in Scripturis V.T. describitur.

Primùm enim ex præcedentibus verbis apparet, istam resurrectionem ad tempora, quæ jam olim præterierunt, spectare. Quandoquidem ea, quæ hîc recensentur, dicuntur extitura *in illo tempore*, nempe de quo hucusque sermo fuerat. Sermo autem fuit de tempore Antiochi, qui Judaicum populum, ut ex Machabæorum libris constat, gravissimè afflixit: à qua tamen tyrannide ac calamitate populus ille postmodum fuit liberatus. Quod cum interpretes alij animadverterent, ut nihilominus hunc locum de universali resurrectione possent accipere, dixerunt Prophetam ab Antiocho subitò ad Antichristum delabi: quia Antiochus Antichristi fuerit typus, & afflictio populi Judaici ab illo vexati, imago quædam populi Christiani ab hoc oppressi, & similiter liberatio liberationis. Verùm si Propheta, ut illi fatentur, propriè de Antiocho locutus fuit, de Antichristo autem non nisi mysticè; non possunt non verba *in illo tempore*, ad Antiochi, seu eum proximè insequuta tempora referri: nec ita mysticum sensum sequi licet, ut à literali prorsus discedas: præsertim cùm mysticus, nisi ipsum divinum spiritum, vel saltem rei eventum, habeas interpretem, incertus sit, necquicquam certi ex eo concludi possit.

‡ *Primùm enim ex præcedentibus*] Nullo probabili argumento nititur hæc asseveratio; Nec enim hæc resurrectio dicitur extitura *in illo tempore* quo Michael incœpturus erat suum populum eripere ex persecutione Antiochi, sed duntaxat tempus illud subsequutura. Nam per Maccabæos, Michaële, idest Christo, duce, incœpit populus Dei *eripi &* (ut loquitur Junius) *salus Dei demonstrari, per suos temporum gradus promovenda, tandemque perficienda secundo adventu Christi*

& resurrectione mortuorum. Neque planè insolens est in sacris literis ea continuo quodam tenore referri, quæ tamen satis magna temporum intercapedine differant. Christus ita conjunxit Matt. XXIV. ea quæ ad ultimum judicium spectabunt, cum iis quæ respiciebant destructionem Jerosolymorum, ut primâ fronte hæc duo immediatè cohæsura videantur: Multa similia ex Apocalypsi proferri possent. Sed & sunt alię rationes connectendi quod prædicitur de futura resurrectione, cum illa liberatione promissa versu primo; Sive mens fuerit Spiritus Sancti, post temporalē liberationem promissam com. 1. insequenti 2. transire ad spiritualem & æternam; Sive gravis illa angustia ex qua populus Dei tandem liberandus erat, ad Antichristi potiùs quam Antiochi persecutionem pertineat; Sive id spectet partim ad elucidationem ejus quod sub finem commatis præcedentis legitur, his verbis, *Tempore illo eripietur populus tuus, quisquis inventus fuerit scriptus in libro illo*, (prædestinationis æternæ) eo quod tandem in judicio ultimo, cum universa mortuorum multitudo resurget, ad vitam & gloriam omnes illi resurrecturi sint, quos ceu libro vitæ inscriptos eripuerit Dominus ex tentationum incendio; partim ad eos qui tam gravia erant passuri, vel sub Antiocho vel sub Antichristo ad constantiam & piam fortitudinem incitandos, spe summę ac æternæ fœlicitatis obtinendæ in resurrectione mortuorum: Nam & simile quid proponitur à Christo Matt. XVI, 25. 26. 27. ut accuratè ostensum à Viro Nobili Petro Launæo, *in Danielem*. Hinc plerique piorum Martyrum quos Antiochi sævitia sustulit, quasi ad hunc locum Danielis respicientes, non fortiori se muniebant armaturâ adversus tormenta quibuscum luctabantur, quam indubitatâ spe resurrectionis mortuorum & vitæ æternæ consequenter ad illam, ut videre est nominatim 2 Macc. VII, 9. 11. 14.

Sermo autem fuit] Non quod tempore Antiochi hæc omnia quæ prædicuntur essent peragenda; sed quod tunc vel illa essent eventura contra quæ pij se solari debebant expectatione resurrectionis futuræ in die judicij, vel saltem illa inchoanda, quæ per subsequentia sæcula continuata, tandem illam Resurrectionis finalis coronidem erant habitura.

Quod cum interpretes] Neque eò est deveniendum, ut liquet ex jam dictis; neque abhorret à vero potius de Antichristo intelligendum esse Danielem quam de Antiocho; Etenim cum agit Propheta de liberatione per Michaelem, idest Christum, obventura, quam tamen suæ angustiæ quales prædixit ipse Christus in Euangelio erant comitaturæ, nulla cógit ratio id totum restringendi ad Antiochi tempora, post quæ demum noster Michael apparuit, ad liberandum populum ex suis peccatis. Nec desunt illis interpretibus suæ rationes propter quas putent Danielem agere & hoc & præcedenti capite de Antichristo, cujus Deum *Maozim* nos quondam speciali Diatribâ descripsimus. Neq; id insolens est Scripturis ut à typo transeant *subitò* ad prototypum, aut illius occasione ea demum enarrent quæ huic soli conveniant. Patet in plurimis Psalmis Davidis qui sunt sub illius typo Prophetici de Christo; in quibus ita Spiritus sanctus subitò delabitur ad Christum, ut ea referat quæ ipsi soli, nullâ ratione Davidi conveniant. Videantur speciatim Psalmus 2. 22. & 69. Igitur potest negari Volkelio 1. Prophetam *propriè de Antiocho*, loquutum fuisse, *de Antichristo autem nonnisi mysticè*; cùm pôtuerit etiam propriè de hoc loqui; ut in illis prophetiis in quibus sensus est compositus, Prophetarum verba æquè *propriè* de prototypo ac de typo debent intelligi. 2. Verba hæc Danielis, *in illo tempore*, ad Antiochi tempora sic esse referenda & restringenda, ut nihil eorum quę hic prædicuntur eò non debeat pertinere.

Nam

Nam ut-ut pertineat simul ad Antiochi & Antichristi tempus angustia & calamitas populi Dei & liberatio in communi per Michaelem Christum, non tamen per id debet ad utriusque tempus spectare modus ille specialis & augustior liberationis per resurrectionem gloriosam. Non si aliquo modo pertinet etiam ad Davidem initium Psalmi XXII. *Deus mi Deus mi quare me dereliquisti,* ideo pertinebit etiam ad ipsum hæc pericopa, *Foderunt manus meas & pedes meos.* 3. Dato non concesso, etiam hanc pericopam suo sensu pertinere ad tempora Antiochi, ita ut liberatio quæ obtigit populo ab illius tyrannide fuerit species quædam resurrectionis, quali restitutus fuit Isaac Abrahamo Heb. XI, 19. id non impediret quominus liberatio obventura piis à jugo Antichristi sit futura ex vaticinio Danielis resurrectio propriè dicta.

Præsertim cum mysticus] At Volkelius suo se jugulat gladio: Nam cùm rei eventus satis doceat hanc resurrectionem non contigisse tempore Antiochi, nec posse per omnia applicari liberationi concessę tum populo, superest ex hypothesi eorum qui Antiochum hîc faciunt typum Antichristi, à qua nec abludit ipse adversarius, ut ad Antiochi mystici tempora speciatim referantur. Uno verbo Resurrectio Danieli celebrata, vel sequuta fuit Antiochi persecutionem & ruinam, vel sequetur demum tyrannidem Antichristi & ejus eversionem: Prius dici non potest; cùm liberatio ex Antiochi pressura non fuerit resurrectio mortuorum, eamque aliorum ad vitam æternam, aliorum ad opprobria & contemptum sempiternum; nec potest intelligi quî & quâ ratione liberatio illa, sive mystica resurrectio, cesserit quibusdam tantum liberatorum ad vitam æternam, aliis vero ex illis ad opprobrium æternum. Quod si non est temerè recedendum à sensu proprio ad mysticum & figuratum, *nisi ipsum divinum Spiritum vel saltem rei eventum habeas interpretem,* quâ licentia audet Volkelius relicto sensu proprio & literali verborum Danielis tam graphicè & expressè resurrectionem mortuorum, eamque exitu duplicem proponentium, ad sensum mysticum confugere, & propriam vocum significationem in figuratam transmutare, ut evidentem Sadducęismum propugnet?

Deinde illud quoque docet, de ultima hîc ac propriè sic dicta resurrectione sermonem non esse, quòd hæc futura sit universalis. At in Prophetæ verbis non dicitur *omnes*, sed *multos ex iis*, *qui in pulvere terræ dormiunt*, *resurrecturos*; quod omnino significat, aliquos tunc non resurrecturos. Nam quòd quidam 61.
dicunt, *multos* interdum *omnes* significare, aut in se comprehendere: id hîc locum habet nullum. Non enim simpliciter dicitur, *multos in pulvere terræ dormientes resurrecturos*, sed *multos de his*, seu *ex iis*, qui in pulvere terræ dormiunt. quæ loquendi ratio semper distributionem aliquam significat ejus generis, de quo verba fiunt, & non omnes ejus generis res aut personas, sed aliquas tantùm intelligendas esse docet. Ut taceam, non obscurè ex verborum contextu apparere, non nisi de iis agi, qui ex gente Judaica fuerint. Confer cum his verbis ea, quæ leguntur cap. præced. v. 32. & seqq.

‡ *Deinde illud quoque*] Hæc altera exceptio Volkelij est ejusdem valoris cum præcedenti; Nam 1. Hypothesim suam deserit Hæreticus, dum videtur de ultima resurrectione fateri *quod futura sit universalis.* Non agnoscunt hanc universalita-

falitatem Sociniani, qui impios & infideles resurrecturos negant. II. Cum non diffiteatur *multos* interdum in Scripturis *omnes* significare, neque sumi per modum contractionis & restrictionis, sed amplificationis & dilatationis, prout exempla prostant Rom: v, 15. 19. absurdè admodum negat hanc resurrectionem fore omnium, eo quod multorum futura dicatur. III. Ineptum quærit effugium in eo quod non simpliciter dicitur, *Multos in pulvere terræ dormientes resurrecturos*, sed, *multos de his* seu *ex iis* qui in pulvere terræ dormiunt, ut inde colligat fieri hic distributionem generis, nec omnes illius personas intelligi. Nam Castalio & Leo Judæ non reddiderunt *multos ex his*, vel *ex iis*, sed *multos dormientium*, vel *multos eorum qui obdormiverint*; imò Græci interpretes πολλοὺς τῶν καθευδόντων: prout Hebraismus est ponere præpositionem cum ablativo pro regimine genitivi. Jam autem si multi ex dormientibus, sunt juxta linguæ proprietatem ex Interpretum doctissimorum consensu, multi dormientium, concidit observatio Volkelij, eo magis quod potest nomen concretum, *multi*, sumi pro abstracto, *multitudo*, ut per multos dormientium in pulvere eorum universam multitudinem intelligamus. Ut autem hunc assignemus sensum verbis Prophetæ, cogit potissimum authoritas Christi dicentis respiciendo ad hanc Prophetiam Joh: v, 28. 29. venturam horam quâ *omnes qui sunt in monumentis audient* vocem suam, *& prodibunt qui bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerint in resurrectionem condemnationis*; quem locum Augustinus *lib.20. de Civit. Dei cap.23.* confert meritò ceu parallelum cum hoc Danielis testimonio, hæc verba subjiciens; *Non autem diversum putetur, quod cum ibi positum sit Omnes qui sunt in monumentis, hic non ait Propheta omnes, sed Multi dormientium in terræ aggere; ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus multos; propterea & Abrahæ dictum est, Patrem multarum gentiũ posui te; cui tamen & alio loco, In semine inquit tuo benedicentur omnes gentes.* Sed & eodem nos ducit ipsa Danielis distributio horum resurgentium in duos ordines, aliorum nempe ad vitam æternam resurgentium, aliorum verò ad opprobria æterna: Etenim universa hominum multitudo in duos istos ordines erit dispecenda in die judicij. Etnemini mirum videri debet quod vox multorum pro omnibus, sive pro universa multitudine dormientiũ, usurpetur à Propheta, quandoquidem quod magis est vocula τὶς *quidam*, universaliter usurpatur pro quocunque Joh: vi, 50.

Ut taceam non obscuro] Hoc sanè optimo jure tacere potuisset Volkelius, cùm tota contextus series demonstret loqui Prophetam de universa multitudine mortuorum; licet id dirigat maximè ad consolationem piorum & populi Dei graviter afflicti, sive ab Antiocho, sive ab Antichristo, sive successivè ab utroque.

Confer cum his] At verò illa collatio nihil facit ad causam Volkelij: tùm quia non minus Daniel eo loci possit intelligi de statu Ecclesiæ sub Antichristo, quam Synagogæ sub Antiocho; tùm quia licet ad specialem vel consolationẽ piorum qui tempore Antiochenæ persecutionis perseveraturi erant, vel terrorem apostatarum qui turpiter tum erant defecturi, possit spectare quod hîc habetur de futurâ resurrectione bonorum & malorum, non tamen inde sequitur illam resurrectionem futuram ad solos illorum temporum homines pertinere.

Sermo ergo est in illis Prophetæ verbis de liberatione populi Judaici ex ingenti calamitate, quâ fuerit oppressus. Homines enim calamitosos, & omni dignitate, omnibus fortunis spoliatos, mortuis comparari, paulo antè in illo

illo Ezechielis loco cap. 37. vidimus: ac porrò qui ex hujusmodi calamitate eripiuntur, veluti è pulvere terræ excitari ac resurgere, dici meritò queunt. Ista verò ab afflictione atque oppressione liberatio, aliis quidem cessura erat in æternam gloriam, iis nimirum, qui Legi divinæ constanter adhæsissent, nec ulla vi, ullis minis, aut tormentis se à pietate in Deum ad impia sacra passi essent avelli: & iis quidem maximè, qui aliis quoque ejusdem constantię atque auctores fuissent, & tum verbis tum exemplo ad omnem virtutem præivissent: cæteris autem, qui ut calamitatem effugerent, à Lege, à pietate ac virtute descivissent, eadem illa liberatio cessura erat in perpetuum dedecus & ignominiam. Durante enim tyrannide non malè sibi consuluisse videbantur: at ea cessante apparuit nefandæ apostasiæ ac impietatis turpitudo, & perpetuam illorum nomini infamiæ notam inussit, præsertim Deo illorum impietatem suppliciis suis persequente.

‡ *Sermo ergo est*] Id statui non potest; quia liberatio illa non potuit aliis esse gloriosa & *ad vitam æternam*, cùm iterum fuerint morti obnoxij; aliis vero probrosa & contumeliosa in perpetuum, cùm resipiscere potuerint. Sed etiam hac explicatione posità non potuit illa liberatio per metaphoram resurrectionis exprimi, nisi supponendo illi resurrectioni, aliis ad vitam æternam, aliis ad æternum opprobrium, futurum tandem locum inter homines.

Homines enim calamitosos] Nullo tamen loco Scripturæ probabitur illos *dormientibus in pulvere* annumerari; hęc enim descriptio est potiùs eorum qui revera & propriè mortui sunt; Quare nonnisi propriè debet sumi quod dicuntur *è pulvere terræ excitari ac resurgere*. Non opus est recurrere ad sensum figuratum & coactum ubi proprius est obvius & facilis.

' *Ista vero ab afflictione*] At 1. liberatio hæc non potuit ad eos spectare qui *à lege, à pietate ac virtute descivissent*, cùm tales Apostatæ non liberati fuerint liberatione Ecclesiæ, sed potiùs expositi pœnis quæ lege Dei in tales decernebantur. II. Absurdè gloria & celebritas quam pij post liberatam Ecclesiam ex sua perseverantia erant reportaturi inter homines, maximè vero ij qui cœteris *ejusdem constantiæ duces atque auctores fuissent*, exprimeretur nomine *vitæ æternæ* ad quam illi resurrecturi dicuntur. III. Si perseverantia tempore oppressionis producebat piis sub V.T. *æternam gloriam*, ergo non carebat V.T. promissis vitæ & glorię æternę. IV. Nec video quî liberatio Ecclesiæ à persecutionis vexa lapsis cedat *in perpetuum dedecus & ignominiam*, si post restitutam pacem resurrexerint à suo lapsu & ad communionem sanctorum redierint.

Durante enim tyrannide] Igitur tyrannidis cessatio non potest ullo modo dici eorum resurrectio ex pulvere terræ: cum nec humi essent affixi tempore tyrannidis, sed è contrario florerent & vigerent, nec calamitati subducti fuerint per desitionem tyrannidis, sed è contrario ex statu terreno florenti & prospero in varia probra & supplicia præcipitati.

Hîc verò antequam ad alios sac. literarum locos, qui divinæ huic veritati objici solent, accedamus, hoc admonendum duximus, tria ista superiora divini spiritus testimonia, quamvis, si propriam illorum spectes sententiam,

istarum, quas diximus, rerum significationem habeant, mysticè tamen ad veram propriamque mortuorum resurrectionem accommodari posse, ita nimirum, ut illius quandam contineant adumbrationem.

‡ *Hic vero antequam*] Hæc admonitio frivola est; siquidem demonstravimus *tria ista superiora divini spiritus testimonia*, propriè de resurrectione mortuorum agere; eo quod nonnisi metaphoricè & figuratè possint traduci ad liberationem terrenam & temporalem: Adhæc mystica quam Volkelius concedit eorum accommodatio legitima esse nequit, quin Spiritus Sanctus eam intenderit; *præsertim cum sensus mysticus, nisi ipsum divinum spiritum, vel saltem rei eventum habeas interpretem, incertus sit, nec quicquam certi ex eo concludi possit*, inquiebat paullò ante ipse hæreticus.

Jam ut reliqua consideremus testimonia; illud firmissimum à quibusdam existimatur, quòd Christus Iudæis scripturarum scrutationem attribuens asserit (*Ioh*: 5. 39.) eos putare, se in illis vitam æternam habere. Verùm id
62. contrariam potiùs sententiam confirmat; cum Christus nequaquam scripturis illis vitam æternam contineri, sed eos ita arbitrari, affirmet.

‡ *Iam ut reliqua*] Et certè suum inest pondus huic argumento: Nec enim id Judæos perperam fuisse arbitratos, multa evincunt; I. Aliàs eos Christus frustrà adhortatus fuisset ad scrutandas Scripturas; quia nonnisi vitæ æternæ adipiscendæ studio evolui debent. II. Eo ipso in Scripturis vitam æternam habebant Judæi, idest viam & rationem illius consequendæ, quod, ut subjicit Christus, confirmaturus Auditores in hac sua sententia, ipsę sacræ literæ de se testentur, qui extra dubium via est veritas & vita. III. Nisi promissiones vitæ æternę & ratio illius obtinendæ extitissent in libris V. T. Paulus profiteri non potuisset se annunciando Christum & vitam æternam, nihil docuisse extra ea quæ extant in Mose & Prophetis, Act: XXVI, 22. IV. Cùm sacrę illæ literæ Timotheo cognitæ ἀπὸ βρέφους potuerint eum σοφίσαι εἰς σωτηρίαν 2 Tim. III, 15. non fallebantur Judæi existimantes se in illis habere vitam æternam. Quod si qui veterum cum Chrysostomo *hom. 4. in Ioh.* in voce *putatis* senserint notari hallucinationem Judæorum, illi sanè non existimarunt Judæos in eo corripi quod justo plus tribuerent Scripturæ quam contineret, sed in eo quod arbitrarentur solam vel professionem vel lectionem Scripturarum sibi sufficere ad salutem: Ideo Chrysostomus sic loquitur; *Non inquit habetis sed putatis habere, ut demonstraret, nihil eos solà lectione proficere nisi fides accedat.* Hinc Erasmus ita παραφράζει totum illum locum: *Certè creditis Scripturas esse profectas à Deo; cumque in his scrutandis diligentes versemini, atque in his vitæ spem ac fœlicitatem collocetis, tamen quemadmodum Iohanni cui in cœteris plurimum tribuistis, de me testificanti fidem habere noluistis, ita Scripturis in eo quod est omnium caput non creditis; Promittunt enim illæ vitam sed per me.* Non omnes tamen interpretes senserunt aliquam hallucinationem Judæorum notari per voculam *putatis*. Augustinus enim *tract. 23. in Ioh.* sic loquitur; *Quid vos putatis habere in Scriptura? Vitam æternam. Ipsam interrogate, cui perhibet testimonium, & intelligite quæ sit vita æterna;* Et Emanuel Sà, illud *in ipsis* interpretatur *per ipsas, scilicet*, inquit, *credendo & obediendo eis:* adeo ut hæc illorum opinio justa, legitima & laudabilis fuerit, non vitiosa aut culpabilis.

Præterea

Præterea afferri solent illa Christi verba, quibus, adversus Sadducæos disputans, ex Vet. Testamenti scriptura ostendit, resurrectionem futuram. Ita enim ait: *de resurrectione autem mortuorum non legistis, quod vobis à Deo dictum est dicente: Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi. Non est Deus mortuorum Deus, sed viventium.* (*Matth: 22. 31.*) Atqui animadvertendum est, nos in hac disputatione nostra, non ea rei istius testimonia requirere, quæ tantâ sint obscuritate involuta, ut nihil minùs quàm sempiternæ vitæ promissum continere videantur, nec de ea intelligi queant, nisi eorum sensus divinitùs nobis aperiatur: sed quæ apertis luculentissimisque verbis, ut in nova scriptura fieri videmus, hoc Dei beneficium nobis polliceantur. Ex quorum numero hoc, quo de agimus, nequaquam esse hinc patet, quòd antequam Christus illud explicaret, nemo unquam extitit, qui vel suspicari auderet, tale quid illo comprehendi. Neque enim credibile est, Pharisæos Legis divinæ peritissimos, sæpenumerò, ut videtur, cum Sadducæis de mortuorum resurrectione, acerrimeque concertantes, hunc locum silentio præterituros fuisse, si rei istius testimonium eo contineri animadvertissent. Quid, quòd Matthæus Christum hoc suo responso Sadducæorum os obturasse apertissimè testificatur? ut facilè appareat, hanc loci illius explicationem novam planè & inauditam fuisse; & sic verissimè à nobis dici, Christum primum extitisse, qui vitæ æternæ mysterium nobis explicaverit. Adde, quòd in his verbis nulla sit generalis futuræ vitæ promissio, sed specialis tantùm, ad Abrahamum, Isaacum, & Iacobum nominatim spectans.

Præterea afferri solent] Etiam jure hæc adferuntur; cùm ista Christi probatio tam fuerit evidens & demonstrativa, ut ad illam obmutuerint Sadducæi, nec habuerint quicquam quod ei reponerent: Non desunt alia loca ex Mose ad probandam resurrectionem & vitam æternam; quorum nonnulla refert & urget Menasseh Ben Israel Judæus *lib.* I. *de Resurr. cap.* I. Etiam melioris vitæ post hanc promissionem tunc extitisse liquet ex ipsius Balaami voto, *Moriar morte justorum* Num: XXIII, 10. *quibus verbis ut rectè notant Hebræorum magistri* (inquit Grotius ipse *ad Matt.* 22.) *ostendit piis Hebræis præmia aliqua post hanc vitam esse reposita.* Sed argumentum Christi eo est urgentius, quod Deus non potuisset dici Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi post eorum obitum, si penitùs desiissent esse, nullumq; superesset beneficium quo jam ex parte, animorum suorum respectu, penes ipsum potirentur, & planè essent donandi quoad suas personas integras per resurrectionem ex mortuis. Ideo de iisdem Patriarchis monet Apostolus Heb: XI, 16. quod potiorem patriam expetierint nempe cœlestem; atque ideo non pudere Deum se illorum Deum appellari, quod illis præparasset civitatem: Et in parabola Epulonis & Lazari hujus anima dicitur translata in sinum Abrahæ, idest cum Abrahamo recepta in gaudia cœlestia Luc: XVI, 22. Adde Matt: VIII, 5. 11.

Atqui animadvertendum] Hæc animadversio est perabsurda: Nam primò non controvertitur inter nos, num clariores dentur promissiones vitæ æternę sub N. quam sub V.T. Id enim largimur utraque manu: Sed tantum an V. T. habuerit

buerit aliquas promissiones vitę æternæ; Talem autē contineri loco quem Christus citat qui negaverit, iis Sadducæis obstinatior ipsi Christo debebit contradicere. Secundò nisi aperta & evidens fuisset Christi probatio, ad illam Sadducæi non obmutuissent; sed cum Volkelio regessissent, hæc Dei verba apud Mosem *tantâ obscuritate esse involuta, ut nihil minus quam sempiternæ vitæ promissionem continere videantur.* Nec eam admiserunt propter authoritatem dicentis & quod intelligerent hæc sibi *divinitùs* aperiri, sed propter evidentiam rationis. Tertiò cùm ad intelligendam cum fructu quamlibet partem Scripturæ, eam maximè quæ spectat Salutem nostram, opus habeamus speciali Dei gratiâ quâ nobis aperiat mentem ut intelligamus Scripturas Luc:xxiv,45. si id demum apertè & luculenter in Scriptura continetur cujus sensū *divinitùs* nobis aperiri non opus est, utique nihil erit ad salutē nostram spectans quod in Scriptura luculenter & apertè contineri statuatur. Quod verò nobis debeat *divinitùs* aperiri Scripturarum sensus, non est tribuendū earum intrinsecę obscuritati, quasi non satis clarè & perspicuè vel mandata vel promissiones Dei contineat, sed nostrę nativæ cœcitati, per quam mentes nostræ plerumque se habent ad divinam revelationem ut noctuę ad radios solis. Quod Senecę Harpaste non videret, adscribi debebat, non uti rebatur ipsa fenestrarum occlusioni, aut ædium obscuritati, sed vitio suorum oculorum quos catharrus derepentè occupaverat.

Ex quorum numero] At faciliùs potest asserere Volkelius quam probare neminem extitisse ante Christum qui hanc veritatem subodoratus esset. Deinde etsi nullus antea ex isto loco deduxerit hoc beneficium, non sequitur, ergo illud penitùs ignotum antea fuisse, nec ex ullis aliis Scripturæ V.T. testimoniis potuisse comprobari. Non statim etiam id non continetur apertè in Scripturæ quodam testimonio, quod primùm ab aliquo incipit observari. Nec debet prædecessorum incogitantia vel inadvertentia trahi in argumentum obscuritatis Scripturarum. Multa quotidie in Scripturis deprehenduntur satis obvia & aperta, quæ tamen nemini antea observata fuerant. Multa vaticinia de Christo extant satis aperta in V.T. quibus tamen antequam ab Apostolis applicarentur & explicarentur, vix quisquam potuisset suspicari tale quid comprehendi. Non ideo aperta & clara non sunt in Mose & Prophetis testimonia de Christo, eo quod Judæi eò nunquam penetrent & velum remaneat super eorum cordibus in lectione V.T. 2 Cor: III,14. Si rogaveris Socinianum num apertus & luculentus sit sensus quem sui affingunt verbis Christi, *Antequam Abraham esset ego sum*, quæ ita solent reddere, Antequam Abraham fiat Pater gentium, ego sum lux mundi, id à te volet suscipi tanquam apertissimum & positum extra omnem controversiam. Et tamen antequam Socinus id ita explicaret, nemo vel suspicari ausus fuisset id verbis Christi comprehendi quod somniant adversarij.

Neque enim est] Non statim id desinit esse apertum in Scripturis, quod fugerit *Pharisæos legis divinæ peritissimos*, Volkelij judicio: Multa enim Sociniani ipsi putant se apertè in illis reperiisse, quæ non fuerint animadversa à tot sæculis per doctissimos interpretes Veteres & Juniores. Et sæpè evenit ut copiâ homines fiant inopes, & ubi datur delectus argumentorum, præ animi imbecillitate, potiùs plausibiliora, quam probabiliora quærant & urgeant. Potuit fieri vel ut Pharisæi non observarint hoc argumentum, cùm plura alia non deessent quibus expugnarent pervicaciam & Socinianismum Sadducæorum; vel ut Christus hoc ex professo usus fuerit, etsi alia essent plurima quæ primâ fronte apertiora videri potuissent, quo ostenderet etiam minimo lapillo ex Scripturarum torrente desumpto, fœti-

co, fœtidum Atheismum Sadducæorum profligari posse. Et fuissent Sadducæi excusabiles & extra periculum damnationis in impio suo asserto, si nullo sufficienti Scripturæ testimonio ab Orthodoxæ sententię assertoribus ante tempora Christi convinci potuissent.

Quid quod Matthæus] Id verò factum non authoritate Christi, quam Sadducæi nec agnoscebant, nec admittebant; nec sola argumenti novitate, quam potiùs exsibilassent, nisi de ejus soliditate fuissent convicti; sed illius solâ evidentiâ cui non poterant contradicere.

Et sic verissimè] Quamvis Christus prior ex hoc loco hanc veritatem eruerit, non tamen absolutè statui potest *Christum* ideo *primum extitisse qui vitæ æternæ mysterium explicaverit:* Nec enim hoc argumento, forte novo, proposito, negauit cœtera quibus usi fuerant antea Orthodoxi contra impietatem Sadducæorum solida fuisse, aut Sadducæos excusavit ab ignorantia invincibili ob eam veritatem impugnatam quam nemo antea vel demonstrasset, vel demonstrare ex Scripturis potuisset; imò illos erroris nefarij damnavit eò quod *nescirent Scripturas & Virtutem Dei* Marci XII, 24.

Adde quod in his] At verò quod promissum erat Patriarchis, promissum unà fuisse eorum semini & posteritati tota clamat Scriptura, Gen: XVII, 7. Et si non procedat argumentum ab Abrahamo, Isaaco & Jacobo ad universam eorum posteritatem, Christi probatio adversus Sadducæos non sufficiens fuerit: quod Volkelius videtur hîc in sui Sadducæismi gratiam velle innuere, prout olim fecit Cardinalis Perronius dum Scripturarum insufficientiam in Traditionum gratiam mordicùs tueri conabatur.

Instabunt tamen dicentque, Abrahamum, Isaacum, & Jacobum expectasse civitatem habentem fundamenta; item appetiisse, & quæsivisse patriam meliorem, nempe vitam æternam, idque divinis testimoniis confirmari. (*Heb: 11.10*[illegible].) Quinimò & Pharisæos mortuorum resurrectionem sperasse, tum Paulum testificari, tum vel ex hac ipsa illorum à Sadducæis dissensione clarissimè patere; (*Actor: 24, 15. 26. 7.*) hincque necessariò concludi asserent, sempiternam illis vitam promissam fuisse. Nos igitur ut totam hanc argumentationem planè diluamus, primò ex eo, quòd divinis literis proditum sit, Abrahamum, Isaacum & Iacobum expectare, appetere, & inquirere patriam meliorem, civitatemque habentem fundamenta, negamus consequi, patriam civitatemque eam illis apertè ac nominatim promissam fuisse.

‡ *Instabunt tamen*,] Quanti sit momenti hæc instantia patebit ex frigidioribus exceptionibus adversarij.

Primò ex eo quod] Absurdè negatur consequentia: cùm spes & expectatio Patriarcharum, ut firma fuit, sic certâ & apertâ Dei promissione niti debuit. Nemo sanæ mentis publicè profitetur suam peregrinitatem & illud χαλέπον τοῦ ξένου σχῆμα assumit, aut patriam se suam desiderare testatur, cui non constet abundè de sua conditione. Philosophus ille rogatus cujas esset, se totius mundi civem profitebatur: & quilibet locus juxta philosophos viro forti patria est: At Patriarchæ se non cives dixerunt sed peregrinos in terris, securi patriæ suæ cœlestis, quam post emensam viam se consequuturos pro certo confidebant; scientes quod qui promiserat potens esset & præstare Rom: IV, 21. Et tam absurdè fingat Volkelius illam spem & expectationem certam

tam nullo certo & aperto promisso nixam fuisse, cùm à Deo nihil veniat confidenter expectandum quod ipse non promiserit, quam evidens est promissio facta Abrahamo Gen:xv,1. *Ne timeas Abram, ego sum clypeus tibi, merces tua ampla valde.* Nec tantùm dicuntur Veteres expectasse, inquisivisse, appetiisse patriam meliorem & civitatem habentem fundamenta, *ubi rex veritas, lex charitas, modus æternitas*, ut loquitur Augustinus *epist.* 5. sed disertis verbis hæc eorum expectatio, inquisitio, appetitio *fidei* adscribitur ab Apostolo, & fidei hanc *promissionem* amplexanti & admittenti. Ita enim loquitur Heb: xi, 10. *Per fidem, Abraham commoratus est in terra promissa ut aliena, commoratus in tabernaculis cum Isaac & Iacob cohæredibus ejusdem promissionis; expectabat enim civitatem illam habentem fundamenta*; & com. 13. dicuntur mortui *secundum fidem*, cum *promissa eminus fuissent conspicati, καὶ πεισθέντες, καὶ ἀσπασάμενοι, de illis persuasi & ea amplexi; ac sese professi peregrinos & advenas esse in terra.* Cùm itaque *fidei* Patriarcharum eorum expectatio tribuatur; cùm hæc expectatio fuerit *promissionis* sibi factæ; cùm de civitate illa & patria cœlesti obtinenda fuerint *secundum fidem* in qua obierunt *persuasi*; cùm cæteroquin nulla sit fides & fidei persuasio, cui non substernatur promissio & verbum Dei Rom:x,17; cùm patriam cœlestem jam in via fuerint eminùs conspicati, eamque salutarint & amplexi fuerint, nixi firmitate promissionum divinarum, ut nautæ eminùs apparentem terram faustis acclamationibus solent salutare, unde Poëta, *Italiam, Italiam primus conclamat Achates*; oportet Volkelium sibi persuasisse Lectorem se consequuturum qui textum sacrum nollet consulere, dum tam audacter asserit patriam civitatemq; cœlestem quam fide expectabant Patriarchæ, illis tamen *apertè* & *nominatim* promissam non fuisse. Quamvis enim illius *patriæ* & *civitatis* nominatim & *αὐτολεξεὶ* mentio illis non facta fuisset, satis tamen habuit firmamenti eorum fidei in promissione divina ut rem ipsam assequeretur & amplecteretur. Nec ideo nulla fuit ipsis hujusce patriæ cœlestis promissio facta, eo quod non tam *aperta* fuerit, ac nunc sub N.T. Insanierit Volkelius si negaverit Christum apertè prænunciatum & prædictum fuisse à Prophetis, quibus ut ex Ida monte in insula C[illegible] ante Solis ortum sol visus, eò quod minus *apertè* de Christo agitur in scriptis Propheticis quam in libris Novi Testamenti. Plus & minus non variant speciem.

Fieri enim potest, ut hoc illis à divino isto autore; non propri, sed per
63. quandam dicendi figuram, in vulgari etiam sermone usitatam, attributum fuerit. Dicimus enim quempiam id velle, desiderare, quærere, quod vel desiderio ejus admodum est accommodatum, utut in specie, ut loquuntur, quale id sit, ignoret; vel ejus factis est valde consentaneum, & iis planè dignum. Sic cum aliquid reperimus, quod votis nostris egregiè respondeat, dicimus, hoc esse, quod jam pridem voluerimus, cupierimus, quæsierimus; etiamsi id ipsum antea nobis fuerit incognitum. Nonnunquam id quispiam querere dicitur, quod non desiderio, sed factis tantùm ipsius est consentaneum, cupiditati autem ac consilio etiam adversum. sic qui in pericula se temerè præcipitant, perniciem; qui aliis molesti sunt, & ad vindictam eos provocant, plagas quærere dicuntur. Multò ergo magis id quispiam appetere, quærere, expectare dici potest, quod simul & desiderio ejus, & factis admo-

admodum est consentaneum, quodque eum certò manet, etiam si in specie sit incognitum. Iam verò & desiderio Patriarcharum istorum, & factis, habita præsertim ratione divini de illis remunerandis decreti, patria illa cœlestis erat maximè consentanea atque accommodata. Desiderio quidem, quia patriam, in qua sedem stabilem figerent, votis suis quæsierunt: factis autem, quia & Deo constanter páruerunt, & ita se gesserunt, ut non patriam aliquam, quę jam tum extaret, sed futuram, cujus auctor Deus esset, expectare viderentur; quam etiam Deus immutabili decreto illis destinavit. Quare etiamsi eam distinctè non haberent cognitam, nec scirent, eam cœlestem esse, atque adeò ad hanc definitè ac nominatim vota sua non dirigerent, in ea ve spes suas defigerent; nihilominus tamen rectè eam expectasse, appetiisse ac quæsiisse dicuntur.

‡ *Fieri enim potest*] Cùm ita dubitanter noster Dubitantius loquatur, vel eo ipso insinuat nolle sibi credi: Et nulla causa subest cur à propria sermonis Apostolici significatione ad figuratam transeamus: Etenim non *desiderio* tantum & *factis* Patriarcharum consentaneam fuisse expectationem patriæ cœlestis, sed etiam certo eos novisse quod illa se maneret, hactenus inde demonstratum, quod hæc ipsorum expectatiò, fuerit actus *fidei* firmissimæ infallibilium Dei promissionum rupi inædificantis. Et quas hic Volkelius fingit figuras *in vulgari etiam sermone* usitatas, haud difficilè possem ostendere valde coactas esse, & alienas ab usu tum Scripturarum, tum quotidiani sermonis. Quî enim aliquid dicatur *desiderio* alicujus *admodum* esse *accommodatum* cum is *quale id sit* penitùs *ignoret*? Ignoti enim, ut vulgò dicitur, nulla cupido. Quùm verò dicimus aliquid reperiendo *quod votis nostris egregiè respondeat*, *hoc esse quod jampridem quæsierimus*, id utique non potest antea nobis fuisse *incognitum*, siquidem illud in votis habebamus; Adhæc tum denuò cùm tale quid reperimus nobis valdè gratum & illius adimus possessionem, possumus dicere, etsi distinctè antea nobis cognitum non fuerit, id ipsum esse quod quærebamus; Sed nemo sanus antequam illud repererit, potest dicere se jamdiu illud expectasse, etiam cum id ipsum ei esset *incognitum*. Et etiamsi *quærere* dicuntur plagas *qui aliis molesti sunt*, ab eventu, tamen nunquam dicuntur eas vel expectare vel desiderare. Ac meminisse oportuit non tantum dici Patriarchas, vel *desiderasse*, vel *quæsivisse*, patriam cœlestem, in quorum vocabulorum alterutro, suas figuratas loquutiones quærit adversarius, sed hæc omnia conjungi simul quod eam desideraverint, quæsiverint, expectarint, eminùs salutarint, amplexi sint; quibus variis formulis, ut fidei eorum πληροφορία exprimitur, ita sufficienter demonstratur, non fuisse ipsis ignotam conditionem cœlestis patriæ quam anhelabant. Ut quis ergo dicatur simul *appetere*, *quærere*, *expectare* quod illi est *incognitum*, tam est absurdum, quam palpare in tenebris, & desiderare quod nescias. Nec refert quod tale quid licet incognitum ipsum aliàs *certò manet*: Nam quod incognitum nos certò manet, ubi evenit insperatum potiùs & inexpectatum dici debet, quam quæsitum, desideratum & expectatũ fuisse. Tum etiam, non ante saltem per figuratas loquutiones Volkelij, posset dici illud ipsum fuisse quod expectabamus, volebamus, quærebamus, cupiebamus, quam cùm ex inopinato in illius possessionẽ devenimus; Sed Patriarchę dicuntur desiderasse, expectasse, quæsivisse,

visse, illam civitatem etiam antequam illius possessionem obtinerent; adeoq; non potuit illis antea penitùs incognita fuisse.

Iam vero & desiderio] Etsi in mille formas se vertat Volkelius, nunquam ex formali appetentia, inquisitione, expectatione patriæ cœlestis quam Patriarchis tribuit Apostolus, poterit facere interpretativam expectationem, inquisitionem & appetentiam rei quæ ab eorum notitia remotissima fuerit. Nec ad rem faciet ratio *divini de illis remunerandis decreti*; cùm illud decretum latens Patriarchas, ut volunt hæretici, nullisque promissionibus revelatum, nihil planè in eorum mentem potuerit operari. Pari ratione dices Saulem desiderasse, quæsivisse, expectasse, regnum Israelis, dum asinas domus paternæ quærebat, *habitâ præsertim ratione divini* de illo coronando *decreti*; vel Saulum proficiscendo Damascum ut Christi Discipulos insectaretur, vehementer desiderasse, quæsivisse, expectasse, suam conversionem ad Christum, quod ea ut desiderio ipsius in communi ejusque factis & zelo ipsius conversio maximè consentanea & accommodata fuerit, habitâ præsertim ratione divini de illo convertendo decreti.

Desiderio quidem, quia] At cùm eam *patriam* stabilem non quæsierint in terris, quandoquidem se in terra peregrinos profitebantur ac patriam terrenam ultrò relinquerent nec habebant animum ad illam revertendi Heb: XI, 13. 15. necesse est illos *votis suis quæsivisse* patriam determinatè cœlestem.

Factis autem quia] Verùm non tantum expectare videbantur, sed de facto expectabant illam ipsam patriam determinatè cœlestem, quam nec sibi *in terra* esse noverant, & cæteroquin suis votis anhelabant. Igitur non tam ex eo quod Deo vocanti constanter *paruerunt*, potuit per favorabilem interpretationem colligi illos eo ipso *patriam aliquam futuram* expectare visos fuisse, quam è contrario illos reverâ excitatos istius patriæ futuræ & cœlestis certâ expectatione & promissione, Deo vocanti & ducenti lubentissimè paruisse: adeoque stimulum illis ad parendum fuisse, illius melioris patriæ expectationem & promissionem; prout *etiam Deus immutabili decreto* (quod dum dicit Volkelius, evertit illa sui Crellij sententiam de Decretorum Dei mutabilitate, quam fuse supra *libro primo cap. ult.* refutavimus) illam patriam cœlestem ipsis destinaverat. Imò perabsurdum esset fingere Deum Patriarchas ad specialem obedientiam evocando, & apud se in illius obedientiæ præmium & remunerationem destinando ipsis patriam cœlestem, nihil tamen illis significasse de hoc excellenti præmio ipsis destinato & præparato; aut illos nihil de illo præmio & Dei consilio scientes, nihilominus illud desiderasse, expectasse & quæsivisse. Ita nempe nihil tam absurdum & improbabile de Deo & sanctis potest excogitari, quod illi homines non ausint defendere, modò suo Sadducæismo patrocinentur.

Quare etiam si distinctè] Scilicet Patriarchæ aras suas, ut Athenienses quondam, erigebant *Deo ignoto*, & nullum certum & determinatum scopum votis suis præfigebant. Sed quæso te, Volkeli, qui nescivissent illi Patriam eam quam quærebant *cœlestem* esse, aut quâ ratione possunt censeri *nominatim* vota suo eò non direxisse, quandoquidem se peregrinos & advenas in terra profitebantur? Nonne qui expressè & conceptis verbis profitetur se nullam in terra patriam habere, sed aliam quærit & expectat, eo ipso habet suum πολίτευμα in cœlis? Et si lubeat Socinianis quæ dicit Apostolus de Patriarchis tam violenter detorquere, cur non idem poterunt dicere de fidelibus N. F. de quibus ita loquitur Paulus Phil: III 20. 21. *Nos ut municipes cœlorum nos gerimus, unde etiam Servatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile,*

humile, ut conforme fiat ejus corpori glorioso. Cùm exploderent Sociniani eum qui istud *municipium* illamque *expectationem* Paulinam, figuratè de conversatione & expectatione interpretativa intelligeret, quare sibi eam vellent facere licentiam in loco illo parallello qui nunc est prę manibus?

Sed esto, expectarint illi nominatim atque omninò propriè vitam æternam ‡ num protinus eam illis nominatim atque expressé promissam fuisse consequetur? nequaquam verò. Nihil enim prohibet, quo minùs etiam illa à quopiam sperentur, quorum nulla ei sit facta promissio: cùm externas quoque gentes quandam immortalitatis spem animis suis concepisse compertissimum sit, quas tamen omni rei istius promissione destitutas fuisse nemo ignorat. Tanta enim est humani ingenij capacitas atque solertia, ut cùm homines naturâ immortalitatis sint appetentissimi, ideoque futurum statum indagando, non nisi in eo aequiescere possint, quod sempiternum est; ut, inquam, promissis destituti, ipsi sibi undecunque spem tanti boni faciant.

‡ *Sed esto, expectarint*] Verùm si quid inerat ponderis in prima Volkelij solutione jam confutata, non debuisset ad hanc secundam confugere: Aut si hæc potior est, corruit altera, & nullo loco haberi debet.

Nequaquam verò] Imò vero id omninò est dicendum: nemo enim ex fide, ut à Patriarchis factum, expectat, quærit, appetit, patriam cœlestem, nisi prout illa promissa ac revelata fuerit Dei Verbo: Cùm enim *nec viderit oculus, nec auris audiverit, nec in mentem hominis venerint quæ paravit Deus iis à quibus ipse diligitur* 1 Cor:11,9. nemo illa potest vel expectare vel anhelare nisi ex promissione & revelatione Verbi Divini. Quod si Patriarchę & qui vixerunt sub V.T. firmiter expectarunt *nominatim atque omninò propriè* vitam æternam, destituti tamen omni expressâ promissione divinâ, debuerunt multis parasangis nos in fide superasse, ut pote qui tot expressis promissionibus fulti, non ita tamen patriam cœlestem expectamus, quin corpus quod corrumpitur aggravet animam, & variis temtationum succussionibus fides nostra agitetur.

Nihil enim prohibet] Spe evanidâ, dubiâ, incertâ, concedo; *Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes*; divinâ, firmâ, infallibili, & quę non pudefacit Rom:v,5. nego: Nam hæc spes, cujusmodi fuit in Patriarchis, non est affectus ille humanus, quem Plato vigilantis somnium appellavit, sed est virtus Theologica, quę fidem habet comitem inseparabilem, nec alio fulcitur tibicine quam Dei promissione & Verbo: Ideo de Abrahamo dicitur quod *contra spem sub spe crediderit*, quia ad *promissionem Dei non addubitavit incredulitate, sed corroboratus fuit in fide, tributâ gloriâ Deo, ac planè persuasum habens eum quod promiserat posse etiam efficere* Rom:Iv,18.20.21. Ideo quoque ob nexum spei istius divinę cum fide in Deum & Dei Verbum, hæc describitur *id quo subsistunt quæ sperantur* Heb:xI,1.

Cùm externas quoque] Aliud est, quod ultrò largimur, etiam gentiles habuisse quandam opinionem immortalitatis animę, cùm hæc veritas rationis lumine satis demonstretur; aliud quod negamus, illos spem concepisse vitę æternę & per consequens resurrectionis mortuorum; Nam Apostolus gentes describit ceu *extraneas quoad pactorum promissiones, spem non habentes & absque Deo in mundo* Eph:II,II. & I Thess:Iv,13. quoad eos qui *dormiunt*, non vult ut contristemur, *sicut & reli-*

& reliqui qui spem non habent. Miserrimo oporteret fuisse loco Patriarchas & pios sub V. T. si omnis eorum expectatio vitę æternę ejusdem ordinis fuisset cum imaginatione Gentilium, qui & sine spe & sine Deo vixerunt.

Tanta enim est humani] Imò ea est mentis nostræ obtenebratio & cœcitas, ea sublimitas Vitę æternę, ut absque Verbi Divini & promissionum specialium face nullum ingenium humanum eò possit suis viribus assurgere. Equidem immortalitatis appetentia est homini naturalis, quia anima ejus est immortalis & superest post animal, ut loquitur Macrobius: & largior lubens Volkelio in tantum circa doctrinam de finibus bonorum & malorum Gentilium Philosophos veritatem palpasse, ut plerique cognoverint veram fœlicitatem his in terris & in hac vita obtineri non posse: *Ultima semper, Expectanda dies homini dicique beatus Ante obitum nemo supremaque funera debet:* Sed ut nemo unquam Gentilium per illas κοινὰς ἐννοίας superstites in mentibus omnium eò assurrexit ut firmam inde spem & expectationem vitæ æternę conciperet, qualis Patriarchis tribuitur, ita nec Patriarchæ eò assurrexerunt solius luminis naturalis beneficio, sed per revelationem & promissionem Divinam; ut absurdissimè dicantur quod *promissis destituti, ipsi sibi undecunque spem tanti boni fecerint.*

Quid igitur mirum, vel primos illos gentis Judaicę patres, vel ipsos Judæos (ut de his quoque simul respondeamus) tanti boni spem, absque expressa
6 ‡. Dei pollicitatione concepisse? In hanc enim spem illud eos excitare poterat, quòd & vitam sempiternam existere, & eam valde desiderabilem esse, & fieri posse, ut eam divinâ benignitate assequerentur, viderent. Nam & Deum angelosque ipsius vitam illam vivere, & nihil eâ cogitari beatius posse, & eam Dei potentiam bonitatemque esse intelligebant, ut non solùm illam largiri posse, sed velle etiam videretur. Cùm enim pietati præmium apud Deum repositum esse cernerent, facilè illis in mentem venire poterat cogitare, nequaquam decorum Deóve dignum esse, suos cultores terrenis fluxisvè tantùm opibus remunerare: sed ut ipse immortalis est, ita illum omnes sibi constanter parentes, ad eundem aliquando statum perducturum esse.

‡ *Quid igitur mirum*] Imo id valde *mirum* quod talia somniet Volkelius, quibus etiam sibi turpiter contradicit: Si enim, uti vult, Christus in carne manifestatus prior omnium vitæ æternæ spem suis promissis in hominum mente excitavit, non est quod *tanti boni spem* Patriarchis & Judæis concedat ante adventum Christi: aut si tam facile & proclive est hominibus, solo rationis suæ dictamine se ipsos erigere in spem vitę æternę, non fuisset opus Christum ideo venire in mundum, ut *vitam & incorruptibilitatem in lucem produceret per Euangelium* 2 Tim: 1, 10. Sed quis furor hæreticum transversum rapit, ut modò vitam æternam dicat fuisse Patriarchis incognitam, modò eam ipsis notam & speratam faciat absque ulla *pollicitatione* Divina? An ergo Pharisæi illius spem conceperant solo lumine rationis, nulla Scripturarum luce & promissione collustrati? Illi sanè non solum aliquem habuêre sensum immortalitatis animorum, *Sunt aliquid manes, lethum non omnia finit*, sed insuper quò nullus gentilis rationis suæ ductu conscendere unquam potuit, spem firmam *de resurrectione mortuorum*, ut testatur Paulus

Act: xxiii, 6. Nec dubium quin adversus Sadducæos non minus uterentur Scripturarum authoritate pro resurrectione quam pro Angelorum existentia, quarum utramque contra illos ostendebant Act: xxiii, 8. Imò quam spem resurrectionis priori loco Pharisæis tribuit Apostolus, eandem appellat *spem promissionis* de qua postulabatur & pro qua stabat in judicium vocatus Act: xxvi, 6. 7. 8. juxta id quod exclamaverat *de spe & resurrectione mortuorum, ego hodie in judicium vocor* Act: xxiii, 6. xxiv, 21. Ideo etiam in sua apud Felicem defensione, profitetur se *credere omnibus quæ in Lege & in Prophetis scripta sunt, & spem habere in Deo, fore quam etiam ii ipsi sui adversarij expectabant, resurrectionem mortuorum tum justorum tum injustorum* Act: xxiv, 14. 15. Quibus sanè verbis Apostolus prodit verum fundamentum illius spei, quam cum Pharisæis & inter illos jam olim habuerat, resurrectionis mortuorum, nempe doctrinam Legis & Prophetarum. Unde etiam Abraham volebat epulonis fratres superstites edoceri de dispari sorte bonorum & malorum post hanc vitam ex Mose & Prophetis Luc: xvi: 29. Frustra autem fuissent eò amandati, si nihil inde de præmiis & pœnis æternis potuissent haurire, quo ne in locum tormenti venirent ad seriam resipiscentiam & pietatem exstimularentur.

In hanc enim spem] Antea pertendebat Volkelius ignorasse Veteres patriam dari cœlestem: nunc verò fatetur eos de vitæ æternæ existentia planè edoctos fuisse; Idque proculdubio ex sacris literis: Quod si insuper *eam Dei potentiam bonitatemque esse intelligebant, ut non solum illam largiri posse, sed velle etiam videretur*, utique omni promissione non caruerunt: Quod enim videtur Deus *velle* largiri, id ipsum etiam promisisse videtur. Et si non fallebantur pij Veteres in eo quod *videretur* ipsis Deus *velle* largiri vitam æternam obedientibus sibi, reverâ Deus id volebat; & per consequens id promittebat iis qui hoc ipsum velle intelligebant.

Cum enim pietati] Sed hæc contra seipsum congerit Volkelius: Si enim ita *facile* id ipsis *in mentem venire* poterat ex præmio apud Deum pietati reposito, imo eidem pietati à Deo proposito, ergo Deus qui hoc *præmium* apud se pietati *repositum esse*, imò à se pietati propositum in suo Verbo declaraverat, eo ipso in præmij illius propositione sufficienter censebatur immortalitatem promisisse, & *suos cultores* obligasse, ut sub *terrenis fluxisque* illis *opibus*, quas polliceri videbatur, cœlestes & permanentes intelligerent & amplecterentur. Etenim debemus ita rationes nostras subducere, quod Deus cujus Verbum non fit ad bestias sed ad homines ratione utentes, cùm optimè cognoscat quid ex suis dictis ultrò sequatur & rectè ac benè deduci possit, censeatur non tantum dicere quod ipsa verba sonant, sed etiam quicquid ex illis insuper legitimè & clarâ deductione intelligitur & colligitur: Est enim Dei Verbum plane dissimile monetæ Laconicæ, quæ in grandi mole minimi valoris erat: Nam Deus è contrario paucis verbis plurima significat, & vult ut *ex iis quæ legimus* etiam ea *quæ non legimus intelligamus*, ut scitè loquitur Augustinus *lib. 3. contra Maxim. cap. 3.* Quapropter dubitari nequit quin vel eo ipso Deus censendus sit promisisse immortalitatem & bona æterna suis cultoribus in V.T. quod proposito pietati præmio, facile piis erat inde colligere istud præmium ultra terrena & temporalia ac caduca infallibiliter extendi.

Adde, quòd Enochum etiam (*Gen: 5. 24.*) & Eliam (*4 Reg: 1. 8.*) propter ardentissimum justiciæ studium in cælum, ut quidem de Elia expressé legitur,

translatos, aliâque vitâ donatos fuisse, qui eos fuêre consequuti, viros pios, ac porrò etiam Israëlitarum vulgus, minimè latebat; & quamvis tanti boni nullum illis factum fuerit promissum, Deum tamen, uti illis viris, ita etiam sibi, plus quàm promiserat præstare posse, nequaquam ignorabant. Nec non illud hanc spem illis faciebat, quòd plurimos cum justicia viventes, Dei permissu, variis angustiis, ærumnis atque calamitatibus vexatos fuisse accipiebant, vel etiam ipsimet videbant, nonnulli in seipsis etiam experiebantur. Unde cum Deus justissimus veracissimusque sit, concludere poterant, omninò fore, ut aliquando illos, qui verbo ipsius audientes fuerint, alterius vitæ præmiis afficeret, cùm hujus vitæ bona, licet promissa, illis negasset.

† *Adde quod Enochum*] Optimè: Ergo in utroque Deus pignus & arrham dederat illis temporibus immortalitatis consequendæ; & utriusque translatio, quę *Israelitarum vulgus minimè latebat*, erat quasi sigillum publicum promissionibus Divinis appositum. Nullum verò ex illis exemplis fructum pij percepissent, nisi omninò persuasi fuissent, se etiam *tanti boni promissum* accepisse; quod Deus suo tempore similiter esset executurus. Fides verò & consolatio piorum non nititur merâ Dei potentiâ, & quod plusquam promiserit præstare possit, sed ipsius promissione & fide; Nihil enim est quod à Deo quilibet non deberet expectare, si promissis illius destitutus ad solam illius potentiam respiceret. Quamvis autem non negaverim Deum Enocho & Eliæ amplius quid præstitisse quam promiserat, videlicet quoad modum & tempus quo eos traduxit ad fœlicitatem æternam, attamen nego amplius illis præstitum fuisse quam fuerat promissum quoad rem ipsam: cùm promissiones fœderis sub quo vixerunt, etiam & potissimum spectarent vitam æternam. Igitur pij Dei cultores utroque illo exemplo in certam expectationem immortalitatis consequendæ erigebantur, non ideo quod Deus possit præstare plusquam promiserit, sed quod promissis suis vitam præsentem & futuram spectantibus, non sit unquam defuturus: Fidelis est enim Deus qui promisit, *qui etiam efficiet* 2 Thess: III, 3.

Nec non illud hanc] Igitur vel hoc ipsum eos satis admonebat quod in promissionibus divinis intelligendis & admittendis, ultra terrena & caduca hujus vitæ ascendi oporteret; siquidem terrenorum & caducorum respectu potior semper fuerit improborum quam piorum & sanctorum conditio, ut meritò in hanc veritatem prorumpat Apostolus 1 Cor: XV, 19. *Si in hac solum vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus*: Cùm autem ex ipsiusmet Dei justitia id veniret omninò concludendum, *fore ut aliquando illos qui verbo ipsius audientes fuerint, alterius vitæ præmiis afficeret, cum hujus vitæ bona licet promissa, illis negasset*, cur non ex eadem Dei justitia concludatur, non destitutos olim fuisse pios promissionibus vitæ æternæ, cujus certâ expectatione se solarentur contra vexas, angustias & ærumnas hujus vitæ? An satis justitiæ Dei convenisset denegare piis & probis *hujus vitæ bona, licet promissa*, nec melioribus interea promissionibus eorum animos contra præsentes calamitates erigere & sustinere? Imò qui potuerit ex eo quod *Deus justissimus veracissimusque sit* concludi pios variis angustiis vexatos in hac vita, tandem *alterius vitæ præmiis* afficiendos, nisi etiam illa præmia spiritualia & cœlestia promissa fuissent

fuissent à Deo suis cultoribus, cùm ex veracitate Dei ultra id quod dixit & promisit, nihil sit concludendum?

Objicitur porrò, veteres illos, & Messiam expectasse, & unà cum illo summam quandam felicitatem, idque ut testis est Petrus, divino spiritu patefaciente. (1 Pet. 1. 11.) Hîc primò respondemus, nequaquam probari posse, omnes illos priscos homines Messiam expectasse; cùm nec universo illi populo, nec omni tempore promissus fuerit. Ea enim tantummodo ad universum populum, semperque spectabant, quæ fœdere illo per Mosen cum illis facto continebantur. Atqui in horum numero futuri Messiæ promissum nequaquam fuit; cum id nusquam in Legis Mosaicæ disciplina expressum reperiatur.

‡ *Objicitur porrò*] Adde huic testimonio Petri, quod legitur Joh: I, 46. *Invenimus Messiam, de quo scripsit Moses in Lege & Prophetæ*; item Act: x, 43. *Huic etiam*, scilicet Christo, *omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus qui crediderit in eum.*

Hîc primò respondemus] Sed multo minus probari poterit ullos ex priscis illis hominibus salutem adeptos fuisse qui Messiam & liberatorem non expectarint: *Non est enim in alio quoquam salus, nec aliud nomen sub cœlo quod datum sit inter homines per quod oporteat nos servari* Act: IV, 12. Sanè illâ Messiæ venturi expectatione & salutis per ipsum, se solabatur Patriarcha Jacob in suo lecto emortuali, cum diceret, *Expectavi tuam salutem ô Iehova* Gen: XLIX, 18. Sic & Luc: II, 25. 38. pij describuntur per hanc notam quod expectarent *consolationem Israel* & *redemptionem Hierosolymis.*

Cum nec universo] Imo toti populo & omni tempore promissus erat Messias ac semen benedictum quod contriturum erat caput serpentis, & in quo venirent benedicendæ omnes nationes terræ.

Ea enim tantummodo] Sed nec ab iis quæ *ad universum populum semperque spectabant*, excludi debent promissiones Euangelicæ factæ jam ante tempora Mosis, Adamo, Noæ, Abrahamo & reliquis Patriarchis; neque potest negari fœderis Mosaici Oeconomiam Christi venturi promissionem & multimodam adumbrationem continuisse; unde Lex *pædagogus* ad Christum fuisse asseritur Gal: III, 24. & ipse Christus dicitur fuisse *corpus* umbrarum Legalium & Mosaicarum Col: II, 17.

Atqui in horum numero] Ergo, Volkeli, Christus imposuit Judæis & falso nixus fuit testimonio cum ad Mosis authoritatem provocabat, illis dicendo Joh: V, 46. *Si crederetis Mosi, crederetis mihi, nam ille de me scripsit*; Ergo oleum & operam ludebat in profectione Emauntica & suis illudebat duobus discipulis, cum *exorsus à Mose & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de se scripta erant* Luc: XXIV, 37. ac cœteris ibid. com. 44. ostendendo debuisse *impleri omnia quæ scripta erant in Lege Mosis, & Prophetis & Psalmis de se*; Ergo mentiebatur gentium Apostolus, cùm profitebatur Act: XXVI, 22. nihil se in Euangelio Christi annunciando dixisse & docuisse *extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt.* Quid quæso est Marcionis & Manichæorum deliria in Mosis contemptum ex orco revocare, prodere Judæis causam Euangelij, omnem fidem Christi & Apostolorum dictis abrogare, si hoc ipsum non est quod nunc tentat impurus hæreticus, statuendo *futuri Messiæ promissum, nusquam in Legis Mosaicæ disciplinæ expressum reperiri?* Aut quæ

quæ nota expressior posset excogitari Achristianismi illius quem in sinu suo fovent Sociniani?

Quanquam enim Moses Prophetam excitandum esse de medio illius populi prænunciabat: (*Deut: 18. 15. & 18.*) tamen cum de Josua, deque aliis, qui illum subsecuti fuerunt, vatibus verba illa sensu literali intelligi potuerint; quid, quæso, roboris tunc habuerunt, ad faciendam hominibus illis spem futuri Messiæ? Eodem propè modo & de illa Jacobi Patriarchæ vaticinatione
65. judicandum est, (*Gen:49.10.*) quâ sceptrum de Juda auferendum esse negat, donec veniat Silo: cum nec olim verba illa intellecta à Judæis fuerint, nec hodie ab eodem hominum genere satis percipiantur; tantum abest, ut illis tunc Messiæ expectationem movere potuerint.

‡ *Quanquam enim Moses*] Sed pluris nobis est authoritas Philippi Joh:1,45. Petri Act: III, 22. Stephani protomartyris Act: VII, 37. hoc ipsum vaticinium de Christo nominatim intelligentium, quam cavillatio Volkelii, illud *sensu literali* ad Josuam & alios sub V.T. Prophetas revocantis. Verùm & hîc frustra est: Nam Deut: XXXIV, 10. disertè dicitur non surrexisse Prophetam præterea in Israele similem Mosi, qualem videlicet, idest sibi similem futurum quoad authoritatem legislatoriam, potestatis Regiæ & Sacerdotalis conjunctionem, populi ducatum & multa alia, prædicebat eum quem Deus in medio populi esset olim suscitaturus. Quin ipsimet Judæi tot proponunt differentias inter reliquos suos Prophetas & Mosem, quas ex eorum monumentis collegit & refert Buxtorfius *Synag. Jud. cap.* 1. ut satis eo ipso insinuent nullum ex illis cum Mose comparandum, aut illi *similem* existimandum esse. De iisdem differentiis videatur *Conciliator* Menasseh Ben Israel *quæst.* 180. & Mæmonides in *More Nevoch. p. 2. cap.* 35. cujus hoc est lemma, *Quod prophetia & miracula Mosis differant à prophetia & miraculis reliquorum prophetarum.* Ideo Glossa ordinaria ita habet; *Licet historialiter de Prophetis accipi possit, qui post Moysem in populo Israel repleti sunt Spiritu Dei, melius tamen de Domino Prophetarum accipitur, de quo turbæ ab ipso satiatæ dixerunt Joh:6. Hic est verè Propheta qui venturus est in mundum, & alibi Luc. 7. Propheta magnus surrexit in nobis.* Cùm itaque Israelitæ nihil in suis gregariis Prophetis reperirent quod ad Mosis ὑπεροχὴν conscenderet, non potuerunt de ullo eorum intelligere illud vaticinium quod de Propheta simili Mosi excitando ipse Moses emiserat. Quare ipse R. Moses Ben Maimon *in More Nev. p. 2. cap.* 34. quasi palpans veritatem, ita loquitur; *Ejus quod in lege scriptum est* Exod: XXIII, 20. *Ecce ego mitto Angelum meum ante te &c. sensus elegantissimè nobis declaratur, in repetitione Legis,* (h. e. in Deuteronomio) *ubi Deus in narratione stationis illius in monte Sinai ita ad Mosen ait,* Deut: XVIII, 18. *Prophetam suscitabo illis in medio fratrum suorum, sicut tu &c. Cujus rei probatio inde petita est quod de illo Angelo dicatur, Cave à facie ejus & obtempera voci ejus &c. Illud enim præceptum sine dubio spectat ad promiscuam hominum multitudinem, & communem plebem.* Sic enim de Propheta *in Deuteronomio dicitur, Illum audietis* Deut: XVIII, 15. *Item* ibid. 19. *Et erit qui non auscultabit verbis meis quæ loquetur in nomine meo; Item* Exod: XXIII, 21. *quod clarissimum est, Quia Nomen meum in medio ejus.* Hactenus non malè & magis Christianè Judæus ille quam Volkelius Socinianus, Prophetam hunc à Mose promissum de Angelo Jehovæ in quo Nomen

men

men ipsius erat futurum interpretatur, cùm Angelus ille sit Angelus fœderis & magni consilij, idest ipse Christus, Dei filius æternus, ut aliàs à nobis fuit demonstratum; adeoque idem ille Propheta, de quo & illud fuit cœlitùs a Patre inculcatum, *Hunc audite* Matt: xvii, 5.

Eodem prope modo] Nempe eò collimant hæretici ut tenebras offundant Soli, & in gratiam Judaismi quem coquunt elevent omnia vaticinia ad Christum spectantia, ne is agnoscatur esse de quo scripsit Moses in Lege & Prophetæ Joh: 1, 36. Sed duo hîc veniunt opponenda Volkelio; Primum est quod olim à Judæis hæc verba de Messia fuerint intellecta; Ita enim vocem *Silo* reddidisse Jonathanem & Onkelos & Thargum Hierosolymitanum, jamdiu ab eruditis contra Judæos fuit observatum; Aliud est quod perperam argutatur adversarius ab ignorantia & stupore hodiernorum Judæorum, hujus Prophetię verba non percipientium; cùm *ad hunc usque diem in Mosis lectione velamen cordi eorum impositum sit*, inquit Paulus 2 Cor: iii, 15. Sanè si ideo apud Mosem hoc Patriarchę Vaticinium non eo destinabatur ut Israelitę Messiam promissum expectarent, quod illum sensum vel non assequuntur, vel detorquere studeant ἀγνωμονες Judæi, nulla erit in toto Scripturarum V. T. corpore Prophetia quę de Christo Servatore egisse statui possit, cùm nulla sit cui recutiti in Euangelij odium tenebras offundere non conentur.

Reliquos tamen vates Messiæ adventum prædixisse haud sanè diffiteor: verùm cum illi nec semper extiterint, nec porrò illorum dicta fœdere illo, generaliter cum omnibus percusso, comprehensa fuerint; & ideo non ab universis ac singulis audiri potuerint; quam, quæso, Christi aliquando mittendi spem atque expectationem Judæis generatim omnibus attulisse putabimus?

‡ *Reliquos tamen vates*] At verò Mosi denegandum non erat quod de reliquis fatetur Volkelius; siquidem ipse & Helias delecti divinitùs fuêre qui cum Christo in monte Thabor colloquerentur de *exitu quem futurum erat ut defungeretur in Ierusalem* Luc: ix, 31. quo Apostolis præsentibus significaretur Christum revera eum esse de cujus perpessionibus & gloria illas consequutura 1 Pet: 1, 11. Moses & Prophetæ loquuti antea fuerant. Hoc ante nos monuit Hilarius qui apud Thomam *in catena ad* 17. *Matt.* sic habet; *Quod etiam Moyses & Helias ex omni sanctorum numero assistunt, medius inter Legem & Prophetas Christus in regno est: Cum his enim Israelem, quibus testibus prædicatus est, judicabit.* Deinde absurdè negat Volkelius vaticinia Prophetarum de adventu Messiæ, spem ullam Christi aliquando mittendi Judæis attulisse; quandoquidem non alio spectabant quam ad illam spem & expectationem fovendam & excitandam in universo populo; cui rei comprobandę inservit potissimum dictum Pauli ad Agrippam Act: xxvi, 6. 7. 8. 22. 23. At Prophetę illi *non semper extiterunt*. R. Semper tamen extitisse illam promissionem quam ab orbe condito Deus variè renovavit & per suos Prophetas confirmavit: Et saltem posito eorum vaticinio, spem illam & expectationem sequi debuisse; At *illorum dicta fœdere illo generaliter cum omnibus percusso, comprehensa non fuerunt*; R. Nec Prophetas alios post Mosem aliquid aliud docuisse quam ipse fecerat, sicut Apostoli nihil aliud inculcarunt quam quod à Mose & Prophetis prædictum fuerat, unde ut Judæi in communi dicuntur *Prophetarum filij* Act: iii, 25. ita eorum doctores statuuntur sedisse *in Cathedra Mosis* Matt: xxiii, 2. Et Prophetarum promissiones ac vaticinia non minus ad totum populum spectasse

spectasse quam Mosis Pentateuchum, unde amandantur omnes *ad Legem & testimonium* Es: VIII, 20. & *Mosem ac Prophetas* audire jubentur Luc: XVI, 28. At non potuerunt *ab universis & singulis audiri*. R. Id falsum esse: Nam mittebantur ad universos & singulos, & eorum vaticinia non minus quam Pentateuchus Mosis publicè in Synagogis recitari & legi solebant: Ac sicut correptiones, & adhortationes eorum, universi & singuli audire tenebantur, ita etiam eorum promissiones debebant omnes admittere, & per illas se erigere in spem liberationis & salutis per Messiam obventuræ.

Verùm esto, expectaverint sanè universi ac singuli Messiæ adventum; expectaverint quoque præstanrissimum quoddam bonum, quo per eundem Messiam universa Judæorum natio mirum in modum locupletanda fuerit: num protinus inde consequitur, expressam illis vitæ sempiternæ promissionem factam fuisse? nullo pacto. Nam quale illud bonum futurum esset, & quibus in rebus constitutum, nemo ante Christi tempora clarè explicuit.

‡ *Verum esto; expectaverint*] Sive per ἐπανόρθωσιν, sive per concessionem id dicat adversarius, suam causam evertit. Non potest inficiari Judæos salutis suæ & cultus Deo debiti ex officio studiosos expectasse *Messiæ adventum*, & per illum præstantissima illa bona quæ Messias esset allaturus: Sed ridiculè statuit inde non sequi *vitæ sempiternæ promissionem* illis factam fuisse, aut explicitè eos cognovisse *quale illud bonum futurum esset* quod Messias erat allaturus: Nam antea statuebat Volkelius satis potuisse pios sub V.T. in spem vitæ æternę excitari, quod eam scirent *existere*, & *valde desiderabilem* esse & *fieri posse ut eam divinâ benignitate assequerentur, viderent*, imò *facile* potuisse eos ex natura & justitia Dei ac conditione piorum in hac vita colligere immortalitatis præmium nobis esse repositum: Quid ergo aliud ceu *præstantissimum bonum* potuissent ex Messia expectare, quam id ipsum in cujus spem tot aliis argumentis excitabantur? Aut qui nescivissent quale foret *præstantissimum* illud bonum per Messiam adferendum, cum *præstantissimum* illud solum potuerit ipsis esse, quod supra terrena & temporalia assurgebat, ut pote jam facile persuasis *nequaquam decorum, Deove dignum esse, suos cultores terrenis fluxisve tantum opibus remunerare?* Sed & ipsi Prophetæ Messiam promittentes etiam præstantissimi boni quod suis erat allaturus, naturam satis indicarunt. Videantur nominatim loca Esaiæ LIII, 10. 11. & Dan: IX, 24. Imò audiantur Christus & Apostoli horum vaticiniorum indolem referentes: Satis enim docent Prophetas explicuisse conditiones illius boni præstantissimi quod Messias esset allaturus. *Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati & resurgere ex mortuis tertiâ die, & prædicari ejus nomine resipiscentiam & remissionem peccatorum apud omnes gentes*, inquit ipse Christus Luc: XXIV, 46. 47. Et Petrus Act: X, 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium dant remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum;* Ita Paulus Act. XXVI, 6. 7. 8. *Nunc vero ob spem promissionis factæ patribus nostris à Deo sto in judicium vocatus; ad quam duodecim tribus nostræ Deum nocte & die assiduè colentes, sperant se deventuras, de qua spe postulor, Rex Agrippa, à Judæis; Quid? incredibile ne judicatur apud vos quod Deus mortuos suscitet?* & ibid. com. 22. 23. *Auxilium quod est à Deo nactus, persititi in hunc usque diem, testificans tam parvis quam magnis, nec quicquam dicens extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt, nempe*

Chri-

Christum fuisse passurum, ac primum ex resurrectione mortuorum lucem annunciaturũ huic populo & Gentibus. Sic Act: XXVIII, 23. Judæis qui Romæ erant *exponebat regnum Dei, suadens eis quæ de Iesu Christo sunt ex Lege Mosis & Prophetis, à mane usque ad vesperam*: & nisi ex Scripturis V. T. doctrinam Euangelij comprobasset, non debuissent Beroenses, ejus auditores, *quotidie examinare Scripturas an hæc ita se haberent* Act: XVII, 11. Sic 1 Cor: XV, 3. *Tradidi vobis imprimis quod & accepi, Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris secundum Scripturas.* Ita Petrus iterum 1 Pet: 1, 10. 11. *De qua salute exquisierunt & scrutati sunt Prophetæ qui de ventura in vos gratia prophetarunt, scrutantes in quem aut qualem temporis articulum prænuncius ille qui in ipsis erat Spiritus Christi declararet eventuras Christo perpessiones & glorias illas consequuturas.* Hæc & similia plurima N. T. testimonia debebunt adversarii falsi accusare, si perrexerint in illa pertinaci alleveratione *præstantissimum* equidem quoddam bonum per Messiam obventurum Prophetas prædixisse, sed quod nam & quale illud futurum esset non ita explicasse, ut illi quibus promissus erat Messias intellexerint sibi bona spiritualia & vitam æternam per eum promissa esse.

Quid, quòd apertissimè Petrus Apostolus testificatur, (*1 Pet: 1. 12.*) vates illos ista prædicando, non sibi, sed nobis ministrasse; utpote cùm ea, quæ tunc de conferenda in nos gratia prænunciabant, nequaquam ad illorum, sed ad nostra tempora spectarent.

t *Quid, quod apertissimè*] Hoc verò tantum sibi vult Petrus, Prophetas percepisse illum Messiæ adventum, & ejus pro nobis in tempore perpessiones salutis æternæ meritorias, ad nostra sive N. F. tempora pertinuisse, non quoad earum promissionem vel cognitionem, sed quoad earum executionem; non quod illa gratia, quam eventuram nobis prædicebant ad ipsos quoque non pertineret, sed quod rerum prædictarum complementum nostra spectaret tempora, *ne absque nobis consummarentur* Heb: XI, 40. Cæterùm etsi prædictiones in suo formali ad futura tempora pertinuerint, quoad rerum prædictarum executionem, inde tamen non sequitur, easdem quà promissiones, cum & illæ sint de futuro, non pertinuisse ad eos apud quos illæ prædictiones primùm promulgatæ fuerunt; Alias aut frustra hæc relata fuissent in Scripturis V. T. aut saltem illę Scripturę eo usu apud pios illorum temporum caruissent, quem universaliter adstruit Paulus Rom: XV, 4. dum ait quod *quæ ante scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Porrò dum Messiam & redemptionem ac vitam æternam per ipsum inter promissa facta piis V. T. jure referimus, non pertendimus illos ita explicitè, clarè & distinctè hæc bona cognovisse, uti nunc eadem habemus per Euangelium explorata: Nec enim nescimus quid sit discriminis inter V. & N. T. quod & Augustinus his verbis exposuit *lib. 6. de Civit. Dei, cap. 26. Quid est quod dicitur Testamentum Vetus, nisi occultatio Novi? Et quid est aliud quod dicitur Novum, nisi Veteris revelatio?* His paria habet Gregorius *hom. 6. in Ezech. Inest Testamento Veteri Testamentum Novum, & quod Testamentum Vetus promisit hoc Novum exhibuit; & quod illud occultè annunciat hoc istud exhibitum apertè clamat: Prophetia ergo Testamenti Novi Vetus est, & expositio Testamenti Veteris Testamentum Novum.* Imò non diffitemur quod sicut homo cujus hebetior visus est, additis conspicillis plura & distinctiùs legit, quam eorum ope

ope destitutus, ita nos hodie Revelationis Euangelicæ conspicilis adjuti multo plura legamus & intelligamus in V. T. quam illi qui ea nondum adepti erant; adeò ut tam difficile foret ariolari quousq; illi circa hæc Mysteria concipienda processerint, quam difficile foret nobis viris definire, quousque assurgant conceptus puerorum circa ea disciplinarum humaniorum præcepta quę perspectissima jam habemus; Interea tamen quæ hactenus disputata sunt, luculenter evincunt, salutis & vitæ per Messiam obtinendę certissimas extitisse promissiones sub V. T. quod negare nemo possit qui authoritatem Novi sartam tectam voluerit.

Hæc tamen non perinde à nobis disputantur, quasi illos, qui olim cum fide justitiaq̀ue vixerunt, vitæ æternæ possessione exclusum iri putemus: quin imò ex iis quæ paulò antè à nobis dicta sunt, cuilibet constare potest, nos planè statuere, Abrahamum, Isaacum, & Jacobum, & his similes, ex mortuis aliquando excitandos, immortalitatisque beneficio ornandos esse. Quia enim patriam quandam, & stabilem, in quo tandem quiescerent, locum ex Dei promisso expectarunt, patriam autem terrestrem assecuti minimè fuerunt; cùm tamen Deus, qui æterna veritas est, fallere non possit; consequens omnino est, ut in terrestris patriæ locum, cælestis patrimonii hæreditatem adeant. Quod quidem planè ita futurum esse, divinissimus ille autor his verbis testificatur, (*Heb: 11. 39. 40.*) *Hi omnes fide explorati non obtinuerunt promissum, Deo de nobis quiddam melius providente, ne illi sine nobis perfecti redderentur.* Hîc apertissimè docemur, fore ut qui olim Deo confisi sanctimoniâ vitæ gratiam ipsius ambierunt, ii in ejusdem nobiscum felicitatis possessione collocentur, & sic eo, quod nobis promissum est, præmio augeantur.

‡ *Hæc tamen non perinde*] Gratias debemus Volkelio quod secum utcunque in gratiam redire annitatur. Sed dum piis V. T. largitur *vitæ æternæ* possessionem & spem resurrectionis, eo ipso illis tribuere debet fidem in Christum & salutis quam suâ morte nobis peperit communionem certissimam: Nam nulla est *justitia* vera, nisi quæ sit ex *fide*; nulla fides salutaris, nisi quæ in Christum salutis authorem unicum respiciat, quod & veteribus illis tribuitur Act: xv, 11. 1 Cor: x, 2. 3. 4. nulla resurrectio ad gloriam, nisi in ipso & per ipsum, qui *resurrectio est & vita* Joh: xi, 25. & in quo *vivificabuntur* omnes qui ad vitam æternam traducentur 1 Cor: xv, 22.

Quia enim patriam quandam] At eam ut *stabilem*, ita cœlestem omninò, neutiquam terrenam, expectarunt. Illam enim intellexerunt satis nec in terra esse quærendam, in qua se advenas & peregrinos, quocunque irent, profitebantur, nec cum fundamentis obtineri posse nisi in cœlo: Imo disertè & conceptis verbis dicit Apostolus Heb: xi, 10. 16. quod patriam *cœlestem* & civitatem illam quæ *habet fundamenta* expetierint & expectarint. Eam igitur obtinuerunt quam anhelabant, ultrò relictâ terrestri patriâ, non verò quam in hujus locum Deus, ipsis nesciis, subrogaverit.

Quod quidem planè] Hic locus minimè favet sententiæ adversariorum, sed è contrario eam funditùs evertit; Quia licet non obtinuerint *promissum*, idest rem promissam, nempe Christi apparitionem in carne ad opus redemptionis, ejus exhibitione in tempora N. F. reservatâ, nihilominus tamen eam promissionem conse-

consequuti fuerant, Messiam suo tempore appariturum, ac plenissimam suorum salutem confecturum: Nec possit de illis asseri quod τὴν ἐπαγγελίαν, materialiter sic dictam, non obtinuerunt, nisi hæc ἐπαγγελία formaliter sic nominata ad ipsos pertinuisset, prout eorum dicuntur fuisse *fœdera* & *promissiones* Rom: IX, 4. à quibus Gentiles erant *extranei* Eph: II, 12. Imò in eodem capite Heb: XI. dicuntur fuisse hæredes *promissionis* com. 9. & de iisdem promissis persuasos ea eminus conspectos & amplexos fuisse com 13. Et cum fiant nobiscum consortes ejusdem rei promissæ, nempe fœlicitatis æternæ per Christum, in quo & per quem suam nobiscum τελείωσιν sunt consequuti, ejus morte & opprobriis consecrati immortalitati & gloriæ, utique oportet ejusdem fœlicitatis promissionem eos nobiscum indeptos fuisse: Quod præter alia infinita Scripturę testimonia, satis insinuat Zacharias Joannis Baptistę pater Luc:I, 68.69.70.71.72.73. cum ait *cornu salutis* à Deo erectum esse ad redemptionem populi sui *in domo Davidis*, juxta vaticinia ab ævo *Prophetarum* ad suos servandos, & utendum *misericordiâ erga patres nostros*, in memoriam revocato fœdere suo sancto, & jurejurando *ad Abrahamum* præstito; Quibus sanè verbis ostendit, Messiam promissum & missum vi fœderis cum patribus initi, ut misericordiam suam erga illos Deus exerceret.

Hic apertissimè] Jam dictum de loci sensu; nempe ejusdem præmij in Christo nobiscum consortes factos esse patres, etsi Christi promissi exhibitio ipsorum tempore non contigerit. Sed errat Volkelius statuendo illos *eo quod nobis promissum est præmio auctum iri*, quasi idem præmium illis promissum non fuerit, sed accessurum sit, per modum superpondij non promissi, ad benedictiones terrenas, quarum solarum promissiones acceperint: Sic enim affingitur Deo duplex injustitia; Prior quod non dederit patribus id quod solum ipsis promiserat, nempe benedictiones terrenas, cùm variis tribulationibus totâ suâ vitâ fuerint expositi; posterior quod eos citra ullam promissionem sit æquaturus iis qui tam speciales promissiones vitæ æternæ sunt consequuti: In quo sanè non tantum æquarentur piis sub N.T. viventibus, sed etiam illis quadantenus præferrentur, inverso schemate queruli illius cujus fit mentio in parabola Christi Matt: XX, 12. Præterea in eo quoque errat graviter Volkelius, quod id fœlicitatis æternę præmium, vult patres illos nobiscum consequuturos *sanctimoniâ vitæ*, idest operum suorum meritis; cùm nemo ex operibus suis apud Deum veniat justificandus, adeo ut illi *per gratiam Domini nostri Jesu Christi* servandi fuerint sicuti nos Act: XV, 11.

Ea enim fuit divinæ liberalitatis magnificentia, ut & quosdam justitiæ cultores, tum terrenis bonis ex pacto, tum cælestibus ex voluntatis suæ arbitrio cumulare decreverit; &, ne de fide sua parùm laborare videretur, illos qui ob pietatis divinævé gloriæ studium, loco felicitatis tunc promissæ, multis ærumnis atque calamitatibus vexati fuêre, in iisdem nobiscum beatis sedibus collocare, & sic plus, quàm pollicitus erat, illis dare constituerit. Nequaquam igitur, ut dixi, in ea sumus sententia, ut veteres illos Dei cultores vitâ sempiternâ privatum iri statuamus: sed divinum spiritum secuti, eo consilio hunc sermonem instituimus, ut appareat, novum fœdus longè multumque veteri illi præstare, verissimeque à divino autore (*Heb:7.19,22.*) melius fœdus appellari, meritoque affirmari, legem nihil ad perfectionem adduxisse,

ſed introductionem melioris ſpei, per quam accedimus ad Deum. Item, (*cap:10 1.*) legem tantùm umbram futurorum bonorum habuiſſe, non ipſam rerum imaginem, quæ ſcilicet in Chriſti tandem diſciplina expreſſa eſt.

‡ *Ea enim fuit divinæ*] Jam ſupra ipſe Volkelius monebat pleroſque ex illis *Dei permiſſu variis anguſtiis, ærumnis atque calamitatibus vexatos fuiſſe*, unde ſequeretur Deum pacti ſui fidem erga illos non ſervaſſe, ſi ita *ex pacto* decreverat *juſtitiæ cultores terrenis bonis cumulare*, ut nihil inſuper melius ipſis promiſerit. Quanto ſatius eſſet dicere, terrena bona non promiſiſſe Deum niſi conditionatè & in typum cœleſtium, quæ in illis contemplanda & ſuſpicienda veniebant. Aliàs cur finget Volkelius majorem fuiſſe *divinæ liberalitatis magnificentiam* ſub V.T. quam hoc tempore, quod neceſſariò ex illius hypotheſibus ſequitur? Aut quare credetur Deus liberaliùs cum veteribus illis quam nobiſcum agere decreviſſe, conſtituendo *pluſquam pollicitus erat illis dare?* Igitur longè faciliùs & convenientiùs Scripturæ dicitur Deus etiam veteribus promiſiſſe liberaliter & gratuitò, per redemptionem in Meſſia futuram, fœlicitatem & vitam cœleſtem, adeoque eam illis conceſſiſſe, ne & illi ſuâ fiduciâ excidiſſe cenſerentur, & ipſe *de fide ſua parum laborare videretur.*

Nequaquam igitur] Volkelius Obſervetur quod hîc nonniſi in futurum vitam ſempiternam promittat veteribus, ut inſinuet impiam & Epicuream ſuorum gregalium ſententiam de animarum extra corpus mortalitate & extinctione; cum tamen & latro in cruce quo die obiit in paradiſum fuerit receptus, & tota Scriptura doceat ſpiritus piorum ſtatim ab eorum morte, dum corpora expectant in terris futuram reſurrectionem, ad gaudia cœleſtia & fœlicitatem æternam admitti in conſpectu Domini; Luc:XXIII,43. Act: VII,59. 2 Cor: V,1.2.3.4. Phil: I,23. Apoc: VI,11. XIV,13. Sed præterea, falſò jactitat ſe *divinum ſpiritum* ſequi in eo quod veteribus nullas promiſſiones ſpirituales & æternas factas fuiſſe nugatur; cùm Spiritus Sancti doctrina, ſatis ſuperque confirmata, aliud planè dictitet.

Ut appareat novum] Agnoſcimus fœdus gratiæ quod *novum* dicitur in Scripturis, excellentius eſſe in multis fœdere naturæ, legali & operum; imo œconomiam Euangelicam ſub qua nunc vivimus poſt Chriſtum exhibitum, tanto auguſtiorem & clariorem eſſe œconomiâ Moſaicâ & veteri, quanto & hanc Euangelicam ſuperabit lumen & gloria patriæ, cùm non amplius *per fidem* ſed *per aſpectum* ambulabimus 2 Cor: V,7. Verum negamus illam utriuſque Teſtamenti comparationem apud Paulum eò eſſe trahendam, ut veteribus abrogetur omnis promiſſio ſpiritualium beneficiorum & vitæ æternæ. Euangelium enim & fœdus gratiæ *melius fœdus* appellatur Heb: VII,22. non quòd res ſub illo promiſſæ ſint meliores, ſed quod promiſſiones illius, Mediatore ac Sponſore Chriſto, qui cum jurejurando eſt conſtitutus, ſint certiores & immutabiliores: Eodem ſenſu dicitur Heb: VIII,6. melius illud fœdus ſub *præſtantioribus* quoque *promiſſionibus* eſſe ſancitum, quatenus non pendent, uti legales, ex dubia & incerta conditione obedientiæ noſtræ, ſed indubiò fiant *ita* & *amen* in Chriſto Servatore, 2 Cor: I,20. Sic meritò affirmatur *legem nihil adduxiſſe ad perfectionem*, Heb: VII,19. quia videlicet debilis & infirma in carne ei fuit impoſſibile quenquam juſtificare Rom: VIII,3. & adducere ad ſalutem, aut facere conſortem illius vitæ æternæ ſub cujus promiſſione obedientiam exigebat: Sed etſi Lex id præſtare non potuit, etſi ipſæ Cæremoniæ Legales in ſeipſis & citra σχέσιν ad Chriſtum, illarum umbrarum corpus, non potuerint quenquam perficere, etſi noſtra

τελειωσις

τελείωσις & consecratio per quam simus epoptæ Mysteriorum regni cœlorum, & Immortalitatis candidati, debeatur Euangelicæ gratiæ, quæ est *introductio melioris* & certioris *spei per quam accedimus ad Deum*, quid facit illud probando, nullas promissiones beneficiorum spiritualium & vitæ æternæ obtigisse veteribus? Imò non ne ipsa Lex, quæ ex se & per se nihil adduxit ad perfectionem, potest dici fuisse nihilominus veteribus ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος, eodem sensu quo illis erat Gal: III, 24. *pædagogus ad Christum*? Sed cum satis de hoc loco ex Ep. ad Heb. suprà dixerimus, non est cur illa crambe recocta Volkelij diutiùs nos moretur.

Item legem tantum] Hic locus ostendit clariùs & distinctiùs exprimi nunc promissiones vitæ æternæ quam olim sub Lege, sed non probat τὸ κρινόμενον, videlicet nullas tales promissiones olim extitisse. Σκιὰν habuit Lex, inquiunt nonnulli, Euangelium εἰκόνα, sed ἀλήθεια & πρᾶγμα reservatur in cœlis; ita sanè Theodoretus, Nazianzenus, Theophylactus. Utrobique eadem bona futura promittuntur & describuntur, sed accuratiori penicillo sub N. F. ut cum alicujus exprimitur imago ad vivum additis coloribus necessariis, obtusiori & quasi crassiori Minervâ sub V. T. prout pictores rudi primùm penicillo & quasi carbone σκιαγραφίαν quandam proponunt rerum, quas postea accuratiùs sunt expressuri & suis coloribus vestituri. Jam autem id notius est quam multis debeat inculcari quod plus & minus non mutant speciem: Si tamen libuerit hic Legis Cæremonias intelligi in se consideratas, contradistinctè à Christo, & oppositè non verò relativè ad ipsum, utique ultrò fatebimur citra præjudicium veritatis, Legem eo respectu nonnisi umbram fuisse, quam loco corporis cum Cane Æsopico sectari nemo sanæ mentis debeat. Quocunque saltem sensu id sumatur, quam verum erit bonorum futurorum adumbrationem ex institutione divina in Cæremoniis legalibus extitisse, tam necesse erit fateri, ergo etiam bona futura promissa fuisse veteribus; siquidem illa in Lege adumbrari & saltem ὡς ἐν τύπῳ describi ac poni ob oculos fidelium Deus voluerit.

Existit autem non aliena hoc loco quæstio, quid causæ fuerit, cur Deus tanti boni promissionem in hanc mundi senectam distulerit? Intelligendum igitur est, duas potissimùm rei istius causas reddi posse. Primò enim Deus pro summa sua sapientia, hominum captui se accommodare voluit. Neque enim eâ statim genus humanum prudentiâ, eoque judicio fuit, ut divinissima quæque mente comprehenderet. Itaque Deus, quemadmodum reliquis in rebus, ab aliquo rudimento initium facere, paulatimque ad summum pervenire consuevit: ita nec in voluntatis suæ patefactione, statim ad altissimum fastigium progressus est, aut eò homines perduxit. Deinde eidem divinæ sapientiæ consentaneum erat, omnibus modis providere, ne homines sese in hereditatis cælestis jus nasci, & immortalitatem tanquam rem debitam sibi tribui existimarent; ideoque non tanti illam facerent, quanti summum istud bonum, atque inexplicabilis Dei beneficentia, quæ in eo tribuendo cernitur, æstimari debet. Eam ob rem Deus per multas seculorum ætates, homines tanti boni promisso destitutos esse voluit; ut & miseram fortunam suam

agnoscerent & meliorem statum sitienter appeterent, & tandem eum assecuti, divinæ gratiæ magnitudinem suis momentis ponderarent, hæcque ultima tempora longè illis vetustis feliciora esse intelligerent, secundùm illud Christi, (Luc:10.24.) *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ vos auditis, & non audiverunt.*

1 *Existit autem non*] Hæc quæstio potuisset hîc præteriri, cùm supponat quod falsum est, nempe *tanti boni promissionem in hanc mundi senectam* dilatam fuisse: Si equidem quæreretur cur adventus Christi ad illarum promissionum & majorem elucidationem, & diffusiorem promulgationem, & certum complementum, dilatus sit in plenitudinem temporum, ut loquitur Paulus Gal: IV, 4. haud difficilis foret responsio: Debuit enim fœderis gratię œconomia accommodari variis ætatibus Ecclesiæ; debuit mundus ante esse abecedarius & sub elementis primis quam ad sublimiores lectiones promoveretur; debuit Christo præstrui via variis prophetiis & figuris, quo majori cum affectu & veneratione ab hominibus susciperetur; debuit diluculum & aurora sublustris ortum solis præcedere; debuit *transgressionum gratiâ lex* adjici *usque quo venisset semen illud cui facta est promissio*, quo *sub legis præsidio custodiremur conclusi in eam fidem quæ futurum erat ut revelaretur* Gal: III, 19. 23. Sed nec locus est ullus quæstioni ineptę quam hîc movet Volkelius, nec satis solida est ejus responsio.

Primo enim Deus] At verò ante dixerat veteres facillimè absque ulla revelatione vel promissione divina potuisse tanti boni spem certam concipere: Quapropter eorum ruditati & incapacitati tribui non debet, quod Deus id ipsis non promiserit ad quod citra Dei promissionem, sagacitate suâ naturali, poterant satis assurgere. Quin si *rudimentum* aliquod illarum promissionum voluit apud eos præcedere, non est quod absolutè negetur eas ipsis communicatas fuisse.

Deinde eidem divinæ] Hæc causa æquè futilis est ac præcedens ab hominum *captu* desumpta, nam illi imaginationi satis obviam itum fuisset per promissiones gratuitas, cujusmodi & nos accepimus: Nec periculum erat homines peccatores, satis suorum peccatorum per Legem convictos, suspicatos fuisse *sese in hæreditatis cœlestis jus nasci*, si ex filiis iræ & mortis, se ad illam evocatos & traductos, promissione merè gratuitâ & indebitâ intellexissent: Imò eâ cessante promissione eo magis hæc prava suspicio potuisset illorum mentibus adnasci, quod citra omnem ejus promissionem spem nihilominus certam vitæ æternæ concipiebant (juxta ipsummet Volkelium) ceu sibi conferendæ & debitæ ex ordine justitiæ divinæ.

Eam ob rem Deus] Sed neque ulla *sua miseria* in eo potuit notari ab hominibus priscorum sæculorum, quod *tanti boni promisso* destituerentur, si valet doctrina Sociniana, homines suâ culpâ per peccatum eo bono non excidisse; neque potuerunt sitire vel desiderare illius boni promissiones, si de illo consequendo nullas habebant revelationes divinas; Ignoti enim nulla cupido.

Et tandem eum assecuti] Debemus quidem nobis gratulari quod ab opacioribus umbris Legis, ad lucem Euangelij traducti, Christum habeamus exhibitum, qui duntaxat exhibendus proponebatur & promittebatur veteribus, qui ideo optarunt ea tempora videre quibus tam eximiæ sibi factæ promissiones, apparitione Messiæ complementum suum sortirentur; quo spectant verba Christi hic ab authore

authore citata; Sed interea tamen nunquam veteres illi optarent videre & audire, quæ videbant & audiebant Apostoli, imò quæ nos videmus & audimus de redemptione nostra peracta morte Christi ac illius resurrectione gloriosâ, nisi expressas & luculentas habuissent promissiones de Christo olim ad hoc opus pro ipsis & nobis apparituro & exhibendo: Uno verbo illi veteres se ad nos & nostra tempora habuerunt, sub promissionibus salutaribus sibi factis, quomodo & sub promissionibus quas sumus consequuti nos habemus hodie ad tempora futuræ fœlicitatis, exserto capite & cum suspiriis expectantes *revelationem filiorum Dei* & *redemptionem corporis nostri* Rom: VIII, 19. 23.

Ex iis, quę hactenus a nobis disputata sunt, apertè colligitur, non solùm in magno errore illos versari, sed in Christum etiam injurios esse, qui primos parentes nostros immortales creatos fuisse contendunt. Hunc enim primum, ut satis jam demonstratum est, immortalitatis & præconem & datorem Deus esse voluit; Quæ quidem laus ei detrahitur, ipsumque immortalitatis bonum valde extenuatur, si antequam Christus & nasceretur, & muneris sui officium susciperet, hominem jam in ipso mundi primordio, naturâ immortalem extitisse affirmatur.

1 *Ex iis quæ hactenus*] In eo nihil erroris inesse, cùm homo nequiverit creari morti obnoxius, quin crearetur peccator, quia nonnisi peccati stipendium & sequela mors est Rom: VI, 23. nihil etiam injurium Christo, qui venit nobis restitutum quod amiseramus in Adamo, ex sequentibus patebit.

Hunc enim primum] Fuisse Christum in carne primum *præconem* immortalitatis, falsum est: Eum esse unicum illius authorem & datorem post Adami lapsum, destructâ illâ morte cui nos peccatum mancipaverat 2 Tim: 1, 10. ultrò confitemur. Nihil vero laudis per id ei detrahitur; cùm nisi suo statu fœlici Adam excidisset, nosque omnes in barathrum mortis & maledictionis unà secum, præcipitasset non debuisset Christus in carne apparere, ut veniret servatum quod perierat, & nos vindicatum corruptioni illi & morti, cujus jugi *metu per omnem vitam damnates eramus servitutis* Heb: 11, 15. Ideo hoc cantabat Ecclesia vetus in suo cultu, *ô fœlix culpa, quæ talem meruit Redemptorem*: Longè enim aliam per ipsum recuperavimus immortalitatem, quam in Adamo amisimus, ut verè id nobis veniat cum Themistocle dicendum, *Perieramus nisi periissemus*. Lateritiam domum in Adamo amisimus; marmoream in Christo recuperamus; Habebat ille ex nativa sua conditione, immortalitatem secundum quid sic dictam, quâ poterat non mori, & quæ ex illius pendebat mutabili arbitrio: At Christus nobis promeritus est immortalitatem absolutam, quâ mors absorbetur in victoria, & quam certo & infallibiliter ex ipsius gratia & redemptione in cœlo consequemur.

Quid, quòd hoc dogma, ut aliis divinis testimoniis hactenus in medium prolatis, ita & luculentissimo illi Pauli pronunciato repugnat, (*1 Cor: 15. 45. & d.*) quo Christi præ primo illo Adamo excellentiam ob oculos nobis ponere instituens, hunc quidem corpus animale ac terrenum habuisse, illum verò spiritale ac cœleste nunc habere docet. Corpus autem animale & terrenum, corruptibile

ruptibile simul est; quemadmodum contrà spirituale ac cæleste, incorruptibile; ut ex collatione verborum Pauli, quæ paulò ante eo loco habentur, cum his, quæ inferiùs scripta sunt, patet. (*vide V. 42. & d. V. 21, 22.*) quam ob causam videtur Apostolus superiùs eodem cap. scripsisse, *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum; sicut enim in Adamo omnes morimur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.*

† *Quid quod hoc dogma*] Nec obstant veritati quæ hactenus prolata sunt; quia etsi nulla immortalitatis recuperandę post lapsum promissio extitisset sub V. T. id non efficeret Adamum conditum ad imaginem Dei morti obnoxium fuisse ex primæva sua conditione; Nec eam evertit veritatem dictum Pauli 1 Cor: xv, 45. & seq. Falsum enim est *corpus animale & terrenum, corruptibile simul* esse; cùm corpus Adami, ut-ut origine terrenum, fuerit tamen jugiter ab anima vivificandum, nisi peccasset. Admittimus tamen discrimen necessarium inter corpus Adami *animale*, & corpus quod per Christum consequemur *spirituale*: quatenus corpus illius animale sic erat immortale secundum quid, ut haberet tamen possibilitatem moriendi; at corpus spirituale & cœleste nulli mortalitati aut mutabilitati ampliùs subesse potest. Agnoscimus corruptibile & mortale fuisse corpus animale Adami, sed corruptibilitate & mortalitate remotâ; quatenus poterat fieri ut ipse peccaret, & suo peccato corruptibilitatem & mortalitatem proximam contraheret. Verùm negamus illud corpus corruptionem vel mortem sensurum unquam fuisse, si protoplastus non peccasset: Actualem corruptibilitatem abrogamus corpori Adami stantis in sua integritate; licet potentialem non negemus; Sed utramque, potentialem & actualem, concedimus corpori hominis peccatoris, qui suo jumento hanc calamitatem sibi adduxit. Animale itaque corpus oppositè ad spirituale, juxta Paulum dupliciter dicitur; nempe vel in suo esse physico & morali simul, prout post peccatum per generationem traducitur ab Adamo, vel in suo esse physico tantum, prout recens illud Adamo fuerat concessum in statu integritatis: Priori sensu ei convenit corruptibilitas actualis; posteriori nonnisi potentialis, & in quantum homo relictus in manu sui consilij poterat à Deo deficere: Sed cum illa potentiali corruptibilitate & mortalitate, actualis tamen immortalitas & incorruptibilitas potuit consistere: Ut potest homo aliàs vulnerabilis in se, tamen sic speciali Dei beneficio custodiri mediis in prælus, ut invulneratus maneat, imò ex hypothesi consilij Divini de illo conservando, ipsomet Achille invulnerabilior.

Quam ob causam] Imò hæc verba petunt jugulum causæ Socinianæ: nam illis docemur nos per Christum restitui in vitam & immortalitatem eam quâ per Adamum excideramus. Ab hoc est mors per peccatum, quod mortalitatem invexit; ab illo vita per gratiam, quæ absolutam immortalitatem confert. Ut hic est causa & author vitæ ac immortalitatis suâ obedientiâ, sic ille extitit nobis author & causa exitij ac mortis suâ transgressione; absque qua neque mors in mundum introisset, neque redemptione Christi, quâ ad immortalitatem certiorem traduceremur, opus fuisset.

Et quidem, ut Christo sua laus honorque salvus atque incolumis permaneat, immortalitatemque singularissimum Dei beneficium esse, & sic nequaquam hominibus aliquando innatam fuisse constet; operæ pretium esse arbitror, ut homi-

ut hominis materiam paulò diligentiùs inspiciamus. Ea verò duplex est, remota, ut vocant, & proxima. Remota est terra, à qua Adami nomen deductum est. Sic enim dicit Moses, (*Gen*: 2. 7.) *Formavit Dominus Deus hominem pulverem de humo.* Proxima materia est ipsum corpus humanum, unà cum omnibus suis tum exterioribus, tum interioribus membris, ad cujus contemperationem quatuor illæ elementorum qualitates inter se pugnantes concurrunt. Sive igitur remotam, sive proximam hominis materiam spectes, facilè comperies, hominem suâ naturâ mortalem corruptibilemque esse. Primò enim terram corruptibilitatem, ut ita loquar, naturaliter in se continere, nemo est qui nesciat; cum quicquid terrenum ex terra vé conflatum est, id interire cernamus. Nec sine causa, ut suprà diximus, Paulus Apostolus (1 *Cor*: 15. 47.) Adamum, quia ex terra formatus sit, Christo, qui cæleste jam & incorruptibile corpus habeat, opponit. Deinde ad hominis corpus quod attinet, quis non videt, concursum qualitatum elementarium mutuò sese destuentium, non solùm arguere, sed etiam naturâ suâ efficere corruptionem?

‡ *Et quidem ut Christo*] Nihil sic deteri laudibus Christi, jam ante dictum: Imò in eo summa ejus *laus* sita est, quod ita medeatur illi morti & mortalitati quam peccatum invexit Gen: II, 17. Rom: V, 12. ut longè excellentiorem immortalitatem nobis pepererit eâ quâ per peccatum excidimus. Id ad laudem & honorem medici maximè pertinet, quod ægrum suâ culpâ prolapsum in fonticum morbum, non solum pristinæ restituat sanitati, sed longè insuper firmiorem & valentiorem eam constituat. Quas ergo hîc ratiunculas conatur proferre Volkelius ad suum Pelagianismum de mortalitate primi hominis constabiliendum, vel solius Concilij Milevitani *can.* I. authoritate difflare esset in promptu: *Quicunque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Fuit ea immortalitas naturæ quam vindicamus primo homini, & in cujus locum successit per Christum inmortalitas gratiæ, *innata* Adamo, eodem modo quo illi adnata & connaturalis erat justitia originalis quam necessariò consequitur: Nam tam necesse est extra moriendi metum & periculum collocari hominem justum nullaque peccati labe respersum, quam oportet morti subjacere hominem sontem & peccatorem, Gen: II, 17. Ezech: XVIII, 4.

Operæ pretium esse arbitror] Malè id arbitraris: Nec enim proxima mortalitas de qua agimus & quæ propriè mortalitas dicitur in Scripturis, pendet ex materiæ conditione, sed ex legis divinæ transgressione: Plerisque ex Peripato philosophis persuasum fuit cœlum esse incorruptibile, non tam ex conditione materiæ quam ex perfectione formæ, quæ sic explet illius desiderium, ut aliam non appetat. *Terram* itaque primi hominis ita Deus subegerat, & elementorum *qualitates* in ejus corpore ita contemperaverat, ut nec pugna destructiva inter has fuisset oritura, nec illa in suum pulverem relapsura, si perstitisset in officio; in cujus rei pignus certissimum arborem vitæ fuerat consequutus.

Sive igitur remotam] Ex utraque hac materia remota & proxima, colligere qui-

quidem est convenisse primo homini mortalitatem & corruptibilitatem potentialem ac remotam, ita ut posset mori & corrumpi si peccaret; sed non actualem & proximam, ita ut *sive peccaret sive non peccaret moreretur in corpore, non ex peccati merito, sed ex necessitate naturæ*, ut supra audivimus loquentes patres Milevitanos, in Pelagiano dogmate, quod tuetur Volkelius, anathematizando. Actualem illam mortalitatem & corruptibilitatem quam videbatur minari conditio materiæ, arcebat connatum illud sal justitiæ & sanctitatis originalis & imaginis divinæ ad quam conditus fuerat. Ac prout dicuntur venatores clavum æneum infigere capiti cervi quem ceperint ne putrescat, ita Deus arcendæ putrefactioni & corruptioni ab homine suam ei imaginem indiderat, quæ longè efficacior omnibus aromatis quibus Ægyptij quondam suorum condiebant cadavera, quamlibet putredinem & corruptionem certissimè ab ipso removebat. Et sanè cum naturaliter quædam cadavera diutissimè perennent integra absque fœtore & putrefactione, sive aromatum quibus condita fuerint virtute, sive quod ab aëris ambientis impetu tuta sint, quis negabit multo magis potuisse Deum Adami corpus animæ sanctæ & puræ ac innocenti ita colligare, ut tamdiu immune illud fuisset à corruptione & morte quamdiu hæc in sua integritate permansisset? Si *Deus omnium creator dedit carni pavonis mortui ne putresceret*, ut docet Augustinus *lib.* 21. *de Civit. Dei*, *cap.* 4. nonne potuerit dare carni hominis justi & sancti, ne sentiret corruptionem?

Primò enim corruptibilitatem] Neque hoc universaliter verum esse, liquet exemplo adamantis & auri. Nam ille nec malleo tundi, nec igni absumi potest: Hoc ex catino redit semper ad pondus; *imo quo sæpiùs arsit, proficit magis ad bonitatem, tutò etiam in incendiis rogisque durante materiâ, fitque sine detrimento sui semper purius*, ut docet Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. Atque hinc in ipsa Scriptura aurum est Symbolum divinitatis, quod nec ærugine absumatur, nec illi quicquam igne vel attritu pereat. Annon ergo potuisset Deus, ut ut terrenum origine, Adami corpus, ab omni interitus & resolutionis periculo vindicare? Intereunt quidem naturaliter bestiæ quæ sunt originis terrenæ; Sed anima rationalis justitiâ & sanctitate coruscans, corpus terrenum hominis præstitisset immune ab interitu, nec divelli potuisset à tam grato & amico hospitio: Ac sicut nunc post peccatum *corpus quod corrumpitur aggravat animam*, ut loquitur author Sapientiæ IX, 15. ita tunc anima corruptionis expers à corpore corruptibilitatem actualem removisset. Non ideo sanè actu mortalis est homo, quod constet ex elementis & humoribus inter se contrariis; sed inde morbi & mors sunt, quod elementa & humores à justa *κράσει* sua dimoventur: quæ perturbatio est à solo peccato.

Nec sine causa] At verò si corporis Christi materiam proximam & remotam consideremus, ea coincidet cum materia proxima & remota corporum nostrorum: factus enim est *particeps carnis & sanguinis* Heb: 11, 14. Nec quod *jam* corpus ejus est *cœleste* & *incorruptibile* debet adscribi inepto Socinianorum commento, quo nugantur Christum in cœlos ascendendo prius suum corpus quod materiæ & originis terrenæ erat exuisse, & aliud novum induisse; cùm in illo ipso corpore in quo resurrexit & passus est, sit apparitúrus ad judicium universi; Sed quod jam sit cœleste & spirituale tribuendum est novis qualitatibus, quas per resurrectionem ex mortuis fuit consequutum, cujusmodi etiam nostra, eandem substantiam & materiam quæ nunc est retinentia, donabuntur per resurrectionem. Si itaque corpus Christi ut ut materiâ & origine terrenum, potuit fieri per resurrectionem spirituale & cœleste, quanto minus terrena

terrena

terrena corporis Adami materia obstabit ejus incorruptibilitati secundum quid, quam agnoscimus multum subsidere infra eam quæ convenit corpori Christi glorioso & post resurrectionem in cœlum evecto?

Deinde ad hominis] Fateor illum *concursum* nunc *efficere* corruptionem; sed postquam peccato interveniente pugnare cœperunt qualitates contrariæ & in ruinam corporis conspirare, cùm antea amicabiliter ad illius conservationem concurrerent. Et quam non sint qualitates elementares corruptionis causæ necessariæ, patet in corporibus glorificatis, quale fuit corpus Christi post ipsius resurrectionem: Patet & exemplo ipsius auri de quo modò dicebam, in quo omnia elementa sunt, ut docent Chymici, *anatizata* & perfectissimâ temperatissimâque ratione compacta: Neque debuit ideo dari in primo homine temperamentum ad pondus; sufficiebat enim arcendæ corruptioni & morti temperamentum ad justitiam, quod nulla inhærens iniquitas turbaret vel commoveret.

Quin imò & ipse membrorum usus evidentissimum mortalitatis argumentum continet? utpote qui in illis rebus acquirendis perfruendisque constitutus sit, quæ ad corpus fulciendum sunt necessariæ, veluti sunt cibi potionesque, quæ capiuntur & digeruntur à ventre, ab intestinis, à jecore. *Esca enim*, inquit Paulus, *(1. Cor: 6. 3. 14.) ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & illas abolebit.* Huc & arbor vitæ spectat, illiusque fruendæ potestas homini primo in hunc finem data, ut vitam ad illud temporis spacium produceret, ad quod naturâ suâ pertingere poterat: *(Gen: 2. 9. & 3. 2.)* At quis ejus rei usus, si homo naturâ fuisset immortalis?

Quinimò & ipse membrorum] Debet distingui inter immortalitatem viæ, qualis erat protoplastorum, & patriæ, qualis erit Beatorum in cœlo: Huic demum ille *usus* membrorum repugnat qui hîc notatur, non priori. Locus vero Pauli ex 1 Cor: VI, 13. 14. agit de ventre & escis in statu corruptionis per peccatum consideratis, non verò de illis in statu innocentiæ & integritatis: Deinde cessabit in immortalitate patriæ officium ventris & necessitas ciborum, quia illa adferet ἰσαγγελίαν; sed utrique locus poterat ac debebat esse in immortalitate viæ, de qua agimus.

Huc & arbor vitæ] Primò hîc est evidens contradictio; nam arbor vitæ, cum aliquid habuerit supernaturale, aliò debuit ordinari quam ad vitam eò producendam *quò naturâ suâ pertingere poterat*: Et aliàs humori radicali conservando, imò sufficienter reparando, sufficiebant omnes reliqui fructus horti concessi homini in cibum ordinarium. Secundò non erat hæc arbor vi quadam physicâ & latenti prorogatrix vitæ, sicut nec altera, vi sibi innatâ poterat homini peccanti conferre scientiam boni & mali: Sed illa erat pignus & Sacramentum homini, tùm non excidendi eâ fœlicitate in qua fuerat conditus & collocatus, modò non deficeret ab officio; tùm etiam obtinendi tandem immortalitatem patriæ; uti vel ex eo colligere est quod ipse Christus, qui eam nobis confert, non semel in Scripturis *arbor vitæ* appelletur. Tertiò si arbor vitæ inserviebat morti arcendæ, uti videtur velle adversarius cum plurimis veterum è Judæis & Christianis, ergo eò certius ad immortalitatem conditus fuerat primus homo, quod illi contra vim mortis tam certum crescebat medicamen in hortis.

At quis ejus rei usus] Duplicem jam usum

usum notavimus; scilicet pignus inmortalitatis illius conservandæ, si maneret in officio; & Sacramentum patriæ cum hac via tandem commutandæ, sub eadem conditione.

Neque est quod quis objiciat, hominem, nisi è paradiso fuisset ejectus, ejus arboris usu vitam in æternum producturum fuisse, uti ex ipsius Dei verbis quæ in Genesi leguntur, (*Gen: 3.22.*) constet. Primùm enim longè aliud est in æternum vivere, & naturâ immortalem esse. Nam & is, qui naturâ mortalis est, si Deus ita velit, potest in æternum vivere. Mortalem enim esse nihil est aliud, quam posse mori. At qui mori potest, potest etiam, si Deus velit, non mori, & sic in æternum vivere. Mortalis autem & immortalis naturâ simul esse nemo potest. Deinde animadvertendum est, vocem *æternitatis* seu mavis *seculi*, quæ Hebraicè est *Olam*, sæpè non absolutam, sed naturæ rei illius, qua de agitur, accommodatam perennitatem durationemque longissimam declarare, ut alibi docebimus. (*vide inf. c. 36.*) Materia autem subjecta hoc loco est homo, cujus vitam ut longissimam futuram, & eò usque protrahendam fuisse, Spiritus Dei ostenderet, quousque humanæ naturæ ferret conditio, usus est voce *leolam*, seu *in æternum*, cujus ea vis est, quam diximus.

† *Neque est quod quis*] Huic objectioni calculum nostrum non adjiciemus: Novimus enim hominem post peccatum, jam mortis reum ac damnatem, illius arboris usu non fuisse vitam suam in æternum producturum, etsi quibusdam ex veteribus, ut nominatim Eucherio & Chrysostomo contrarium videatur: Nam homini peccatori *contra vim mortis non est medicamen in hortis.* Nec Deus hominem ejecit ex paradiso, quod metueret ne decerpendo ex illo fructu antidotum haberet contra mortem, & sic eluderet jam sibi pronunciatam sententiam, *Quo die comederis morte morieris*, Gen: II, 17. item *Pulvis es & in pulverem reverteris* Gen: III, 19. Sed primò Deus voluit præcavere ne Adam ad prius peccatum secundum adjiceret, frustra tentando se Dei Judicio subducere, quo respectu dicerem cum Chrysostomo *ad eum locum*, *magis providentiæ quam indignationis aut pœnæ* fuisse illam ejectionem. Deinde noluit permittere ut sacramentum & signum usurparet qui jam re significatâ suâ maximâ culpâ exciderat, *sicut etiam* (inquit Augustinus *lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 22.*) *in hoc paradiso, hoc est in Ecclesia, solent à sacramentis altaris visibilibus homines Disciplinâ Ecclesiasticâ removeri.*

Primùm enim longè] Inepta est hæc observatio contra nos. Nam si arbor vitæ erat pignus & sacramentum homini integro ipsum victurum לעולם *Legnolam*, in *æternum*, debuit illi obsignare immortalitatis promissionem, cùm morti se exemptum credere debeat qui novit se victurum in æternum. Ludit autem Volkelius in illa phrasi *naturâ immortalem*, quæ venit distinguenda: Nam primò accuratè loquendo solus Deus absolutè in gradu eminentiæ & perfectionis naturâ est incorruptibilis & immortalis, tùm respectu essentiæ intrinsecæ, per quam est Jehova & qui est, tum respectu omnium causarum extrinsecarum à quarum insultibus est tutissimus, 1 Tim: VI, 16. Secundò quædam sunt immortalia & incorruptibilia respectivè & comparatè ad alias creaturas bifariàm: Nonnulla ratione suæ essentiæ intrinsecæ, quam talem à Deo sunt consequutæ, ut destrui quoad

quoad suum esse nequeant; quo sensu Angelis & animabus rationalibus, quia sunt expertes materiæ, quæ est ordinarium tritillum in quo per vices ludunt generatio & corruptio, competit esse *naturâ* immortalibus & incorruptibilibus. Tertiò id *naturâ* immortale dici potest, quod etsi habeat in se moriendi possibilitatem, ratione principiorum ex quibus constat & qualitatum elementarium illi adhærentium, tamen ita per suæ naturæ primam originem est constitutum, ut simul habeat potentiam non moriendi, & certissimam ab actuali morte immunitatem, non interveniente peccato. Jam vero cùm demum hoc tertio sensu hominem primum in statu innocentiæ faciamus *naturâ*, id est ex nativa sua conditione, immortalem, aliud esse nequit nostro sensu vivere in æternum, quod hominibus primis evenisset nisi peccassent, quam eximi morti mortalitatique actuali, & sic naturâ sive nativâ conditione immortalem esse.

Nam & is qui naturâ] Si per hominem naturâ mortalem eum intellexerit Volkelius qui actuali & proximæ mortalitati, idest necessitati moriendi subjaceat ex peccato, peccat in Apostoli effatum quod omnibus constitutum sit semel mori Heb: IX, 27. Nec magis potest velle Deus, ut homo suâ culpâ actuali mortalitati obnoxius morti eximatur, quam seipsum abnegare, & illos sui verbi Canones refigere; *Anima quæ peccaverit morietur; Mors est stipendium peccati; Quo die comederis, morte morieris*, idest, Symmacho interprete, θνητὸς ἔσῃ, *Eris mortalis*; *Pulvis es & in pulverem reverteris:* Huc maximè facit illud Paulinum I Cor: XV, 50. *Caro & sanguis non possunt regni Dei hæreditatem consequi; neque corruptio hæreditatem incorruptibilitatis consequitur.* At si per hominem *naturâ* mortalem intellexerit adversarius, eum cui convenit tantum mortalitas potientalis & remota, sive non repugnantia ad moriendum, quo sensu non diffitemur naturâ mortalem fuisse primum hominem, eo ipso quod talem confitetur posse *in æternum vivere*, adstruit quod defendimus, nempe in tantum potuisse Adamum morti actualique mortalitati eximi & in æternum vivere, in quantum poterat non peccare & permanere in officio; Nam revera ejus lampas fuisset ἄσβεστος nisi eam peccato immersisset.

Mortalem enim esse] Sed potentia illa moriendi vel est proxima & necessitatem moriendi sonat, vel remota & dicit tantum possibilitatem sive non repugnantiam ad moriendum; sive quod eodem redit, alia est mortalitas actualis, juxta quam *Fata manent omnes, omnes exspectat avarus Portitor & turbæ vix satis una ratis;* alia potentialis, quæ hominem dicit subjicibilem illi tributo mortis, sed nondum tamen illi subjectum & vectigalem. Qui priori sensu mortalis est, non potest non mori, aut semel viam illam lethi non calcare; prout nequit corruptio hæreditatem incorruptibilitatis consequi; Ac qui posteriori sensu mortalis fuerit, quomodo mortales fuisse protoplastos ante peccatum pertendimus, *potest etiam non mori & in æternum vivere*, adeoque immortalis & incorruptibilis permanere; cùm ille sit immortalis qui nunquam sit moriturus, sed victurus in æternum.

Mortalis autem & immortalis] Id falsum est, cùm hæc oppositio non fiat ad idem & eodem respectu. Equidem qui est naturâ mortalis mortalitate actuali, quo demum sensu in Scripturis homines *mortales* appellantur, nequit esse immortalis naturâ; at qui naturâ est mortalis mortalitate tantum potentiali & remotâ, eo ipso quod etiam possit non mori, sed vivere in æternum, potest quoque immortalis naturâ statui, non quidem immortalitate absolutâ & necessariâ, sed saltem conditionatâ & possibili: nec aliam primis nostris parentibus quamdiu perstitissent in officio vindicamus.

Deinde animadvertendum] Ut hoc largimur de hujus vocis Hebraicæ significatione, sic negamus restrictivè hoc loco sumi debere: Nolebat enim Deus arcendo hominem ab arbore vitæ, præcavere ne *vitam longissimam*, mortalem tamen, viveret, cum ei è contrario destinasset vitam plusquam 900. annorum; sed volebat impedire ne putaret Adam se elusurum sententiam mortis adeundæ quam jam incurrerat, decerpendo ex fructu vitæ, & ita absolutè non moriturum. Quod si arbor vitæ fuisset duntaxat pignus homini vitæ longissimæ & eousque protrahendæ *quousque humanæ naturæ ferret conditio*, sed tandem tamen cum morte commutandæ etsi non peccaret, sanè neque peccato adscribi deberet mors ipsa, ut constanter facit Scriptura; nec multum Adamo præstitisset arbor vitæ in Paradiso, cùm etiam post peccatum ipse ejusque posteri in priori mundo fuerint ad miraculum usque μακρόβιοι, & vitam protraxerint longiùs multo quam videtur humanæ naturæ ferre conditio, si attendamus id quod extat Psal: xc, 10. Adde quod hæc secunda observatio adversarij pugnet cum præcedenti, in qua illud לעולם *egnolam*, non de longissima duratione, sed de absoluta æternitate meritò interpretabatur.

Similiter & de somno, de quiete, aliisque ad humani corporis refectionem ac sustentationem spectantibus, judicandum est; utpote quibus opus minimè fuisset, si homo naturâ immortalis extitisset. Immortalia quippe corpora, nec vigiliis frangi, nec labore defatigari, nec ullo dolore cruciari possunt: hæc enim sunt quædam ad interitum viæ, & si vel nimis diuturna sint, vel nimis vehementia, interitum tandem corpori adferunt. Quid verò de respiratione dicemus, quâ interclusâ hominem suffocari necesse est? Adde, quòd hominem ita à natura comparatum Deus esse voluit, ut sobolem procreare posset, atque adeò procrearet. Cum porrò sobolis procreatio conservandi generis causâ divinitùs instituta sit; quid, quæso, primus homo, qui jam rei isti destinatus erat, cum immortalitate conjunctum habere potuit? Ubi enim per procreationem sobolis perpetuitati generis consulitur, singularia ipsa interitura esse apparet. Hinc luculentissimè Christus asserit, fore, ut qui immortalitate aliquando donabuntur, ii nec uxores ducant, nec nubant, propterea quòd mori ampliùs non poterunt, sed Angelorum similes futuri sunt. (*Luc:20.35.36.*)

‡ *Similiter & de somno*] Non debet confundi immortalitas viæ, qualis erat protoplastorum antequam peccassent, cum immortalitate patriæ: Licet enim hæc omnia quæ commemorat adversarius, huic non conveniant, illa tamen prior potest his etiam positis subsistere. Etsi posset Adam lædi & vulnerari, potentiâ remotâ, tamen erat extra periculum læsionis, morbi, doloris actualis, tùm per specialem Dei providentiam & curam, tùm per singularem ipsius sapientiam, quâ poterat omnem noxam declinare, tùm per inditam cœteris animantibus ejus reverentiam, ut nihil ab illis metuendum habuerit. Id quod dico potest intelligi vel exemplo ossium Christi; quæ actu frangi impossibile fuit, licet in se essent fragilia, non chalibea, vel adamantina. Et potest huic subjecto accommodari quod Homerus finxit de suo Achille, ipsum priùs in Stygem demersum toto corpore invulnerabilem fuisse, si talum exceperis; etsi cutis & caro ipsius in se considerata

derata nec ænea nec ferrea esset, sed æquè susceptibilis vulnerum ac cujuslibet alius; Sic enim primi nostri parentes, quoad eventum immortales erant & invulnerabiles; licet ea habuerint corpora in qua non minus quam in nostra cadere posset solutio continui. Christi Domini corpus per suam resurrectionem donatum fuisse absolutâ immortalitate, nullus Christianus negaverit: Eum tamen post suam resurrectionem comedisse & bibisse cum suis Apostolis liquet ex Scriptura Act: x, 41. Et quamvis non ex necessitate id fecerit ad reparandas naturæ vires, ut priusquam pateretur, sed ex sapienti dispensatione, ad suæ resurrectionis veritatem confirmandam, adeo ut nec ille cibus credendus sit in alimentum ejus abiisse, sed potenti suâ virtute fuisse annihilatum; saltem vel hoc exemplo liquet omnem cibi & potus usurpationem non derogare immortalitati. Non ideo non erat suo sensu inextinguibilis ignis sacer in templo, quod fomite subinde apposito conservari deberet. Nec eo ipso morbidus est homo aut morti succumbit quod cibis egeat, sed vel quia illis destituitur, vel ipsi deficiunt vires & facultates illis salubriter utendi.

Immortalia quippe] Et hæc quoque de corporibus primorum parentum statui possunt: Si enim eventum spectemus, illa *nec vigiliis frangi, nec labore defatigari, nec ullo dolore cruciari* poterant: Ita somnus tempestivè surrepebat post vigilias, ut nec illo torperent nec his frangerentur: Labor illis erat ad exercitium tantum, non verò ad fatigationem; Et quam immunes fuissent protoplasti citra peccatum ab omni dolore & cruciatu, vel inde liquet quod demum post peccatum fuerint damnati, Eva quidem ad partus & τεκνογονίας dolores, Adam vero ad laborem, sudorem & fatigationem, ceu prodromos ipsius mortis Gen: III, 16. 17. 18. 19.

Quid vero de respiratione] Christus post resurrectionem suam, & respirabat & loquebatur, licet jam absolutâ immortalitate donatus: Nec erunt beati post resurrectionem muti in cœlo: Eadem vero sunt organa respirationis quæ vocis: Et soli Sociniani possunt corporibus immortalitate & gloriâ donatis omnem respirationem & loquelam adimere, quia negant, quod Atheismum eorum ostendit, ut animæ immortalitatem, sic resurrectionem carnis.

Adde quod hominem] In natura corrupta *sobolis procreatio* inter homines pertinet ad conservationem generis: Sed in natura integra pertinuisset duntaxat ad illius multiplicationem & propagationem, juxta primævam benedictionem Gen: I, 28. *Crescite & multiplicamini & replete terram.*

Hinc luculentissimè] Christus hoc loco Luc: xx, 35. 36. non confert statum beatorum in patria, cum statu primorum hominum antequam peccassent, sed cum statu & conditione hominum sub peccato: Nam ut sunt morti obnoxij, ita dant operam liberis ad speciem non tam propagandam quam conservandam: Etenim ut statuunt Philosophi non minus decedere mari per exhalationes continuas & insensibiles transpirationes & transcolationes suarum aquarum, quam illi accedit quotidie per influxus fluviorum omnium suas aquas eò convehentium, ita facilè quis reputet non minus decedere quotidie generi humano per mortem quam illi accedit per generationem, & hanc potissimum illius lacunis replendis & cladibus sarciendis inservire. Hoc autem respectu nuptiis non erit locus inter beatos, ut inter nos, ad reparandas clades quas mors infert nostro generi, quia mori non poterunt: Adhæc alterius ordinis erit beatorum immortalitas in patria, quam protoplastorum in Hedene. Illis conveniet non posse mori; mors non ampliùs dominabitur ipsis: His vero conveniebat duntaxat posse non mori. Quare non

[illegible] sequitur eos non debuisse dare operam liberis si poterant non mori, eo quod nuptiis non erit locus in cœlo inter beatos quia non poterunt mori: Uno verbo ab immortalitate absoluta & patriæ de qua agit Christus & cui soli convenit ἀθανασία, ad immortalitatem secundum quid & viæ, quam solam vindicamus primis hominibus ante peccatum, argumentum procedere non potest. In cœlo non debebit multiplicari genus nostrum per nuptias, quia numerus fratrum nostrorum erit completus; adeoque isthîc non obtinebit quod aliàs obtinuisset citra periculum mortis in statu innocentiæ, sub quo genus humanum fuisset multiplicandum; multo minus debebit genus nostrum in cœlo per nuptias conservari, quia mors ibi nihil depopulari poterit.

Quid verò illud est, inquiet quispiam, quòd Paulus primum hominem in animam viventem factum fuisse dicit? (*1 Cor: 15. 45.*) aut etiam quòd Moses, ex quo ista deprompta sunt, asserit, Deum in hominis faciem vel nares inspirasse spiraculum vitæ? (*Gen: 2. 7.*) Hoc enim cum mortalitate congruere minimè posse videtur. Respondemus autem, vel his ipsis scripturæ testimoniis nostram de hominis statu, in quo ante lapsum fuit, sententiam mirum in modum confirmari. Tantum enim abest, ut factum esse in animam viventem, vel spiraculum vitæ sibi inspiratum habere, immortalitatis contineat argumentum; ut potiùs ei a Paulo luculentissimè opponatur, & porrò tantam arguat hominis fragilitatem atque imbecillitatem, ut, si suæ relinquatur naturæ, moriatur tandem necesse sit. Postquam enim Apostolus primum hominem in animam viventem factum fuisse asseruerat, statim ex altera parte hæc opposuit verba, (*V. 45.*) *Novissimus autem Adamus in spiritum vivificantem (factus est.)* Quod certè nihil aliud significat, quàm hunc posteriorem Adamum spirituale corpus, quod vitam perpetuò produceret, adeptum esse. Quid, quòd si animum attenderis, facilè comperies, Apostolum in eodem verborum contextu, ex hoc ipso, quòd primus homo in animam viventem factus est: concludere, eum corpore animali & corruptibili circumdatum fuisse. Postquam enim hæc verba fecisset, (*V. 44.*) *seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale: est corpus animale, est etiam corpus spirituale;* statim subjungit, *Sicut scriptum est: factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Adde, quòd Esaias, cùm hominis vitam fluxam momentaneamque describere alicubi instituit, eum spiritum suum in naribus habere dicit; (*Esa: 2. 22.*) adeò ut ex eo, quòd Deus in hominis nares (ita enim est in Hebræo) spiraculum vitæ inspiraverit, non tantùm colligi non possit, eum immortalem naturâ esse, sed contrarium etiam inde concludi debeat.

‡ *Quid vero illud est*] Hoc duplici testimonio potest probari animæ immortalitas, eo quod primam suam originem ἔξωθεν habuerit: sed neutro velim uti ad probandam immortalitatem secundum quid primorum parentum, juxta quam poterant

poterant non mori, licet de illis dici nequiret quod non possent mori. Quod verò eam everti utroque testimonio Mosis & Pauli asserit Volkelius ut suum Pelagianismum propugnet, absque ratione dicitur.

Et potuit ei à Paulo] Falsum est opponi à Paulo *animam viventem* immortalitati: cùm opponat duntaxat corpus *animale* & terrenum origine, corpori *spirituali* & cœlesti conditione, id est corpus præditum animâ rationali ac *egens alimoniis ciborum*, ut loquitur Lombardus *lib. 2. dist.* 19. & obnoxium operationibus facultatis vegetantis tam quoad conservationem individui quam propagationem speciei, corpori glorificato, quod non substantivè, sed qualitativè demum *Spirituale* dicitur, eo quod non ab anima ut ante determinetur ad functiones naturales hujus vitæ, sed à Spiritu Sancto ad operationes supernaturales fœlicitatis æternæ. Jam vero licet corpus animale quale habuit Adam opponatur corpori spirituali quale erit beatorum in cœlo, inde tamen non sequitur illud ita absolutè statuendum esse mortale, ut hoc gaudebit absolutâ immortalitate. Nam corpus animale, sive cui spiraculum vitæ inspiratum est, eodem ferè modo quo in testaceis hydriis suis milites Gedeonis faces accensas habebant, potest considerari in duplici differentia: Vel quale evasit post peccatum; & sic simpliciter opponuntur corpus animale & gloriosum, quia illi convenit non tantum posse mori, sed etiam non posse non mori, idest moriendi necessitas Rom: VIII, 10. huic vero non posse mori, id est absoluta inmortalitas Luc: XX, 36. Vel quale erat in statu innocentiæ; & sic dum corpori spirituali id solum convenit non posse mori, utrumque convenit corpori animali, posse scilicet & non mori, si homo perstet in obedientia, & mori, si deficiat ab officio. Hinc Augustinus apud Lombardum *lib. 2. dist.* 19. *Prius de limo terræ formatum est corpus animale, non spirituale cum quali resurgemus: Renovabitur enim à vetustate non in corpus animale, quale fuit, sed in melius, idest spirituale, cum hoc mortale induet immortale, in quod mutandus erat Adam nisi mortem corporis animalis peccando meruisset: Non ait Apostolus corpus mortale est propter peccatum, sed mortuum: Illud enim ante peccatum mortale & immortale erat, quia poterat mori & non mori: Aliud autem est non posse mori, aliud posse non mori: Ideo factum est per peccatum non mortale quod erat* (potentia remotâ) *sed mortuum, quod non fieret, nisi peccaret. Animale enim non est hoc corpus, sicut primi hominis fuit, sed jam aeternus est; habet enim necessitatem moriendi.* Item. *Alia est immortalitas carnis quam in Adam accepimus, alia quam in resurrectione speramus per Christum: Ille factus est homo immortalis, ut non posset mori si non peccaret, moreretur autem si peccaret; Filii vero resurrectionis non poterunt ultra peccare nec mori. Caro nostra non tunc egebit refectione ciborum, quia nulla poterit esse defectio: Caro Adæ ante peccatum ita immortalis creata est, ut per alimentorum adjuta esset mortis & doloris expers &c.* Itaque cum corpus animale sumi possit bifariàm, vel quale fuit in primo statu innocentiæ, vel quale est in secundo peccati, non eodem modo potest à spirituali & absolutè immortali distingui.

Et porrò tantam arguat] Concedo de statu corruptionis, quò spectat etiam dictum Es: II, 22. nego de statu integritatis: Quamvis enim etiam tunc fuerit halitus hominis in ipsius naribus, si conditionem naturæ spectemus, nulli tamen suffocationis præsentaneæ suberat periculo, quia nondum factus erat per peccatum obnoxius morti: Fragilitas physica nihil operari poterat sepositâ adhuc morali quæ est ex peccato.

Postquam enim Apostolus] Jam diximus de hac antithesi: Ita spirituale corpus illud est quod non potest mori, ut animale dicatur non solum illud quod

non potest non mori, quale nunc est sub peccato, sed etiam id quod potest non mori, quale Adami erat antequam laberetur.

Quid quod si animum] At verò neque statim corpus animale est corruptibile actu sive per potentiam proximam; neque negamus Adami corpus animale fuisse suo sensu corruptibile per potentiam remotam, quatenus is poterat peccare & seipsum corruptioni mancipare; neque inficiamur corpus animale nostrum quod actu est corruptibile referri quoad suam originem ad priorem Adamum qui factus est in animam viventem: Non quod tunc acceperit corpus actu corruptibile; sed quod cùm habuerit tale corpus animale, quod poterat fieri actualiter corruptibile & mortale per peccatum, licet tale ante peccatum non extiterit, mirum non sit illum post peccatum ad nos transmittere tale corpus animale quale suum evasit per peccatum, idest corruptioni & morti actualiter mancipatum.

Adde quod Esajas] Jam suprà dixi de hoc loco: Nec aliud ex illo colligi potest quam physicam fragilitatem convenisse homini statim à sua creatione; sed ea nunquam erupisset in nervum, nisi accessisset fragilitatis causa moralis ex peccato; Habebant ossa Christi fragilitatem potentialem & physicam, etsi actualiter nullum ex illis frangi potuerit: Physicè loquendo fragile erat corpus Adami; actu tamen frangi nequivit nisi per peccatum: Esajas autem exprobrat homini fragilitatem suam, non remotam, potentialem & physicam, sed proximam & actualem, quę illius transgressioni est adscribenda. Quam enim id non conveniat Adamo innocenti facilè intelligitur ex Chaldaica paraphrasi quę sic habet; *Cessate vobis; ne subjiciamini homini cùm factus fuerit terribilis; cujus spiraculum in naribus ejus est; quia hodie est vivus & cras non est, & quasi nihilum reputatus est ipse.* Esajas igitur *vitam fluxam momentaneamque* describit, non hominis integri & innocentis, sed vitiosi & peccatoris, etsi illius caducitatis evanidæ indicium sumat à physica ejus constitutione, quæ omnibus est obvia & observatu facillima: quamvis sola hæc physica constitutio nunquam hominem actu morti subjecisset & actualem illius fragilitatem invexisset, nisi peccasset, quia *stipendium peccati mors* est Rom: VI, 23.

Hîc verò illud ex Sapientiæ libro adducunt testimonium, quo hominem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ h. e. *ad incorruptibilitatem*, vel *in incorruptibilitate* conditum esse docetur. (*Sap: 2, 23.*) Non respondebimus nunc illud, librum hunc inter Apocryphos numerari, ex quibus indubitatum veritatis argumentum peti nequit. Illud inprimis animadverti volumus, si particula ἐπὶ sumatur pro *ad*, ut à viris doctissimis factum esse videmus, non tantùm ex hoc loco concludi non posse, hominem tunc cùm conderetur, fuisse incorruptibilem, sed etiam contrarium inde rectiùs colligi qui enim ad incorruptibilitatem conditus est, eum tunc cum conderetur, consentaneum est, non fuisse incorruptibilem: Sed largiamur etiam, ita debere verti verba, ut dicat Auctor, hominem condi-
70. tum esse *in incorruptibilitate*, nihil est, quod doceat, de ea incorruptibilitate istic sermonem esse, de qua nos hîc disputamus. De ea enim nos agimus quę omnem prorsus mortem ac corruptionem, etiam naturalem ac temporariam, excludat. At illa, de qua Auctor iste loquitur, non omnem mortem excludit, sed eam tantùm quæ impiorum est propria. Justiciam enim immortalem

esse ait, (c. 1, 15. 16.) & pios, utut per tormenta hac vitâ excedant, mori tamen negat, (c. 3, 2.) unde omnes monet; (c. 1, 13.) ut mortem atque interitum, huic ἀφθαρσίᾳ oppositum vitent.

‡ *Hic vero illud ex Sapientiæ*] Fateor ex libro hoc apocrypho non posse deduci argumentum apodicticum. Inferuit tamen hic locus demonstrandæ Judæorum ipsorum sententiæ de statu primi hominis; quam etiam nostræ conformem ex Rabbinorum monumentis ostendit Buxtorfius *ad calcem dissertat. de ling. Hebrææ confus. & plur. ling. origine.* Nec planè abludit à veteribus Judæis, quos refert Buxtorfius, Menasseh Ben Israel, qui *p. 1. de fragil. humana* §. 4. *n.* 6. laudatis in testes suæ sententiæ R. Mose Ægyptio, Isaaco Abarbanelio, ejusque filio Leone Hebræo in suo *Dialogo de amore*, pertendit arborem vitæ ab effectu sic nominatam præstituram fuisse hominem indemnem à morte; adeoque *fragilitati*, inquit, *ex defectu materiæ ut obviam iretur cum creasset Deus hominem extra paradisum, postea illum in eodem collocavit, ut hoc modo morti eriperetur: ut vel inde diluceat Deum voluisse ut homo contra naturalem constitutionem ad æternitatem vitæ aspiraret.* Clariùs adhuc R. Bechai inter eos quos citat Buxtorfius; *Ex sententia Rabbinorum nostrorum nisi peccasset Adam non fuisset mortuus in æternum, sed perpetuò vivus mansisset, sicut Angeli ministeriales*; & R. Moses Gerundensis; *Iuxta sententiam Rabbinorum nostrorum, si Adam non peccasset non fuisset mortuus in sæculum; Anima quippe superna dedisset ipsi vitam in perpetuum, & voluntas seu beneplacitum Dei quod in ipso fuit in principio Creationis ejus jugiter ei adhæsisset & in perpetuum ipsum conservasset: & scito quod compositio non necessariò corruptionem inferat nisi apud* ὀλιγοπίστους. Adeoque hi Judæi surgent in judicium adversus Socinianos, qui mentiti Christianum nomen offucias student facere veritati.

Illud inprimis animadverti] Sed neque id animadvertit Interpres Latinus, qui sic habet: *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum; Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*; Neque ὅτι ἀφθαρσία tam denotat finem ad quem homo à Deo conditus debuerit collimare, quam conditionem in qua fuerat constitutus; Neque potuisset *ad immortalitatem*, ut reddidit Castalio, vel *ad incorruptibilitatem* condi, prout vellet Volkelius, si eâ conditione fuisset conditus, ut resolutioni & morti necessariò fuisset obnoxius; ut vel ideo quod *ad incorruptibilitatem* condebatur, *consentaneum* sit *eum tunc cum conderetur* non fuisse actualiter corruptibilem & mortalem.

Sed largiamur etiam] Nulla hic est liberalitas, cum ratio textus id exigat. Deus enim hominem creans ad suam imaginem, reverâ multo aliter quam Zeuxis olim pingebat æternitati. Frustrà vero ad duplicem *incorruptibilitatem* confugit Volkelius. Quamvis enim non negemus, mortem temporariam quam introduxit peccatum, aliter se habere piorum respectu quam impiorum, attamen Sapientiæ Authorem agere de ea ἀφθαρσίᾳ *quæ omnem prorsus mortem ac corruptionem etiam naturalem*, (ut mors Ethnicis dicitur naturæ tributum) *& temporariam excludat*, ostendit ipsiusmet Authoris antithesis, quod cum homo creatus fuerit in *incorruptibilitate* nihilominus invidiâ diaboli *mors introierit in orbem terrarum*, quæ utique non alia est ab ea de qua agit Apostolus Rom: v, 12. dicens quod per unum hominem *peccatum in mundum intravit & per peccatum mors, atque ita ad omnes homines mors pervasit.* Eodem spectat illud ejusdem Authoris Sap: 1, 13. 15. *Deus mortem non fecit*, sed *injustitia mortis est acquisitio.*

Justitiam enim immortalem] At verò si immortalitas est præmium justitiæ; sic ut è contrario injustitia sit *mortis acquisitio*, & *stipendium peccati mors* Rom. VI, 23. ipsumque *corpus* moriatur *propter peccatum* Rom. VIII, 10. debuit à morte immunis esse primus homo quamdiu se non obstringebat peccato & permanebat in justitia originali, quæ illi connaturalis erat.

Et pios, utut per] Licet mors & corruptio quam invexit peccatum, ex speciali Dei beneficio piis cedat in bonum, fitque illis transitus ad meliorem vitam, quod negant Sociniani, id tamen non impedit quominus per se & ex rei natura peccato debeatur, quod nec ipse Volkelius mox diffitebitur.

Unde omnes monet] Neque id malè, quia mortem considerat in se & ex rei natura, ut pœna est peccati & primus gradus ad æterna supplicia. Qui enim peccato delectatur, ille mortem temporariam incurrit, uti mors est in se & descensus ad inferos, non uti fit per accidens piis & bonis, quibus est introitus ad fœlicitatem & vitam.

Instabunt tamen, & Pauli testimonio, hominis mortalitatem non inde fluere dicent, quòd hac conditione creatus sit: sed quòd ut Apostolus ait, (*Rom: 5. 12.*) *Peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors. atque ita ad omnes homines mors pervasit.* Atqui consecutio ista pessimè constituta est; cum inter mortalitatem, ipsamque mortem plurimùm intersit. Mortalitas quippe naturalem ad moriendum aptitudinem seu habilitatem significat; mors verò ipsum moriendi actum declarat. Hanc igitur per peccatum intrasse Paulus ait, ita nimirum, ut id moriendi necessitatem omnibus attulerit: illam verò minimè. Fieri namque potuisset, ut Deus hominem, quantumvis mortalem, admirabili suâ potentiâ ab ipsa morte integrum conservaret. Deinde Pauli verba non postulant ut statuatur, nullo alio modo, quàm per peccatum, mortem potuisse in mundum ingredi, vel ingressuram fuisse, atque adeò naturaliter id fieri non potuisse: sed satis est, eam hoc, & non alio modo ingressam fuisse. Simili ratione idem ait Apostolus, (*Rom: 11. 11.*) per lapsum Judæorum Gentibus salutem contigisse, quamvis alioqui planè constitutum fuerit, ut gentes aliquando salutari Christi disciplinâ illuminarentur. Quare etiamsi Iudæi lapsi non fuissent, nihilominus tamen salus contigisset Gentibus, quanquam non ita citò: quod idem de morte per peccatum in mundum ingressa dici potest. Deinde Paulus eo loco non de morte temporaria, sed de æterna disserit.

Instabunt tamen & Pauli] Et revera hoc in loco plurimum est præsidij pro veritate ea quam Augustino teste de *gestis Pelagij cap. 3. semper tenuit* Catholica *Ecclesia, Adam nisi peccasset non fuisse moriturum*: quò spectat & illud ejusdem Doctoris *lib. 13. de Civit. Dei, cap. 15. Constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ, quâ nullam mortem Deus homini fecit, sed merito inflictam esse peccati, quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini in quo tunc omnes eramus, Terra es & in terram ibis.* Quod si anathemata antiquitatis revererentur Sociniani, ea facilè huc conferremus munita hoc ipso Pauli testimonio, quibus à crudo hoc suo Pelagianismo deberent

berent deterreri. Antea retuli suo loco Canonem 1. Concilij Milevitani. Sed præterea Concilij Arausicani 11. Canon 2. ita habet: *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis, (quæ pœna peccati est) non autem & peccatum quod mors est animæ per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Atqui consecutio ista] Inter *mortalitatem* remotam & ipsam *mortem*, ut est stipendium peccati, agnosco distinguendum; non item inter mortem & mortalitatem proximam, quæ non pendet ex naturali corporis constitutione ejusque fragilitate physica, sed ex morali hominis corruptione.

Mortalitas quippe] Ludit Volkelius in hac voce: Nam remota & potentialis mortalitas, qualem concedimus Adamo, qui ut eventus docuit poterat mori, ut poterat peccare, nihil aliud sonat quam illam *naturalem ad moriendum aptitudinem* & resolubilitatem compositi in sua principia; sed mortalitas proxima & actualis, quam invexit peccatum & quæ mortis nomine exprimitur ab Apostolo, illam *moriendi necessitatem* denotat quam adversarius cogitur quoque in peccatum transcribere: Ut ergo largimur adversariis potentialem & aptitudinalem mortalitatem præcessisse peccatum, sic pertendimus actualem, quæ in omnes derivatur per Adamum, & *mortis* nomine à Paulo exprimitur, necessarium esse consequens peccati; quo spectant & alia Scripturæ loca Ezech: XVIII, 4. Rom: I, 32. Jac: I, 15. Atque hoc demum sensu Pelagianum imò Ethnicum dogma (nam ita Seneca quoque loquitur) Socinianorum detestamur, *Mors homini natura est, non pœna.* Sed neque hîc dissimulandum Volkelium perperam hæc duo pro synonymis habere, *moriendi actum & moriendi necessitatem*; nam hæc quæ mortalitatem propriè sonat in communi hominum sermone & ex stylo Scripturæ, unde mortales eos vocamus qui debent mori, & hac lege nati sunt ut denascantur, Job: XXXVI, 31. XXXVIII, 26. Es: LI, 12. Act: XIV, 15. Rom: VI, 12. VIII, 11. 1 Cor: XV, 53. 54. 2 Cor: V, 4. (sic & Lucretius inter Ethnicos dixit *Certa quidem finis vitæ mortalibus adstat, Nec devitari lethum pote quin obeamus,*) ordine naturæ prior est actu moriendi: Mortalis jam erat factus Adam ac necessitatem moriendi mortisque reatum contraxerat, plusquam 900. annis antequam actu moreretur.

Fieri namque potuisset] Non tantum id fieri potuisset, sed reverà futurum fuisset, nonobstante mortalitate impropriâ & potentiali ac remotâ hominis, si permansisset in officio; cùm nonnisi per peccatum propriè, proximè & actualiter mortalis evaserit.

Deinde Pauli verba] Fateor quod homo innocens per absolutam Dei potentiam destrui potuisset; sed non potuisset id fieri per ejus justitiam: Prout absolutè & in se fragilia erant ossa Christi, quamvis per Dei veritatem, necesse fuerit illa non frangi, adeoque impossibile ut frangerentur. Et cùm mors habeat rationem pœnæ, tam impossibile fuit eam naturaliter & citra peccatum homini obtingere aut per aliam portam in mundum ingredi, quam repugnat à justissimo & sanctissimo Deo ullam pœnam infligi Creaturæ justæ & innocenti, citra culpam aliquam peccati vel sui vel alieni. Et Deus non seriò egisset cum homine ei comminatus mortem si suum mandatum transgrederetur Gen: II, 17. posito quod nihilominus moriturus fuisset: Igitur cùm agnoscat vel agnoscere debeat Volkelius 1. Necessitatem moriendi esse à peccato Adami in omnibus hominibus, etiam iis, ut loquitur Apostolus, *qui non pecca-*

peccarunt ad similitudinem transgressionis Adami; 2. Per eam mortalitatem quam vindicat Adamo, potuisse nihilominus fieri, ut ipse nunquam moreretur; 3. Nullâ ratione ex Scripturis petitâ posse colligi, eum de facto moriturum fuisse, etsi non peccaret; 4. Non per aliam januam ingressam esse mortem, quam per januam peccati; nonne agitur furore Titanio, cùm nullum discrimen agnoscit quoad ipsam mortalitatem inter hominem adhuc innocentem & peccatorem?

Simili ratione] Primò nego similem esse rationem: Nam non pari necessitate cohæret Gentilium salus cum lapsu Judæorum, ac hominum mortalitas cum lapsu Adami: nam in salute Gentilium est actus gratiæ indebitæ, ad quam non causaliter, necessariò, aut meritoriè se habuit Judæorum lapsus, sed tantum antecedenter & occasionaliter; At in mortalitate actuali hominum est inflictio pœnæ denunciatæ & debitæ, ad quam causaliter, meritoriè & necessariò se habuit Adami lapsus, ita ut per veritatem & justitiam Dei aliter evenire non potuerit. Secundò quemadmodum ex hypothesi decreti divini non aliter debuit salus Gentibus evenire quam per lapsum Judæorum, ita ut his perseverantibus in officio, paries intergerinus inter ipsos & Gentiles ruptus non fuisset, ita etiam mors nunquam in mundum ingressa fuisset, si homo non peccasset, sed perstitisset in officio. Ut enim Deus comminabatur ipsum moriturum si peccaret, ita promittebat eum victurum nec sensurum mortem, si à Legis sibi positæ tramite non discederet. Nec enim dixit Deus Citiùs morieris; sed absolutè, Morte morieris: Quare nec Apostolus dicit per peccatum citiùs mortem ingressam in mundum quam aliàs eventurum fuisset, sed absolutè & simpliciter mortem per peccatum in mundum intrasse, atque ita ad omnes pervasisse.

Denique Paulus eo loco] Id verò est falsissimum: Nam etsi non diffitear etiam mortem æternam, sed alterius ordinis ab ea quam Sociniani Athei comminiscuntur, pœnam esse peccato debitam ex ordine justitiæ divinæ, quæ manet omnes eos quibus per Christi sanguinem & meritum peccata sua remissa non fuerint, attamen Paulus quadantenus directiùs intelligit *mortem temporariam* & corporalem, ita ut saltem nullâ ratione possit ex Pauli sermone excludi. Nam Paulus intelligit eam mortem quæ denunciata fuerat Adamo si peccaret: Atqui hæc fuit etiam temporaria: *Pulvis es & in pulverem reverteris*: Intelligit eam mortem quæ *ad omnes homines pervasit*; At hæc est sola temporaria, cui subsunt omnes, etiam ij qui sunt soluti per gratiam reatu mortis æternæ: Intelligit eam mortem cui etiamnum supersunt obnoxij regeniti & fideles ex ordine naturæ, licet mortem secundam non amplius reformident: Nam de regenitis loquitur Rom. VIII, 10. cum ait, *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum*, id est remanet adhuc necessariò morti obnoxium; *spiritus autem vita est propter justitiam*. Quin ipsemet in hanc vocem erumpebat, sentiens legem peccati in membris suis, *Ærumnosus ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Rom. VII, 24.

Vrgebunt nihilominus, & hominem ad Dei imaginem factum esse, (*Gen. 1, 6.*) idque nisi Deo immortalitate similis fuerit, cum vero conjunctum minimè esse pugnabunt. Nos autem hoc posterius falsissimum esse dicimus; cùm nihil impediat, quo minus homo non solùm mortalis, sed morti etiam planè obnoxius, Dei imago esse dicique possit. Nam & apud Mosen, (*Gen: 9. 6.*) & Apud Iacobum, (*Iacob: 3. 9.*) hominem post illam Adami ruinam titulo

titulo isto decoratum fuisse, scriptum legimus. Potuit quippe homo alia ex parte ad Dei imaginem creari, quàm quatenus perinde ut Deus, immortalis fuerit; atque adeò longè aliam rei istius rationem in divinis literis expressam videmus, nimirum quia haud aliter atque deus quispiam, omnes res 71. creatas cœlo subjectas imperio suo complectatur. Id quod ex illis Dei verbis perspicuum est, (*Gen: 1, 20.*) *Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram: & dominetur piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur super terram.* Quod idem & David homini tribuit, (*Psal: 8. 7, 8, 9.*) dum illi imperium in universa Dei opera datum esse affirmat.

‡ *Urgebunt nihilominus*] Et meritò etiam id urgetur: Ut enim naturalis fuit homini Imago Dei & Justitia originalis, ita ad illius naturalem innocentiæ statum pertinebat immunitas à morte; adeo ut corpore nudus, nulli dolori, molestię & incommodo ab extra fuerit obnoxius: Author quoque Sapientię 11,23. inde colligit Deum condidisse hominem ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ, quod ipsum fecerit εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος. Et sanè homo morti obnoxius imaginem Dei immortalis non potuisset commodè expressisse: Sed præsertim cum imago Dei per justitiam & sanctitatem homini connaturalem, actualis mortalitatis unicam causam removerit, scilicet peccatum Gen: 11, 17. Rom: v, 12. vi, 23. viii, 10. 1 Cor: xv, 21. 22. 56. & seposito peccato nec fami, nec siti, nec morbis, nec senio, nec ulli violentiæ externæ locus inter homines futurus fuisset, jure merito pertendunt Theologi Christiani ex imagine Dei in homine colligi ipsum mortalitati illi cui nunc sumus obnoxij omninò eximendum fuisse.

Cum nihil impediat] Primò perperam hæc duo distinguuntur à Volkelio, *homo mortalis & morti planè obnoxius*; quandoquidem, uti suo loco non semel observavi, propriè & ex stylo Scripturæ is solum *mortalis* est qui *morti est planè obnoxius* per peccatum. Deinde etsi homo peccator & morti obnoxius *Dei imago esse dicique possit*, sensu quodam diminuto, tum respectu ejus quod obtinuerat in primæva sua creatione, instar illius qui dicebat apud Poetam, *Fuimus Troes*, tum respectu ejus quod superest ex illa imagine post lapsum, cujus rudera remanent in animæ substantia spirituali & immortali, in dictamine conscientiæ, in residuis communibus notionibus tam theoreticis quam practicis; quò largimur spectare loca Mosis & Jacobi adversario citata; attamen inde non sequitur ad imaginem Dei integram & illibatam non pertinuisse plura iis tristibus reliquiis quæ in hominibus peccatoribus & mortalibus jam factis superesse videntur. Quin si valeat hæc ratio Volkelij, Immunitas à morte non pertinuit ad imaginem Dei integram in statu Innocentiæ, quia videlicet homo mortalis & peccator dicitur adhuc secundum quid imago Dei, eodem argumento colliges ad statum Innocentiæ & florentem in Adamo Dei imaginem, cognitionem Dei salutarem, justitiam & sanctitatem non pertinuisse, pertineant licet ad imaginis divinæ reparationem in nobis per Christum Col: iii, 10. Ephes: iv, 24. eo quod imago Dei dicuntur homines, quantumvis barbari & improbi, sintque nobis ob illius imaginis reverentiam, planè inviolabiles.

Potuit quippe homo] Unius requisiti ad imaginem divinam positio, alterius non debet esse negatio: Et licet non fuerit homo consequenter ad imaginem Dei, *perinde*

perinde immortalis ut Deus, si illud *perinde* de æqualitate intelligatur; attamen si de similitude & analogia sumatur, dubium non est quin & hoc inter alia ad similitudinem & imaginem Dei pertinuerit. Spectavit quoque fateor ad imaginem Dei in homine, illud ipsum imperium in reliquas *omnes res creatas* inferiores, cujus meminit Volkelius ex Mose; Sed tamen hoc unico *imperio* non exhauriebatur quicquid erat istius imaginis; cùm ad illam pertinuisse insuper justitiam, sapientiam, rectitudinem satis luculenter testetur Scriptura Eccl: VII, 28. Eph: IV, 24. Col: III, 10. Nec tam Moses loco hîc citato Gen: I, 26. definit imaginem Dei illo dominio & imperio, quam exprimit illius vel partem ad extra, vel consequens aut adjunctum necessarium; Quinetiam hoc ipsum imperium & dominium cœtera postulat, nempe ut simpliciter exerceatur *Rationem*, ut æquè & placidè, *Sapientiam*, *Justitiam & Sanctitatem*, ut constanter & perpetuò *Immortalitatem*. Imò vero, Adam non complexus fuisset suo imperio, *haud aliter atque deus quispiam, omnes res creatas cœlo subjectas*, si mortalis uti nunc sumus, expositus fuisset undique injuriis aliarum Creaturarum, ex quibus singulis Mors ipsa in ejus caput conjurata, sua tela adversus illum fabricatur.

Quod idem & David] Sed nec Psalmus iste VIII. videtur tam pertinere ad Adamum, quam ad Christum, ipsomet Paulo interprete Heb: II, 6. 7. 8. Adde loca Matt: XXI, 26. 1 Cor: XV, 27. Eph: I, 22. Nec si lumine N.T. destituti, illum velimus de Adamo primo intelligere, admittemus ideo imaginationem Volkelij in eo constituentis omnem imaginem Dei quod Adam haberet imperium in belluas; cum insuper dicat Propheta, illum hominem quem miratur Deum tantopere curasse, *honore* sive *majestate & gloriâ* fuisse coronatum. Jam autem ad coronam hanc majestatis & gloriæ inter cœtera pertinuit cum justitia originali, *illa* ipsa ab actuali mortalitate exemptio, quam ei in statu Innocentiæ vindicamus.

Nondum tamen quiescent illi, qui contrà sentiunt. Confugient enim tandem ad immortalitatem animæ, satisque inde constare asserent, hominem mortalem creatum minimè fuisse: cum præcipua ejus pars, anima nimirum, corruptionis sit expers. Ad hanc objectionem antequam respondeamus, discutienda nobis est vocabuli Animæ ambiguitas. Aut enim anima pro hominis spiritu usurpatur, aut ejusdem spiritus significat effectum. Ac spiritum quidem tunc declarat, cum ejus nomine divinæ particula auræ, seu substantia illa significatur, quæ corpori juncta illud vivificat, & has, quas vocant, animæ vires ac facultates ei largitur. Effectum verò ejusdem spiritus significat, cum ipsam vitam, quam spiritus ille corpori junctus efficit, designat; id quod apud sacros scriptores fit frequentissimè.

‡ *Confugient enim tandem*] Verum quidem illud est quod in natura primum instituta, tale domicilium animæ immortali competere debuit, quod interitui & corruptioni non esset obnoxium, ne videretur damnata ad crudele supplicium Mezentij, qui *corpora mortua vivis jungebat* ut illorum fœtore hæc miseriùs perirent; sed tamen largimur id adversario quod in natura jam destituta & corrupta per peccatum non procedat argumentum ab animæ immortalitate, quæ absoluta est per intrinsecam illius naturam, ita ut remaneat post animal & solut*e*

soluto vinculo quo corpori cohærebat extra illud existat & operetur, ad immortalitatem totius hominis, ut ab hac quam sibi proponit objectione, tam prolixè tractanda potuisset supersedere Hæreticus: Sed hanc captavit occasionem virus suum etiam in ipsam immortalitatem animæ effundendi & Sadducæismum ac Epicureismum, quem fovet in sinu cum suis gregalibus, subdolè incrustandi.

Ad hanc objectionem] Tam scrupulosâ distinctione opus non erat; cùm satis constet quid *animæ* nomine hîc intelligatur. Non nescio Grammaticos voluisse scrupulosiùs distinguere inter *Animum* & *Animam*: Sed nec sibi satis constiterunt in ea distinctione, nec eam solidè adstruxerunt: *Animus*, inquit Nonius Marcellus, *est quo sapimus*, *Anima quâ vivimus*; & Isidorus, *Animus consilij est*, *Anima vitæ*; & Cornelius Fronto, *Animus est qualitas viventis*, *Anima causa vitæ*: Sed longè inutilior est Volkeliana animæ distinctio in *spiritum*, & *effectum* illius: Nam etsi non negem animam sæpè metonymicè sumi pro vita, idest non tam formaliter quam effectivè, tamen quandoque etiam nomen *spiritus* eo potiùs adhibetur quam nomen *animæ*: quo potissimum facit locus Jac:11,26. ubi dicitur corpus esse mortuum *sine spritu*, idest sine eo effectu vel indicio præsentis animæ in nobis ex quo infallibiliter percipitur adhuc adesse. Satis esto quod cum disputatur de Immortalitate animæ, intelligitur illa ipsa substantia, spiritualis, immaterialis, intelligens, quę sui unione naturali cum corpore, hominem constituit in suo esse specifico, & ipsum facit animal rationale. De anima autem hoc sensu pessimè philosophatur hæreticus; Primò enim eam appellat *divinæ particulam auræ*: atqui hæc phrasis non solum Ethnica est, illius qui dixit *Corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque prægravat unà, Atque affligit humo divinæ particulam auræ*, sed etiam, si ad vivum resecetur, hæretica, Carpocratianorum, Cerdonianorum, Gnosticorum, Manichæorum, & Priscillianistarum, qui senserunt animum hominis ex substantia Dei prognatum & nonnihil de ipso Numine esse: cùm tamen Deus simplicissimę naturæ nec veniat in compositionem cum rebus creatis, nec sit partibilis, aut mutabilis; multo minus iis vitiis, erroribus & miseriis obnoxius, quibus mens humana ut plurimum obruitur. Nec soli Scholastici hunc errorem refutant, ut Thomas nominatim & qui ad eum *p.* 1. *q.* 90. *art.* 1. sed etiam plurimi veterum, speciatim Augustinus *de orig. an. cap.* 2. 3. 4. & Chrysostomus *hom.* 13. *in Gen.* Deinde quam benè statuit animam sive spiritum esse *substantiam quæ corpori juncta illud vivificat*, nempe effectivè & in actu secundo, (quamvis hodie non desint Philosophi subtiles, qui vitam hanc animalem & caducam aliundè arcessunt quam ab anima rationali;) tam impropriè & ἀφιλοσόφως asserit, quod insuper *has quas vocant, animæ vires & facultates*, eidem corpori *largitur*. Nam neque omnes vires & facultates animæ sunt organicæ & exeruntur per corpus; primariæ enim & digniores, cujusmodi sunt cogitare, velle, intelligere, sunt inorganicæ; neque corpori subjectivè & formaliter conveniunt vires & facultates animæ, licet vel in corpore, vel circa corpus, vel per corpus exerantur. Nauclerus non largitur navi vires & facultates gubernatrices, liceat eas in navi & circa navim exerat; nec citharœdus largitur citharæ vim & facultatem musicam, liceat eam in cithara & per citharam exerceat. Vires & facultates animæ, cum ipsa sit substantia, fatente adversario, debent subjectivè & formaliter ipsimet inesse, licet effectivè & objectivè circa corpus occupentur.

Hoc posteriori modo accepta anima, spiritu à corpore sejuncto, consistere non potest. Spiritus verò ipse, qui est anima priori modo accepta, nequa-

quam interit: sed, ut Salomon testificatur, (*Eccl: 12. 7.*) ad illum redit, qui eum dederat; restituendus tamen suo tempore cum immortali gloria iis qui cum fide justiciaque vixerint. Unde, quemadmodum ipse Christus jam jam moriturus, spiritum suum in manus Patris sui deposuit, (*Luc: 23. 46.*) ita Stephanus spiritum suum in manus Christi: (*Act: 7. 59.*) & Petrus monet, ut ii qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, tanquam fideli creatori commendent animas suas benefaciendo. (*1 Pet: 4, 19.*)

1 *Spiritus verò ipse*] Utinam bonâ fide crederent Sociniani remanere animam post animal, & vitâ corporis extinctâ, spiritualem illam substantiam quæ corpori juncta hanc in illo vitam temporariam producebat, ubi ex illo excesserit non interire: Sed hîc se prodit eorum Epicureismus, & quam Turcis, Judæis, & multis Ethnicis pejores, nihil reverâ credant de animorum immortalitate, & eorum existentia post mortem: Adeo nesciunt magis quam Lucretius, *quæ sit natura animai; Nata sit, an contra nascentibus insinuetur, Et simul intereat nobiscum morte dirempta; An tenebras orci visat, vastasque lacunas, An pecudes alias divinitùs insinuet se.* Egregios sanè pietatis doctores, quibus non sunt aliquid manes sed lethum omnia finit, & quos inter & canes suo judicio non aliud est discrimen, quam quod canes allatrent solos homines, ipsi etiam Deum. Etenim 1. Ideo tantum negant spiritum humanum interire, quia negant illum vixisse: ut mira hæc sit substantia spiritualis & divinę particula auræ, quam inter & adamantem nihil sit discriminis; siquidem hic cum nec igni nec ferro destruatur suo sensu incorruptibilis est neque interitui obnoxius. 2. Id privilegium non intereundi, videtur Volkelius restringere ad solas animas piorum & fidelium; nam juxta eum is demum spiritus *nequaquam interit*, qui *restituendus* est *suo tempore cum immortali gloria iis qui cum fide justitiaque vixerint*; adeoque spiritus saltem impiorum, in Schola Sociniana, sunt eo ipso penitùs interituri, quod non sint ipsis restituendi suo tempore; dixerit licet Apostolus se sperate *resurrectionem mortuorum, tum justorum, tum injustorum*, Act: XXIV, 15. 3. In eo demum constituit adversarius non interitum spiritus, quod sit per resurrectionem restituendus iis qui fide & justitiâ vixerint: At pari ratione dixisset quis Lazarum Marthæ & Mariæ fratrem non interiisse, quia illis quatriduo die post obitum erat *restituendus* miraculosâ resurrectione ex mortuis. 4 Corrumpit evidenter mentem Salomonis Eccl: XII, 7. cum totum illud spiritus humani non interitum, in eo reditu ad Deum collocet, quo fiat ut possit extinctus olim de novo suscitari & restitui: Etenim non redit spiritus humanus ad Deum ut pulvis redit in pulverem, per resolutionem in suum principium materiale; cùm anima sit spiritualis, nec resolvatur aut resolvi possit in divinam naturam & substantiam, ut corpus resolvitur in pulverem; imò sit anima planè alterius substantiæ & naturæ quam ipse Deus; Sed redit spiritus ad Deum, tanquam ad supremum judicem, ut ab ipso suam accipiat sententiam, vel condemnationis & pœnæ, vel justificationis & gloriæ; prout omnibus hominibus ita constitutum est semel mori, ut illicò post sequatur *judicium*, vel receptionis ad gaudia cœlestia, vel detrusionis ad tartara, Heb: IX, 27. Utriusque exemplum graphicè proponitur in Lazaro & Epulone Luc: XVI, 22. 23. Eò pertinet quod cùm Hebræis דין *Din*, *judicium* significet, Macedones, quasi ab eadem radice, mortem vocabant *δάνον*, teste Plutarcho *de poetis audiendis*. Hæc fuit equidem non incom-

commoda Platonis sententia, quam sic expressit Lactantius *lib. 7. cap. 8. Necesse est in terram resolvi quod est in homine ponderosum & dissolubile; quod autem tenue ac subtile, id vero esse individuum, ac domicilio corporis velut carcere liberatum, ad cœlum & naturam suam pervolare;* & apud eundem authorem *eod. lib. cap. 12.* Lucretius his verbis, *Cecidit idem retro de terra quod fuit ante, In terras; & quod missum est ex ætheris oris, Id sursum cœli relatum templa receptat;* Sed tamen longiùs provehitur Salomon; nec enim reditum spiritus humani ad Deum urget duntaxat tanquam ad originis suæ principium & sedem, eo quod *Sedibus æthereis spiritus ille venit*, sed tanquam ad supremum judicem, brabeutem bonorum & vindicem malorum; prout ejusdem Eccl: cap. XI, 9. juveni dixerat, *Cognosce fore ut propter omnia hæc adducat te Deus ipse in judicium*; unde captat occasionem cap. XII, 1. eum præmonendi ut *recordetur Creatoris sui in diebus juventutis suæ*, priusquam ingruant senectus & mors, quâ fiet ut redeat pulvis in terram & spiritus ad Deum qui dedit ipsum: Unde tandem totum illud caput & opus concludit his verbis; *Nam omne opus Deus ipse adducet ad judicium, cum omni re occulta, sive bonum, sive malum.*

Unde quemadmodum] Paullò aliter Christus spiritum suum deposuit in manus sui Patris, & ad illius exemplum protomartyr & omnes pij, quam quo sensu dixit Salomon spiritum redire ad Deum qui dederat ipsum: Nam Salomonis dictum est universale de spiritu quorumlibet hominum tam bonorum quam malorum; At omnium enim spiritus sistuntur supremo judici in decretorio cujusque die, sententiam accipiant vel pœnæ vel præmij: At deponere spiritum suum in manus Dei, ad solos ipsius filios pertinet, qui salutis suæ securi, ipsi in morte sua commendant suas animas, juxta ejus promissionem glorificandas & admittendas ad gaudia cœlestia. Interea tamen vel ex his liquet, quod reditus spirituum nostrorum ad Deum per mortem, longè aliud sonet quam resolutionem Socinianam, eo quod sancti & fideles illi commendent suos spiritus, non in causam primam resolvendos, sed lætitiâ & quiete solidâ ac æternâ donandos in ipsius visione. Ideò Christus deponens suam animam in manus Patris Luc: XXIII, 46. unà promittebat latroni ibid. 43 quod secum illo ipso die futurus esset in paradiso. Nec Stephanus spiritum suum in manus Christi deposuit Act: VII, 59. aut voluit Petrus quoslibet pios suas animas Deo tanquam *fideli creatori* commendare 1 Pet: IV, 19. nisi sub fiducia illius quietis dulcissimæ, & conditionis hac terrenâ longè amœnioris & melioris obtinendæ cum Christo & juxta ipsum, quam morientibus in Domino promittunt sacræ literæ: Apoc: VI, 11. XIV, 13. Phil: I, 21. 2 Cor: V, 1.4. Luc: XVI, 22.25. XXIII, 43.

Etiamsi autem hic spiritus naturâ suâ sit incorruptibilis; propriè tamen loquendo, ut non moritur, ita nec vivit: sed vitam tantùm, quàmdiu corpori junctus est, efficit. Quare propriè loquendo nec immortalis dici potest. Immortalitas enim eorum demum est, quæ ipsamet actu vivunt. Vnde apparet, naturalem hominis immortalitatem hinc concludi minimè posse: idque tanto minùs, quòd de toto hominis concreto, ex spiritu & corpore composito, deque ejus immortalitate nobis hoc loco sit sermo. Quis autem non videt, corpore intereunte, etiamsi spiritus maneat superstes, & ut hoc etiam nunc largiamur, immortalis existat, concreti istius dissolutionem fieri? ad quam cum 72.

homo, si naturalem illius constitutionem spectes, fuerit aptissimus; facilè est intelligere, eum immortalem haud quaquam fuisse conditum.

‡ *Etiamsi autem hic*] Hîc sanè apertiùs se prodit impietas Sociniana; Nam palàm negat Volkelius spiritum hominis, ut eam notat substantiam quę corpori juncta illud vivificat & regit, propriè loquendo *immortalem* dici posse, eo quod ipsi nec vivere competat nec mori. Ex quibus patet primò Socinianos illudere hominibus, cùm videntur profiteri se credere, spiritum hominis *nequaquam interire*; Non enim hoc statuunt, quod credant sub ipsa morte ad immortalitatem transiri, ut utar phrasi Cypriani; sed quod ea sit juxta eos animæ conditio ut ei ideo non conveniat interire quia nec vivat: Jam autem pari omninò ratione dixerint de lapide quod nequaquam intereat, quia ideo morti nequit esse obnoxius, quod vitâ careat. Secundò eosdem adversarios animæ humanæ vitam denegare: quo absurdo nihil in sana Philosophia, nihil in Christiana Theologia absurdius possit excogitari. Ut quid enim posset anima rationalis corpus cui connectitur vivificare effectivè & in actu secundo, nisi ipsa viveret subjectivè, formaliter & in actu primo? An corpori daret & conferret quod ipsa non haberet? Tantum igitur abest ut ideo negetur anima vivere, quod vitam quamdiu corpori juncta est efficiat, ut vel inde certissimè colligatur, illam proculdubio vivere: Unde enim ea efficientia illi competeret? An negabitur vivere anima, cui tot operationes conveniunt vitales, independenter à corpore, cujusmodi sunt cogitatio, intellectio, volitio, &c. & quas illi remanere post mortem, satis comprobant loca Scripturæ quæ modò annotavi? Aliàs quî possent animæ piorum defunctorum requiescere à laboribus suis, amiciri stolis albis, longè meliori conditione frui quam in his terris, esse jugiter cum Christo, potiri deliciis paradisi &c. nisi etiam à corpore revulsæ & viverent & operarentur? An ipsa impudentia negaret, factum fuisse hominem in animam viventem Gen: II,7. sæpiùs illam recurrere formulam in Scripturis, *quam vere anima tua vivit*, & animam donari vitâ spirituali per Christum, ut morti spirituali per peccatum obnoxia fuerat? Annon anima est quadantenus in microcosmo, quod ipse Deus in macrocosmo, cui fons est vitæ Psal: XXXVI, 10. ipse vivens in sæcula? An illi animæ vivere non competeret, quam Volkelius supra divinæ particulam auræ faciebat? Scilicet Christus ideo negaverit posse homines animam occidere Matt: X, 28. quia cùm non vivant trucidari non possunt. Eodem modo dicerem non posse homines saxa trucidare, quia nec illa vivunt. Quis hîc de canibus istis mortuis non exclamet cum Persio, *sat.* 2. *O curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes?*

Unde apparet] De eo jam suprà dixi. Etsi nunc animæ immortalitas non tollat totius compositi actualem mortalitatem quam peccatum invexit, tamen in statu innocentiæ, fœlicius & durabilius fuisset animæ cum corpore conjugium, adeoque nullo unquam separandum divortio.

Quis autem non videt] In natura corrupta id videmus, cui non fuisset locus in integra. Id interea velim dilucidiùs à Socinianis expositum, quî possit spiritus manere *superstes* post mortem, & tamen *immortalis* non esse? Hæc sunt mysteria quibus intelligendis & explicandis nequidem ipsa *Clavicula Salomonis* posset sufficere.

Ad quam cum homo] Etsi habuerit aptitudinalem mortalitatem, potuit tamen cum eo conciliari immortalitas actualis, non equidem ea quâ non posset mori, sed ea quâ posset non mori. Deinde nec fuit *aptissimus* ad mortem ante peccatum, cum θνητὸς demum per peccatum factus fuerit: Aptitudo quæ hîc fingi potest ante lapsum,

lapsum, fuit remota duntaxat non proxima: nec dissoluta unquam fuisset aut actu dissolvi potuisset arctissima illa unio corporis & animæ, nisi tetrum in hoc conjugio divortium transgressio legis divinæ invexisset.

CAP. XII.

In quo descriptiones vitæ æternæ variæ considerantur.

‡ Respondente DANIELE MARESIO, Mosæ-trajectensi.

IAm ut ad futuræ illius vitæ descriptionem veniamus; illud primùm ingenuè fatendum est, nullum mortalium ad tantum divinæ sapientiæ gradum pervenisse, ut illius rationem mente satis complecti, nedum oratione persequi possit. Versamur enim adhuc in ætate puerili, *(1 Cor: 13. 11.)* & ideo puerorum more, de tanta futuræ felicitatis amplitudine balbutire fortasse possumus, utpote per speculum, perque quasdam ambages eam intuentes: absolutissimâ autem cognitione eam comprehendere, proque ejus dignitate explicare, neque in hujus seculi rationem, nec in naturæ nostræ imbecillitatem cadit. Quanquam enim non perinde ut Israëlitæ, *(Heb: 10. 1.)* umbram tantùm hujus boni cernimus, sed imaginem ejus quandam contuemur: nondum tamen rem ipsam effigie notatam oculis cernere nobis concessum est. Restat igitur, ut imaginem istam, quâ Deus, dum quidem hujus lucis usurâ fruimur, nos contentos esse vult, omni mentis acie contemplemur, & cum S. monumentis expressa sit, virorum divinorum testimonia summâ diligentiâ colligamus, utpote quæ certis quibusdam elogiis vitæ sempiternæ statum atque conditionem, cum qua liberatio à miseria isti felicitati contraria conjungenda est, describant. Omnia autem ista elogia in quatuor, ut videtur, genera distribui possunt. Aut enim gratuita Dei liberalitas illis indicatur; aut boni istius pondus ac pretium ob oculos ponitur, aut statûs illius sive dignitas ac gloria, sive jucunditas depingitur; aut tantæ felicitatis desiderium declaratur. In primo genere hæc sunt futuræ beatitatis nomina: peccatorum condonatio, passim in N. T. scriptis commemorata, justitia vel justificatio, redemptio, regeneratio, donum Dei.

‡ *Quanquam enim non perinde*] Plus & minus non variant speciem: Etiam illa umbra, fuit imago quædam, licet minus expressa & minus ad vivum, prout ad caput superius dixi: nihilque obstat quominus in suis umbris Israëlitæ dimensi fuerint solem & sydera.

Omnia autem ista] De hac distributione nihil moveo; cum talia sint arbitrariæ methodi. Sed ad capita illa singula, aliquid fortè debebit annotari.

In primo genere] Hæc ita cohærent ut non sint tamen penitus synonyma, vel inter se, vel cum vita æterna. Coincidit significatione remissio peccatorum cum justificatione gratuita, ut liquet ex Rom: IV, 5. 6. 7. & requiritur ad vitam æternam obtinendam; sed tamen tantum abest ut justificatio sit descriptio vitæ æternæ, ut è contrario à vita æterna & glorificatione con-

conceptis verbis distinguatur in armilla aurea Pauli Rom: VIII, 30. Regeneratio magis spectat sanctificationem & eluitionem maculæ peccati, quam justificationem & ablationem reatus illius; Estque ea potius conditio prærequisita ad vitam æternam obtinendam ex dicto Christi Joh: III, 3. 5. quam vitæ æternæ elogium & descriptio. Redemptio quoque à servitute duplici tam peccati quam vanitatis & mortis, nos ducit ad vitam æternam, ac in illius possessionem introducit, ejus tamen descriptio aut elogium non est dicenda. Quod sit & dicatur donum Dei, certum est; Sed non tamen omne id quod est donum Dei, licet ad eam tendat, ut fides, pœnitentia, justificatio &c. vitæ æternæ est elogium aut descriptio. Sed de singulis audiamus Volkelium.

Ac peccatorum quidem condonationem, ipsa vocis vi inspecta, vitam immotalem significare haud asserimus: cum peccata condonare propriè loquendo non nisi à peccatorum reatu absolvere, & supplicium sceleribus debitum auferre significet; id quod vitæ sempiternæ ac cælestis beneficium per se minimè complectitur, nec necessariò ac suâ naturâ secum trahit. Fieri namque potuisset, ut peccati pœnas non subiremus, nec tamen continuò cælestem adiremus hæreditatem. Satis quippe Deo ad sceleris ultionem nobis condonandam fuisset, terrestrem illam vitam, quam Adamus ante miserabilem ca-
73. sum suum vivebat, nobis restituere. Voluit tamen clementissimus Pater, pro incredibili sua erga nos charitate atque misericordia, hanc peccatorum condonationem ita amplificare, ut non solùm supplicii liberationem, sed etiam cælestis patrimonii possessionem contineret, eamvè secum adferret. Postquam enim sempiternum interitum veram ac propriam peccatorum pœnam esse voluit, immortalis autem vitæ præmium innocentiæ ac justiciæ proposuit: sequitur ut, cui peccata condonantur, quique adeo pro innocente ac justo reputatur, hoc est, eo est loco ac conditione, quâ innocentem ac justum esse conveniret, is à morte sempiterna liberatus, immortali vitâ donetur. Unde in sacris literis N. Fœderis remissionis peccatorum nomine vita æterna tacitè comprehendi non rarò solet. (*Luc: 24, 47. Act: 5. 31. Rom: 4, 6. & d. Heb: 8. 12.*)

‡ *Ac peccatorum quidem*] Licet peccatorum condonatio ipsâ vi vocis, *vitam immortalem* non significet, tamen jus infallibile sonat ad illam & contra quam negat Volkelius, eam *necessariò & suâ naturâ secum trahit*. Nam uti jam notatum, ejusdem omninò sunt significationis remissio peccatorum & Justificatio coram Deo; adeoque pro justo habetur & reputatur is qui absolutus est à reatu peccatorum suorum: Et per consequens quam repugnat eum puniri cujus reatus est extinctus, tam necessarium est eum coronari vitâ æternâ, qui quod nullius peccati reatu teneatur eo ipso habetur pro justo, & digno cui præmium vitæ, promissum observatoribus mandatorum Dei, conferatur; siquidem censetur & nihil omisisse eorum quæ facienda, & nihil commisisse eorum quæ declinanda fuerant.

Fieri namque potuisset] Frustrà disputatur de eo quod potuisset fieri, ubi constat de eo quod Deus fieri voluit. Quanquam non videmus qui sublato omni reatu pec-

tu peccati, non pateat illicò aditus ad immortalitatem & vitam: cùm mortis causâ cessante ipsa quoque tolli debeat, & extinctâ illâ rhomphæâ quæ nos arcebat ab aditu paradisi, via nobis recludatur ad arborem vitæ.

Satis quippe Deo] At illa non erat terrestris vita, sed via certa & infallibilis per continuatam obedientiam ad immortalitatem & fœlicitatem patriæ, ut capite præcedenti probatum. Quanquam in eo melior debuit esse nostra conditio per secundum Adamum, quod certam, absolutam & inamissibilem immortalitatem in ipso consequamur; cùm prioris immortalitas fuerit incerta, amissibilis, nec talis dicenda nisi secundum quid.

Voluit tamen clementissimus] In eo igitur acquiescamus; & agnoscamus eam esse necessariam connexionem remissionis peccatorum & *cœlestis patrimonij*, ut hujus promissiones eo ipso debuerint factæ fuisse fidelibus V. T. contra quam disputabat Volkelius capite præcedenti, quod illius participes fuerint.

Postquam enim sempiternum] Sed primò sub nomine *mortis* denunciatæ peccato in illius pœnam, etiam ipsa mors temporalis continetur; juxta id quod dictum fuit Adamo, *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Hinc ipsum *corpus* fidelium, licet liberatorum à sempiterno interitu & per remissionem peccatorum hæredum *cœlestis patrimonij*, dicitur tamen *mortuum propter peccatum* Rom: VIII, 10. ita ut mors eorum temporalis sit adhuc pœna naturæ, licet non cedat ipsis in pœnam temporalem personarum suarum, sed potius in transitum ad vitam meliorem. Deinde hæc pœna sic pendet ex Dei voluntate, ut etiam in ipsius Justitiam essentialem & naturam sit refundenda: Repugnat enim ejus justitiæ peccatum impunitum manere: Ac ut pœna illi necessariò & indispensabiliter debetur, sic debet ejus gravitati attemperari & proportionari, quod fieri nequiret nisi æterna adeoque & quadantenus infinita esset. Quamvis Sociniani eam mortem æternam comminiscantur, quæ potiùs vergat in solamen & subsidium impiorum, quam in pœnam illorum; siquidem eos omni dolori & sensui subducunt statim ac mortui sunt; animâ in æternum extinctâ & nunquam corpori per resurrectionem restituendâ ad pœnas gehennæ unà subeundas.

Immortalis autem vitæ] Hoc verò præmium ita per fœdus naturæ & operum in Lege proponebatur *innocentiæ & justitiæ*, ut nunc per fœdus gratiæ & Euangelicum, proponatur resipiscentiæ & fidei in Christum; cujus beneficio dum remissionem peccatorum consequimur, Legis δικαίωμα in nobis impletur Rom: VIII, 4.

Sequitur ut cui peccata] Hanc sequelam ut necessariam admittimus; sed ex illa sequitur donandos fuisse fideles V. T. *immortali vitâ*, eo quod ipsis sua peccata à Deo condonarentur.

Unde in sacris] Propter sequelam jam observatam id non debet restringi ad N. F. cùm etiam æquè sub V. T. *remissionis peccatorum nomine vita æterna tacitè* comprehenderetur, Psal: XXXII, 1, 2. CXLIII, 2. Es: 1, 18. Jer: XXXI, 24. Eò magis quod ex his quatuor testimoniis primum & ultimum citantur ipsi Paulo locis quæ profert Volkelius Rom: IV, 6. & d. & Heb: VIII, 14.

Justitiæ autem, vel justificationis nomine, licet non rarò liberatio tantùm à peccatorum reatu ac pœna significetur: nonnunquam tamen etiam ipsa immortalitas vel exprimitur, vel tacitè includitur. (*Gal: 5. 5. 2 Tim: 4. 2. 2 Pet: 3. 13. Rom: 5. 18. 19.*) Id verò ideo, quia justitia metonymicè pro justitiæ effectu seu præmio, divinâ benignitate constituto, accipi solet; & apud divinos

divinos autores, hominem justificare, significat eum justum pronunciare, & ut justiciâ perfectâ excultum tractare; quod sanè hîc nihil aliud est, quàm à reatu ac pœnis peccatorum liberatum, beatâ immortalitate donare.

‡ *Licet non rarò*] At modò visum, illam liberationem à reatu necessariò inferre imputationem justitiæ; adeoque planè synonyma esse Paulo ipsi justificationem & remissionem peccatorum.

Nonnunquam tamen] Ut justificatio & justitiæ Christi imputatio tacitè includat jus immortalitatis & vitæ æternæ, lubens do; sed nullo ex locis Volkelio citatis justitiæ aut justificationis nomine, immortalitas & vita æterna per metonymiam exprimitur. Nam Gal: v, 5. appellatur quidem vita æterna *spes justitiæ*, quod eam expectemus & speremus ceu præmium & consequens necessarium justitiæ illius quæ est *ex fide*, de illa enim agit Apostolus; sed ipsa vita æterna justitia non dicitur; ut nec 2 Tim: IV, 8. ubi duntaxat *corona justitiæ*, id est illi promissum præmium & βραβεῖον appellatur: Sic verò 2 Pet: III, 13. dicitur quod in novis cœlis & nova terra quam expectamus *justitia inhabitet*, ut non tam vita æterna *justitia* dicatur, vel *justitiæ præmium*, quam cœlum vitæ æternæ destinatum, sedes & domicilium, per metonymiam adjuncti pro subjecto frequentem sacris literis; hominum justificatorum per Christum, nec ultrà peccato obnoxiorum. At Rom: v, 18. 19. justificatio vitæ quâ multi constituti sunt justi per Christum, non sonat vitam æternam, sed jus & restitutionem ad illam. Quod si quis in Scriptura locus faveret illi metonymiæ prætensæ Volkelij, is foret qui extat Apoc: XIX, 8. omissus ab ipso ubi *byssus munda & splendida* quâ uxor Agni amicitur, *justificationes Sanctorum* esse dicuntur; Sed tamen nihil cogit ut illam byssum magis aut potius de amictu gloriæ, quam de amictu gratiæ interpretemur. Hoc omni enim amictu ornatur & amicitur sponsa ad nuptias; in illo tamen non consistit formaliter festivitas & gaudium nuptiarum.

Quod sanè hîc] Non tam actu *donare* quam donandum certo & infallibiliter declarare: Cùm verò etiam justificati fuerint Sancti ex fide sub V.T. hinc sequitur contra Socinianos quod eo ipso Deus illos *beatâ immortalitate*, vel donaverit, vel donandos declaraverit.

Redemptionis quoque nomen idcirco huic divino statui imponitur, (*Rom: 8. 28. 1 Cor: 1. 30. Ephes: 1. 14. Rom: 8. 21.*) quòd cùm eum consequemur, revera è corruptionis servitute in gloriosam filiorum Dei libertatem vindicabimur: cùm videlicet isto fragili caducoque corpore exuti, corpore induemur glorioso, firmo, & ab omni corruptionis contagione, & sic ab omni periculorum mortisque ipsius metu soluto ac libero. Quam ob causam dies ille, quo Christus ad istâ libertate nos donandos venturus est, dies redemptionis dicitur; (*Ephes: 4. 30.*) tuncque redemptionem nostram, id est, nobis destinatam, appropinquare, & tandem reipsa nobis dandam esse affirmatur. (*Luc: 21. 28.*)

‡ *Redemptionis quoque nomen*] Sed debuisset distingui duplex *Redemptio*, alia à peccato, de qua Eph: I, 7. alia à vanitate de qua Rom: VIII, 21. 23. 1 Cor: I, 30. Eph: I, 14. IV, 30. Illa inchoativa & meriti, hæc completiva & efficaciæ posset appellari. De posteriori valet observatio Volkelij, non de priori.

Regene-

‡ Regenerationis præterea nomine, quo animorum & actionum nostrarum mutatio ac reformatio significari frequentiùs solet, sempiterni illius boni adeptio eam ob causam à Christo apud Matthæum appellatur. (*Matt: 19. 28.*) quòd quibus ad illud aspirare concessum fuerit, ij quasi de integro fient. quandoquidem alia vitæ ratione, alio corpore, aliis qualitatibus, nullam cum priore corporis natura cognationem habentibus, prædíti erunt. Qua de causa tunc eos revera filios Dei extituros Christus affirmat, (*Luc: 20. 36*) cùm resurrectione potientur: ut & ipse omnium excellentissima ratione ex Deo 74.
genitus, ejusque filius evasisse dicitur, cum è mortis faucibus ereptus, immortalitate donatus, sempiternáque gloriâ illustratus fuit. (*Psal: 2. 7. Act: 13. 33. Rom: 1. 4. Heb: 1. 5. & 5. 5.*)

‡ *Regenerationis præterea*] Rariùs hac significatione id nominis sumitur; frequentiùs pro ea renovatione ad imaginem Dei, nostrique ex potestate tenebrarum in regnum lucis translatione, quę Conversionem, Justificationem & Sanctificationem suo ambitu complectitur, ac in Baptismo obsignatur Joh: III, 3.5. Tit: III, 5. 1 Pet: I, 23.

Quasi de integro fient] Non per productionem ex nihilo, sed per transfigurationem, juxta dictum Pauli Phil: III, 21. quæ aliquid habebit & additionis novarum qualitatum, & subtractionis veterum, eodem tamen manente subjecto.

Alio corpore]. Altero concedo, alio nego: Nam Job: XIX, 25. in illa sua carne confidit se Deum visurum; & *hoc corruptibile*, inquit Paulus 1 Cor: XV, 53. induet incorruptibilitatem, ac in eodem subjecto in quo *gessimus imaginem* Adami *terreni, geremus etiam imaginem cœlestis* ibid 49. Id quoque exigit justitia divina, ut corpus quod venerit in partem laborum pro nomine ipsius, & in quo fideles gestarint stigmata Christi Gal: VI, 7. & quod fuerit templum Spiritus Sancti & gratiæ 1 Cor: III, 16. VI, 19. veniat quoque in participium præmij & coronæ, & repleatur lumine Gloriæ; quod & futurum docet Apostolus 2 Cor: V, 10 Sed & hîc se prodit mysterium iniquitatis Socinianæ; Ut enim capite præcedenti audivimus Volkelium negantem immortalitatem animæ, ita hîc videmus eum abnegantem resurrectionem carnis, & hanc nostri conformationem cum Christo, qui ut retulit ex sepulchro idem illud corpus in quo passus fuerat, sic idem intulit in Sacrarium cœleste, ac in illo tandem revertetur ad judicandum vivos & mortuos; Et nisi idem corpus mortale ad immortalitatem resurgat, quod prius sub mortis falce ceciderat Rom: VIII, 11. resurrectio non foret.

Nullam cum priore] Ut de Christo dicit Augustinus *epist.* 57. quod suo corpori gloriam dedit, naturam non abstulit, ita de nostris possumus statuere, gloriam illis addendam, naturam non auferendam: Nec aliæ qualitates magis aliam exigent naturam corporis, quam aliæ conditiones animæ respectu, aliam ejus substantiam postulabunt.

Qua de causa] Non fient tunc primùm filij Dei, sed eos tales esse liquidò apparebit: Sic enim dicitur 1 Joh: I, 1, 2. *Dilecti, nunc filij Dei sumus, sed nondum manifestum est quod erimus; scimus autem fore ut quum ipse factus fuerit manifestus, similes ei simus; quoniam videbimus eum sicuti est.*

Ut & ipse omnium] Et hic virus achristianum Volkelij se prodit contra æternam divinitatem Christi. Sanè non tum *excellentissima ratione ex Deo genitus ejusque*

que filius evasisse dicitur cùm resurrexit, sed dicitur tunc *declaratus*, idest demonstratus & manifestatus Filius Dei, ut conceptis verbis habet Paulus Rom: I, 4. Non igitur tunc incœpit esse quod antea non fuisset; cùm excellentissimâ ratione, Deus de Deo, lumen de lumine, ut habet Fides Catholica in Symbolo Nicæno, genitus fuerit à Patre ab æterno Mich: v, 2. Prov: VIII, 22. 23. 24. 25. Joh: I, I. 18. Sed per resurrectionem innotuit quis & qualis jam antea & ab æterno fuisset; prout ex miraculis quę contigerunt in ejus morte, etiam eo deveniebant Centurio & qui ipsi aderant, ut in hanc confessionem erumperent Matt: XXVII, 54. *Verè filius Dei erat iste*: Fuit resurrectio Christi, si philosophicè debeamus loqui, non causa essendi filiationis istius, sed tantum causa cognoscendi. Locus Psalmi II, 7. qui agit de æterna generatione Filij ex substantiâ Patris, prout producitur in argumentum divinitatis Christi Heb: I, 5. adhibetur quoque Act: XIII, 33. ad probandam resurrectionem Christ, non quod demum illo die quo resurrexit, *omnium excellentissima ratione ex Deo genitus fuerit*, sed quod eo die constiterit maximè illum ab æterno extitisse unigenitum Patris, quem adeo, ut pote Principem vitæ, impossibile erat doloribus & vinculis mortis detineri Act: II, 24. Nec infrequens esse in Scripturis verbum essendi, pro verbo cognoscendi, declarandi, manifestandi, usurpari, patet exemplo Joh: XV, 16. collati cum Joh: XIII, 35. Nec excellentissima ratio hujus filiationis in Christo foret, ut pote cum illi hac in parte omnes pij similes sint futuri Rom: VIII, 11. Idem quoque locus Psal: II, 7. profertur similiter Heb: v, 5. cùm agitur de Christi ordinatione ad summum Sacerdotium; non tamen quo insinuetur, ut vellent Sociniani, Christum non ante summum Sacerdotem constitutum esse quam resurgeret ex mortuis; cùm in sua morte hoc Sacerdotio solemni ritu sit defunctus, ut tota docet Scriptura; & Psaltis testimonium non pertineat ad Sacerdotium subordinatè ad Resurrectionem, sed tantum coordinatè; quatenus hæc duo simul porismata ex illo colliguntur, & Christum resurrecturum fuisse ex mortuis, quia est Filius Dei genitus ab æterno, ipsaque resurrectio & vita; & solum idoneum fuisse cui supremum Sacerdotium in domo paterna committeretur, eo quod esset primogenitus Patris Rom: VIII, 29. Col: I, 15. prout Patriarchali jure, primogenituræ prærogativis Sacerdotalis dignitas accensebatur; unde & lege Mosaicâ Sacerdotij Ministeriis, loco primogenitorum reliquorum ex universo populo, tota tribus Levitica addicta fuit.

Denique donum Dei propterea hæc summa felicitas nominatur, (*Rom: 6. ult.*) quòd nunquam ea nec fuerunt, nec futura sunt hominum merita, ut tanquam res debita illis sit tribuenda.

‡ *Denique donum Dei*] Utinam Sociniani bonâ fide doctrinam propriorum meritorum rejicerent: Sed nolunt sibi vitam æternam esse donum Dei per Christum, qui ad illam consequendam aspirant ejerato merito & rejectâ satisfactione Christi, & eam se consequuturos putant ex sua personali justitia ac operibus proprijs, securi antitheseós Paulinæ Rom: XI, 6.

Alterum genus, ut diximus, ea nomina continet, quibus quanti sit momenti atque pònderis hoc cœleste beneficium, explicatur. Primò igitur merces copiosa ac magna dicitur; (*Mat: 5. 12. Heb: 10. 35*) idque ideo, quòd nullum tam amplum, tamque magnificum præmium excogitari potest, quod ab hoc

ab hoc infinitis partibus non superetur. Nec est, quòd quis divinum spiritum parùm sibi constare putet, qui quod hic præmii, id alibi doni nomine appellet; cùm nihil impediat, quominus diversa ratione hæc eadem res, jam donum, jam merces appelletur. Ac illud quidem ob causam superiùs explicatam: hoc verò ideo, quòd Deus nonnisi illos tanta benignitate complecti instituit, qui omni contentione in virtutis justitiæque studium incumbunt.

‡ *Nec est quod quis*] Malè consuta est hæc Volkeliana conciliatio: Si enim *mercedis* nomen hîc usurpatur ea de causa quam proponit adversarius, merces erit propriè dicta; juxta illud Pauli Rom: IV, 4. quod *ei qui operatur merces non imputetur ex gratia, sed conferatur ex debito*; Si merces fuerit propriè dicta, ut pote quæ contentioni & assiduitati in opere rependatur, extra dubium *merita* erunt agnoscenda; quia merces propriè dicta & meritum sunt relativa quæ mutuò se ponunt & tollunt. Itaque dicendum est primò mercedem dici vitam æternam tantum impropriè, tum quia Dei donum est, ut ante dictum, tum quia quæ μισθὸς appellatur sive merces Matt: V, 46. χάρις, idest gratia, nuncupatur Luc: VI, 33 34. tum quia nulla intercedit proportio inter nostra opera & illud præmium Rom: VIII, 18. tum quia non sumus mercenarij sed filij & hæredes adoptionis jure Rom: VIII, 16. 17. adeo ut *virtutis justitiæque studium*, cui diligenter debemus incumbere, sit *via ad regnum*, ut cum Bernardo loquar, non tamen *causa regnandi*. Secundò mercedem appellari perpessionum nostrarum, nec non patientiæ & perseverantiæ in pietate & fide, in ratione duntaxat consecutionis necessariæ, qualis commemoratur 1 Pet: I, 11. non verò effectionis & productionis ex earum dignitate; Ut ratio metaphoræ in eo sita sit, quod quam certò mercenarius expectat & consequitur suam mercedem absoluto penso apud bonum patremfamiliàs apud quem non solet merces pernoctare, tam certò nos maneat vita æterna ex merito Christi & dignatione Dei, non ex dignitate operum nostrorum, ubi cursum absolverimus; idque citra ullam dilationem, moram, aut cavillationem & permutationem injuriosam, ei-ve similem quam decies à Labane Jacob expertus fuit Gen: XXXI, 41.

Appellatur præterea felicitas nobis proposita thesaurus, isque in cælo repositus, qui nec eripi nobis, nec corrumpi possit. (*Matth: 6, 20. 19. 21.*) Comparatur etiam margaritæ, seu gemmæ pretiosæ. (*Matt: 13 45, 46.*) Nempe quia cælestis vitæ conditio pro ingentibus habenda est divitiis, proque re eximia prorsus ac singulari: imò omnibus divitiis ac thesauris longè anteponenda; cum hi omnes perire possint, atque adeò omnino perituri sint, illa verò in omnem æternitatem sit duratura, &, si illam semel fueris consequutus, nemo tibi eam intercipere, ac nolenti eripere queat.

‡ *Comparatur etiam margaritæ*] Sed illa margarita non tam opes cœli directè denotat, quam pretium doctrinæ Euangelicæ, prout ejus in hac vita consortes evadimus: Respicit enim Christus in hac & præcedenti parabola quæ fuerat thesauri absconditi, ad notam Salomonis γνώμην quæ docet Sapientiam esse præferendam & auro & margaritis Prov: IX, 10. veritatem item emi debere non vendi Prov: XXIII, 23.

Tertium genus eorum esse diximus, quæ excellentissimam divini status dignitatem ac gloriam, vel jucunditatem ante oculos nostros constituunt: veluti sunt, Regnum Dei & Christi, regnum cæleste, sessio in Christi solio, corona gloriæ, corona vitæ, corona justiciæ, divinæ naturæ participatio, communitas cum Deo filioque ejus, filiorum Dei adoptio, Dei contemplatio, filiorum Dei hæreditas, Dei gloria, fons aquæ vitalis, vita, vita æterna, vitæ arbor, & alia, quæ his explicatis oratione prosequemur.

Primò igitur Regni titulo maxima dignitatis ac felicitatis amplitudo declaratur, quâ piorum natio illustranda ac beanda est. Dei autem Christiq; regnum (*Ephes: 5: 5.*) ea re dicitur, quòd ille hujus honoris ac beatitatis primus autor est; hic verò non solùm proximo post Deum jure illius possessionem tenet, sed etiam alios in ea constituendi potestatem ab eo acceptam habet. *Qui vicerit*, in-
75. quit ipse, (*Apoc: 3. 21*) *et dabo mecum in meo solio sedere*, id est, efficiam, ut eodem mecum regno perfruatur. Quod quidem nequaquam propriè dici existimandum est: sed per quandam dicendi figuram, & verè regiis voluptatibus nos complendos esse significatur; & hostibus nostris immensâ Christi potentiâ fusis atque deletis, solos nos superstites fore, & sic quasi in omnes dominatum habituros, innuitur. quam ob causam idem Christus pollicetur, (*Apoc: 2. 26, 27.*) se victori daturum potestatem in gentes, ita ut eas pascat virgâ ferreâ, illæque instar vasorum figulinorum confringantur.

‡ *Quod ille hujus honoris*] At verò *Dei* nomen hoc loco Eph: v, 5. sumitur ut sæpè ὑποστατικῶς pro Patre, cum quo Christus ipse est hujus beatitatis primus author. Nec esset Christus *proximò post Deum* Patrem *jure* illius beatitatis possessor, nisi Patri esset coessentialis & coæternus; quo sensu dicit se sedere cum Patre in solio ipsius Apoc: III, 17.

Solos nos superstites] Hæc est Chimæra Sociniana, quæ statuit in nihilum esse redigendos dæmonas & impios statim post diem judicij, contra infinita Scripturæ testimonia, ex quibus constat eorum pœnas & dolores, æternùm continuatum iri, ac nunquam finiri debere Matt: XXV, 41. 46. Marc: IX, 46. 48. Joh: V, 29. Apoc: XX, 10. Hostes itaque nostri tunc erunt *immensâ Christi potentiâ*, (quæ si talis seriò prædicetur à Volkelio, ejus arguit necessariò naturam Divinam) deleti, & *instar vasorum figulinorum* confracti, non quoad eorum essentiam, sed quoad eorum potentiam, non ut penitus non sint, sed ut nihil reverà amplius possint contra Deum & Christum ejus: ut pote positi in scabellum pedum ipsius & nostrorum.

Corona verò gloriæ, vitæ, justitiæ (hoc est, quæ corona est gloria, vita, justicia, seu justiciæ præmium) ideo appellatur futura piorum felicitas, (*1 Pet: 5. 4: Iac: 1. 12. Apoc: 1. 16: 2 Tim: 4, 2.*) quia summo illis erit decori, & ornamento. Quòd si enim coronæ olympionicis v. g. olim datæ, honorem illis ac gloriam conciliarunt, licet corruptibiles essent, ac citò marcescerent; quid de immarcescibili ac incorruptibili hac corona, quæ fortibus Christi athletis,

ac ho-

ac hostium spiritualium victoribus, omnibusque pietatis stadium strenuè decurrentibus dabitur, censendum erit?

Naturæ autem divinæ participatio, (2 Pet: 1. 4.) in immortalitatis ac gloriæ sempiternæ, quam nobiscum Deus communicabit, consortio potissimùm consistit. Eandem vel in se complectitur, vel saltem secum trahit communio, quæ nobis, si in luce ambulaverimus, cum Deo filioque ipsius intercedit. (1 Joh: 1. 3, 7.) Ea enim arctissimam inter nos & Deum filiumque ejus conjunctionem, &, ut ita dicam, amicitiam significat; & porrò etiam æternę beatitudinis consortium vel in se continet, vel ex se parit.

‡ *Naturæ autem divinæ*] Imò cum incipiat in hac vita per imaginis divinæ reparationem in nobis Eph: IV, 23. 24. Col: III, 10. ad solam immortalitatem gloriosam traduci non debet. Ecquis enim negaverit jam in hac vita fideles habere communionem cum Patre & Filio 1 Joh: 1, 3. 7. adeoque suo sensu etiamnum participes esse naturæ divinæ?

Huc spectat etiam illa filiorum adoptio, quam Paulus à Christianorum natione expectari asserit. (Rom: 8. 23.) Quamvis enim, ut pro hujus seculi ratione jurè quis filius Dei dicatur, satis sit, eum ex verbi divini semine ita renatum esse, (1 Pet: 1. 23.) ut vitâ moribusque Deo similis existat: secundùm tamen futuri seculi statum nullus filius Dei esse potest, quin immortalitatis communione cum Deo conjungatur. Hoc enim illud est, quod Johannes asserit, (Ioh: 1. 12.) Christum nomini suo confidentibus, & sic ex Deo natis, in filios Dei evadendi potestatem dedisse. Et hac potissimùm de causa Deus in novo Fœdere præstantissima quadam ratione Pater appellatus est, quòd per immortalitatis beneficium, homines in virtutis studium toto pectore incumbentes, sibi quàm simillimos effecturus est. Quòd autem Paulus istam in filios Dei evadendi rationem adoptionis nomine expressit, non omninò propriè id ab illo factum esse hinc apparet, quòd ista vox partim cum re, qua de agitur, convenit, partim ab eadem dissentit. Ideò porrò congruere dico, quòd ejusmodi tunc futuri sumus Dei filii, quales nunquam antea 76.
nec fuimus, nec per naturę nostrę conditionem esse potuimus. Dissentire autem idcirco assero, quòd nequaquam, ut in propria adoptione evenit, filii Dei tantummodò censendi, sed revera extituri sumus.

‡ *Huc spectat etiam*] At verò Rom: VIII, 23. *Adoptionis* nomine nihil aliud significatur quam immissio in plenam hæreditatem ex illa adoptione fluentem, nam illius υἱοθεσίας expectatio iis tribuitur in eo commate qui habent *primitias spiritus*, idest, ut liquet ex com. 15. & 16. *spiritum adoptionis* clamantem in cordibus suis *Abba pater*, & unà testantem cum spiritu suo eos esse *Dei filios*, adeoque & *hæredes* Dei ac *cohæredes* Christi. Illa igitur υἱοθεσία vers. 23. quam pij expectant, metonymicè denotat adoptionis consequens & fructum, scilicet hæreditatis ex illa aditionem & possessionem; & nihil aliud est quam ipsa

ἀποκάλυψις filiorum Dei com. 19. & ἐλευθερία τῆς δόξης ipsorum com. 21. Porrò nec satis accuratè adoptionis quæ est in Christo natura hîc describitur à Volkelio, & quod re pertinet ad *futuri seculi statum*, spe jam obtinetur in hoc seculo à Dei filiis, ibid. com. 24.

Et hac potissimum de causa] Fallitur hæreticus: Sed vera ratio propter quam frequentiùs & constantiùs licet nunc nobis Patris nomine Deum compellare, quam olim licebat piis sub V. T. est quod non amplius simus sub illa rigida tutela Legis, sub qua hæres quamdiu infans erat, nihil differebat à servo, licet omnium esset Dominus Gal: IV, 1. 2. sed fuimus traducti in libertatem filiorum Dei per Euangelium. Aliàs etiam sub V. F. pij & fideles suo sensu erant nati ex Deo, & ad fœlicitatem cœlestem evocati, adeoque *per immortalitatis beneficium*, ut pote *in virtutis studium toto pectore incumbentes*, simillimi Deo evasuri.

Quod autem Paulus] Quærit Volkelius nodum in scirpo: liquet enim Paulum istîc adoptionis nomen usurpasse per metonymiam causæ pro effectu.

Ideò porrò congruere] Satis esto quod filij Dei tales tunc erunt, quales ex filiis iræ possunt fieri per Christi meritum & indebitum Dei beneficium, & quales omninò se evasuros certò confidunt 1 Joh: III, 2. Non tamen alia tunc erit filiatio, ut nugatur Volkelius, licet alia futura eorum qui jam sunt filij conditio.

Dissentire autem] Id est longè absurdius: Non fiemus enim ex filiis adoptivis filij proprij sive naturales; sed tantum *reverà* possidebimus ea bona, in quæ nunc jus nobis per nostram adoptionem competit. Nec tantum *putativè* sed *reverà* nunc sumus filij Dei, licet hæc filiatio nitatur non generatione, sed adoptione, quæ naturam, ut loquuntur ICti, imitatur. Quamvis enim adoptio sit juris fictio, realem tamen habet & producit effectum, adeo ut & eadem Patria potestas conveniat adoptanti in filium adoptivum, quæ convenit in genitum, & idem jus suitatis adoptato competat respectu adoptantis, quod liberis ex legitimo thoro natis: Absurda igitur est hæc oppositio inter filium Dei *tantummodò* censeri, & *reverà* talem esse: Nam *reverà* nemo mortalium est vel erit unquam filius Dei nisi quia pro tali censetur & admittitur per gratuitam adoptionem quæ est in Christo: Et quicunque hominum apud Deum censetur pro ejus filio, eo ipso reverà talis est, quia novit qui sui sint. Ut taceam quod Scriptura non dicat nos duntaxat *censeri* Dei filios in hac vita, sed *reverà* tales esse, licet nondum apparuerit ea gloria quam consequenter ad nostram adoptionem sumus relaturi 1 Joh: III, 2.

Hæc porrò naturæ similitudo, quæ nobis cum Deo est intercessura, efficiet, ut Deum, quemadmodum est contemplari possimus, (*Mat: 5. 8.*) quod cæteroqui fieri non posset. Unde Johannes asserit, (*1 Joh: 3. 2.*) nos aliquando Deo fore similes, quia eum ut est, visuri simus. Cujus quidem rei vim admirabilemque altitudinem, nemo nec humanâ intelligentiâ comprehendere, nec ullâ orationis ubertate explicare potest. Quid enim ad incredibilem animorum voluptatem dulcius cogitari potest, illius summi omnium rerum conditoris aspectu, quo satiari nunquam poterimus? Hoc jucundissimo spectaculo spiritus illi cælestes oculos pascunt, hoc gratissimo pabulo mirum in modum capiuntur; atque hic videtur esse cibus ille ac potus inaspectabilis, quo sese uti apud Tobiam (*Tob: 12. 15.*) testatur angelus, qui paulò antè dixerat: *Ego sum*

ſum Raphaël Angelus, unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum. Hac autem in re ſingularem etiam honoris præſtantiam conſtitutam eſſe, illis Chriſti verbis edocemur, quibus ne minimum quidem illorum, qui ipſum fide complectuntur, contemnendum eſſe ideo præmonet, quòd illorum Angeli ſemper aſpiciant faciem Patris ſui, qui in cœlis eſt. (*Matth: 18. 10.*) Si igitur ad Chriſti fideles inde redundat honor, quòd illorum Angeli Dei conſpectu paſcuntur; quantò ad ſummam gloriç ipſorum præſtantiam ſplendidius fore putabimus, cum ipſi in eodem dignitatis gradu collocabuntur? Deum igitur videre, inexplicabilis felicitatis, altiſſimi honoris, ſolidiſſimæque voluptatis ſummam complectitur; præſertim cùm, ut diximus, id nobis, niſi Deo immortalitate evaſerimus ſimiles, contingere nequaquam poſſit.

‡ *Hæc porrò naturæ*] Primùm quicquid ſimilitudinis nobis intercedet cum Deo, non erit naturæ, quæ eadem quoad eſſentialia, & ut loquuntur, in genere entis, remanebit; ſed erit duntaxat proprietatum & analogiæ; prout nonniſi analogica ſimilitudo poteſt intercedere inter Deum & Creaturam. Deinde etſi non negem hoc Angelorum & Beatorum in cœlo eſſe privilegium quod Deum ipſum videant Matt: v, 8. non viſione corporeâ ſed intellectuali, quo ſenſu dicimur non amplius per *fidem* ſed *per aſpectum* in patria ambulaturi 2 Cor: v, 7. nec viſuri *per ſpeculum* in ænigmate *ſed facie ad faciem* 1 Cor: XIII, 12. attamen huc non facit locus 1 Joh: III, 2. Agit enim de ultima apparitione Chriſti quem præſtolamur è cœlo 1 Joh: II, 28. Col: III, 4. cui *ſimiles* erimus futuri, quia *transformabit* corpus noſtrum vile *ad ſimilitudinem* corporis ſui glorioſi Phil: III, 21. idque cùm eum videbimus *ſicuti* eſt, ideſt regem noſtrum contemplabimur in eo ſuo decore, quo fruitur, peracto opere noſtræ Redemptionis, ad dextram Patris.

Hoc jucundiſſimo] Itaque hæc viſio non eſt ſenſibilis oculorum, ut videntur ſentire Sociniani, ſed intelligibilis mentium: cujus adeo mentes noſtræ etiam à corpore ſeparatæ non minus capaces ſunt, quam Angeli qui ſunt omninò incorporei.

Atque hic videtur] Eò tam commodè referat Volkelius quæ de Nectare & Ambroſia Poëtæ cecinerunt, ac fabellam hanc apocrypham perſonati Raphaëlis ſibi ea tribuentis, quç ſunt ſpecialia Chriſto unico noſtro apud Deum interceſſori, 1 Joh: II, 1. 2. Apoc: VIII, 3. Et quamvis ita introducatur Raphaël loquens ab authore Apocrypho, in Verſione Vulgata Latina, *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inviſibili & potu qui ab hominibus videri non poteſt, utor;* attamen Græcus textus nihil habet de illo cibo & potu qui aſpici nequeat: Sic enim eſt in Græco; πάσας τὰς ἡμέρας ὠπτανόμην ὑμῖν, καὶ οὐκ ἔφαγον οὐδὲ ἔπιον. ἀλλὰ ὅρασιν ὑμεῖς θεωρεῖτε.

Hac autem in re] Neque ille locus Matt: XVIII, 10. tam pertinet ad viſionem beatificam Angelorum, quamvis eò vulgò referatur, quam ad eorum jugem apparitionem coram Deo ad ejus mandata capeſſenda & illicò exſequenda pro tuitione piorum. Ita enim Celeres Romuli, jugiter illi adſtabant ipſius juſſa ſtatim delaturi quò vellet: Ita habent Magiſtratus ſuos in eundem uſum Apparitores & Accenſos, & habebant ſuos Satrapas Reges Perſarum Dan: VII, 16. Apoc: VIII, 2.

His autem in rebus, quas hactenus explicuimus, conſiſtit illa filiorum Dei

hære-

hæreditas, (*Rom: 8. 17.*) quam unà cum Christo possessuri sumus; quæque à Petro (*1 Pet: 1. 4.*) hæreditas incorruptibilis, impolluta & invicta, inque cœlis reposita nominatur. Intelligendum quippe est, bonum istud, quo de agimus, nostrum fore proprium, alioqui hæreditatis nomine indignum futurum; neç cum eo comparari ullo modo posse eas opes, quibus propter fortunę inconstantiam, vitæque brevitatem, ad exiguum temporis spatium fruimur, quæque rursum, si vel maximè stabiles diuturnæque essent, nequaquam molestiâ carent. Nihil enim in vita tam jucundum, tam stabile firmumque est, cujus nos non aliquando capiat satietas. Nequaquam igitur, inquam, ista omnia cum futura hæreditate nostra comparari ac contendi possunt, quippe cum

77. hæc nec ullo fortunæ impetu everti eripi-vé nobis possit, nec fieri queat, ut unquam incredibili ejus dulcedine exsaturemur. Quæ quidem hæreditas, quò nobis commendatior esset, ab Apostolo insuper (*Ephes: 1. 18.*) locuples gloriosaque hæreditas appellata est; ut cæleste hoc patrimonium, non solùm firmissimum, & nobis planè proprium, sed etiam amplissimum atque inexhaustum, & cum summo honore nostro conjunctum esse, persuasum haberemus. & hæc est Dei illa gloria, ad quam Deum nos vocare atque perducere, & in cujus spe nos gloriari, divini scriptores testificantur. (*1 Thess: 2. 12. Rom: 5. 3.*) Divinæ autem gloriæ quantus sit splendor, quis vel animo concipere, nedum verbis explicare potest? & porrò quis est, qui aut satis commendare laudibusque extollere, aut etiam admirari possit felicitatem nobis designatam?

Aqua verò vitalis, vel fons aquę vitalis ideo dicitur futura piorum conditio, (*Apoc: 22. 8.*) quia Christus ejusmodi illis vim est induturus, unde vita cum summa voluptate conjuncta, in omnem ævorum perennitatem promanet.

‡ [*Aqua vero vitalis*] Malè quæ sunt causæ hoc loco ad effectum referuntur. Nam *fons aquæ vitalis* est ipse Christus, qui sitientes ad se invitat ut bibant Joh: VII, 37. & cujus divinitas vel hoc ipso elogio abundè confirmatur, cum Deo soli conveniat ut sit fons vitæ Psal: XXXVI, 10. quem qui deserunt, scaturiginem aquarum perennium, ut effodiant sibi cisternas fractas quæ non capiunt aquas, gravissimè increpantur Jerem: II, 13. Igitur *futura piorum conditio*, non dicitur *fons aquæ vitalis*, sed Christus id futurus dicitur piis, quatenus eos sui communione indivulsâ beabit & vivificabit in æternum. Confer Apoc: VII, 17.

Iam quòd vitę simplici vocabulo hæc eadem res in divinis literis exprimitur, κατ' ἐξοχὴν fieri intelligendum est; ut nimirum eam veram, nullique mutationi, mortisque importunitati obnoxiam vitam esse demonstretur. quod magis etiam vitæ æternæ expressa mentio declarat. Futurum quippe est, ut mors atque infernus vitæ nostræ hostes infensissimi, in igneum stagnum conjiciantur. (*Apoc: 20. 14.*)

‡ Futu-

‡ *Futurum quippe est*] Mors & infernus dicuntur in igneum stagnum conjiciendi, non tam *ut vitæ nostræ hostes inimicissimi* à nobis removendi, quam ut in stagno igneo, (in quod, ut habet comma sequens, conjiciendus est quicunque non reperitur scriptus in libro vitæ), reprobos in æternum crucient & depascantur. Si tamen id malueris interpretari per eam loquutionem Scripturis familiarem, quâ abstractum ponitur pro concreto, authorem ejus sententiæ habebis Augustinum *lib.20. de Civit. Dei, cap. 15. His nominibus*, inquit, *significat diabolum, quoniam mortis est author & infernarum pœnarum, universamque simul dæmonum societatem: Hoc est enim quod supra evidentius præoccupando jam dixerat, Et diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis & sulphuris.* Quocunque autem modo sumatur, nullâ ratione favet hic locus impiæ Socinianorum sententiæ de mera annihilatione dæmonum & impiorum post diem judicij. Nec enim mors & infernus conjiciuntur in stagnum ignis, ut non sint amplius, sed ut in illo stagno, vel torqueant in æternum, vel torqueantur: Nam diabolus & bestia & pseudopropheta cum suis assectis eo in stagno *cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum* Apoc: xx, 10. & *fumus cruciatus eorum ascendet in sæcula sæculorum* Apoc: xiv, 11. xix, 3. Hinc ille ignis in quem impij mittentur in die judicij, ceu *ad supplicium æternum*, *æternus* quoque appellatur Matt: xxv, 41. 46. & *inextinguibilis*, ubi *vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur* Marci ix, 43. 44. 47. 48. adde Esajæ lxvi, 24.

Hanc eandem rem Christus nobis explicare voluit, cum sese victoribus, ut arbore vitę vescantur, daturum pollicetur, quę est in medio divini paradisi. (*Apoc: 2. 7.*) Ut enim arbor illa vitę in paradiso terrestri condita, vitę animalis in seculum producendę, & ab interitu eò usque conservandę, quò usque terreni corporis natura pateretur, vim habebat: ita Christus in eum vitę statum nos sese deducturum promittit, qui æternum duret, & ab interitu prorsus sit immunis.

‡ *Hanc eandem rem*] Illa arbor vitæ est ipse Christus, qui cùm sit via veritas & vita Joh: xiv, 6. electos traducendo ad salutarem sui communionem illis confert fœlicitatem & vitam.

Ut enim arbor illa] Christus appellatur arbor vitæ, quoniam ipse efficienter nobis illud acquirit & confert, quod illa Adamo significabat & obsignabat. Fallitur autem & fallit Volkelius hìc in multis: maximè dum vim quandam insitam tribuit arbori vitæ, ad vitam animalem in sæculum producendam & ab interitu conservandam. Id enim demum propriè arcuisset mortem & ab interitu Adamum potuisset vindicare, quod impedivisset peccatum, mortis parentem proprium & proximam ac necessariam ejus causam; at in arbore vitæ nulla vis erat vel moralis vel physica quę hominem à peccando, adeoque ab arcessendo sibi mortem, potuisset impedire. Ac prout in arbore scientiæ boni & mali Deus ita probabat obedientiam Adami, ut ipsa tamen arbor non esset per se productiva scientiæ aut illuminativa mentis; sic in arbore vitæ Deus quidem obsignabat promissiones factas obedientiæ protoplasti, immortalitatis fœlicitatis & glorię; ipsam tamen vitam & immortalitatem fructus hujus arboris latente quadam virtute neutiquam produxisset aut contulisset: Nec credendum illius arboris fructum, magis succulentum vel nutritivum fuisse quam cœterarum plantarum horti, quarum usum liberum Deus concesserat hominibus in suum alimentum

Gen: 1, 29. 11, 16. Præterea falsó supponit Volkelius, (quod etiam antea fuit refutatum) vitam Adami, sub usu quoque arboris vitæ, non futuram fuisse simpliciter & absolutè perpetuam, sed tantum *eousque* duraturam, *quousque terreni corporis natura pateretur.* In quo sanè nihil tribuit homini citra peccatum & per fructum arboris vitæ, quod ei non obvenerit post peccatum & cum ejectus ex paradiso fructus illius particeps nequivit esse: Fuit enim ipse Adam μακρόβιος, ut pote qui vixerit 930. annos; Fuerunt pariter μακρόβιοι ejus posteri usque ad diluvium; Nec putem in Schola Sociniana naturam corporis terreni, majorem multo longævitatem admittere. Quin non valebit ratio similitudinis quam urget adversarius inter arborem vitæ & Christum, nisi de illa statuatur quod absolutè fuisset Adamum, sacramentaliter saltem, ab *interitu* conservatura, *prout Christus in eum vitæ statum nos sesé deducturum promittit, qui æternum duret & ab interitu prorsus sit immunis.*

Quòd autem arborem illam in medio paradisi esse asserit, per quandam dicendi figuram beatas sedes innuit; ut quemadmodum hortus ille à Deo ab initio conditus, cui Paradisi nomen insignitè tribuitur, locus fuit amœnitate jucundissimus, omnique terrenarum voluptatum genere refertus, cujus pars media eam continuit arborem, cujus fructu homines vitam in seculum prorogarent: (*Gen: 2, 9.*) ita sese nos in cælestium æternarumque deliciarum, quarum illę typum quendam gerebant, amœnissimo domicilio collocaturum promittat. Hoc idem illi latroni persuasum voluit (*Luc: 23. 43.*) confirmans,
78. eum in paradiso secum futurum; in quam & Paulus (*2 Cor: 12. 4.*) sese admirabili quadam ratione raptum esse haud obscurè indicat, quam tertium cœlum appellat, quod sine dubio ipsam Dei sedem complectitur.

‡ *Quarum illæ typum*] At verò si terrenus Heden *typus* fuit paradisi cœlestis, debuit Adam promissiones habere hujus quoque obtinendi: nam omnis typus relationem involuit ad suum prototypon.

Hoc idem illi] Debuisset addi, promissum à Christo fuisse latroni, quod eo ipso die futurus esset secum in paradiso: Nam τὸ *hodie* isthîc non refertur ad diem factæ promissionis, cujus executio in multa sæcula adhuc differretur, ut vellent Sociniani, sed notat tempus quo hæc promissio suum sortiretur effectum; quod & notatum à Syro interprete, qui sic reddidit, *Amen dico tibi quia* vel *quod hodie mecum eris in paradiso*; ita enim reddiderunt & Bodęrianus & Tremellius.

Ipsam Dei sedem] Non quâ localiter continetur, ut vellent hi omnipræsentiæ divinæ hostes professi, sed in qua majestatem suam & gloriam specialiùs explicat, & se Angelis & Spiritibus sanctificatis videndum & fruendum exhibet.

Huc etiam manna illud absconditum spectat, quod Christus (*Apoc: 2. 16.*) victoribus comedendum sese daturum pollicetur. Manna enim, quem panem cæli, & panem angelorum Psaltes vocet, (*Psal: 78. 24.*) cibus fuit vitæ hominum conservandę aptissimus, ac suavissimus, quo Deus insitato more Israëlitas in deserto aluit. Ei, vel illius potiùs effectui, respondet beata immortalitas; quę ideo manna *absconditum* dici potest, quòd ejus absolutam perfectam-

fectamque rationem non solùm homines animales percipere nequaquam possunt, sed nec spirituales, quamvis pro hujus vitæ statu mysterium illud animo comprehendant, ut suprà Pauli testimonio demonstravimus. (*1 Cor: 13. 9, & d. c. 2. 9, 10, 11, 12.*) Huc referri potest illud, vesci pane in regno cælorum, (*Luc: 14. 15.*) quod ex sanctę linguę consuetudine cælestibus dapibus pasci aliquem significat, quibus sempiterna læticia continetur. qua de causa etiam cœnę magnę, (*Luc: 14. 16.*) & nuptiarum, quas rex filio suo fecerit, (*Matth: 22. 2.*) nec non nuptiarum Agni nomine, (*Apoc: 19. 7, 9.*) piorum felicitas describitur, ad inexplicabiles vitę sempiternę delicias, sub imagine quadam significandas. quamquam loca illa, in quibus cœnę illius magnę, & nuptiarum, quas rex filio suo fecerit, fit mentio, potiùs de ea felicitate, quâ in hoc seculo Christiani homines perfruuntur, loqui videntur; vel si mavis, de felicitate quidem futura, sed quatenus ea in hoc seculo spe certa præcipitur.

1 *Ei, vel illius*] Imò mannæ nomine ipse Christus intelligitur, & per illud manna significabatur quod reconditum in urna aurea in Tabernaculo servabatur Exod: XVI, 33. 34. Heb: IX, 4. Nam & sic Christus se verum manna profitetur & panem cœlestem qui dat vitam mundo Joh: VI, 32. 33. & Christum manducasse spiritualiter & per fidem, eos ex Israëlitis in deserto qui in manna Christum intellexerunt, liquet ex Paulo 1 Cor: X, 3. 4. *quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustaverunt, ut spiritaliter satiarentur,* inquit Augustinus *tract. 26. in Ioh.* Non igitut per *manna absconditum* beata immortalitas formaliter denotatur, sed potius ipse Christus fons & author vitæ, ex cujus penitiori cognitione & fruitione, quæ sub manducationis imagine, etiam in Sacramento Eucharistiæ significatur, vera immortalitas, fœlicitas & vita dulcissimarum suavitatum refertissima procedit: Et quamvis non negem ipsam vitam æternam nobis hactenus esse absconditam, quo sensu Volkelius explicat, eoque pertinere locum 1 Joh: III, 2. quo dicitur *nondum manifestum esse quod erimus,* tamen ipsemet Christus est quoque manna absconditum, partim mundo & homini animali qui eum non novit 1 Cor: II, 7. 8. 9. 14. 2 Cor: IV, 3. partim etiam ipsismet piis & fidelibus qui *ex parte tantum* cognoscunt & prophetant, ac nonnisi *per speculum & per ænigma* cernunt 1 Cor: XIII, 9. 12. Huc maximè facit quod extat Col: III, 3. 4. *Estis mortui & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; postquam autem Christus vita illa nostra manifestus factus fuerit, tum & vos cum eo patefietis gloriosi.*

Ex istis vitæ sempiternæ descriptionibus hæ sequentes fluere videntur, veluti est famis sitisque liberatio, laborum requies, lachrymarum extinctio, & cæli novi terræque novæ possessio. (*Apoc: 7. 16, 17.*) Famis enim sitisque molestia in gloriosa omnisque corruptionis experta corpora, quibus aliquando induemur, nequaquam cadere manifestum est: cùm hæc in terrena tantùm corpora conveniant, quæ nisi subinde cibo potuque reficiantur, consistere non possunt. *Esca enim,* inquit Apostolus, *ventri, & venter escis: Deus autem*

autem & hunc & illas abolebit. (1 Cor: 6. 13.) In eandem considerationem & quies laborum cadit. (*Heb: 3. & 4. c. Apoc: 14. 13. 21. 4.*) Cùm enim laborum nomine varias molestias intelligere necesse sit, eæque corporibus glorificatis nequaquam conveniant; parumnè liquet, istis in altera vita locum nullum fore? Verissimè igitur ab autore Epistolę ad Hebræos dictum est, (*d. cap: 4. 10.*) *eum qui Dei requiem ingreditur, à suis operibus requiescere, quemadmodum Deus à suis*, id est, quemadmodum Deus olim mundo, & omnibus quę ambitu ejus continentur, perfectis, ab opere hoc, quanquam sibi revera haud mo-
79. lesto, nostris tamen laboribus, qui molesti nobis esse solent, aliqua ratione respondente, cessavit: haud aliter eum, qui divinę hujus quietis fit particeps, à suis laboribus, hoc est, ab omnibus curis, ærumnis, ac molestiis, quibus humana vita implicata est, liberum tutumque fore, ita ut ejus felicitatem gaudiumque, nullum infortunium, nulla molestia, nulla ægritudo contaminare queat: ut rectissimè illos in beatis habendos Johannes affirmet, (*Apoc: 14. 13.*) qui in Domino moriuntur; utpote qui à laboribus suis sunt quieturi, id est, summas curas, summas variarum afflictionum importunitates, & ipsius denique mortis immanitatem, cum summa sempiternę beatitudinis jucunditate atque lætitia commutaturi. Neque enim existimandum est, Johannem hîc de ea quiete verba facere, quâ fideles in sepulchro perfruantur: cùm neque nunc illos quiescere, sed aliquando quieturos affirmet: neque is, qui aut non est, aut omni sensu destitutus jacet, quiescere propriè dici possit; nec, si quis figuratum quendam loquendi modum Johanni hîc affingere velit, ulla vel ratione, vel divinorum scriptorum testimonio, eum fulcire queat. Multò igitur tutius, & ad veritatem firmius fuerit, statuere, Johannem ab autore ad Hebræos nihil quicquam dissentire, sed idem prorsus, quod ille, asseverando apertissimè docere, eos qui ad extremum divinis Christi institutis adhærent, eandem consecuturos quietem, quâ ipse Deus fruitur. Quis autem tam vesanus fuit, aut futurus est unquam, ut Deum instar mortui quiescere dicat?

† *Quibus aliquando*] Imò qualia hæc nostra fient & evadent per resurrectionem gloriosam; Manebunt enim substantiâ, ut quisque in suo corpore reportet congruenter ad id quod fecerit 2 Cor: v, 10. sed quantum ad qualitates immutabuntur, & conformia fient corpori glorioso Christi Phil: III, 21.

In terrena tantum] Erunt corpora beatorum terrena origine, id enim resurget ex pulvere, quod in pulverem ceciderat, sed cœlestia sede, & immunia à functionibus istis animalibus, per quas nunc subinde refici debent, ut consistere possint: De loco Apostoli 2 Cor: VI, II. satis dictum est capite præcedenti. Remanebit venter in suo materiali, sed abolebitur in suo formali; prout Eunuchos se fecisse dicuntur propter regnum cœlorum Matt: XIX, 12. non qui Origeniano more extirparint physicè eas partes corporis sui quas natura generationi destinavit, sed qui earum usu ad hanc rem sibi interdixerint.

Haud

Haud aliter eum] Ut tamen in supernam illam quietem ingrediamur, etiam per sabbathum spirituale ab operibus nostris, quæ si nativam nostram spectemus corruptionem, sunt tenebrarum & carnis, omninò quiescere debemus.

Utpote qui à laboribus] Non dixit Johannes eos *quieturos* in futuro, sed eos quiescere in præsenti: nam ἀπάρτι *à modo*, requiescunt à suis laboribus, & opera eorum sequuntur eos: Illud enim ἀπάρτι, est idem quod *abhinc sive deinceps*, inquit Viegas *in Apoc:* 14. *comm.* 1. *sect.* 4. *hoc est à tempore mortis, quemadmodum docet communis expositio, quam sequuntur Beda, D. Ambr. Haymo & alii.* Neque hic prætereunda verba Bernardi eidem citata ex *epist.*105.(malè notatur à Viega *epist.*185.) *O quam beati mortui qui in Domino moriuntur, audientes à spiritu ut requiescant jam à laboribus suis: Non solum autem, sed & succedit jucunditas de novitate, ac de æternitate securitas; Bona itaque mors justi propter requiem; melior propter novitatem; optima propter securitatem.*

Neque enim existimandum] Licet hæc quies non spectet propriè & primariò fidelium statum respectu corporis in sepulchro jacentis, sed maximè illam *quietem quâ ipse Deus fruitur*, & quam ei analogam in sui fruitione beatis confert in cœlo; attamen primò ea intelligitur quæ statim à morte obtinetur respectu animæ ad locum fœlicitatis & sinum Abrahæ delatæ Luc: XVI, 22. ab iis qui, ut de Stephano dicitur Act: VII, 60. obdormiunt in Domino & in pace moriuntur Luc: II, 29. quod Sociniani nolunt admittere: secundò extendi quoque potest ad illam corporis quietem in sepulchro, in qua vexationis & agitationis illius expers cui obnoxium erat vitæ hujus tempore, silenter expectat sui resurrectionem gloriosam futuram in die judicii: Hanc enim quietem quæ in morte obtingit à vexatione hujus mundi jacentibus in sepulchro, graphicè describit Job cap. III, 12. & seq. *Nunc jacerem & quiescerem, dormirem, tunc quies esset mihi, cum regibus & consiliariis terræ qui ædificabant in vastitatibus sibi* &c. *Illic improbi desistunt à commotione, ac ibi quiescunt defessi viribus. Pariter vincti tranquillè agunt, non audiunt vocem exactoris. Parvus ac magnus illic est, servusque liber à Domino suo.*

Cùm neque nunc] Imò eos *à modo* quiescere in præsenti, non in futuro quieturos, dicitur à Johanne: quod etiam expressit vulgatus interpres, *A modò jam dicit spiritus ut requiescant à laboribus suis.* Quin statim ac moriuntur beati sunt, adeoque recipiuntur quùm deficiunt *in æterna illa tabernacula* de quibus Christus loquitur Luc: XVI, 9. & quæ certo manent omnes pios sub ipsa morte ad immortalitatem transeuntes, 2 Cor: V, 1. 8. Phil: I, 23. Et cum non dicat Johannes opera sua eos sequutura, in futuro, sed in præsenti, *opera enim illorum sequuntur eos,* oportet eos statim à morte gratuitam mercedem consequi suorum operum, & ita recipi in gaudium Domini sui.

Neque is qui aut non est] Hîc se prodit apertiùs virus Atheismi quod Sociniani sub pectore coquunt: Rident enim eos qui statuunt esse aliquid manes, nec lethum omnia finire: At verò ut ut qui mortui sunt in Domino, non sint amplius in hoc mundo, nec existant quoad integritatem suæ personæ, tamen melioris sui partis respectu, animæ scilicet, melius illis est, & vivunt Deo; unde & eorum Deus ipse dicitur, licet non sit Deus penitus mortuorum & eorum qui absolutè non sunt, (nam ut non entis non est accidens, ita ei qui non est nullus esse dici potest Deus & Dominus,) sed eorum qui sunt & vivunt Matt: XXII, 32. Luc: XX, 38. Et quamvis *sensu* omni corporeo & externo destituti sint mortui in Domino, tamen non sunt destituti omni operatione spirituali & intellectiva, per quam eorum animæ Deo fruuntur & satiantur fini-

similitudine ipsius: Imò etiam *quiescere* possunt dici quatenus & ipsæ eorum animę in placidissima & amœnissima illa cœli quiete ac satietate gaudiorum quæ resultant ex Dei conspectu Psal: XVI, 10. indutę stolis albis, certissimè expectant gloriosam suorum corporum resurrectionem, usque dum fuerit completus numerus fratrum suorum Apoc: VI, 11. & ipsa quoque corpora in suis sepulchris eandem sui suscitationem in quiete præstolantur; quia pacem ingressi requiescunt in cubilibus suis, ut habetur Es: LVII, 2. Sed cùm nec animæ immortalitatem & existentiam extra corpus, nec corporis hujus resurrectionem credat Volkelius, studio conatus est offundere tenebras dicto illi celebri Johannis, & solidam hanc consolationem adversus stimulum mortis fidelibus eripere.

Lachrymarum porrò extinctio, ita in status divini dignitatem quadrat, ut Deus justiciæ cultoribus omnem doloris atque tristitiæ materiam subtracturus sit, omnemque curarum, quibus perpetuò exagitabantur, memoriam ex illorum animis æterna oblivione deleturus. Quo pacto etiam, ut Josephus ille omnium laborum, id est, dolorum suorum oblivisceretur, effecisse dicitur, (*Gen: 41. 9.*) nimirum summis illum è miseriis eripiendo, & in altissimo post Pharaonem opum dignitatisque gradu collocando.

Postremò eadem hæc felicitas sempiterna ita describitur, ut Novi cœli novæque terræ incolas nos fore, divinus spiritus polliceatur. (*2 Pet: 3. 13. Apoc: 21. 1.*) Cœlum autem istud & terra non nisi ad nos (quatenus, ut Petrus ait, ea expectamus, nec dum possidemus) respectu habito nova nominantur. Jam enim ea existere, & ex eo apparet, quòd idem Apostolus, in eodem novo cælo novaque terra justitiam habitare asserit; & res ipsa idem evincit, quandoquidem Deum Christumque sedes illas beatas jam incolere manifestum est.

‡ *Postremò eadem hæc*] In consummatione sæculi expectamus illam παλιγγενεσίαν & renovationem omnium rerum, cujus meminerunt sacræ literæ Es: LXV, 17. LXVI, 22. Act: III, 21. 2 Pet: III, 13. Apoc: XXI, 1. cùm videlicet mundus liberabitur ab ea servitute corruptionis & vanitate cui per peccatum subjectus est Rom: VIII, 20. 21. Liberabitur autem non tam ipsius abolitione quam repurgatione, per illum ignem ultimæ conflagrationis quo omnes ejus scoriæ comburentur. Quare errat gravissimè Volkelius dum pertendit *jam existere* cœlos istos & terram novam, & solo ad nos respectu habito *nova* nominari. Etenim non ante erunt cœli novi & terra nova, quam cœli isti visibiles qui nunc sunt, cum stridore prætererint, & hæc terra, impietatis domicilium, & quæ in ea sunt opera exurantur 2 Pet: III, 7. 10. 12. Sanè nova veteribus debent succedere; nec aliter universum quam ex suis cineribus, Phœnicis instar, renasci & refici poterit. Nullius autem est ponderis ratiuncula hæretici, quod Petrus dicat *in eodem novo cœlo novaque terra justitiam habitare*; Nam I. Erasmus, Sasbout, Cajetanus, Beza, & multi alii interpretes, illud Petri ἐν οἷς, *in quibus*, non ad novos cœlos & novam terram quæ expectantur, sed ad nos ea expectantes referunt: Pios enim & fideles hæc expectantes inhabitat vera justitia Christi quæ est Dei per fidem Phil: III, 9. II. In verbo *habitat*, si id ad res expectatas referatur, omninò est admittenda

tenda enallage temporis præſentis pro futuro, frequentiſſima in ſacris literis; ita Matt: II, 4. Herodes ſciſcitabatur à Scribis πῦ ὁ χειςὸς γεννᾶται, ubi Chriſtus naſcitur, ideſt ubi naſciturus erat: & Matt: v, 46. quam mercedem ἔχετε habetis, ideſt habebitis; ita Luc: XIII, 32. tertia die τελειοῦμαι, conſummor, ideſt conſummabor. Sexcenta iſtius generis poſſint obſervari: Habitabit autem in mundo renovato juſtitia, tum univerſalis quoad pios & ſanctos jam in ſanctificatione conſummatos Apoc: XXI, 27. tum pœnalis quoad impios, qui æternas pendent Deo pœnas ſuorum peccatorum; unde Eſajas, connectit cum novis cœlis & nova terra, pœnas impiorum æternas; *nam*, inquit, *vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exſtinguetur, eruntque nauſeæ omni carni* Eſ: LXVI, 24.

Quandoquidem Deum] At primùm ſi eas ſedes Deus Chriſtuſque, imò & Beati Angeli jam incolunt, cur ergo jam non reciperentur in illas ſpiritus juſtorum conſummatorum, quorum fit mentio Heb: XII, 23? Deinde ſpecialis ſedes gloriæ & majeſtatis divinæ, ubi Deus ſe fruendum & videndum exhibet beatis, & quò Chriſtus intulit ſuum corpus per aſcenſionem in cœlum, non debet magis confundi cum novis cœlis quos expectamus, quam tertium cœlum & paradiſus quò Paulus ſe raptum profitetur 2 Cor: XII, 2. 4. cum his cœlis aſpectabilibus & ſtellatis, quos renovandos & reformandos in conſummatione ſæculi docet Scriptura. Nec enim ignis ultimæ conflagrationis pertinget ad Cœlum uſque Empyræum, quod vanitati, ut hæc viſibilia, non eſt ullâ ratione obnoxium: nam hi ſoli cœli viſibiles coguntur hactenus non minus malis quam bonis ſubſervire Matt: v, 45. à qua ſervitute, juſtitiâ plenè reſtitutâ in orbe, liberabuntur ſui renovatione in die judicii. Tantum igitur abeſt ut jam Deus Chriſtuſque ſedes illas beatas incolant, quæ novorum cœlorum & novæ terræ nomine exprimuntur in ſacris literis, ut è contrario Cœlum beatorum, quod eſt ſupra hos cœlos renovandos Eph: IV, 10. tali reformatione non indigeat, & illa mundi viſibilis renovatio ſit adhuc in fieri, nec aliter quam igne ſupremæ conflagrationis peragenda.

Intelligendum autem eſt, in hac futuri ſeculi deſcriptione, Terræ nomen impropriè ſumi, imò etiam Cæli, quatenus id tanquam altera futuri illius domicilii pars conſideratur. Etenim ex ſacris literis novi Fœderis apertiſſi- 80.
mum eſt, in cœlo, ubi Chriſtus nunc degit, nos victuros, illic pietatis præmium nobis eſſe repoſitum. At in cœlo terra propriè dicta nulla eſt; nec alteram id futuri domicilii partem, ſed totum illud domicilium conſtituit. Terra terreſtris vitæ ſedes eſt, cælum cœleſtis. Quare cum terreſtris vita ſit ceſſatura, ac cœleſtis in ejus locum ſucceſſura; quid, quæſo, terrâ propriè dictâ opus fuerit ampliùs? Unde apparet, per ſimilitudinem quandam, & alluſionem ad præſens hoc ſeculum terrenæque vitæ domicilium, cœli ac terræ, vel ſolius etiam terræ nomine, futuræ vitæ ac felicitatis ſedem deſcribi: quia nimirum præſentis vitæ domicilium aſpectabili hoc cœlo & terrâ conſtat, & in terra quidem ſola revera ſedem fiximus. In cœlis autem, ut diximus, nos aliquando victuros, non pauca ſacris literis loca omnibus obvia docent. Hinc enim rempublicam noſtram in cœlis eſſe ſcriptum extat. (*Phil: 3. 20.*) Item, hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarceſcibilem in cœlis nobis

nobis conservari. (*1 Pet: 1. 4.*) Item, spem nobis in cœlis repositam esse. (*Col:1. 5.*) Item, Deum nos consedere fecisse in cœlestibus cum Christo Jesu. (*Ephes: 2. 6.*) Quibus omnibus similibusque scripturæ testimoniis, non cœli hujus aspectabilis, quod igne comburendum esse Petrus testificatur, (*2 Pet: 3. 10, 21.*) sed illius, in quo Deus habitat, quodque à Paulo tertium cœlum appellatur, (*1 Cor: 12. 2.*) mentionem fieri nemo non videt. Appellatur autem cæli nomine, quòd quemadmodum cælum hoc oculis nostris patens, supra terram, ita illud supra omnia elatum est; & ideo cœlum cœlorum meritò dicitur. (*Psal: 115. 16.*) Terram autem, quatenus eam Christiani possessuri esse dicuntur, novam illam, seu futuræ beatitatis sedem designare, inter alia ex illis Christi verbis intelligitur, (*Matth: 5. 5.*) ubi, *Beati mites*, inquit, *quia terram possidebunt*. Quo in loco nequaquam de ipsa terra propria, sed de illa futura, quam impropriè hoc modo dici suprà docuimus, verba fieri, argumento est beatitudo, quam Christus mitibus promittit, quæ nonnisi in vita æterna haberi potest.

† *Intelligendum autem est*] Verum quidem est quod in cœlo supremo *ubi Christus nunc degit*, ac *pietatis præmium nobis est repositum*, & quo recipiuntur quotidie animæ piorum ex hac vita decedentium, *terra propriè dicta nulla est*; Largior quoque pios post resurrectionem terram hanc inferiorem non inhabitaturos, sed suprà cœlos aspectabiles in tertium illud cœlum translatum iri, quod *totum illud* fœlicitatis *domicilium constituit*. Sed nihilominus terra hæc inferior propriè dicta, nova fiet ad inhabitationem justitiæ, multifariàm: I. Negativè; quatenus nullo amplius peccato & rebellione adversus Deum, uti nunc frequentissimè, polluetur. II. Synecdochicè, quatenus pars erit illius Universi, quod tunc ab omni scelere & peccato repurgatum, soli justitiæ perfectissimæ vacabit, tùm universali quoad homines beatos & sanctos Angelos cum Deo regnantes, tùm particulari & punitiva quoad dæmonas & impios. Quod si *præsentis vitæ domicilium aspectabili hoc cœlo & terra constat*, licet *in terra sola revera sedem* fixerimus, cur non pari ratione cœlum & terra post restitutionem omnium possent dici fœlicitatis æternæ domicilium & sedes justitiæ, etsi revera beati in solo cœlo supremo fixam suam sedem sint habituri? Quin si hæc terra inferior, ut quondam Sodomæ & totum Pentapoleôs territorium, novum sui usum consequutura, mutabitur in stagnum ignis & sulphuris, in quo impii cum dæmonibus æternùm plectentur, eo ipso non minus justitiæ punitivæ sedes erit & domicilium, quam cœlum supremum sedes omnis puritatis & sanctitatis.

Unde apparet] Futuræ vitæ ac fœlicitatis *sedes*, nunquam in Scripturis describitur *cœli ac terræ* nomine; cum aliò spectet, ut ante visum, novorum cœlorum & novæ terræ expectatio, cujus fit mentio apud Petrum, & sic denotetur renovatio universi; Quanquam non obesset nobis si pari ratione statueremus cœlum & terram renovata, fore domicilium futuræ vitæ, licet eam in solo cœlo sint acturi pii, quomodo pertendit Volkelius domicilium præsentis vitæ constare aspectabili hoc cœlo & terrâ, licet ejus sedes propriè in terra sola sit non in cœlo. Cùm vero felicitatis sedes *cœlum* statuitur, id propriè intelligendum est de tertio cœlo: quò spectant loca hîc Volkelio citata: At cum *terræ* nomine exprimitur, hoc debet intelligi impropriè, & qua-

quatenus illius typum terra Chanaan, quę etiam erat terra promissionis, quondam sustinuit; quò potest spectare illud Esajæ XXXIII, 17. *Regem in pulchritudine sua videbunt oculi tui, spectabunt terram longinquissimam.*

Quod igne comburendum] Non ad illius consumptionem & destructionem, sed instar auri in catino, ad illius duntaxat depurationem & renovationem.

Appellatur autem] Cœlum hoc tertium, distinctè à cœlo aëreo & stellifero, tam verè & propriè cœlum est, licet nulli mutationi obnoxium ut regio aërea & æth erea, quam cœlum stelliferum quod est supra aërem, & aër qui est supra terram: Cœlum primum & secundum, cui in constructione Tabernaculi respondebant atrium & locus sanctus, pertinet ad expansum secundæ diei; sed cœlum Empyræum, sive cœlum tertium, in quo nos aliquando corpore & animâ victuros certum est, & quo animæ piorum illicò postquam hinc excesserint recipiuntur, fuit opus primæ diei cum Angelis suis incolis, & correspondet adyto sive Sanctuario Tabernaculi in quod per velum ingrediendum est: Ut terra hæc inferior cum aqua & circumjacente aëre mundum elementarem constituit, ita mundum cœlestem ætherea regio, syderum sedes, & mundum intelligibilem Paradisus sive tertium cœlum, sedes Sanctorum Angelorum & beatarum animarum; Nec enim Paulus in cœlum metaphoricum & impropriè dictum raptus fuit, sed in verum & propriè dictum cœlum, quod & paradisum vocat 2 Cor: XII, 2. 4. & in quo secum futurum Christus promittebat latroni Luc: XXIII, 43.

Quod quemadmodum] Cœlum dicitur oppositè & contradistinctè ad terram, ut aër ipse & cœlum stelliferum: sed *cœlum cœlorum*, quod supremam universi partem constituat, nec minùs sit supra cœlos stelliferos quam hi supra terram.

Terram autem quatenus] Jam ante dixi sedem beatorum nonnisi impropriè terram appellari, prout & terra viventium dicitur Psal: XXXVII, II.

Quo in loco nequaquam] Ut non negaverim hanc promissionem plenum suum complementum obtinere in terra viventium, tamen & suo sensu pertinet ad hanc vitam, ut benè observat Erasmus *in paraphrasi*, cujus verba digna sunt quæ huc referantur; *Qui nam sunt mites? Qui nulli vim faciunt; qui læsi facilè condonant injuriam; qui malunt rem perdere quam contendere; qui pluris faciunt concordiam & animi tranquillitatem quam latifundium; quibus optabilior est quieta paupertas, quam rixosæ divitiæ. Sed hoc hominum genus solet suis agris deturbari, tantumque abest ut aliena sibi parent, ut avitis etiam possessionibus pellantur. Sed hæc est nova dilatandæ possessionis ratio, ut plura impetret ab ultro largientibus mansuetudo, quam per fas nefasque paret aliorum rapacitas; Immitis ac ferox dominus, nec hoc possidet quod habet: Placidus autem qui mavult sua cedere, quam pro his digladiari, tot locis habet fundum, quot locis reperit amantes Euangelicæ mansuetudinis; Invisa est omnibus pervicacia; mansuetudini favent & Ethnici. Postremò si perit possessio miti, damnum non est, sed ingens lucrum: Periit ager, sed incolumi tranquillitate animi: Magno cum lucro vendidit fundum qui vitavit tumultum & servavit animi quietem. Postremò ut omnibus excludatur mitis, tanto certior est illi cœlestis terræ possessio, unde depelli non poterit.*

Argumento est beatitudo] Atqui licet beatitudo consummata ad vitam alteram pertineat, ejus tamen semina & initia quædam dari in hac vita, nemo sanus inficiabitur.

Et hic est orbis, seu ut Græcum verbum sonat, habitata, vel habitabilis illa, nempe terra, quam jam Christo subjectam esse divinus auctor luculentissimè

testificatur, (*Heb: 2. 5.*) ut facilè appareat Christo eam nequaquam futuram esse; quippe cum illam ita jam possideat, ut in eam omnes sibi dicto audientes recipiendi summam potestatem habeat. Ad nos tamen quod attinet, propter suprà dictam caussam, meritò futura nominatur. Eidem mundi quoque appellatio in sacris literis tribuitur. (*Heb: 10. 5.*) Caussa hujusmodi appellationum ex iis peti potest, quæ paulò ante dicta sunt de eo, cur futuræ felici-
81. tatis sedes, cæli & terræ, quæ simul juncta totum constituunt mundum, aut solius terræ nomine describatur.

‡ *Et hic est orbis*] Perperam hunc locum Heb: 11, 5. conatur Volkelius de *terra viventium* interpretari; cùm Apostolus per τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, nihil aliud intelligat quam quod Thalmudistæ vocant עלם הבא *Gnolam hava*, *Seculum venturum*, & ימות משיח *Iemoth Masshiah*, *Dies Messiæ*; sive totum illud tempus quod œconomiæ Euangelicæ, à primo Christi adventu usque in æternum destinatur; Ut enim Christus appellatur Es: IX, 6. אבי־עד *Avi gned*, *pater futuri sæculi* juxta V. V. quod eo *puero* nascente, *ferrea primum* desierit, *& toto* surrexerit *gens aurea mundo*, ita tempora destinata ejus apparitioni ac œconomiæ, & futuri seculi, & novissimi temporis, & plenitudinis temporum nomine promiscuè veniunt in Scriptura. Is autem mundus futurus, non est subjectus Angelis, sed ipsi Christo Angelorum capiti & domino, quo luculentius discrimen appareret inter fœdus vetus ac Legale, & novum ac Euangelicum. Illud enim fuit quadantenus subjectum Angelis, eo quod Lex fuit administrata per dispositionem Angelorum Act: VII, 53. Gal: III, 19. At hoc Christus voluit esse simpliciter & absolutè sui juris, unde & sui ipsius Euangelii præco esse dignatus est ubi in carne apparuit Heb: 1, 1. Hinc quoque fit, ut quæ frequentes admodum olim fuerant Angelorum apparitiones, vel penitus desierint, vel raræ admodum esse cœperint post stabilitum ab Apostolis Christi regnum; & si quæ postea contigerunt, potius ad liberationem fidelium, quam ad novorum mysteriorum revelationem pertinuerunt. Itaque hæc οἰκουμένη μέλλουσα non simpliciter fœlicitatem æternam in cœlo obtinendam denotat, siquidem ipsimet Angeli sancti jam ab orbe condito & multis sæculis ante Christi ascensionem eâ fœlicitate fruuntur; sed propriè significat fœlix illud seculum, quod futurum prædixerant Prophetæ, priore Christi adventu inchoatum, & cujus complementum adhuc præstolamur. Hujus enim fœlicis sæculi Author & Pater est Christus Angelorum caput, cujus est, non ullius Angeli, & illius mysteria nobis pandere suo verbo, & illius beneficia nobis promereri ac conferre, tam in hac vita quam in futura.

Ad nos tamen] Imò cùm vivamus sub œconomia Euangelica & novissimo tempore ac sæculo futuro Prophetarum 1 Joh: II, 18. quo *vetera præterierunt & nova facta sunt omnia* 2 Cor: V, 17. nequit nostro respectu hoc sæculum futurum dici ab Apostolo, (nisi quoad ultimum sui complementum) sed respectu veteris Testamenti & phrasiologiæ Propheticæ sub illo, adeo ut videatur Apostolus alludere ad Psal: CII, 19. & Es: LXV, 17.

Eidem mundi] Nihil minus quam de cœlo hic alter locus Heb: X, 5. potest intelligi: cùm mundus hic inferior ibi intelligatur, in quem Christus ingrediens dixit, *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi.* Quis enim non videt *corpus* illud quod Christus sibi profitetur adaptatum, illud esse quod assumpsit quan-

sit quando *caro* factus est Joh: I, 14. & in quo semet ipsum offerendo victimam inculpatam pro nobis, peccata nostra tulit *super lignum* 1 Pet: II,24. Sed & hoc pertinet ad mysterium iniquitatis Socinianæ, quo fingunt Christo in cœlum ascensuro novum corpus fuisse adaptatum, illo abolito quod retulerat ex sepulchro; licet in illo eodem corpore in quo passus est & resurrexit, ascenderit visibiliter in cœlum, & visibiliter sit tandem è cœlo rediturus ad judicium universi, adeo ut & ipsum sint conspecturi qui illum transfixerunt Act: I, 9. 11. 11. Zach: XII, 10. Apoc: I, 7.

Quartum genus, ut diximus, ea vitæ beatæ nomina complectitur, quæ ejusdem desiderium expectationemque declarant. Nam & spes beata, (*Tit: 2. 13.*) & spes in cælis reposita (*Col: 1. 5.*) nominatur; quòd tanta felicitas nondum reipsa nobis obvénit, sed certissima tantùm illius spes nobis facta est, nosque summo ejus desiderio & expectatione tenemur.

Hoc in loco non alienum fuerit diligenter inquirere, quid causæ fuerit, quòd Deus futuræ felicitatis spe nos sustentare, quàm statim in ejus possessione constituere maluerit? Duæ autem potissimùm hujus rei causæ fuerunt. Nam & fidei exercendæ amplissimam nobis materiam præbere, & suam gloriam mirum in modum illustrare voluit. Quorum neutrum omni ex parte constare potuisset, si nullâ interpositâ morâ in beatis sedibus nos collocasset. Fidei enim exercendæ tantò major est locus, quantò diutiùs res promissa differtur. Gloria verò divina tantò illustratur magis, quantò clariùs summa atque insuperabilis Dei potentia elucescit. Hæc autem tunc omnium clarissimè conspicietur, cùm infinitas eorum myriades, qui multis antè seculis morte extincti, in nihilumque redacti fuerant, quorumque memoria vetustate nimia prorsus evanuerat, in sempiternam vitam simul revocabit; non ita clarè apparitura, si singulos, qui cum fide ac pietate vivunt, in beatas illas sedes, non expectatis cæteris, transferret, & immortali vita donaret.

‡ *Nam & spes beata*] At quis hîc non videt metonymiam objecti, quâ spei nomine res sperata intelligitur?

Hoc in loco non alienum] Fallò supponit Volkelius, non ante diem judicii nos in possessionem futuræ fœlicitatis esse immittendos; cùm revera sub ipsa morte ad immortalitatem transeamus, & cuique piorum morienti id dicat Christus quod latroni Luc: XXIII, 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* In hac quidem vita, quæ via est ad patriam, Deus mavult nos sustentare spe futuræ fœlicitatis, quam statim constituere in ejus possessione; Sed tamen hac viâ emensâ ubi deficimus recipimur in tabernacula æterna, & animæ nostræ hoc corporis ergastulo liberatæ ad Dei visionem & fruitionem admittuntur.

Duæ autem potissimum] Una hæc est ratio cur in hac vita fœlicitatem æternam non consequamur, quod ea sit patriæ non viæ, *dicique beatus, Ante obitum nemo supremaque funera debet.* Prius per fidem quam per aspectum debemus ambulare 2 Cor: V, 7. notumque istud Jehovæ ad Mosem Exod: XXXIII, 20. *Non potest me homo videre & vivere*, unde Theologi omnes hactenus collegerunt visionem Dei beatificam nulli in hac vita mortali constituto posse obvenire.

Fidei enim exercendæ] Prout fides ad hanc vitam pertinet, sic justitiæ & bonitati Dei convenit, ut fideles qui ad finem usque perseverarint, consummato fidei curriculo, rem speratam, animæ saltem respectu adipiscantur: Sic enim Deus exercet suorum fidem in hac vita, ut bona credita & sperata illis conferre incipiat illicò post hanc vitam: nec utitur vitiosâ illâ comperendinatione quam carpit Salomon Prov: III, 28. *Ne dicito proximo tuo abi, deinde revertere, cras enim daturus sum, quùm fuerit penes te.* Absit ut Deum fingamus similem Antigono, cui quod semper se daturum diceret nunquam daret, Dosonis nomen sui imposuerunt; Bis dat qui citò dat; & prout dicit idem Salomon Prov: XIII, 12. *Spes protracta ægrum efficit animum; arbor autem est vitæ desiderium adveniens.* Succumberet fides nostra sub pondere tentationum & tribulationum quibus conflictamur in hac vita, nisi hoc solamine frueretur, quòd cum vita sit brevis, non diu sit differenda fœlicitatis æternæ possessio, illicò post mortem adeunda. Antea monebat Volkelius etiam *mercedem* dici vitam æternam: An ergo Deus eam præter jus & fas diutiùs suis detineret, nec illam ipsis conferret quantocyùs, juxta legem de mercede citissimè exsolvenda positam Deut: XXIV, 15. *Die suo dato mercedem ejus, neque occumbito super eam Sol, nam pauper est; quare ad eam ipse attollit animum suum: ut non invocet contra te Iehovam & sit in te peccatum.*

Hæc autem tunc] Agnosco quod potentia Dei plurimum elucescet in resurrectione mortuorum; quamvis ex impia Socinianorum hypothesi, solis ipsis piis resurgentibus innotescet, eo quod, uti perperam statuunt hæretici, illi soli resurgent: Sed hæc ratio nihil facit ad dilationem fœlicitatis æternæ: Cùm in eo potius omnipotentia Dei se prodat evidenter, quod etiam illos ipsos beet & cœlo donet animæ respectu, quos miserrimè obiisse & periisse, vulgus hominum cortici inhærens perperam judicabat.

Non ita clarè apparitura] Valet equidem hoc argumentum ad comprobandam necessitatem resurrectionis universalis, non tamen ad negandam glorificationem singularum animarum piarum, prout ex hac vita migrant & suam ἀνάλυσιν consequuntur.

CAP: XIII.

De promissis vitæ præsentis: & primò de spiritu sancto.

Respondente ad hoc & duo sequentia capita JOHANNE PICARDT, Groningano.

HActenus de futuræ vitæ promisso explicavimus; sequitur, ut præsentis quoque vitæ promissa justis ponderibus examinemus. Quæ quidem vel ad animum, vel ad corpus spectant. Ad animum porrò hoc unum potissimùm pertinet, quo Christus Spiritus sancti munus suis se largiturum ostendit, qui eam ipsam ob causam Spiritus promissionis appellatur. (*Ephes: 1. 13.*) Estque illa Dei virtus, per quam admirabili ratione efficitur, ut nos aliquando in cælestis hæreditatis possessione constituendos esse exploratissimum habeamus, hoc est, ut non solùm nos illam adepturos esse utcunque speremus; cùm ejusmodi persuasionem, vel ex sola Evangelii disciplina, & externis ejus confirmationibus haurire possimus; sed ut firmissimam omnisque dubitationis expertem spem in ea re ponamus, eâque adjuti, neque ullo periculorum

lorum

lorum metu, neque ulla vi cupiditatis atque libidinis, neque ullo humanæ consuetudinis exemplo, neque opum terrestrium, inaniumque honorum illecebris, ab officio deducamur. 82.

‡ *Sequitur ut præsentis*] At promissa quæ *ad animum* spectant non tam sunt præsentis vitæ quam futuræ, juxta distributionem Pauli 1 Tim: IV, 8. siquidem ad futuram vitam consequendam & adeundam ordinantur.

Qui eam ipsam] Non tam dicitur Spiritus *promissionis* quod sit nobis promissus, quam quod in nostris cordibus obsignet & confirmet promissionem Euangelicam & salutis; prout appellatur etiam Spiritus *adoptionis*, eo quod testetur unà cum spiritu nostro nos esse filios Dei Rom: VIII, 15. 16.

Estque illa Dei virtus] Spiritus sanctus qui nos obsignat in diem redemptionis Eph: IV, 30. & quem nisi habuerimus non sumus Christi Rom: VIII, 9. *virtus* est *Dei*, non accidentalis & qualitativa, ut vellent adversarii, sed substantialis & personalis; prout omnia personalia ipsi propriè in Scripturis tribuuntur.

Utcunque speremus] Nulla est spes salutis sine fide, nulla vero fides nisi per spiritum fidei; ita enim spes & fides inter se cohærent, ut illa hujus definitionem subeat Heb: XI, 1. unde Gentiles fidei spiritu destituti *spem non habere* statuuntur Eph: II, 12. 1 Thess: IV, 13.

Cum ejusmodi persuasionem] Hoc falsissimum est: Nam sola Euangelii disciplina & externæ ejus confirmationes, si destituantur gratiâ & lumine interno Spiritus Sancti, suadere quidem possunt, at non persuadere: cum persuasus nemo sit de cœlestis hæreditatis possessione obtinenda, nisi per fidem, quæ exinde *persuasionis* nomine sæpissimè in Scripturis exprimitur, Gen: IX, 27. Hos: II, 14. Act: XXVI, 28. Rom: VIII, 38. 2 Tim: I, 12. Heb: XI, 13. Frustrà Paulus plantat & suadet, nisi Deus Spiritu suo persuadeat & det incrementum: Ideo Augustinus *lib. I. de grat. Christi contra Pelag. & Cœl. cap.* 10. eam exigit ad salutem gratiam *quâ futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur; nec suadetur solum omne quod bonum est, verum etiam persuadetur.* Nec enim, ut idem ait *ibid. omnium est fides qui audiunt per Scripturas Dominum regnum cœlorum pollicentem, aut omnibus persuadetur quibus suadetur ut veniant ad eum qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis; Quorum autem sit fides & quibus persuadetur ut ad eum veniant, satis ipse demonstravit, ubi ait Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.*

Omnisque dubitationis] Spes quidem Christiana in se omnem metum contrarii discutit; At ipse Christianus non semper elicit actus illius spei firmissimæ & fortissimæ, sed ex infirmitate carnis cum variis dubitationibus & tentationibus colluctatur.

Hic enim divinus Christi spiritus spem illam, quæ per Evangelii prædicationem, ac confirmationem externis sensibus subjectam, nobis facta erat, animis hominum cælitùs illapsus, interna quadam ratione confirmat atque corroborat. Qua de causa & arrha hæreditatis nostræ, (*Ephes: I. 14.*) per dicendi figuram nominatur. Ut enim, si cum altero contrahas, obsidemque promissi alicujus accipias, spem certam concipis fore, ut rem promissam tandem consequaris: ita qui Dei spiritu donantur, nequaquam de æternæ hæreditatis possessioue, si modò Deo constanter paruerint, ambigere possunt. Comparatur

paratur enim præterea idem spiritus sigillo, quo obsignemur, (*Ephes: 4. 30.*) ob eandem caussam, ob quam & hæreditatis nostræ arrha dicitur. quamquam similitudo ista duplici ratione potest explicari. Primùm hoc pacto, quòd quemadmodum, verbi caussa, testamenta tabulæque obsignatę plus fidei autoritatisque habent, quàm si nullum illis signum impressum esset: ita fides spesque nostra, ad quam Christi disciplinâ sumus excitati, divini spiritus accessione, multò plus firmitatis ac roboris assumit, quàm si isto divinæ gratię signo mentibus nostris impresso destitueremur. Deinde hac ratione, quòd, quemadmodum res nobis charissimas, quas salvas nobis atque illibatas esse volumus, sigillo impresso notamus, ac veluti communimus, (ad quem morem alluditur inter alia in Apocalypsi, ubi de obsignandis Dei servis agitur: *Apoc: 7. 3. & d.*) ita Deus eos, quos habet charissimos, quosque haud quaquam vult perire, sed ad sempiternam vitam conservari, hoc veluti signo notat, quod spem illis faciat certam, ipsum haudquaquam permissurum, ut, nisi ipsimet in exitium sponte sese præcipitare velint, æternùm pereant. Atque hæc nota in illis durare debet usque ad illud tempus quo redimentur, atque ab omnibus malis exemti, promisso pietatis præmio donabuntur.

† *Hic enim divinus Christi*] Siquidem est Spiritus Christi, & ab ipso confertur & mittitur, inde Christi ipsius divinitas omninò venit agnoscenda: Ipse vero non solum *confirmat* & *corroborat* spem vitæ æternæ in nobis, ad quam concipiendam *per Euangelii prædicationem* invitamur, sed illam ipsam spem excitat & accendit in mentibus nostris illius ejusdem prædicationis ministerio, quo solet suam ad id efficaciam exerere: unde Euangelii ministerium dicitur *ministerium Spiritus* 2 Cor: III, 8. Objectiva quidem certitudo & spes rerum promissarum, Euangelii prædicatione ejusque confirmatione externis sensibus subjecta nititur; sed earundem spes & certitudo subjectiva, pendet in nobis ab interno testimonio & opere Spiritus Sancti qui *testificatur spiritum esse veritatem* 1 Joh: v, 6. ita enim legunt & Græci Codices & Syrus interpres. Nec potest spei Christianæ, quæ adjunctum est necessarium nostræ regenerationis, alia causa efficiens in nobis constitui, quam ipse regenerationis author, nempe Spiritus Sanctus, Joh: III, 5. 1 Pet: I, 3. adde Gal: v, 5. Verum ut eodem sanguine, juxta communiorem Scholam Medicorum, nutritur infans quo formatus est & crevit in utero, ita idem Spiritus sanctificationis & regenerationis qui nos primùm confirmat & certos reddit promissionum divinarum, ut ex illis spem concipiamus, per illam occultam veritatem quæ cum *nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec barbara* sit, *intus in domicilio cogitationis sine oris ac linguæ organis, sine strepitu syllabarum*, ut ait Augustinus *lib. II. Confess. cap. 3.* id verum esse dicit & testatur quod nobis externè proponitur & annunciatur, insuper spem quam excitavit & accendit, corroborat nutrit confirmat, ut quotidie firmior & robustior evadat.

Si modò Deo] Certitudo nostra non est conjecturalis, conditionalis & dubii eventus, sed absoluta & firmissima; Quamvis enim certum sit, neminem aditurum hanc possessionem nisi Deo constanter paruerit, illius tamen constantiæ & perseverantiæ certitudinem firmissimam secum adfert Adoptionis Spiritus, tum *interpre-*

terpretativam, eo quod nonnisi filiis adeoque & hæredibus confertur, tum *formalem*, in quantum promissionibus quas obsignat & hæc debet annumerari quod bonum illud opus quod Deus in nobis incœpit ipse sit perfecturus ad diem usque Christi Phil: 1,6. quoniam dona & vocatio ipsius talia sint ut *eorum ipsum pœnitere non possit* Rom:XI,29. Quin *arrha* hæc fallax foret & dubia, si adhuc post eam acceptam subessemus periculo evictionis.

Multo plus firmitatis] Subjectivè videlicet & quoad nos; licet non objectivè & quoad Dei verbum, quod semper manet inconcussæ & perpetuæ veritatis.

Quam si isto] Imò absque eo, nequidem ullius fidei vel spei concipiendæ capaces essemus, juxta dictum Pauli 2 Cor: III, 5. Non enim accedit demum Spiritus Sanctus postquam cœpimus credere & sperare, foturus & confirmaturus eam spem & fidem rerum cœlestium quam jam conceperimus propriis nostris viribus; sed ipsam fidem & spem quam primum produxit suâ virtute, fovet & corroborat, affuso lampadi quam semel incendit jugi oleo ne extinguatur, nec desistit ab operibus manuum suarum Psal:CXXXVIII, 8. Verùm Volkelius crassum & putidum suum Pelagianismum, hîc obiter studet propinare, quo statuit posse nos ex nobis absque Dei gratia Spiritus-ve Sancti operatione & auxilio, fidem & spem concipere vitæ æternæ, ut non tam suum quam nostrum opus fovere & corroborare debeat Spiritus gratiæ: Quod hîc monuisse refutasse est.

Ut nisi ipsimet] Jam de illa conditione ante dictum: Hoc enim sigillo contra nosmet ipsos & carnis inhabitantis reliquias efficacissimè & certissimè munimur, ut has non prævalituras omninò confidamus; eo quod potentia Dei etiam per infirmitatem consummetur in iis quibus sufficit ipsius gratia 2 Cor:XII,9. quâ efficit in ipsis & ipsum velle & ipsum agere, sive perficere, pro gratuita sua benevolentia Phil: II, 13.

Usque ad illud tempus] Paulus Eph: IV, 30. non definit durationem illius obsignationis & præsentiæ atque operationis gratiosæ Spiritus Sancti in nobis, eum enim nunquam auferendum ab iis quibus semel collatus fuerit testatur Propheta Es: LIX, 21. sed ejus obsignationis finem: Nam quo sensu Spiritus Sanctus est arrhabo hæreditatis nostræ εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως Eph: 1, 14. idest ut per illam confidamus nos tandem in plenam filiorum Dei libertatem assertum iri, eodem sensu nos obsignat *in diem Redemptionis*, idest, (vel ipso Cornelio à Lapide interprete *ad 4. Eph. n. 170.*) *ad hunc finem ut scilicet in die resurrectionis, ad redemptionem, idest liberationem plenam à morte, peccato omnique malo, & ad cœlestem gloriam ac beatam immortalitatem asciscamur, ut pote conscripti in libro vitæ, quasi cives sanctorum & domestici Dei, ejusque gratiâ quasi sigillo & arrhâ cœlestis hæreditatis obsignati. Ita*, inquit ille, *Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus Ambrosius*; quos quâ fide laudet ipsi relinquimus.

Hac autem summa admirabilique animorum nostrorum confirmatione fit inter alia, ut quidam vitæ sempiternæ gustus mentibus nostris ingeneretur, ejusque dulcedine ita teneamur, ut nulla omnino re à pietatis studio dimoveri possimus. quæ divina vis tunc maximè elucet, cum ea humeris nostris imponuntur onera, quibus, si naturæ tantùm nitamur præsidio, impares omnino simus. veluti cùm, exempli caussâ, præsenti mortis periculo proposito, omnis metus deponendus, animoque forti ac constanti divina veritas in hominum truculentissimorum conspectu confitenda est. Hîc certè, humanis

tantum-

tantummodo viribus subnixi, consistere nequaquam poterimus: sed præstò
83. futurus est sanctissimus iste spiritus, viribusque divinis ita nos armaturus, ut neque inimicorum sævitiam, neque minas, neque dolores, neque supplicia, neque mortis immanitatem extimescamus; quin imò præ divinæ gloriæ cælestisque veritatis amplificandæ studio, & sempiternæ vitæ dulcedine, ista omnia levissima ducamus. Ex quo fit, ut nulla sit caussa, cur interea temporis anxiè cogitemus, qua fronte hominum istorum vultus subeamus, vel quibus verbis pro divina veritate pugnemus; cùm potiùs nostri officii sit, dum pace tranquillitateque perfruimur, omnem curam & industriam, omnemque adeò vitæ cursum in ardentissimo pietatis studio conficere, persuasum habentes, Christum tunc, cum ad ista deventum fuerit, promisso suo non defuturum. Illud enim quàm præclarum est, quod Apostolis ab eo dictum, ad cæteros etiam ipsius discipulos, quatenus eis simili opus est auxilio, non immeritò extendi potest: *Cum tradent vos*, inquit, *nolite esse soliciti, quomodo aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* (*Mat: 10. 19. 20.*) Et illud: *Quod datum fuerit vobis in illa hora*, id loquemini. (*Mat: 4. 13. 11.*) Nec non illud: *Spiritus sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.* (*Luc: 12. 12.*) Item illud: *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.* (*Luc: 21. 15.*)

‡ *Ut nullà omnino*] Adstruit Volkelius imprudens certissimam Sanctorum Spiritu Dei donatorum perseverantiam, cujus aliàs cum suis gregalibus, liberi arbitrii patronis præposteris, est hostis professus. Cœtera quæ hîc ab Authore dicuntur utroque pollice laudamus & admittimus.

His adde illa Pauli verba, (*Rom: 8. 25. 26.*) quibus asserit, turbulentissima afflictionum tempestate ingruente, spiritum divinum nobis gravissimè laborantibus subvenire, illudque singulare perfugium porrigere, quo omnium maximè tunc opus est, & sine quo statum nostrum tueri nequaquam possumus. Illud autem ardentissimo precum studio continetur, quod quidem à nobis abesset, si spiritus sancti præsidio destitueremur. Tanta enim est humanarum virium imbecillitas, ut imminentibus maximarum calamitatum periculis, nequaquam præ terrore, quales Deo preces, quaque ratione adhibendæ sint, cogitationem suscipere possemus, nisi divinus spiritus tantos gemitus in nobis excitaret, tantoque precum ardore animos nostros incenderet, ut meritò ipse pro nobis supplicare ab Apostolo dicatur, nosque, quo pacto id fiat, nec mente comprehendere, nec verbis exprimere possimus. Quod quidem tanti apud Deum est, ut ad hunc modum ipsius auxilium implorantibus minimè desit. Quia enim animorum indagator est, quæ Spiritus sit affectio probè novit, planissimeque perspicit, nos secundùm ipsius voluntatis

rationem

rationem spiritu impellente preces fundere. Atqui, ut Johannes ait, (*1 Joh: 5. 14.*) hæc est fiducia, quam ad eum habemus, quòd si quid ex ejus voluntate postulamus, audit nos. Quid igitur est, cur ullo vel terrore, vel futuræ
calamitatis metu frangamur? Quin omnibus officii nostri partibus diligenter 14.
expletis, Petro Apostolo (*1 Pet: 5. 7.*) aures præbemus, qui nos sine cura esse jubet, sollicitudinemque omnem, quæ ex futurorum malorum cogitatione proficisci possit, Deo, qui rationibus nostris providet, permittere.

‡ *Tanta enim est*] Non solum hæc imbecillitas agnoscenda *imminentibus maximarum calamitatum periculis*, sed quolibet tempore, cùm absque Spiritu precum Zach: XII, 10. nullas unquam preces pias Deoque acceptas fundere possimus, eò quod nulla sit oratio Deo grata nisi fiat in fide Jac: 1, 6. fides verò nusquam sit nisi ex illuminatione & operatione Spiritus Sancti.

Ut meritò ipse] Dicitur Spiritus ὑπερεντυγχάνειν pro nobis per Hebraismum familiarem sacris literis, quo id ipse facere statuitur quod facit ut præstemus. Ita dicitur clamare in cordibus nostris Abba pater Gal: IV, 6. quoniam ipse facit ut clamemus, quod docemur Rom: VIII, 15. ubi id ipsum clamare, *in illo* vel *per illum* dicimur. Ita dicitur loqui in nobis Matt: X, 19. quia suggerit piis in tempore quid loqui debeant. Hoc vidit Augustinus *epist. 121. cap. 15. Interpellat*, inquit, *pro Sanctis, quia interpellare Sanctos facit.*

Nosque quo pacto] Gemitus illi quos in piis excitat Spiritus Sanctus, quòque spectant ejaculatoriæ preces quarum interdum meminerunt Scholastici, ἀλάλητοι dicuntur, non tam quod *nec mente comprehendere nec verbis exprimere possimus* quo pacto excitentur à Spiritu Sancto, quam quod eorum calorem & vehementiam, ipsa lingua nequeat unquam sufficienter exprimere; & veræ preces, non ex verbis & sono labiorum æstimentur apud Deum, sed ex mentis feruore & desideriis cordis; quo illud πολυθρύλλητον spectat,

„ *Non vox sed votum, non musica chordula*
sed cor, [illegible] (*Dei.*
„ *Non clamans, sed amans cantat in aure*

Quod quidem tanti] Non ex intrinseco precum nostrarum merito, sed quia & intercessione Filii sui nituntur, & authore Spiritu suo funduntur. Nonne enim favorabiliter responderet libellos supplices, quos à Spiritu Sancto dictatos ipsi in dilectissimi Filij sui nomine & quasi illius manibus offerremus?

Contrà verò animadvertendum est, qui in veritate penitùs cognoscenda studium non ponunt, qui lentè atque negligenter officia pietatis exercent, qui sese integros ab impuritatis scelerumque contagione non conservant, eos, quamvis divinam Christi doctrinam auribus percipiant, præstantissimum tamen illud spiritus sancti donum non consequuturos, nec divinum in rebus adversis auxilium impetraturos esse. Quia enim Christi dicta auribus quidem usurpant, non tamen exequuntur, meritò cum stulto ædificatore comparantur, qui domum suam in arena construit; (*Matth: 7. 26.*) quæ domus, delapsâ pluviâ, venientibus fluviis, spirantibus ventis, & in eam impingentibus, corruit, ingentemque dat ruinam; quod de suppliciorum divinorum temporibus dictum, ad tempora periculorum ac persequutionum accommodari rectè potest.

‡ *Contra vero animadvertendum*] Atqui non ex merito diligentiæ nostræ in veritatis studio & officiis pietatis, vel integritatis nostræ ab omni contagione peccati, nobis confertur Spiritus Sancti donum; sed è contrario, si qui ullum studium ponunt in veritate cognoscenda, si qui officia pietatis exercere non negligunt, si qui student integritati & sanctificationi, id omne quod in eo præstant & conantur, debent ductui & inspirationi Spiritus Sancti, absque cujus præsentia, motione & gratia, ne vel hilum boni cogitare aliàs possent 2 Cor: III, 5. 1 Cor: II, 14. Quin etiam videntur isti homines, non solum meritis & perfectionibus suis velle adscribere donum Spiritus Sancti, sed etiam laqueum desperationis injicere conscientiis infirmiorum, ut de sanctissimo illo dono nunquam certi esse queant. Quis enim gloriabitur se omne studium in veritate penitùs cognoscenda ponere, neque nimis lentè ac negligenter officia pietatis exercere, & sese integrum ab impuritatis scelerumque contagione conservare? Imò si dixerimus peccatum nos non habere mentiemur, teste Apostolo 1 Joh: I, 8. & ipsum integritatis tandem consequendæ votum, ac majoris diligentiæ in officiis pietatis desiderium, in quibus nemo eousque profecit, quin se justo desidiosiorem & à perfectione longè remotiorem reperiat, nonnisi Spiritui Sancto potest adscribi: Hæc pia vota, hæc sancta desideria majoris perfectionis, hæ tacitæ increpationes nostræ desidiæ, acediæ, negligentiæ & imperfectionis in bono, pertinent ad inenarribiles illos gemitus quos Spiritus adoptionis in mente piorum excitat, donec perfectionem summam, quæ non est viæ sed patriæ, fuerint consequuti. Quod si soli perfecti & ἀναμαρτήτοι, divinum auxilium sunt impetraturi, nemo suæ tenuitatis, infirmitatis & corruptionis nativæ conscius, amplius audebit ad thronum gratiæ confugere, & illud publicani ingeminare Luc: XVIII, 13. *Deus placator mihi peccatori.*

Quia enim Christi] Sanè aliud est luctari cum suis infirmitatibus, & sub earum pondere lugere ac queri, quod convenit piis & fidelibus justo lentiùs & negligentiùs officia pietatis exercentibus, nec ita depuratis à vitiorum contagio quin adhuc plurimas scorias peccati in se reperiant; Aliud auribus duntaxat corporeis percipere verbum Christi, & nullâ ratione ejus executioni & observationi vacare: Quod autem de his ultimis dicitur, ceu stultis ædificatoribus, qui non se muniunt contra ingruentes tempestates Matt: VII, 26. neutiquam extendi debet ad illos priores, ut Spiritu Sancto destituti pronuncientur. Sed à crassis istis Pelagianis & Pharisæis perfectistis, nihil aliud est expectandum.

CAP: XIV.

De spiritu patefactionis.

Atque hæc quidem, quamvis breviter admodum disputata, ad rei, qua de agitur, cognitionem satis essent, nisi ipsum Spiritus vocabulum ambiguitate suâ longiùs orationem nostram proveheret. Intelligendum enim est, non semper de obsignationis spiritu verba fieri, cùm aliqua spiritus divini fit mentio apud divinos scriptores. Est quippe & patefactionis spiritus, qui ab Evangelii disciplina nihil differt, seu idem planè cum illa est.

‡ *Intelligendum enim est*] Fateor non statim ad obsignationis Spiritum pertinere, quæcunque de Charismatis & operationibus Spiritus Sancti in hominum mentibus

tibus leguntur in Scriptura; quod satis liquet ex 1 Cor: XII, 4. 8. 9. 10. Sed tamen dici nequit Spiritum patefactionis, per quem novimus ea quæ sunt Dei & quæ ipse nobis est gratificatus 1 Cor: II, 10. 11. 12. & cujus irradiatione potenti fides accenditur in cordibus nostris 2 Cor: IV, 6. alium esse ab adoptionis & libertatis Spiritu clamante in cordibus nostris *Abba pater*, & nos obsignante in diem Redemptionis: Si quidem primus illius obsignationis & confirmationis actus est quo per lumen fidei nos ita certos reddit de promissionum divinarum veritate, ut earum executionem suo tempore confidenter ausimus sperare & expectare.

Qui ab Euangelij) Video quidem Euangelij disciplinam *Ministerium Spiritus* appellari 2 Cor: III, 8. quatenus in Euangelij præconio & per illud solet efficaciam & vim suam explicare Spiritus Sanctus, ad fidei & resipiscentiæ productionem in cordibus nostris, prout Petro Euangelium annunciante in domo Cornelij, illapsus est Spiritus Sanctus in ipsius auditores Act: X, 44. Sed nusquam Euangelij disciplinam sive doctrinam, ut externè Ministerio hominum promulgatur, lego vocari *Spiritum patefactionis*: Imò qui attenderit ad celebrem Pauli locum Eph: I, 17. 18. facile intelliget toto cœlo in hoc suo commento Volkelium aberrare: Ibi Apostolus testatur se precari jugiter pro Ephesiis, *ut Deus*, inquit, *Domini nostri Iesu Christi, Pater ille gloriæ, det vobis Spiritum Sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius, illuminatis oculis mentis vestræ, ad sciendum quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis.* Certè non precabatur Paulus suis Ephesiis disciplinam Euangelij, quam jam cum laude admiserant & sub qua vivebant; sed illis optabat augmentum illius luminis interni & spiritualis per quod eam disciplinam susceperant, ut in spe & fide magis magisque confirmarentur & corroborarentur. Quod si Euangelij disciplina ut extrinsecè promulgatur & inculcatur, nihil omninò differat à patefactionis Spiritu per quem recipitur, necesse erit omnes quibus annunciatur Euangelium, eo ipso donari Spiritu patefactionis, adeoque & credere Euangelio; Fides enim pendet ex illo Spiritu, quo, ut quondam contigit Lydiæ Act: XVI, 14. Deus suorum Electorum adaperit cor, ut credant iis quæ à præconibus Verbi sui dicuntur. Uno verbo quantum interest inter objectum visibile, & lumen quo oculus collustratur ut illud percipiat, tantum discriminis debet concipi inter disciplinam Euangelij externè propositam hominum ministerio, & Spiritum patefactionis, sive illuminationis, quo mentis oculus illustratur ad illam recipiendam & admittendam: Et quicunque noverit distinguere inter causam instrumentalem & causam principalem fidei, ille semper distinguet inter externum præconium Verbi quod se instrumentaliter habet ad fidem nostram Rom: X, 17. 1 Cor: III, 5. & Spiritum patefactionis qui illam principaliter producit in sacrario mentis 1 Cor: XII, 9. unde etiam *Spiritus fidei* appellatur 2 Cor: IV, 13.

Quæ quidem quatuor potissimùm de causis spiritus nomine appellata est. Prima est, quòd cum nostro spiritu, seu cum mente nostra, quę & superior ratio à viris doctissimis appellatur, arctissimo summę conspirationis vinculo conjuncta est. Primò enim mens nostra ita comparata est, ut quod honestum rectumque est, tuendum sequendumque existimet, idque nulla vel commodi vel incommodi ratione habita. Deinde ea est mentis humanę sagacitas, & ad indagandum curiositas, ut cum sese ad futurum hominis statum consi-

derandum applicat, nonnisi in eo cogitationis suę exitum reperire possit, quod firmum, quod fixum, quodque sempiternum est. Horum utrumque Christi Evangelico continetur, luculentissimeque explicatur; indeque fit, ut quoties Christi disciplina in eum cadit hominem, qui mente rectaque ratione vitam instituit, is eam celeriter avideque arripiat, & incredibili gaudio triumphet, se, quò antea solâ naturâ, nullo illectus præmio ferebatur, nunc am-
85. plissima mercede proposita multò pleniùs firmiusque perduci.

† *Prima est quod cum*] Possem hic multa σφάλματα Volkelij observare, circa mentis sive spiritus nostri naturam: Nam qui distinguunt inter rationem superiorem & inferiorem, nolunt eo ipso illam identificare cum mente, hanc vero ab illa distinguere; cum utraque sit vis & operatio ejusdem mentis, quæ si circa bonum honestum & intellectuale contemplandum ac sectandum versetur, ratio superior dicitur, inferior verò, si se addixerit bono jucundo & sensibili. Sed id potissimum mihi mirum videtur quod asserat primò ideo *Spiritum patefactionis* dici Euangelicam disciplinam quod *cum nostro Spiritu* arctissimè conjungatur: cum tamen Spiritus patefactionis non sit spiritus noster sed Dei, & noster cui per illum patefiunt mysteria Regni cœlorum eo ipso ad illum se habeat merè *objectivè*; Secundò, conjungi disciplinā Euangelij cum mente nostra *arctissimo summæ conspirationis vinculo*; Quamvis enim largiar per Spiritum illuminationis arctissimè conjungi menti Euangelij disciplinam; ubi de illius veritate sumus persuasi per fidem, prout arctissimus est nexus rei cognitæ & creditæ, cum facultate cognoscente & credente, juxta illud Philosophi, *Anima intelligendo fit omnia*, attamen nego mentis nostræ, corruptæ & depravatæ cujusmodi evasit per peccatum Eph: IV, 18. eam esse constitutionem, ut ex se apta nata sit conspirare cum Euangelica disciplina, cùm hæc è contrario ordinetur ad mentis ratiocinationes evertendas, & Christo in captivitatem redigendas omnes illius cogitationes 2 Cor: X, 5. & postea ipse Volkelius sit agniturus, eam esse sublimitatem doctrinæ Euangelicæ, ut mentis nostræ acies nequeat illam concipere absque ope & illuminatione Spiritus Sancti; quod etiam evidenter confirmat Paulus 1 Cor: II, 9. 10. 14.

Primo enim mens] Hoc sanè generaliùs justo dicitur: Nam mens nostra ut corrupta est & depravata per peccatum, solet præferre honestis rectisque jucunda & utilia, prout illa dicebat apud Poetam, *Video meliora proboque, deteriora sequor*; Ita scilicet corpus quod corrumpitur aggravat animam, ut hanc plerumque sibi suisque bonis & commodis soleat mancipare, nec audiat currus habenas: Quare sub natura corrupta homines describuntur φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι 2 Tim: III, 4. Deinde etsi mens judicio absoluto existimet id tuendum & sequendum, quod honestum & rectum est, nullâ commodi vel incommodi ratione habitâ, tamen per judicium comparativum & practicè practicum, solet hîc & nunc planè aliud statuere, & jucunda ac delectabilia, ut ut turpia & noxia, honestis & salutaribus præferre: quod vel ipsa Medea Poetæ, uti modò dictum, in se experiebatur. Quin ipse Aristoteles inde agnovit juvenes non esse idoneos auditores Philosophiæ moralis, quod vehementioribus suis affectibus abrepti à recti & honesti tramite nimium facilè abducantur. Et quidni idem statuamus de omni homine animali & corrupto qui nôn intelligit ea quæ sunt Spiritus Dei, imò cui illa stultitia sunt 1 Cor: II, 14? Adhæc licet eam concessero esse mentis humanæ indolem, ut

ut quod honestum rectumque esse benè intelligit, sectandum & retinendum illicò statuat, attamen dicam vicissim eam esse illius cœcitatem sub peccato, ut quod honestum & rectum est, ex sese & absq; Spiritus Dei gratia, nequeat percipere: Ignoti autem nulla cupido. Quare non ante mens nostra poterit omninò censere sectandam & retinendam esse Euangelij disciplinam, & arctissimo summæ conspirationis vinculo illi conjungi, quam de illius rectitudine & veritate edocta & persuasa fuerit per Spiritum Dei; sine quo manet Christus Judæis offendiculum & Græcis stultitia 1 Cor:1,23.

Deinde ea est mentis] Etsi non negem eousque procedere posse mentem humanam, in perquisitione summi boni, ut in genere & indefinitè intelligat illud firmum & sempiternum esse debere, tamen nego eam posse suis viribus suoque insito lumine assequi definitè quid illud sit & in quo situm sit. Etenim inter sagacissimos Philosophos, omnem aciem mentis suæ in illius summi boni perquisitionem intendentes, nemo repertus est qui eo potuerit certò assurgere; & quam nihil hic possit mens humana, suis alis Icariis subnixa, liquere potest ex discrepantibus Sapientum mundi sententiis, quas ad ducentas octuaginta octo, circa hoc solum caput excurrisse, refert ex Varrone Augustinus *lib. 19. de Civit. Dei, cap. 1.*

Horum utrumque Christi] Agnosco Euangelij doctrinam nobis proponere veram rationem salutis & fœlicitatis firmæ & æternæ obtinendæ; Id tamen in Euangelio proponi, nullâ suâ insitâ sagacitate mens humana potest assequi, imò aliud nequit sibi persuadere quam contrarium, donec lumine fidei donetur per Spiritum Sanctum.

Inde fit ut quoties] Contrarium liquet ex constanti experientia omnium seculorum, quæ docet veritatem Euangelicam non habuisse adversarios acriores quam Sapientes & Philosophos mundi, quos *animalia gloriæ* & *Patriarchas hæreticorum* ideo Tertullianus appellavit. Christus gratias agit suo Patri Matt:XI,25.26. quod hæc mysteria occultaverit *à Sapientibus & intelligentibus* & ea retexerit *infantibus*, quia ita ipsi placuit. Stoici & Epicuræi tam palam inter se dissentientes, consentiunt Athenis in rejicienda doctrina Pauli, eoque tanquam garrulo & peregrinorũ deorum annunciatore traducendo Act. XVII, 18. Et Græcis sapientiam quærentibus Christus erat stultitia; unde fiebat ut in Ecclesia Corinthiorum tam pauci sapientes & nobiles essent 1 Cor:I, 22.23.26. id est tam pauci ex iis qui vulgo censentur *mente rectaque ratione vitam suam* instituere. Præterea hic falsò supponitur dari homines qui destituti Dei gratiâ & lumine, *rectâ ratione vitam suam* instituant, cùm φρόνημα τῆς σαρκὸς sit inimicitia adversus Deum Rom:VIII,7. & omnes declinaverint ac inutiles facti sint, nec sit qui faciat quod bonum est, ne unus quidem Rom:III,12.

Quò antea solâ] Ante Spiritus Sancti illuminationem, omnes quidem volunt in genere esse beati, sed nemo *solâ naturâ* duce fertur ad eam beatitudinem vel appetendam, vel prosequendam, quæ specificè proponitur in Euangelio. Exemplo sit nobis ipse Paulus, qui ante suam ad Christum conversionem, licet *mente rectaque ratione vitam suam* institueret, si ullus dari possit cui id conveniat, quod ipse insinuat non uno loco Epistolarum suarum, 1 Cor:IV,4. Phil:III, 4. 5. 6. & beatitatem in genere anhelaret, tam procul tamen erat ab ea quæ Euangelio Christi proponitur admittenda, ut è contrario Euangelicam doctrinam omni odio & persecutione insectaretur; Ideo David Psal:IV,7. ubi communem & naturaliter omnibus insitum appetitum Beatitudinis expressisset his verbis, *Multi dicunt, ô si quis efficiat ut fruamur bono!* statim

indicaturus viam ad summum bonum Deo solo ductore per lumen suæ gratiæ inveniri & insisti posse, subjicit, *Attolle super nos lucem faciei tuæ, Iehova.*

Quæ quidem Evangelii cum recta ratione convenientia etiam à Paulo indicatur, qui cultum divinum illo præscriptum rationalem appellat; (*Rom: 12. 1.*) & à Petro, qui ipsam Evangelii doctrinam lac rationale vocat. (*1. Pet: 2.2.*) Vnde colligitur, religionem Christianam Mosaicæ non parùm antecellere. Etenim ut taceamus, promissa fuisse tantùm terrena & caduca in quibus ratio humana conquiescere non potest; multas ea religio continebat leges, quas ratio per se observandas minimè judicabat, sed tantùm propter auctoritatem ac voluntatem supremi legis latoris, quæ sola revera Iudæos ad illarum observationem obligabat. Vnde eas placita ab Apostolo appellari suo loco vidimus. (*lib: 2.c.11.*) Et quoniam eæ tantùm leges, quæ cum notionibus animis nostris penitùs impressis conveniunt, & ex iis quodammodo efflorescunt, fixæ perpetuæque sunt; necesse fuit ut lege Morali, quæ in his meritò numeratur, permanente, Ceremoniarum disciplina prorsus corrueret, ut suo loco docebitur. (*inf: c.29.*)

1 *Quæ quidem Euangelij*] Fateor equidem rationi illuminatæ optimè convenire cum Euangelio Christi; tùm quia mysteria proponit quæ ita superant captum rationis, ut tamen rectæ rationi non adversentur, quoniam lumen lumine potest esse majus, sed nequit lumen lumini esse contrarium; tùm quia mens & ratio per lumen fidei elevata ultra sphæram suæ activitatis naturalis, & instructa dono intelligentiæ, non solum illa mysteria admittit ceu vera & certissima, sed etiam plurimas credibilitatis eorum perspicit rationes, ex Dei Sapientia, rerumque ipsarum natura desumptas, quibus magis magisque in sua fide confirmatur. Sed interea tamen pessimè convenit Euangelio cum ratione humana in concreto, idest cum ea quę superest in homine animali & peccatore, ut docet Paulus 1 Cor:11,14. & jam ante probatum est; Cùm oculo corporis multa videantur aliter quam habent, est oculi rationis illius παροράματα corrigere; ita remus in aqua, qui sensui apparet fractus, intellectui rectus est; & oculus rationis videt Solem esse ducenties quinquagies quater majorē terrâ, qui oculo corporis non habet diametrum sesquipedis: Ut autem se habet oculus rationis ad corporeum, ita etiam se habet oculus fidei ad oculum rationis; Est longè eo perspicacior, ejus aberrationes sæpè corrigit, plæraque illi planè alia apparent, & quæ huic rotunda videbantur illi quadrata sunt. Quare nihil minus voluerunt Apostoli Volkelio citati quam illam Euangelij cum ratione in concreto, & qualis superest post peccatum, convenientiam propugnare quam sibi somniant Sociniani. Nam λογικὴ λάτρεια Rom: XII, 1. non tam dicitur quod cultus Euangelio præscriptus conveniat rationi, quam quod *nihil habeat corporei*, *nihil crassi*, *nihil sensibile*, ut loquitur Chrysostomus *hom.* 20. *in Ep. ad Rom.* in eo dispar à veteri cultu, in quo *oves irrationales* & victimæ ratione destitutæ mactabantur; Similiter doctrina Euangelica dicitur *lac rationale* 1 Pet: II, 2. tum quia spirituale est & intelligibile, non sensibile & corporeum, unde etiam à Syro interprete appellatur רוחניא *Ruchana*, idest *spirituale*, tum quia non ore & labiis, sed mente, intellectu & ratione, sugen-

sugendum & percipiendum est; videturque Petrus hoc epitheton adjecisse, quo doceat fideles quibus hoc lac propinatur, pueros debere esse non intelligentiâ sed malitiâ, ut etiam loquitur Paulus 1 Cor: XIV, 20.

Unde colligitur] Agnosco cultum Euangelicum non parum antecellere Levitico, vel in eo quod ille erat σαρκικὸς, idest carnalis Heb: VII, 16. noster vero est λογικὸς καὶ πνευματικὸς, intelligibilis & spiritualis Joh: IV, 23. 24. Sed falsò supponitur I. Dari reale discrimen inter religionem Christianam & Mosaicam, cùm Christus sit idem *heri & hodie* & in sæcula Heb: XIII, 8. II. Veteres habuisse tantum promissa terrena & caduca, cùm Deus ipsis promiserit se fore eorum *mercedem amplissimam* Gen: XV. 1. & *vitam* illis præceperit eligendam oppositam maledictioni & morti, & quæ esset ipsemet; *ipse enim vita tua est*, inquit Moses Deut: XXX, 19. 20. III. Rationem humanam corruptam & depravatam, de hac enim disputamus, non posse *conquiescere* in bonis terrenis & caducis, cum altiùs ex sese nequeat ascendere 1 Cor: II, 14.

Multas ea religio] Sed I. etiam Christiana religio, qualis proponitur sub Euangelio, & multa habet dogmata quæ rationis humanæ captũ superant, de SS. Trinitate, Incarnatione filij, &c. & *multas leges* quibus ratio facilè recalcitret, de sui ipsius abnegatione, de cruce toleranda, de injuriis ferendis nec referendis aut vindicandis; & aliquas etiam leges positivas, quæ non veniunt observandæ nisi *propter authoritatem ac voluntatem supremi legislatoris*, cujusmodi sunt illę quæ de Baptismo usurpando, celebranda S. Cœna, ordinandis per impositionem manuum Ecclesiæ Ministris &c. feruntur in N. T. II. Etiam Veteribus multæ latæ erant *leges quæ cum notionibus animis nostris penitùs impressis conveniunt*; imò nec aliæ nec plures in genere morum nos hodie obligant, quam quæ jam olim latæ fuerant sub V. T. Quinetiam ita leges positivæ Israelitis latæ veniebant observandæ propter præcipientis authoritatem, ut tamen eas omnes suis specialibus rationibus sapientissimis nixas fuisse, agnoscant Judæi, ut videre est nominatim apud Isach Atias, *in Tesoro de los preceptos* per totum: Ne dicam quod ipsa quoq; sanior ratio suadeat obediendũ esse omnibus legibus divinis, etiamsi nihil Deus aliud illis intenderet quam liberrimam suam potestatem in Creaturas rationales demonstrare. Jam autem ex his accuratè pensiculatis, liqueret non minus *rationalem* dici debere cultum Mosaicum quam Christianum, adeoque cessare discrimen utriusque inde petitum, si ea foret hujus epitheti ratio quam finxit Adversarius.

Necesse fuit] Id equidem verum est legem moralem, utpote fixam & immutabilem, nec potuisse nec debuisse abrogari: at quod Ceremoniarum disciplina debuit corruere, non inde factum, quod nullis omninò legibus positivis locus queat superesse in Euangelico cultu, contrarium liquet ex mandatis de Baptismo, Cœna, ordinatione Pastorum, &c. sed quod debuerint cedere umbræ corpori, figuræ veritati Joh: I, 17. Col: II, 17.

Altera eaque potior causa, cur Evangelii doctrina Spiritus dicatur, est quòd licet nihil in ea contineatur intelligentiæ humanæ contrarium, imò hæc cum illa egregiè conspiret: tamen mentis nostræ acies nequaquam tantam vim habuisset, ut ex se, sine divini spiritus ope illam penitùs concipere potuisset. Nam ut ait Paulus, (*1 Cor: 2. 14.*) *animalis homo* (quales sunt ii, qui divino spiritu prorsus destituuntur) *non intelligit ea quæ sunt spiritus Dei*. Item, (*ibid: 9.*) *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec animus cogitavit*, quæ

quæ præparavit Deus sui amantibus: nobis autem Deus suo spiritu patefecit. Atque hic rursus amplissima nobis offertur occasio, summam Christianæ disciplinæ præ lege Mosaica excellentiam considerandi, idque potissimùm sempiternæ felicitatis in illa promissæ ratione habitâ. Neque enim ea illo antiquo fœdere Deus Israëlitis pactus erat, quæ oculis, quæ auribus, quę denique animi sensu percipi minimè possent: cùm omnia tunc populo illi promissa ejusmodi fuisse constet, ut non solùm sensibus humanis usurpari, sed etiam humanâ industriâ aliqua ex parte parari possent.

‡ *Altera eaque potior*] Videat verò Volkelius quomodo secum consentiat. Si enim ea est indoles doctrinæ Euangelicæ ut optimè conveniat & *egregiè conspiret* cum ratione humana, unde etiam *rationalis* dicatur, eam utique poterit assequi *mentis nostræ acies*, viribus suis, suoq; lumine, *sine divini spiritus ope*, quod meritò tamen negat Adversarius fretus authoritate Apostoli. Illud autem *Spiritus Sancti* auxilium necessarium, non consistit in sola annunciatione externa illius disciplinæ, cujus ipse author est in Scripturis, sed etiam in mentium nostrarum interna illuminatione, illâ occultâ vi & efficaciâ quâ corda & mentes suorum aperit, ut intelligant Scripturas & credant Euangelio Luc: xxiv, 45. Act: xvi, 14.

Atque hic rursus] Sed etiam hæc Veteris Fœderis cum Novo collatio, & falsâ nititur adversarij hypothesi sæpiùs confutatâ, & manifestam continet eversionem ipsius Fœderis cum patribus initi. Cùm enim ea illis promissa essent quæ fide erant apprehendenda, cujusmodi illud est Gen: xv, 1. quo Deus promisit Abrahamo se illi fore in clypeum & *mercedem* amplissimam, utique *sensibus humanis* percipi non poterant: Nam fides est rerum quæ non videntur; & si vides non est fides. Quin si nihil promiserat Deus suo populo nisi quod *etiam humanâ industriâ* quadantenus *parari* posset, non erat cur ille populus se cœteris nationibus vehementiùs multo obstrictum Deo arbitraretur, contra quam docemur Psal: cxlvii, 19. 20.

Tertia causa est, quòd Christi doctrina, ut ex spiritualibus tum præceptis, tum promissis constat, ita illos, qui ad eam sua studia conferunt, homines spirituales efficit; id quod Lex minimè præstare poterat. Vnde Evangelium Spiritus vivificans, lex litera interimens dicitur. (*1 Cor: 3. 6.*) Quia enim præcipere tantummodo, nullas autem imperata perficiendi vires dare poterat; interim verò transgressoribus mortem comminabatur, & eos ad
86. supplicium hoc ferendum obstringebat: an non litera interimens, seu occidens meritò dici potuit? Illa autem Legis imbecillitas, quæ in eo cernebatur, quòd homines, ut sibi parerent, adducere non posset, non aliunde fluxit, quàm quòd beatæ immortalitatis spem cultoribus suis non faceret. Hæc enim una est, quæ animos afflictos erigit, pietatis studio incendit, divinique imperii perpetuò exequendi facultate corroborat.

‡ *Tertia causa est*] Atqui etiam legi hoc tribuit Apostolus Rom: vii, 14. quod sit *spiritualis* quoad sua præcepta, & illius promissiones fuisse quoque spirituales & cœle-

& cœlestes, visum est suo loco: Largimur tamen Adversario legem non potuisse *homines spirituales* efficere; quia destituta erat eâ Spiritus sancti efficaciâ, quæ se per Euangelium exerit ad regenerationem & renovationem nostram; unde Ministerium Euangelij, Ministerium *spiritus* appellatur 2 Cor: III, 8. dicimurque Spiritum accepisse non ex operibus legis, sed ex fide per auditum percepta Gal: III, 2. 5. Sed rationem quam profert Volkelius illius *imbecillitatis* legis omninò respuimus: Nec enim minus *beatæ immortalitatis spem cultoribus suis* faciebat, quam *mortem* præsentaneam sui transgressoribus intentabat; adeoque populo Israelitico, *vitam ac mortem, benedictionem ac maledictionem* ex asse proponebat, ut expressé legimus Deut: XXX, 19. prout omnes leges duplici isthac manu, ferreâ comminationum, & aureâ promissionum, subditos debent ad officium deducere; At vera ratio istius imbecillitatis in lege nobis panditur ab Apostolo Rom: VIII, 3. quod videlicet *viribus esset destituta in carne*; idest in homine non regenito, cujus morbum quidem indicare potuit & detegere, sed non sanare. Hæc itaque legis impotentia, juxta quam *nullas imperata perficiendi vires dare poterat*, non est ab ipsa lege arcessenda, aut promissionum ei annexarum defectu, sed ab insita & nativa nostra corruptione, quæ ejusmodi comminationibus & promissionibus, ut externè à lege proponuntur, superari non potest. Ideo legem haud immeritò contuleris cum sole Martio, de quo perhibent vulgò Medici, quod humores quidem queat commovere, sed resolvere nequeat.

Hæc enim una est] Hos effectus agnosco utcunque tribuendos spei *beatæ immortalitatis*, quatenus *subjectivè* in mentibus nostris per Spiritum regenerationis incenditur & excitatur; Sed nego id tribuendum spei ut *objectivè* duntaxat externo verbi Ministerio annunciatur & promulgatur. Usus quoque sum illa particulâ restrictivâ *utcunque*; Nec enim *divini imperij perpetuo exequendi* facultatem Pelagianam concedimus homini viatori, per quam omninò ἀναμάρτητος existat, nec amplius dicere debeat *dimitte nobis debita nostra*: *In multis enim impingimus omnes*, inquit Jacobus III, 2. *Et si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus & veritas in nobis non est* 1 Joh: I, 8.

Quarta hujus nominis Evangelio impositi causa est, quòd divina illa virtus, quam spiritum obsignationis suprà diximus, ingenti illius summi Patris beneficientiâ ac liberalitate illis, qui eidem Evangelio fidem adjungerent, & animum suum ad pietatis in eo præscriptæ studium applicarent, fuerit promissa, atque in Christianæ religionis primordiis largiter concessa, & nunc quoque, prout cuique opus est, concedatur. quod in antiquo illo fœdere nequaquam fiebat, ubi nec tanta divini spiritus vis, nec generatim omnibus, vel promissa fuit, vel data; sed certis tantùm hominibus, ex singulari Dei gratia ac beneficio concessa.

‡ *Quarta hujus nominis*] Neque hæc est legitima hujus nominis causa: Nam I. Spiritus obsignationis revera idem est cum spiritu fidei, ut suo loco demonstravi. Jam autem spiritus fidei, quo etiam ubi credimus, obsignamur in diem redemptionis, non tam promittitur iis qui Euangelio fidem adjunxerint, quam efficit in omnibus electis ut fidem adjungant Euangelio, & animum suum ad studium pietatis seriò applicent. II. Non debet confundi Spiritus obsignationis & fidei,

fidei, qui est etiam Spiritus adoptionis in Christo & cujus respectu templa sumus Spiritus Sancti, cum illis extraordinariis Charismatis Spiritus Sancti (gratias gratis datas appellant Scholastici) quæ *in Christianæ religionis primordiis largiter concessa* fuisse haud diffitemur. Hæc enim maximâ sui parte desierunt, at Spiritus gratiæ perpetuò adest Ecclesiæ Es: LIX, 21. III. Ut non negem Spiritum Sanctum multo latiùs, liberaliùs & copiosiùs effundi sub N. T. quam ante tempora Christi in carne exhibiti, tamen etiamnum hodie obtinet ut salutaris hæc *divini spiritus vis nec generatim omnibus vel promissa sit vel data, sed certis tantum hominibus ex singulari Dei gratia ac beneficio concessa.* Nam prout fides non est omnium 2 Thess: III, 2. sed speciale & singulare Dei donum Ephes: II, 8. ita etiam spiritus fidei spirat quò vult Joh: III, 8. ac sua dona distribuit privatim singulis ut ipsi lubet 1 Cor: XI, 11.

Ex his omnibus, quæ hactenus de divina virtute disseruimus, facilè intelligitur, inter hunc patefactionis, illumque confirmationis spiritum hoc interesse, quòd ille præcedit, hic subsequitur: ille in omnibus protinus existit, qui Evangelio assentiuntur: hic post assensum Evangelio præstitum, singulari Dei operatione interveniente conceditur, & priori superadditur. Quod quidem ita se habere Paulus luculentissimis verbis testificatur, cum ad Ephesios scribens, (*Ephes: 1, 13.*) illos priùs divinas Evangelii voces auribus usurpasse, iisque fidem adhibuisse, id est, patefactionis spiritum accepisse, deinde spiritu illo sancto promissionis obsignatos fuisse asserit.

‡ *Ex his omnibus*] Hæc distinctio inter Spiritum *patefactionis* & *confirmationis* est mera distinctio rationis, quæ nihil aliud connotat quam ejusdem Spiritus Sancti duas operationes distinctas in electis; quarum prior fidei productionem spectat, altera ejusdem fidei corroborationem & conservationem: quò spectat ille Pauli locus Eph: I, 13. quem citat Adversarius. Hoc sensu largior ei Spiritum patefactionis, sive illuminationem mentium nostrarum in fide Euangelij, quam suâ virtute accendit Spiritus Sanctus, præcedere Spiritũ confirmationis; qua tenus illa patefactio est productio fidei, confirmatio verò, illius corroborativa & cordium nostrorum per illam in fiducia salutis: Sed nego I. Spiritũ patefactionis fidem duntaxat subsequi, ut vult Volkelius dum ait illum *protinus* existere in iis *qui Euangelio assentiuntur;* Nam quod quis assentiatur Euangelio id omninò debetur Spiritui patefactionis, mentes nostras illuminanti & corda aperienti ut credamus Euangelio. II. Spiritum patefactionis unquam separari à Spiritu confirmationis, aut eo destitui. Sunt enim hæ duæ Spiritus Sancti operationes in electis planè inseparabiles; & bonum opus quod in ipsis semel Deus incœpit, ipse etiam perducit ad exitum, quia dona & vocatio illius sunt ἀμεταμέλητα Rom: XI, 36. III. Minus adscribi debere *singulari Dei operationi* Spiritum patefactionis, quam Spiritum confirmationis, ut amat distinguere Adversarius. Quis enim pius dubitet *singulari Dei operatione* mentes nostras illuminari & corda nostra aperiri ut credamus Euangelio? aut quis negaverit ejusdem esse omninò virtutis & quærere & parta tueri? Hæc scilicet sunt porismata quæ ex λειπολογήματι Socinianorum ultrò efflorescunt; & debent per illa tot absurdorum avia aberrare, qui viam solidioris Theologiæ ex Dei Verbo in singulis deserere volunt.

CAP. XV.

CAP. XV.

De illis Christi promissis, quæ ad corpus pertinent.

VEniamus jam tandem ad illas Christi promissiones, quæ corporis respiciunt curam; quæ vel in eo alendo vestiendoque vel defendendo atque protegendo consistit. De priore vitæ humanæ subsidio Christus hunc in modum loquitur, (*Matth: 6. 33.*) *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Quibus verbis planissimè pollicetur fore, ut si maximam præcipuamque curarum nostrarum partem in paranda illa cælesti felicitate consumpserimus, omnemque mentem ac cogitationem in justitiæ à Deo præscriptæ studio defixerimus, fore, inquam, ut absque animi anxietate, omnia ad vitę cultum necessaria nobis suppetant. quod quidem potissimùm fit rationibus ordinariis, divinitusque hominum generi concessis, 87.
sed accedente tamen singulari Dei optimi maximi providentiâ ac curâ, laboribus nostris successum largiente. Ex quo fit, ut præclarè admodum autor Epistolæ Hebræis inscriptæ, illa sac: lit: verba, quamvis alia de re facta, ad promissi hujus amplitudinem accommodasse censendus sit: *ipse dixit, Non te deseram neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor est, non metuam, quid faciat mihi homo* (*Heb:13.5. Jos:1.5. Psal:118.6.*)

‡ *Quamvis alia de re*] Imò illa sacrarum literarum verba non sunt *alia de re facta*, aut per solam accommodationem huc traducta ab Apostolo; sed directè ad rem suam citantur, ut ei apprimè facientia, ex regula quæ extat Rom:XII,4. Prius enim ex Jos: I, 5. promissionem habet divinæ providentiæ & curæ, oppositam tentationi desertionis à Deo, ex qua diffidentia & avaritia pullulare solent. Quod enim Josuæ dictum in sua vocatione, ad nos quoque pariliter in nostra eò certiùs pertinet, quò verius est Deum pariter erga suos esse affectum; nam etsi aliquando manum subducere videtur, non tamen penitùs deserit, sed nostro tantum bono differt auxilium Oseæ V, 15. Posterius habet ex Davide Psal: CXVIII, 6. exemplum constantis fiduciæ, quod qui imitabitur à Dei præsentia & providentia pendens, ab αὐταρκείᾳ ad avaritiam vel diffidentiam ejus parentem traduci non poterit; sed illud constanter usurpabit, *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Rom: VIII, 32.

Vbi tamen animadvertendum est, ea ratione ista in Christi disciplina nobis promitti, quatenus sine illis nec vitam valetudinemque nostram tueri, nec religionis studio vacare, nec charitatis officia præstare possumus. Vnde colligitur, ea quæ nobis superant, & sine quibus illa, quæ diximus, haberi possunt, nequaquam in iis numeranda esse, quæ hominibus Christianis promittuntur. In quo genere illa sunt, quæ vel ad carnis, vel ad oculorum, vel ad inanis gloriæ cupiditatem referuntur. Hæc enim tantum abest ut in

promissis, quæ Christianis facta sunt, habeantur, ut prohibita potiùs planissimè esse in divinis monumentis videamus. (*1 Ioh: 2. 10.*)

Ubi tamen animadvertendum] Fateor ista *absolutè* nobis non promitti *in Christi disciplina*, nisi quatenus *sine illis* non possumus *religionis studio* vacare, adeoque etiam quatenus promovendæ nostræ saluti queunt ac debent inservire; prout nec petenda nec appetenda sunt nisi subordinatè ad hunc finem, & in quantum Deus ipse judicaverit ei usui illa nobis inservitura & profutura. Sed crudiùs dicitur illa nobis etiam promitti quatenus *sine illis vitam valetudinemque nostram tueri* non possumus; cùm nec vitam hanc temporariam, nec valetudinem & robur corporis, inter ea quæ nobis promissa sunt absolutè referre debeamus: Siquidem oportet nos esse paratos & vitâ mulctari pro nomine Christi, sicubi eò honoris nos evocaverit, & cruciatibus ac morbis quibuslibet exerceri, cum libuerit summo Medico hac ratione morbis & vitiis animi nostri medelam adhibere.

Unde colligitur] Sanè cùm illa quæ *nobis superant*, & faciunt non tantum ad esse, sed etiam ad benè & commodiùs esse, benedictionibus divinis debeant annumerari, non video quî ea ad promissiones conditionatas factas nobis in Christi disciplina non sint referenda. Habet enim pietas promissiones & vitæ præsentis & vitæ futuræ 1 Tim: IV, 8. Nec Deus promisit tantum quod sufficiat, sed etiam quod abundet, sicubi id ei videbitur nec obfuturum nostræ saluti, & suæ gloriæ promovendæ inserviturum: Extat hæc promissio expressè Matt: XIX, 29. Marc: X, 30. Luc: XVIII, 30. ubi deserenti domum, aut parentes, aut liberos, aut conjugem, aut agros propter regnum Dei, promittitur quod *multiplicia*, imò *centuplum* recipiet *in hoc tempore*, nempe *domos, fratres, sorores, agros* &c. & *in futuro seculo vitam æternam*. Quamvis enim non negem illud centuplum in hac vita spectare maximè spirituales consolationes, quibus pij post harum rerum terrenarum jacturam pro nomine Christi perfunduntur, tamen nihil obstat quominus Deus per vices suos exerceat & bonorum suorum temporalium jacturâ, & eorundem liberali refusione, prout ejus benedictionem esse quæ ditet docet Salomon Prov: X, 22.

In quo genere illa] At quæ eò *referuntur* per accidens ab hominibus improbis & hujus sæculi, ad id non spectant naturâ suâ; & à piis possunt ac solent aliò referri, nempe ad Dei gloriam, pauperum subsidium & Ecclesiæ ædificationem. Distinguendum igitur est τὸ materiale bonorum terrenorum, ab eorum formali vitioso; sub quo demum damnantur Johanni loco hîc citato 1 Joh. II, 15. 16. Nam quà subservientia cupiditati carnis & libidini oculorum & fastui vitæ, nec peti nec possideri debent: Hinc illi malè petere & ideo non consequi dicuntur qui petunt ut in *voluptates* suas insumant Jac: IV, 3. At prout *omnia sunt munda mundis* Tit: I, 15. non video quî bona terrena in suo materiali considerata, rebus non tantum non promissis, sed etiam prohibitis, debeant annumerari. Fas fuisset Ananiæ & Sapphiræ suum agrum sibi retinere, aut illius pretium in suos usus commutare, teste Petro Act: V, 4. Nec mandatum legimus paucis illis divitibus & nobilibus qui Christo nomen dederant inter Corinthios 1 Cor: I, 16. ut suas opes tanquam res prohibitas abdicarent; Vir pius & eget sine murmure & exundat sine fastu Phil: IV, 12. Si pauper fuerit, fictilia sua vasa erunt illi pro aureis; si opulentus & potens, aureis & argenteis utetur ac si fictilia essent; Nec immeritò pauperis Lazari anima legitur delata in sinum divitis Abrahæ, quo doceremur

remur divitias & paupertatem fide ac pietate sanctificari, sic ut interea nec plus habeat qui multum collegit, nec minus qui paululum 2 Cor: VIII, 15. Quin frustra divites in hoc sæculo, hortaretur Christus ad faciendos sibi amicos ex mammona injusto, qui eos ubi defecerint recipiant in tabernacula æterna Luc: XVI, 9. & Paulus 1 Tim: VI, 17. 18. ne efferantur, ne spem ponant in divitiis incertis, ut sint benefici & divites bonis operibus, & faciles ad impertiendum, si divitiæ & opes rebus planissimè prohibitis Dei Verbo essent annumerandæ. Sed de hoc Paradoxo Socinianorum, qui dum vitant stulti vitia in contraria currunt, alibi fusiùs erit dicendum.

Ex quo iterum perspicitur quantum inter vetus novumque Fœdus intersit. Illo namque Deus, non solùm Israëliticum populum omnibus copiis bonisque circumfluere, atque in omnium rerum abundantia vivere minimè vetuit; sed id ipsum ei pactus est. Hoc verò fœdere gravissimè sanxit, ut Christiana natio nequaquam in terrenis opibus, in vanis honoribus, in fluxis momentaneisque voluptatibus, aliquam felicitatis partem constitueret: sed ut his omnibus spretis atque pro nihilo habitis, & iis, quæ vitæ alendæ sufficiunt, contenta, ad spem illius cælestis sempiternæque felicitatis animum subinde excitaret.

‡ *Ex quo iterum*] Id equidem verum, plures extitisse promissiones bonorum temporalium sub V. F. quam sub Novo; quia videlicet bona temporalia, populo rudiori & sub elementis illis crassioribus adhuc degenti, sacramenta erant & typi bonorum spiritualium & cœlestium; quem usum sub Euangelij luce amplius non obtinent; Sed graviter impingit Volkelius si putat, vel illa pactum fuisse Deum populo Israelitico, quæ hodie planissimè *probibita* nobis sint; vel promissiones factas Israelitis benedictionum terrenarum, eo quo dixi fine & usu, licentiam ipsis fecisse *in terrenis opibus, in vanis honoribus, in fluxis momentaneisque voluptatibus, aliquam fœlicitatis partem* constituere: Idem hodie licet homini pio, cui Deus benedixerit opulentiùs quam cœteris, quod olim Israelitis; Ejusmodi bonis semper *uti* licet, *frui* nunquam; prout hæc duo benè distinguuntur ab Augustino *lib. I. de Doct. Christ. cap. 4. Frui enim* (inquit) *est amore alicui rei inhærere propter seipsam: Uti autem quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est.* Et juxta hanc distinctionem, *in omnibus rebus illæ tantum sunt quibus fruendum est quas æternas atque incommutabiles* novimus; *cœteris autem utendum ut ad illarum perfruitionem pervenire possimus; ibid. cap. 21.* Terrenis benedictionibus uti Deus permittebat Israelitis: permittit & nobis, si adfuerint; *ut de corporalibus temporalibusque rebus æterna & spiritualia capiamus*, inquit idem Augustinus prædicto *cap. 4.* quod nititur regulâ Apostoli dicentis mundis omnia esse munda Tit: I, 15. & quicquid condidit Deus bonum esse, nec quicquam rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur 1 Tim: IV, 4. & in creaturarum Dei usu gustemus quam ipse sit bonus Psal: XXXIV, 9. bona tribuendo, dansque nobis cœlitùs pluvias ac præstituta tempora fructibus proferendis, implens cibo & delectatione corda nostra Act: XIV, 17. At istis bonis externis frui, iis inhærere, suam fœlicitatem ex toto vel ex parte in illis collocare, semper nefas fuit, non minus olim sub Veteri fœdere, quam nunc sub Novo. Nam

Deut: xxxii, 15. id exprobratur Israeli, quod saginatus & obesatus fuerit, dum nempe justo avidiùs ejusmodi benedictionibus terrenis inhæret Cœli & officij sui securior, adeoque adversus Deum recalcitrarit: Et quam in ejusmodi bonis externis fœlicitas nullâ ratione fuerit collocanda, præter omnia loca Veteris Scripturæ quæ eorum instabilitatem passim inculcant, luculenter docemur Psal: lxii, 11. *Opulentia si abundet ne apponatis animum*: Quin Psal: xvii, 14. David id tribuit *hominibus è mundo*, quibus nollet accenseri, quod eorum *portio sit in hac vita* & illorum *uentrem* Deus repleat *recondito thesauro suo*, adeo ut satientur *filij* ipsorum, & relinquant *excellentiam suam infantibus suis*; & Psal: iv, 7. 8. vanis desideriis hominum carnalium, bona terrena appetentium ac dicentium, *ô si quis efficiat ut fruamur bono*, hanc unicam opponit precem, *Attolle super nos lucem faciei tuæ, Iehova*; & inde confidit inditum iri *animo* suo *lætitiam majorem quam temporis quo mustum & frumentum istorum ab ipsis copiosè percipiuntur*: laudaturque Salomon quod nec potentiam, nec longævitatem, nec opes, sed Sapientiam à Deo petierit 2 Reg: iii, 11. & Agur Prov: xxx, 8. 9. id votum solemne nuncupat Deo, *Paupertatem aut divitias ne des mihi; ale me cibo demensi mei, ne saturatus ementiar ac dicam, quis est Iehova? ne-ve pauper factus furer, denique abutar nomine Dei mei*: quod sane votum non est hominis opibus inhiantis, & fluxis momentaneisque voluptatibus ex illis, sed potius eas spernentis & iis contenti *quæ vitæ alendæ sufficiunt*.

Sequitur deinceps, ut de corporum vitæque defensione dicamus; quam quidem eodem promisso, quo summus ille rerum omnium moderator, sese Deum nostrum fore confirmat, contineri planè fatendum est. Quid enim magis in illum convenire potest, quàm qui se illius fidei crediderunt, & quorum se Deum fore pollicitus est, eos divinâ ope sublevare, periculis liberare, omnia illorum capitibus impendentia mala, invicto præsidio suo propulsare, aut saltem non permittere, ut eorum saluti quicquam officiant. Quam quidem singularem Dei clementiam atque benignitatem Christus egregiè nobis depingit, dum ait, *Nonne duo passerculi asse veneunt, & unus ex illis non cadit in terram sine Patre vestro? At vestri etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Ne formidetis igitur, longè passeribus antecellitis vos.* (*Matt*: 10. 29.) Cujus promissi summa in hoc consistit, ut non solùm à temporariis malis, si ita
88. ferat divina gloria, nos tutos fore Christus polliceatur; verùm etiam, si pro divina veritate vitam profundamus, tantam de nobis curam suscepturum esse Deum, ‡ ut nihil capiamus detrimenti, perindeque sit, ac si ne ullus quidem capitis nostri capillus periisset. Vnde apud Lucam asserit, *Ne pilus quidem ex capite vestro peribit.* (*Luc*: 21. 18.) ita ut hæc promissio, non tantùm ad corpus, sed etiam ad animam spectare censenda sit.

‡ *Ut nihil capiamus*] Hanc Christi promissionem ita levi brachio tractat Volkelius, ut fucum faciat Lectori, qui alias ex utroque hoc loco, multiplicem ἔλεγχον errorum Socinianorum facilè sit collecturus; Hinc siquidem liquet I. Speciali Providentiâ sic omnia regi & administrari, ut eo respectu, nihil fortuitum, aut

aut contingens sit agnoscendum. II. Fixum esse terminum vitæ singulorum, nec minus esse in numerato apud Deum dies nostros, quam capillos capitis nostri. III. Sic nihil nostri periturum per mortem, ut & anima remansura sit post animal, & eadem numero corpora quæ ceciderint, sint nobis in resurrectione restituenda cum omnibus suis membris & partibus, adeo ut *ne pilus* quidem ex capite nostro deficiat.

CAP. XVI.

De promissorum Christi confirmatione, ac primò de ipsius sanctitate.

‡ *Respondente ad hoc & seq. cap.* LAMBERTO WILHELMO BECKERINGH, Omlando.

SAtis jam, ut videmur, de promissionibus per Christum factis explicavimus: sequitur deinceps, ut quo pacto sint confirmatæ, diligenter animadvertamus. Id autem duplici ratione factum est: quarum prior Christo, quatenus Prophetico munere functus est; altera ipsi Deo meritò tribuitur. Ac ad Christum quidem quod attinet; tria potissimùm hujus rei gratiâ ab illo effecta esse constat. Primum inauditâ post homines natos integritate vitæque sanctimoniâ continetur, in qua Christus incredibilem in modum excelluit. Integritatem enim sive innocentiam illius, Petrus Apostolus his verbis exprimit: *Qui*, inquit, *peccatum non fecit, nec dolus est inventus in ore ejus* (*1 Pet: 2.22.*) Et Iohannes, *peccatum*, ait, *in eo non est.* (*1 Ioh: 3.5.*) Vbi animadvertendum est, sanctissimum Dei spiritum nobis persuasum velle, hunc fidei nostræ ducem, non solùm à scelerum consuetudine seu habitu, sed ab omni etiam vel minimi delicti actu remotissimum semper fuisse. Id quod planiùs atque luculentiùs Paulus (*2 Cor: 5.21.*) & Autor Epistolæ ad Hebræos (*Hebr: 4.15.*) explicans, asserit, eum & peccatum non novisse, & absque peccato in omnibus ad similitudinem nostri tentatum fuisse; ut eum, quamvis nullius culpæ affinem, iisdem tamen cruciatibus, quibus perpetuò vita nostra exposita est, vexatum fuisse ostenderet. Non solùm autem nullam in culpam eum unquam incidisse, sed contrà incredibili justitiæ ardore ac studio incensum semper fuisse, ex illo Spiritus sancti testimonio intelligimus, quo illum justitiam adamasse, iniquitatem verò odio prosecutum fuisse confirmatur. (*Psal: 45.7. Heb: 1.9.*)

‡ *Sequitur deinceps*] Hîc incipit lues hæretica se prodere. Theologia enim Christiana, non considerat solum quæ promissiones per Christum nobis factæ sint, & quomodò earum veritas multifariàm confirmetur, sed etiam potissimum, quomodo res promissas, partim nobis acquisiverit & meritus sit, partim nobis suo tempore exhibeat & conferat. Si enim ex parte Christi nihil præter promissionum divinarum annunciationem & confirmationem consequimur, æquè Servatores erunt dicendi quilibet Apostoli ac ipse Christus, cum & illi promissiones divinas

divinas fideliter annunciaverint, & multifariàm, tum innocentiæ vitæ, tum maximis miraculis, tum sævissimâ morte, earum veritatem obsignaverint & confirmaverint.

Id autem duplici] Absurda hîc est oppositio inter id quod *Christo* & id quod *ipsi Deo* tribuendum est; tum quia est etiam Christus verus Deus & vita æterna 1 Joh: v, 20. tum quia suo loco videbimus ipsi quoque Christo tribui ac tribuenda esse ea quæ Deo oppositè ad Christum vindicant Hæretici, nominatim ejus suscitationem à mortuis: Nam ipse sibi tribuit excitationem templi sui corporis, triduo postquam eversum fuerit Joh: II, 19. 20. 21. 22. Deinde quæ *tria* Volkelius vindicat Christo quatenus *Prophetico munere functus est*, etiam illi conveniunt partim quà Sacerdoti, partim quà Regi. Nam suo loco videbimus Christi mortem continuisse immolationem & consummationem eximij illius Sacrificij Redemptorij & Propitiatorij, in quo ipse simul victimæ, aræ & Sacerdotis munere defunctus est. Miracula quoque quæ Christo tribuuntur, non solum doctrinæ ejus Propheticæ confirmandæ inservierunt, sed etiam Majestati & Potestati suæ Regiæ explicandæ, imo & Sacerdotij sui virtuti & efficaciæ, tum significandæ, tum obsignandæ; nam morbos corporeos auferendo & sanando, testabatur se peccata nostra, quæ morborum & mortis causæ sunt, perlaturum in suo corpore, & nobis suo sanguine justificationem ab illis impetraturum; Unde non rarò conjungebat remissionem peccatorum cum sanatione corporea, ut liquet exemplo illius paralytici, cujus fit mentio Matt: IX, 2. Ipsa præsertim Christi *sanctitas* eximia, cui primum locum tribuit Hæreticus, non minus pertinuit ad Sacerdotale & Regium Christi munus, quam ad Propheticum illius officium. Primò itaque summa hæc *integritas vitæque sanctimonia* multifariàm requirebatur in Sacerdotio Christi: Debuit enim hæc victima, piandis nostris sceleribus destinata, omninò esse incontaminata & immaculata 1 Pet: I, 19. Et Christus ipse si fuisset reus debendi, aliorum debita dispungere nequivisset; Nec aliò ferè spectabat omnis sanctitas Cæremonialis Sacerdotum Leviticorum, quam huic veræ & perfectæ sanctitati summi nostri Sacerdotis significandæ & adumbrandæ. Uno verbo, judice Apostolo Heb: VII, 26. 27. *Talis nos decebat Pontifex, sanctus, ab omni malo alienus, sine labe, separatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus, cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Pontificibus, prius pro peccatis propriis victimas offere, deinde pro peccato populi.* Secundò perfecta quoque hæc sanctitas Regium Christi axioma spectavit; non enim potuit aliter esse Melchisedek, sive Rex justitiæ: unde etiam Rex *justus* καὶ ἐξοχὴν appellatur Zach: IX, 9. Imò Volkelius hîc seipsum condemnat; cùm pleraque loca quæ citat de eximia sanctitate Christi, quam vult speciatim ad munus ejus Propheticum spectasse, illius partim Sacerdotium, partim Regiam dignitatem respiciant. Ad Sacedotium pertinet locus 1 Pet: II, 22. Loquitur enim Apostolus ibi com. 21. & 24. de Christo qui *passus est pro nobis*, quique *peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum*, & *cujus vibicibus sanati* sumus. Item locus 1 Joh: III, 5. qui ita integer habet; *Scimus illum patefactum esse ut peccata nostra tolleret*, victima nempe pro illis factus & Agnus Dei qui tollit peccata mundi, *& peccatum in eo non esse*: Nec enim nostra potuisset *expiare*, si ipsemet peccato contaminatus fuisset. Item locus 2 Cor: v, 21. Dicitur enim Deus fecisse *ut qui non novit peccatū, peccatum pro nobis esset*, idest stylo satis ordinario Scripturæ, victima piacularis pro peccato nostro, *ut nos efficeremur justitia Dei in eo*, adeoque veram & plenam justificationem illius merito & sanguine consequeremur. Item locus Heb: IV, 15.

Non

Non habemus, inquit Apostolus, *Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, absque tamen peccato.* Regiam verò dignitatem spectat quod extat Psal: XLV,7. Heb:1,8.9. *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga recta virga regni tui: Dilexisti justitiam & odisti transgressionem; Propterea te unxit, ô Deus, Deus tuus oleo exsultationis ultra consortes tuos.* Nec tantum ille locus Regium Christi spectat officium, sed insuper abundè comprobat summam illius divinitatem, & in natura divina personalem distinctionem inter Deum ungentem & Deum unctum, Patrem & Filium. Sed & id notandum contra Volkelium, quod perfectam Christi sanctimoniã perperam absolvat his duabus partibus, quod *non solum à scelerum consuetudine seu habitu, sed ab omni etiam vel minimi delicti actu*, remotissimus semper fuerit: Nam præter actuale delictum, & vitiosum habitum *consuetudine* contractum, datur insuper in hominibus reliquis, habitus connaturalis sive congenitus, labis originariæ, quem à Christo removit miraculosa ejus ex Matrè Virgine operâ Spiritus Sancti conceptio. Dum etiam Adversarius fatetur, Apostolum ostendere Christum *quamvis nullius culpæ affinem, iisdem tamen cruciatibus quibus perpetuò vita nostra exposita est, vexatum fuisse*, eo ipso vel debet negare cruciatus illos quibus vita nostra perpetuo vexatur, esse mala pœnę ab ipsa culpa orta & illi ex peccati merito & lege divina jure inflicta, quod nemo sanæ mentis negaverit; vel debet fateri hos cruciatus in Christo fuisse pœnas, non suorum, quæ nulla erant, sed nostrorum peccatorum quæ susceperat eluenda.

Et hæc illa aqua esse videtur quam Iohannes in divinæ veritatis testibus commemorat; (*1 Ioh:5.8.*) quemadmodum sanguis cruentam ejus mortem, spiritus virtutem divinam, per quam admiranda illa opera, ad veritatem Evangelii demonstrandam fuerunt edita, significat. Ideo autem aquâ vitæ puritas significari potest, quòd aquâ res à sordibus elui ac purgari soleant. Vnde autor ad Hebræos nos hortatur, (*Hebr: 10. 22.*) ut animos geramus à mala conscientia
puros, & corpora mundâ aquâ habeamus abluta, id est, ut tam internæ 89.
animi nostri, quàm externæ corporis actiones, nullo flagitio sint contaminatæ, sed omnibus justiciæ ornamentis illustratæ. Eodem modo Paulus asserit, (*Ephes:. 5. 26.*) Christum suam Ecclesiam lavacro aquę in verbo, nempe divino, purgare sanctamque efficere. Hac aquâ, id est, vitę innocentiâ & admirabili sanctitate, quia dux religionis nostrę purus sanctusque extitit, parumnę liquet, ipsius disciplinam esse verissimam, & ab omni falsitatis suspicione alienam? cùm nec sanctitas tanta, nisi in hominem divinum, Deoque charissimum, ac spiritu ejus plenum, nec consilium alios in religione decipiendi, & in errorem seducendi, in tantam sanctitatem, cadere queat.

‡ *Et hæc illa aqua*] Et hîc mera eaque multiplex occurrit depravatio Sacræ Scripturæ: Benè quidem est quod Volkelius comma 8. 1 Joh: v. illud appellat quo aqua, sanguis & spiritus *divinæ veritatis* testes vocantur. Sic enim tacitè confitetur αὐθεντίαν commatis 7. luculentum pro Sacrosancta Trinitate testimonium

monium continentis, quod aliàs Arriani & Sociniani solent impugnare. Sed nihil minus quam mentem Apostoli explicat hæreticus. Nam Johannes tales intelligit testes, qui à Christo sint originaliter & effectivè, nobis tamen insint subjectivè, non illi: Agit enim de illo *Spiritu* qui testatur Spiritum esse veritatem ibid. com: 6. idest de Spiritu revelationis & adoptionis filiorum Dei, qui ipsos reddit persuasos de veritate Euangelij, (quod Spiritus nomine quandoque exprimi constat ex 2 Cor: III, 6.) & unà testatur cum ipsorum spiritu eos esse Dei filios. Adeoque id frustrà trahat Volkelius ad virtutem divinam Christi, miraculorum ab ipso patratorum effectivam: cùm hæc virtus divina Christi, ubi Spiritus nomine exprimitur, non sumatur qualitativè tantum sed substantivè, pro ipsius natura divina contradistinctè ad carnem assumptam, & cujus respectu est consubstantialis Patri, 1 Tim: III, 16. Rom: I, 4. Heb: IX, 14. 1 Pet: III, 18. Illi autem Spiritui adoptionis intrinsecùs testanti de veritate, adjecit Johannes aquam & sanguinem, idest juxta nonnullos tum beneficium sanctificationis & regenerationis illius quæ fit ex aqua & spiritu Joh: III, 5. tum beneficium justificationis ac remissionis peccatorum quam consequimur in sanguine Christi, qui sanguis est N. F. effusus in remissionem peccatorum pro multis Matt: XXVI, 28. juxta alios vero Sacramenta duo Novi Testamenti, Baptismum & Cœnam, quæ inde Augustino, Chrysostomo & aliis veteribus, ex aperto Christi latere effluxisse dicuntur. Nec enim dubium quin Johannes ad id respiciat quod ipse refert in Euangelio cap. XIX, 34. 35. sanguinem & aquam ex perfosso Christi latere prodiisse, & insinuet hoc ipso significari, ab illo manare summam animarum nostrarum purgationem, quæ fit partim sanctificatione à macula, partim justificatione à reatu peccati, (prout sub Lege purificationes pleræque procedebant per sanguinem aquâ dilutum Heb: IX, 19.) quarum utraque Sacramentis nostris Baptismi & Sacræ Cœnæ obsignatur: In illis enim Deus abundè nobis contestatur nostræ redemptionis in Christo & suarum promissionum certitudinem ac veritatem. Sed ut aqua apud Johannem hoc loco controverso, ipsiusmet Christi Sanctitatem subjectivam denotet, & nemo unquam Veterum somniavit & ab omni ratione est longè alienum. Nusquam enim aqua spiritualis, quæ ipsi Christo regenerationis est principium, locum habere potest, nisi ubi sordes animi & primæ generationis vitia debent elui. Cùm autem Christus primâ suâ generatione nullum vitium contraxerit per gratiam regenerationis tollendum, nullasq; sordes unquam habuerit abluendas aquâ Spiritus Sancti, non potest aquâ significari *vitæ puritas* quâ emicuit, ex ea ratione Volkelij, *quod aquâ res à sordibus elui ac purgari soleant.*

Unde autor ad Heb.] Sed primùm si Christo ablutum aquâ mundâ corpus figuratè tribuatur, ei quoque præcedentes sordes quædam erunt tribuendæ, quæ illâ aquâ mysticâ venerint abluendæ, quod ab illius summa perfectione & sanctissima conceptione, est nimis alienum. Deinde nihil cogit ut hanc aquam mundam sensu figurato sumamus: Respicit enim Apostolus ad Sacramentum Baptismi, ut plerisque omnibus Veteribus fuit persuasum, in quo dum corpus tingitur aquâ mundâ, quâ carnis sordes deponuntur 1 Pet: III, 21. significatur & obsignatur nobis ῥαντισμὸς sive aspersio sanguinis Christi quo corda nostra purgantur à conscientia mala: Ut etiam hic locus Pauli satis evidens præceptum Baptismi externi celebrandi ac usurpandi, contra quam sentiunt Adversarij, contineat, ita ut præcipiat Hebræis signum & rem signatam simul conjungere. Patet quod dico, vel inde quod Paulus illi ablutioni aquâ mundâ, conjungat immediatè τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπί-

δος

δος ἀκλινῆ, eo quod à Catechumenis ad Baptismum accedentibus exigeretur expressa fidei & Christi confessio, cujus exemplum extat Act: VIII, 37.38. & quæ Petro in consimili planè loco 1 Pet: III, 21. dicitur ζυνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν.

Eodem modo Paulus] Voluit Hæreticus datâ operâ hæc duo loca obiter depravare, quod utroque præceptum de Sacramento Baptismi nitatur. Sed nunquam veritati hoc suum telum extorquebit. Lavacrum enim aquæ in verbo, cujus hic Paulus meminit, nihil aliud est quam ipse Baptismus aquæ in nomine Sacrosanctæ Trinitatis, qui itidem dicitur lavacrum regenerationis Tit: III, 5. Hîc enim, juxta Augustinum *tract.* 80. *in Ioh: accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, Unde est tanta virtus aquæ ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur.* Nec aliter hactenus omnes interpretes Christiani hunc Pauli locum intellexerunt. Imò nequit εὕρημα Volkelij consistere; nam hoc aquę lavacrum in verbo habet rationem causæ per quam, sive medij quo, sanctificatur & purificatur Ecclesia: Sed nemo sanæ mentis dixerit vitæ innocentiam & sanitatem esse causam per quam & medium quo ejusmodi purificatio & sanctificatio Ecclesię peragitur. Multo absurdiùs hoc & præcedenti loco per aquam mundam & aquæ lavacrum, intellexeris ipsius Christi summam innocentiam & admirabilem Sanctitatem: Hac enim Ecclesia nequit purificari formaliter, cùm non transeat de subjecto in subjectum, sed tantum meritoriè & imputativè, quod nollent admittere Hæretici. Ut taceam quod ab ordinario Scripturę stylo abhorreat admirabilem alicujus Sanctitatem, nedum ipsius Christi, lavacrum aquæ in verbo nuncupari.

Cum nec sanctitas tanta] Imò summa hæc Sanctitas quæ in Christo enituit, illius solùm esse potest, cujus est dicere, *Sancti estote quia sanctus sum, Ego Iehova Deus vester* Levit: XIX, 2. adeoque nec merum hominem arguit, cùm hominum merorum, etiam sanctissimorum, nemo sit qui non peccet, ne unus quidem, imò omnes in Adamo peccarint, & sint concepti in peccato & foti in iniquitate; sed verum Immanuelem & θεάνθρωπον, Patrisque æternum λόγον carnem factum, cujus Apostoli sunt contemplati gloriam ceu unigeniti egressi à Patre. Non ergo Christus, homo tantum *divinus*, quod competiit quoque omnibus Prophetis quos Scriptura passim *viros* Dei appellat, sed revera homo Deus in unitate personæ; nec solum *Deo charissimus*, quod cuilibet pio & fideli convenit, sed etiam unigenitus ipsius, in quo solo sibi complacuit; nec denique tantum *Spiritu Dei plenus*, quod itidem legitur de Stephano & Apostolis, sed unctus oleo lætitiæ præ suis consortibus, & cui soli Deus Spiritum non admetitur Joh: III, 34.

CAP: XVII.

De miraculis Christi.

EXplicato hoc primo salutaris Christi disciplinæ argumento quod ex singularissima Christi innocentia ac sanctitate ductum erat: sequitur, ut alterum consideremus, quod à Iohanne Spiritus nomine appellatur, cujus quidem, quantùm ad divinæ veritatis confirmationem pertinet, duplicem vim esse constat: quarum altera ad hanc Christi Propheticam functionem

spectat; altera verò Regio ejusdem munere continetur, cujus explicationem in suum locum rejicimus. (*infra cap. 24.*) Ac prior quidem, & ad præsentem materiam maximè pertinens spiritus diuini vis atque potentia, hac ratione in Christo eluxit, quòd miracula edidit post hominum memoriam inaudita. Unde ipsemet Christus, (*Ioh: 15.24.*) *Si*, inquit, *non ea apud illos fecissem opera quæ nemo fecit alius, peccatum non haberent.* Cujus rei clarissimum inter alia specimen erat, quòd ille, qui cæcus natus erat, nunquam fando auditum esse ajebat, quenquam cæci nati oculos aperuisse, ut à Domino Jesu tunc factum erat. (*Ioh.9.32*) Multò autem admirabilius illud fuit, quòd Lazarum mortuum, & quartum jam diem in sepulchro jacentem, in vitam restituit. (*Ioh:11.39.44.*) Quid de dæmoniorum ex hominum corporibus expulsione dicam? quid de imperio, quod in varios morbos, in ventos, in tempestates, in maria exercebat?

‡ *Quod à Iohanne Spiritus*] Ad caput præcedens notavimus perperam apud Johannem *Spiritus nomine* illam virtutem intelligi, quâ Christus admiranda edidit opera ad authoritatem sibi conciliandam, personæ suæ dignitatem comprobandam, & veritatem suæ doctrinæ luculenter confirmandam. Quamvis ultrò largiamur omnia à Christo patrata miracula revera *divino* illius *Spiritui*, idest potentię & naturæ ejus divinæ, esse adscribenda.

Ac prior quidem, & ad] Si opera ipsa in se spectemus, illis utcunque paria jam præcesserant in V.T. in cujus historia exempla quoque leguntur eorum qui revixerint à mortuis: Hinc Christus ipse hoc respectu promittit credituro in se quod opera quæ facit & ipse faciet, imò & illis *majora* Joh:XIV,12. At si consideretur modus operandi & quod Christus ea patrabat propriâ & insitâ suâ virtute, jure meritò dixit se illa facere quæ *nemo alius* vel fecit unquam, vel facere possit Joh:XV,24. Ideo se comprobabat lucem esse mundi, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, dum coecis natis visum restituebat; resurrectionem & vitam, dum mortuos etiam quatriduanos solo suo verbo in vitam revocabat; superiorem Angelis omnibus, eumque de quo dictum sit *Et omnes Angeli adorent eum*, dum vel obstinatissimos dæmonas, solo suo jussu ejiciebat; omnium rerum Conditorem & architectum, dum absolutum imperium, in morbos, ventos, tempestates, maria, exercebat.

Quæ quamvis per se sint maxima, majora tamen fient, si eâ virtute ab illo facta fuisse considerabimus, quæ non subinde, quoties talia designanda erant, ex divinis fontibus hauriebatur: sed quæ in ipso, singulari Dei beneficio, perpetuò inerat. Unde patet, quantum intervallum, quod ad hanc rem attinet, inter Prophetas Apostolosque, & hunc nostræ religionis autorem interjectum fuerit: cùm illorum nullus, nisi subinde Dei Christi-vè im-
90. plorato auxilio, stupenda istiusmodi opera edere potuerit. Ubi simul animadvertendum, tantam fuisse Christi, cum in terris adhuc degeret, vim ac potestatem, ut non solùm ipse concessâ sibi divinitùs virtute, tot tamque admiranda opera facere, sed etiam aliis ea faciendi potestatem dare posset.

Quantò

Quantò igitur nunc majorem ejusdem beneficij in nos conferendi potestatem illum habere existimabimus, postquam in altissimo divinæ majestatis solio collocatus est? (*Act:2.33.*) Nam & divini spiritus munera in homines sibi confidentes ab eo tempore contulit, quod antea non fecerat; & in miraculis patrandis majorem potentiam declaravit, quàm cum in terris degeret, quemadmodum ipse prædixerat his verbis: (*Ioh:14.12.*) *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, etiam ille faciet; & majora his faciet; quia ego ad Patrem proficiscor: & quicquid petieritis in nomine meo, ego faciam; ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.* Ex quibus verbis satis liquet, Christi virtute ac potentiâ, in quam efferendus erat, ipsius discipulos miracula ista edituros fuisse, & postmodum edidisse; quod etiam aliunde satis est manifestum. Audiamus Petrum, sanato homine, qui claudus fuerat natus, sic populum Israëliticum alloquentem: (*Act:3.12.*) *Quid hoc admiramini, aut quid in nos intuemini, quasi privatis viribus aut potestate effecerimus, ut hic incederet? Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, Deus majorum nostrorum, illustravit Filium suum, quem vos tradidistis.* & paullò pòst: *& per fidem nominis ipsius* (nempe Christi) *hunc, quem videtis & nostis, corroboravit nomen ejus, & fides quæ per ipsum, dedit ei integritatem hanc coram vobis omnibus.* Et iterum infrà in Judæorum senatu: *Hoc vobis & cuncto Israëlitarum populo notum esto: hunc per nomen Iesu Christi, quem Deus excitavit à mortuis, per hoc, inquam, hunc astare in vestro conspectu sanum.* Illud quoque Pauli testimonium (*Rom:15.18.*) quam præclarum est, quo *se nihil quicquam loqui audere* confirmat, *quod non effecerit per ipsum Christus, in obedientiam gentium, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.*

‡ *Quæ quamvis per se*] Hæc virtus *perpetuò inerat* Christo, ceu illi propria & essentialis, ex naturæ sua divinæ essentiali conditione, non ut vult Adversarius, ex aliquo *singulari beneficio* indebitę gratiæ. Cùm enim hæc virtus fuerit infinita, adeoque simpliciter & absolutè divina, nequivit in creaturam meram & finitam cadere, eo quod finitum infiniti capax esse nequeat.

Unde patet quantum] Imò tantum hìc discrimen debet concipi inter Christum miracula patrantem, & Prophetas ac Apostolos aliosque viros divinos miraculis coruscantes, quantum datur inter Deum & homines, dominum & famulos, caussam miraculorum principalem eamque physicam, cujus propria virtus ipsum effectum miraculosum omnem creatam virtutem superantem attingit, & eorundem caussas administras, instrumentaliter tantum eò concurrentes, idque non caussalitate verâ & reali, sed duntaxat morali, quatenus non ipsi sancti viri propriâ suâ potestate aut pietate edebant talia miracula Act:1.11,12. sed tantum Deus ad eorum præsentiam, preces & fidem, efficaciam & omnipotentiam suam exerebat, quo doctrinæ suo nomine promulgatæ magis luculentum testimonium accederet.

Ubi simul animadvertendum] Imò verò quod hanc potestatem faciendi miracula in nomine suo, aliis dare potuerit, evidentes

denter comprobat eam illi propriam & essentialem fuisse, non adventitiam & concessam precariò: Potuerunt quidem Apostoli, per impositionem manuum suarum aliis conferre charismata Spiritus Sancti, inter quæ erat donum patrandi miracula in nomine Christi Act: VIII, 17. Sed nemini potuissent vim conferre ullius miraculi faciendi in suo nomine; cùm illa omnis virtus non sua foret, sed solius Christi, ejusdem naturæ & potentiæ cum Patre suo.

Quanto igitur nunc] Nihil novę vel potentiæ vel virtutis accessit Christo suâ exaltatione: cùm illam potentiam & virtutem habuerit simpliciter & absolutè infinitam, quæ per consequens fingi non debet capax intensionis aut remissionis. Non suscipit substantia magis & minus, inquiunt Philosophi; Est autem hæc Christi virtus ipsiusmet essentia & substantia, cùm in ipso esse, posse, operari, realiter non distinguantur, & nihil sit in Deo quod non sit Deus.

Nam & divini Spiritus] Copiosiùs quidem Christus effudit munera Spiritus sui Sancti in homines post suam ascensionem, non quod illi major accesserit potestas quam antea, sed quod illius suæ potestatis exercendæ ac demonstrandæ convenientior esset opportunitas, quam tempore suæ exinanitionis: verùm simpliciter & absolutè non potest statui ipsum antea non contulisse Spiritus Sancti munera hominibus sibi confidentibus. Suos enim discipulos instruxit variorum Miraculorum facultate, cùm eos primùm emisit ad præconium Euangelij Matt:x,6.7.8. Marc:VI,7.23. Luc.x,9.17. Hanc vero potestatem pertinere ad munera Spiritus Sancti qui negaverit, se opponet Apostolo 1 Cor: XII,9. Quid quod conceptis verbis, Spiritus Sancti assistentia & præsentia promittitur Apostolis in prima illa sua missione Matt:x,20? Et cùm crediderint in Christum ipsique confiderint, ut loquitur Volkelius, id factum oportuit operatione Spiritus fidei, quem se à Christo accepisse satis luculenter contestantur, ubi ab eodem petunt augmentum fidei suæ, ipsi dicentes *Adauge nobis fidem* Luc: XVII, 5.

Majorem potentiam declaravit] Ostensivè nempe & extensivè, non tamen intensivè; cum illa ipsius potentia simpliciter & absolutè infinita fuerit.

Ex quibus verbis] Christi *virtute & potentiâ*, discipulos ejus ea patrasse miracula quibus coruscarunt post ipsius Ascensionem in cœlos, nulli dubitamus; unde patet virtutem hanc & potentiam illi essentialem fuisse & communem cum Patre, & ex illa operatum fuisse in suis discipulis ad sui & Patris communem gloriam; Sed non capio quî dicatur Christus in cœlum ascensurus fuisse *efferendus* in illam virtutem & potentiam, cùm jam illam habuerit plenam & perfectam, dum in terris versaretur Joh:v,19.20.21. & ipsam etiam tum exeruerit in suis Apostolis, usque ad mortuorum resurrectionem, uti modò insinuatum ex Euangelio. *Majora* vero facta sunt miracula post suam ascensionem, quam quæ fecerat ipse in terris, non ex parte potentiæ operantis, quasi non æquè infinita fuerit & talem se demonstraverit in præcedentibus signis ac in subsequentibus; Sed primò ex parte *numeri*, quod numero majora sive frequentiora fuerint miracula Apostolorum, ad orbis conversionem ordinata, quam ipsiusmet Domini dum in carne versaretur. Secundò ex parte *modi externi*; quod ab hominibus peccatoribus per Christum carne absentem ea fierent, quæ ab ipso præsente & immediatè operante quoad externum illum modum operandi, evenisse non legimus; hoc sensu majus fuit Petri umbrâ sanatos fuisse infirmos quam tactu fimbriæ Christi. Tertiò ex parte *utilitatis*, quod utiliora multo fuerint miracula quæ post ascensionem Christi in ejus nomine facta sunt quam quæ antea ipse fecit: Nam miracula

cula quę fecit Christus ad eorum solorum utilitatem directè ordinabantur qui vel suscitabantur ex mortuis, vel sanabantur à suis morbis; At quæ postea facta sunt, plurium simul utilitati inserviebant, ut cum per impositionem manuum Apostolicarum communicabantur Charismata Spiritus Sancti, totius Ecclesiæ ædificationi & plurimorum conversioni inservitura, cujusmodi erant dona linguarum, sanationum, prophetiæ &c. Quartò ex parte *fructus* & eventus. Nam miracula quæ Christus ipse præsens patravit, Judæis duntaxat convincendis & inexcusabilibus reddendis inservierunt, Matt:xi,20.21. at quæ per Apostolos facta sunt, evertendis Idolis & toti orbi ad Christum convertendo profuerunt. Huc spectat dictum Pauli Rom:xv,18. hîc citatum Volkelio.

Audiamus Petrum] Petrus & Paulus hîc citati, miracula sua uni Christo adscribunt tanquam principali efficienti & authori, ita ut ipsi eorum duntaxat externa instrumenta fuerint; sed non dicunt, quod somniat Volkelius, facta illa fuisse ex majori virtute & potentia Christi, quam habuerit dum versaretur in terris.

Omnia igitur, ut ad rem redeamus, admiranda opera, tam ab ipso Christo immediatè, quod ajunt, quâm ab eodem per Apostolos aliosque viros pios facta, maximam illius confirmandę disciplinæ vim habuisse, satis ex eo perspicitur, quòd multi Iudæorum principes, hominum genus alioqui superbum, arrogans, obstinatum, semperque propriæ magis, quàm Dei gloriæ studens, infinitis miraculis quotidie animum illorum pulsantibus commoti, Christo fidem habuisse dicuntur, (*Ioh:* 12.42.) quamvis ob causam modò commemoratam, id publicè non faterentur. Perfectum enim
tanto admirandarum Christi actionum splendore fuisse, ut eum divinum ho- 91.
minem esse crederent, præter illum ipsum, ubi hæc narrantur, locum, ex illis Nicodemi Pharisæi verbis (*Ioh:*3.2.) apertum est. *Scimus*, inquit, *te venisse doctorem a Deo: Nam hæc signa, quæ tu facis, nemo facere possit, nisi ei Deus adsit.* Hîc animadvertendum, verba ista, *quæ tu facis*, magnam vim habere, ad Christi miracula ab omnibus aliis, vel diabolicâ fraude, vel humano artificio, vel qualicunque aliâ ratione confictis, distinguenda. Neque enim nescii Pharisæi erant, utpote in divina disciplina versatissimi, posse fieri, ut illi etiam portenta faciant, quibus nihil est cum Deo conjunctum. Talia autem tantaque, qualia & quanta Christus edebat, non nisi à divina virtute profluere potuisse, probè intelligebant. Neque enim inanibus præstigiis oculos illorum pascebat, neque ejus generis portenta ostendebat, quæ aut diabolica virtus assequi, aut humana calliditas imitari posset.

‡ *Omnia igitur*] Dubium non est quin miracula inter motiva externa ad fidem, primum locum obtineant; ipsa tamen per se insufficientia esse ad fidem producendam, nisi adsit lumen tum externum verbi ac doctrinæ purioris, tum internum gratiæ & Spiritus Sancti, notius est, quam de eo debeat disputari. Interea prout non erat satis sincera nec salutaris fides eorum quorum fit mentio Joh:xii,42. ut patet tum ex com.43. tum ex loco Joh:ii,23.24. ubi dicitur Christus non semetipsum

metipsum credidisse iis qui *in nomen ejus crediderunt*, *spectantes signa quæ edebat*, sic non sufficiebat profiteri Christum *divinum hominem esse*, & juxta Nicodemi confessionem, *doctorem à Deo*, nisi insuper verus Dei λόγος & æternus ac proprius Dei filius agnosceretur; quò is in illa sua infirmitate nondum pervenerat: ut rectè Cyrillus dicat *lib. 2. in Ioh: cap. 38.* ipsum *utroque poplite* laborasse, idest fide & dilectione.

Talia autem tantaque] Hoc cum grano salis sumi, aut saltem explicatiùs dici debet: quod non malè Toletus *annot. 2. ad 3. Ioh.* ita expressit. *Aliqua ex his quæ fecit Christus, si solum effectum consideremus, potuit & dæmon facere; tamen multa fecit Christus quæ nullâ dæmonis virtute fieri potuerunt; illa nempe quæ virtute naturali effici non poterant, ut mortuos suscitare, cæco à nativitate visum restituere. Præterea hæc quæ dæmon si secundum se considerentur, facere potest, Christus fecit solo verbo, sine applicatione alicujus virtutis naturalis: Rursus in instanti & sine mora ulla, quod dæmon non potest. Nullum ergo miraculum Christi potuit facere dæmon, si modum etiam & celeritatem quibus Christus operabatur, spectemus. Nullâ ergo ratione quæ Christus faciebat virtuti dæmonis adscribi poterant, sed virtutis divinæ opera esse certum erat.*

Quod ut magis doceamus, intelligendum est, non ea Christi miracula fuisse, quæ tantùm admirationem hominibus moverent, nullumque insuper fructum adferrent: sed singula ferè illius miracula, singula beneficia fuisse. Nullum enim ferè de illis afferri in medium potest, quod ad juvandos homines comparatum non fuerit. Qua de causa Petrus Apostolus, omnia Christi prodigia summatim designans, (*Act: 10. 28.*) *ultrò citroque eum commeantem benefecisse, omnesque a Diabolo oppressos sanasse* testificatur. Vnde rursum apparet, signa ab illo edita, divinissima fuisse. Nam & summam Dei in homines clementiam declarabant, & morbos rei naturâ inspectâ insanabiles depellebant; & non terrenis medicamentis, quibus paulatim, magnâque sæpe morâ interjectâ, dolores imminui solent: sed solo Christi jussu, seu, ut sacræ literæ loquuntur, (*Matt: 8. 10.*) verbo aut sermone, idque subitò, perficiebantur. Quæ omnia naturæ terminos excedere, & porrò humanâ virtute effici nequaquam posse, quis non videt? Vt enim, verbi caussâ, facilè concesserim, fieri posse ut diabolus hominesque perditi alicujus oculos eruant, auribus violentiâ quadam audiendi sensum adimant, vitam homini eripiant: at cæcis solo jussu lumen afferre, surdis aures patefacere, mortuis vitam restituere, vel ipsius Dei tantùm est, vel ejus, cui Deus tanta designandi potestatem concesserit.

‡ *Quod ut magis doceamus*] Sed neque id sufficiebat, externè consideratum, ad veritatem & divinitatem Miraculorum Christi comprobandam, nisi accessisset scrutinium doctrinæ quam illis miraculis obsignabat, & de ejus conformitate cum Dei Verbo, Pharisæi & Nicodemus convicti fuissent; ut etiam Ferus benè dixerit *ad Matth: 24. miracula ex doctrina æstimari debere, non doctrinam ex miraculis.* Legimus enim in Jesuitarum Japonica epistola 2. *Dæmonem sæpè Bonziorum rogatu, vel febrim sedare, vel è corporibus migrare.* Tacitus quoque *annal. 4.* de

de Vespasiano Cæsare recitat, quod cœco visum & claudo vires solo suo contactu restituerit. Admittimus quidem hîc conjecturam Bellarmini *de notis Eccl. cap.* 14. ut credibile sit *totum illorum morbum fuisse à Diabolo, qui insidens in oculo unius & alterius tibia, impediebat usum eorum membrorum, idque eo fine ut videretur sanare cum desineret nocere*: Sed interea tamen his & similibus exemplis quæ congerere esset in promptu; faciliùs comprobatur miracula vera à falsis non ita posse dignosci vel externo aspectu vel aliâ aliquâ infallibili notâ, seposito lumine verbi Divini & fidei, ut omnis deceptionis & seductionis metus excludatur.

Vel ipsius Dei] Talia de facto præstare, & eo modo quo hîc dicitur, est *ipsius Dei tantum*, cujus nomine & virtute infinitâ fiunt, cùm is *cui Deus tanta designandi potestatem concesserit*, nullam ad id efficaciã sibi subjectivè inhærentem conferat, eò quod infinitę virtutis finita creatura capax esse nequeat, sed tantum illorum patrandorum merum instrumentum morale sit: Unde infallibile colligitur argumentũ pro Divinitate æterna Christi. Aut enim merè instrumentaliter se habuit ad ea miracula quæ patrasse dicitur: & sic nihil supererit inter illum & suos Discipulos discriminis; cùm tamen Discipuli in ipsius nomine patrarint miracula, nemo verò in ullius ex Discipulis nomine: Vel ad illa se habuit principaliter & primariò ex insita sibi essentialiter potentia & virtute; & sic eum esse verum Deum ejusdem naturæ & essentiæ cum Patre necessariò ostenditur: quoniam ex insita sibi virtute, qualem in seipso profitebatur Christus, nemo possit præstare opera infinitæ potentiæ, (cujusmodi sunt omnia miracula verè talia,) qui virtutis adeoque & essentiæ ac naturæ infinitæ & per consequens Divinæ non fuerit: Quale enim quodque est in operando, tale in essendo concipiendum esse, ultrò sanior Philosophia fatetur.

Id quod Pharisæi nec ignorare, nec, cùm divinæ legis studiosissimi essent, illius præmonitionis memoriam abijcere poterant, quæ apud Mosen (*Deut:* 13. 1, 2.) his verbis exprimitur: *Cum surrexerit in medio tui propheta, vel somnians somnium, & dederit tibi signum, vel portentum, evenerit que signum vel portentum, quod locutus est tibi, & dixerit tibi, Eamus ut sequamur Deos alienos quos ignoras, & serviamus eis; non audietis verba propheta illius aut somniantis.* Non 92.
poterant, inquam, hujus divini præcepti non meminisse: nihilominus tamen & eorum quidam solis Christi miraculis inducti, ei fidem adjunxerunt, & non nisi divinâ virtute tam admiranda illius facinora effecta fuisse, persuasum habuerunt. Videbant quippe, Iesum nequaquam ad eum finem miracula sua referre, ut hoc quasi artificio populum à sanctissimi numinis reverentia, ad falsorum Deorum, inaniumque simulachrorum cultum traduceret: sed potiùs ut ab omni impuritatis contagione abstractum, in ardentissimum Dei studium incitaret. Non solùm enim nihil de divini numinis majestate detrahebat, sibique arroganter assumebat; aut ad quamvis aliam, sive rem, sive personam rransferebat: sed quicquid erat, quicquid poterat, quicquid mente animoque complectebatur, quicquid ore proferebat, aut opere perficiebat, summo illi Patri semper acceptum referebat; illum solum,

lum, ut primarium omnium rerum, & sic salutis etiam nostræ autorem, divinissimo honore colendum esse, studiosè inculcabat.

‡ *Id quod Pharisæi*] Nescio quâ conscientiâ Pharisæis id elogij tribuat Volkelius quod *divinæ legis studiosissimi essent*, nisi forte ex occulto Syncretismo qui inter Socinianos Justitiarios, & Pharisæos Pelagianorũ Patriarchas intercedit. Pharisæos enim pluris multo fecisse Traditiones ἀγράφους quam *divinæ legis* placita, satis liquet ex Christi contra illos invectivis. Verùm ex hoc Mosis testimonio quod Adversarius profert, liquet Pharisæos & Nicodemum debuisse miracula Christi ad cotem doctrinæ quam annunciabat,& hanc ad Scripturarum quæ præcesserant, lancem & facem expendere.

Videbant quippe, Iesum] Hoc videbant ex doctrina quam annunciabat, & hanc exactè conspirare cum Dei Lege & præcedentibus Scripturis, tantum abest ut ab illis discreparet: Nobis autem hic valde placet quod dicit H. Grotius, virtus enim vel in hoste laudanda, *lib.* 5. *de Rel. Christ.* §. 5. Judæos ipsos statuere *omni ei qui miracula faciat* (vera scilicet) *credendum, extra quam si à vero Dei cultu abducat, quia in eo solo casu prædictum sit, ne miraculis quamvis speciosis fides habeatur. Iesus autem non modò falsos Deos coli non docuit, sed contrà hoc tanquam crimen gravissimum disertè vetuit, docuitque nos & Mosis & qui eum sequuti sunt Prophetarum scripta venerari; quare nihil est quod miraculis ejus objici possit.*

Non solum enim nihil] Verum equidem est Christum, *nihil sibi arroganter* & indebitum assumpsisse, *nihil* quoque *de divini numinis majestate* detraxisse, *aut ad quamvis aliam, sive rem, sive personam*, quæ Deus non foret, Deo debitum honorem transtulisse; Sed id tamen agnoscere debent Sociniani, quod miracula sua eò ordinaverit Christus ut comprobaret se esse proprium Dei Filium, Patris unigenitum, unum cum Patre, habentem vitam in seipso, facientem quicquid Pater facit, qui potestatem haberet, soli summo Deo propriam, remittendi peccata, cui fides æquè adhibenda ac ipsi Deo, qui rapinam non duceret æqualem esse Patri, quique uno verbo esset cum Patre verus Deus & vita æterna.

Sed quicquid erat] Id factum à Christo duplici de causa; Primò quod in statu exinanitionis, & *paulisper Angelis inferior factus propter mortis perpessionem*, ut loquitur Apostolus Heb: II, 9. formam servi sustineret, & carnis assumptæ respectu Patrem se majorem deberet agnoscere: Secundò quod revera quà Deus essentiam, potentiam, sapientiam divinam sibi à Patre communicatam ab æterno, æternâ sui generatione Joh: v, 26. profiteretur.

Illum solum, ut] Non exclusivè ad se aut Spiritum Sanctum, sed inclusivè; Hinc sibi Filius tribuit, quod non minùs in seipso vitam habeat quam Pater; quod faciat quæcunque Pater facit; quod sit honorandus ut Pater; quod in se ut in Patrem credendum; quod ipse & Pater unum sint; quod in sui æquè ac Patris, ceu solius veri Dei cum ipso, cognitione sita sit vita æterna; ut liquet ex Joh: v, 19. 23. x, 30. xiv, 1. xvii, 3. Agnoscunt etiam Orthodoxi dependentiam ordinis & personalem Filij à Patre, ut huic omnia *appropriativè* meritò tribuantur ceu primario fonti & origini, non minùs omnium operum ad extra, quam ipsiusmet divinitatis ad intra, ut communicabilis est & de facto communicata fuit per processiones æternas.

Ex his omnibus valde perspicuum est, miracula vel ab ipso Christo, vel ab aliis ipsius virtute edita, maximum ad illius doctrinam confirmandam pondus

pondus attulisse. Qua de caussa & Baptistæ testimonio non ampliùs sese indigere, haud obscurè indicat, (*Ioh: 5.36.*) cum ait, *Ego majus, quàm Iohannis, testimonium habeo. Opera enim, quæ mihi dedit Pater perficienda, ipsa opera, quæ ego facio, de me testantur, me a Patre esse missum*. Idem ex illis ejusdem verbis perspicuum est, quibus Iohanni per suos discipulos de ipso testanti, (*Matth: 11.4,5. Luc: 7.22.*) hunc in modum respondit: *Ite, renunciate* Iohanni, *quæ videtis & auditis. Cæci cernunt, claudi gradiuntur, leprosi purgantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Evangelium docentur.* quasi dicat, Cum tot habeam alia testimonia, quibus me Christum illum Dei esse comprobatur; res ipsa clamat, mihi Iohannis testimonio jam opus non esse. Quid, quòd etiam sermonibus suis miracula præfert, cum Iudæos illis verbis urget: (*Ioh: 10.38.*) *Si non vultis mihi credere, operibus credite, ut agnoscatis Patrem in me esse, & me in Patre*, id est, & Patrem mihi, & me Patri esse conjunctissimum; ita ut ipse quidem totius muneris mei rationem gubernet, ego verò nil nisi ex ipsius voluntate faciam.

‡ *Ad illius doctrinam*] Adde & illius divinitatem, quod propriâ suâ virtute illa faceret, quod de nullo Prophetarum aut Apostolorum, imò nec Angelorum, dici potest.

Non amplius sese] Christus non respuit Johannis testimonium, etsi comparatè ad Judæos, qui sensibus suis ducebantur & manus habebant oculatas ut id demum crederent quod videbant, plus reponat ponderis in suis operibus: Nec ita tamen illis insistit quin paullò post, nempe com.39. eos amandet ad Scripturas, ceu testes omni exceptione majores, & eorum erga se incredulitatem inde arcessat com.45.45.47. quod iis quæ Moses de se scripserat non crederent.

Quid, quod etiam] Non simpliciter illa præfert, sed tantum respectivè ad Judæos, in quorum sensus & oculos incurrebant. Ut distinguunt Philosophi inter ea quæ sunt priora & notiora in se, & ea quæ sunt priora & notiora nobis, sic possim dicere notiora & priora fuisse quadantenus Judæis miracula Christi, licet in se ejus cœlestis doctrina prior & notior fuerit: Quamvis enim illi insinuandæ & confirmandæ miracula adhibebantur, reflexum tamen de miraculis judicium ab ipsa-met doctrina ipsius, testimonio Mosis & Prophetarum munita, suspendi oportuit.

Id est & Patrem mihi] Non tantum studio & voluntate, & quod Pater *totius muneris* sui *rationem* gubernaret, ipse verò *nil nisi ex ipsius voluntate* faceret: (Quid enim ita sibi tribueret Filius unigenitus, quod Mosi & cuilibet fideli famulo in Domo Patris non æquè conveniret?) Sed maximè & primariò naturâ, essentiâ & potentiâ, per illam ἐμπεριχώρησιν sive *circuminsessionem*, ut Scholasticis vocatur, de qua dicebat Philippo, Joh:XIV,9.10. *Qui vidit me, vidit Patrem, Non credis me in Patre & Patrem in me esse?* Ei autem veritati comprobandæ apprimè faciebant opera & miracula Christi, quæ cum ipsius virtute fierent, quod liquet nominatim ex historia hæmorrhoissæ Luc:VIII,46. satis palam adstruebant ejus Omnipotentiam, & ex consequenti essentiam & naturam divinam individuam cum Patre: Ideo loco hic à Volkelio citato, illis suis operibus diluit crimen blasphemiæ sibi impactum, in eo quod seipsum Deum faceret & profiteretur,

retur, & per illa demonstrat ſe & Patrem unum eſſe, non conſenſu tantum, ſed potentiâ quoque & naturâ.

Miraculoſis autem Chriſti factis illud quoque addi poteſt, quod ad divinam ipſius ſapientiam propriè ſpectat, quòd non ſolùm, quæ gererentur, abſens animadvertebat, verùm intimos etiam hominum ſenſus perſpectos habebat. Nam Nathanaëlem v. g. ſub ficu exiſtentem vidit, eumque verum & omnis fraudis expertem Iſraëlitam eſſe cognovit (*Ioh: 1. 48.*) & Phariſæo-
93. rum nec non diſcipulorum ſuorum cogitationes introſpexit. (*Matth. 9. 4. & 12. 25. Luc: 9. 47.*) Vnde ita de eo ſcriptum reliquit Iohannes; (*Ioh: 2. 24, 25.*) *Christus nôrat omnes, & non erat ei opus, ut quis teſtaretur de homine. ipſe enim nôrat quid eſſet in homine.* Id quod ſanè omnia alia illius miracula, & majora facit, & ab omni diabolicæ fraudis ſuſpicione vindicat. Faciat enim Diabolus quantas velit præſtigias, nunquam ſeſe hominum animos exploratò callere perſuadebit. Non negaverim quidem, eum quaſdam hominum cogitationes, pro incredibili ſua verſutia, conjecturâ aſſequi poſſe, utpote quas vel ipſe objectis certarum rerum ſpectris mentibus eorum injiciat, vel ex argumentis quibusdam colligat: verùm hîc non de conjecturis, ſed de exploratiſſima animorum cognitione, nec de cogitationibus artificio quodam injectis, ſed de conſiliis ſponte voluntateque ipſorum hominum ſuſceptis, oratio habetur, quorum exactam cognitionem Deus Chriſto jam tum conceſſerat; idque primò, ut divinum eum hominum eſſe omnes intelligerent, diſciplinam ipſius reciperent, debitoque honore eum afficerent. deinde ut nefaria ſuorum inimicorum conſilia tenere, inſidiaſque vitare poſſet; ne videlicet ante tempus illud occideretur, quod Dei conſilio morti ejus præfinitum erat; cùm ea non tam ad hominum crudelitatem, quàm ad ſingulariſſimum Dei decretum revocanda eſſet.

‡ *Miraculoſis autem Chriſti*] Hæc abſoluta & univerſalis καρδιογνωσία quæ Chriſto tribuitur, non tantum locis hîc citatis, ſed conceptis inſuper verbis Apoc: 11, 23. ubi *ſcrutatorem renum & cordium* ſe profitetur, adeo ut intimos receſſus cogitationum in omnibus & ſingulis per ſe pervideat Joh: 11, 24. 25. cùm ſit ſpecialis character divinitatis, ita *divinam ipſius Sapientiam* comprobat, ut inde non ſolum poſſit intelligi, *divinum eum hominum eſſe*, ut loquitur Volkelius, ſed æterna & ſumma ejus divinitas neceſſariò colligatur: Nulla enim mera creatura divinæ hujus Sapientiæ & infinitæ perſpicacitatis capax eſt; cùm omne finitum in eſſendo ſit etiam finitum in cognoſcendo, & SOLUS DEUS cognoſcat animos & corda omnium hominum 1 Reg: VIII, 39. *Exacta* igitur hæc cordium omnium cognitio, non competebat Chriſto per ſcientiam creatam & humanitatis ſuæ reſpectu, cùm nullus merus homo ſubjectum ſit magis δεκτικὸν iſtius Omniſcientiæ, quam eſſentiæ divinæ cum qua reciprocatur, ſed per ſcientiam increatam & infinitam, quæ illi quà Deo communis eſt cum Patre & Spiritu Sancto: quò poteſt etiam referri locus Col: II, 3. quod *in illo omnes theſauri ſapientiæ*

pientiæ & notitiæ absconditi sunt.

Non negaverim quidem] Imò & quibusdam Prophetis & viris sanctis, quasdam speciales cogitationes hominum nonnullorum Deus Spiritu suo revelare aliquando dignatus est: Sed nullus merus homo extitit unquam, aut extare potuit, quantolibet lumine Prophetico collustratus, qui uno obtutu omnes omninò hominum omnium cogitationes penetraret & pervideret; tum quia illæ sunt infinitæ saltem secundum quid, tum quia eas omnes simul pervidere sit illius demum cujus scientia non est successiva & discursiva, qualis Creaturarum, sed intuitiva & momentanea, absoluteque infinita; quod soli Deo convenit; & tributum Christo, ejus divinitatem adstruit firmissimè.

Quam ad singularissimum] Adde & ultroneum ipsiusmet Filij consilium, qui inde dicit Joh:x,18. *Nemo animam meam tollit à me, sed ego depono eam per me ipsum: auctoritatem habeo deponendi eam, & auctoritatem habeo rursus eam assumendi.*

CAP: XVIII. *De morte Christi.*

‡ *Respondente* ULPHARDO ECKELMAN, Bellingwoldensi.

TErtium veritatis divinę firmamentum Christi sanguine, id est, cruentâ morte, omnibusque eam antegressis cruciatuum perpessionibus continetur. Nam & Christi sanguinem testari, (*1 Ioh: 5. 8.*) & sanguinem esse fœderis, (*Hebr: 10. 29. & 13. 20.*) & ipsum Christum ob sanguinis profusionem fidelem testem esse, (*Apoc: 1. 5.*) proque omnibus in mortem se offerendo testimonium temporibus suis extitisse, (*1 Tim: 2. 6.*) scriptum legimus; ut intelligamus, fœdus, quod nobiscum Dei nomine fecit, illius morte stabilitum firmatumque fuisse.

‡ *Tertium veritatis*] Ut nolim inficiari etiam Christi morte obsignatam esse veritatem Euangelicæ doctrinæ & promissionum quas continet, sic eò redigere nequeunt Sociniani omnem usum sanguinis & mortis Christi, quin illi pares faciant omnes Martyres, hoc nominis adeptos, quod morte suâ constanti & heroicâ doctrinæ illius cœlestis quam annunciabant & profitebantur veritatem luculenter confirmarint. Quid, quod Justitiæ & Sapientiæ Dei vix conveniret Unigenitum suum, innocentissimum, & nullius omninò peccati vel proprij vel imputati reum, acerbissimæ morti, quæ aliàs est stipendium peccati, subjicere, non alio fine quam illi duntaxat veritati comprobandæ, cujus tot jam alia, omni exceptione majora & meridianâ luce clariora, extabant testimonia in ipsiusmet Christi Miraculis, in Prophetarum omnium oraculis, in Cæremoniarum typis: Sed eò collimant unicè Sociniani, ut accessorium substituant principali, & ampullatis verbis extollant confirmationem veritatis Euangelicæ morte Christi, ne præcipuum illius usum in Satisfactione pro peccatis nostris agnoscere cogantur: quanquam notum vulgo subordinata non pugnare, nec principale per accessorium tolli, aut primarium usum alicujus rei per secundarium everti.

Nam & Christi sanguinem] Hic congeruntur multa non ejusdem ordinis. Priori loco 1 Joh:v,8. *sanguinem* non debere sumi propriè de ipsa morte Christi, sed tropicè & figuratè, vel de illius effectu ad nostram expiationem, vel de illius Sacramento

cramento in Eucharistia, antea monuimus; etsi non diffitear Christum ideo per aquam & sanguinem venisse, uti evenit in ipsius morte, quo testatum faceret propitiationem & purificationem peccatorum nostrorum à se uno expectandam. Sanguis verò illius dicitur *sanguis fœderis* Heb:x,29. XIII,20. non propter externam testificationem de veritate Euangelij, sic enim quorumlibet Martyrum sanguis posset appellari sanguis fœderis & novi Testamenti, sed propter ejus vim & efficaciam ἱλαστικὴν, quâ nostra piantur scelera, & eorum remissionem apud Deum consequimur: Hinc Heb:x,29. dicimur *sanctificari* illo sanguine fœderis; & Heb:XIII,20. per eum dicitur Christus, vel factus *magnus ovium pastor*, quatenus ejus pretio suas oves mercatus est, animam suam ponendo pro illis; vel *ex mortuis reductus*, quatenus post sancitum illo sanguine novum fœdus, partamque suis illius vi æternam cum Deo reconciliationem & plenam remissionem peccatorum sufficienti satisfactione præstitâ Legi, erat impossibile ipsum ulteriùs detineri vinculis mortis Act: II, 24. cujus mortis aliàs aculeus est peccatum, ut vis peccati Lex 1 Cor:xv,56. Utroque autem loco citato hîc Volkelio multo amplius quam mera testificatio, sanguini fœderis tribuitur: Fuit enim effusus in remissionem peccatorum pro multis, non utique contestandam, sed promerendam, conficiendam, obtinendam, prout ipse docet Matt:XXVI,28. Quoad locum Apoc: 1, 5. non dicitur Christus esse fidelis testis *ob sanguinis profusionem*, sed potiùs ob sinceram & fidelem promulgationem voluntatis divinæ, prout & ipse profitetur Joh: XVIII, 37. se ad hoc venisse in mundum ut testimonium perhiberet veritati: quo sensu & verbi divini præcones, *testes* Dei non rarò in Scripturis, ut Act: 1, 8. & ipsa divinæ voluntatis oracula ejus *testimonia*, ut Es: VIII, 20. nuncupantur: Et propiùs consideranti textum Johannis patebit triplex ejus officium haud obscurè eo connotari: Propheticum nempe, cùm dicitur *fidus ille testis*; Regium, cùm appellatur insuper *primogenitus ille ex mortuis & princeps regum terræ*; Sacerdotale verò, cùm additur illicò, *qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum*. Sed non pudet Socinianos Scripturas corrumpere addendo & detrahendo pro lubitu, ut suum sensum illis quo jure quâ injuriâ affingant. In loco 1 Tim: II, 6. nihil est præsidij pro Volkelio, imò Paulus ibi petit jugulum causæ Socinianę: Verba Apostoli hæc sunt; ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις. Nec enim se Christus dedit tantum λύτρον, idest redemptionis pretium ἀντὶ πολλῶν, multorum vice & loco Marc:x,45. sed etiam se dedit ἀντίλυτρον pro omnibus, idest redemptionis pretium suo sensu *vicarium*, & in quo seipsum voluit substituere loco nostri, factus ipse peccatum pro nobis, ut essemus justitia Dei in ipso 1 Cor: v. 21. Nec tam ipse Christus dicitur à Paulo seipsum dedisse in testimonium temporibus suis, quam seipsum dedisse in tale redemptionis pretium, quod sit testimonium suis temporibus, tum completarum de eo Prophetiarum & figurarum V. T. tum dilectionis Dei erga nos in tali victima succidanea loco nostri substituenda, tum Justitiæ Divinæ, necessariam in sanguine Christi satisfactionem potiùs exposcentis, quam permittentis peccato esse impune. Et sanè Christum se dedisse ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων; multo amplius esse quam quod Apostolo tribuit Volkelius, eum *se obtulisse in mortem pro omnibus*, nemo est qui non videat. Sed oberat hæretici scopo τὸ ἀντίλυτρον, ideo ejus vim delumbare & occultare studuit.

Ut intelligamus] Id non venit in controversiam; sed tantum num hæc sanctio novi fœderis morte Christi, nihil amplius importet

importet de illius mortis & ſanguinis in ea fuſi efficacia, quam nudam obſignationem veritatis divinæ; Hoc enim cum pertendant fruſtra adverſarij, ipſis id affirmantibus ejus incumbit probatio, quam ex præcedentibus teſtimoniis non elici ſatis viſum. Nec prætereundum quod Volkelius datâ operâ utitur phraſi obſcurâ & ab uſu & ſtylo Scripturæ planè alienâ, cùm ait Chriſtum pro omnibus *in mortem ſe obtuliſſe*, ne videatur actum Sacerdotalem & oblatorium in Chriſti morte ullo modo agnoſcere: cùm tamen Chriſtus ſe ultrò obtulerit *ad mortem* pro nobis ſubeundam, & *in* illa ipſa *morte* ſe obtulerit pro nobis προσφορὰν ϗ θυσίαν τῷ θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας Eph: v, 2. S

Vt enim vetuſtum illud pactum ſanguinis hircorum vitulorumque conſperſione ſanciebatur: (*Heb*: *9. 19.*) ita & novum, cujus illud umbra quædam erat, imaginemque gerebat, Chriſti ſanguinis profuſione corroboratum & obſignatum eſt; idque hoc pacto, ut quemadmodum Moſes illâ conſperſionis ceremoniâ populum Iſraëliticum in antiquum Dei fœdus aſſcribebat: ita Ieſus Chriſtus per ſanguinis ſui profuſionem in Novi Fœderis ſocietatem nos adſciſceret, & bonorum, quæ in eo promittuntur, adipiſcendorum jus nobis largiretur, ut tum Petrus Apoſtolus, (*1 Petr. 1. 2.*) tum autor Epiſtolæ ad Hebræos (*Hebr*: *12. 24.*) indicat. Ille namque ad ſanguinis aſperſionem nos electos eſſe: hic verò ad ſanguinem aſperſionis nos acceſſiſſe ait: 94.
quia nimirum atrociſſimâ Chriſti morte effectum ſit, ut veritatem novæ pactionis compertiſſimam habentes, ad ejuſdem pactionis commercium atque communionem totâ mente nos conferremus, & ſic fœderi illi adſcriberemur, tanquam bonorum in eo promiſſorum hæredes.

‡ *Ut enim vetuſtum illud*] Hanc admittimus libenter comparationem: Nam ut ille ſanguis aquâ dilutus quo populus fuit aſperſus, non tantum fuit teſtificativus, ſed etiam, figuratè ſaltem & legaliter, ἱλαστικὸς & purificativus: uti liquet ex ipſomet loco attentiùs conſiderato Heb: IX, 19. 22. quandoquidem hoc poſtremo commate obſervat Apoſtolus quod *omnia fere ſecundum legem ſanguine purificantur, & abſque ſanguinis effuſione non fit remiſſio*; ſic etiam multò magis Chriſti ſanguis in N. F. quem ille ſignificabat, expiatorius eſt & purgatorius ſordium noſtrarum, (quo potiſſimum ſenſu & reſpectu corroborat ac obſignat novum Fœdus) non ſimpliciter teſtificativus veritatis divinæ ab ipſo promulgatæ, ut ſomniant hæretici. Huc facit potiſſimum quod paullò ante dixerat Apoſtolus Heb: IX, 13. 14. *Si ſanguis taurorum & hircorum & cinis juvencæ aſpergens inquinatos, ſanctificat ad carnis puritatem, quanto magis ſanguis Chriſti qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulit inculpatum Deo, emundabit conſcientiam veſtram à mortuis operibus ad colendum Deum vivum?*

Idque hoc pacto] At quemadmodum Moſes *illâ conſperſionis ceremoniâ*, populum traducebat in communionem victimæ piacularis, antea mactatæ & oblatæ ad ejus reatum expiandum, & illi applicabat vim & efficaciam illius ſanguinis propitiatorij & fœderalis, quo ſic à ſuis ſordibus mundatus veniret in arctiſſimum *fœdus* cum Deo, qui aliàs *purior eſt oculis quam ut aſpiciat malum* Hab: 1, 13. aut in ſocietatem fœderalem veniat cum peccatoribus in ſuo ſanguine jacentibus; ita etiam Chriſtus ſanguine illo ſuo precioſo, quem

effudit in ἱλασμὸν & λύτρον animarum nostrarum, (juxta illud Levit:xvii, 11. *Ego destinavi sanguinem vobis in altari ad expiationem faciendam pro animis vestris, nam sanguis is est qui pro anima expiationem facit*; unde axioma illud Paulinum Heb:iv,22. quod sine αἱματεκχυσίας *non fit remissio*, cui assurgere ipsos Thalmudistas ostendit ex tractatu *Ioma*, Petrus Galatinus *lib.* 8. *de Arcan. Verit. Cathol. cap.*20.) vult respergi conscientias nostras, ut vi illius suæ expiationis & satisfactionis pro nobis præstitæ, in arctissimam cum Deo unionem redeamus & bonorum fœdere gratiæ promissorum consortes evadamus. Eoque pertinent loca hîc citata ex 1 Pet:1,2. & Heb:xii,24. Etenim ad eam sanguinis aspersionem & electi sumus & vocati, ut per illam, *Sanctificationem spiritus*, ut loquitur Petrus, & veram ac plenam Redemptionem illius vi consequamur: Siquidem, ut Paulus habet, hic sanguis *potiora loquitur* quam sanguis Abelis; nam hic vindictam clamabat & poscebat à Deo Gen: iv, 10. iste verò, gratiam, misericordiam & remissionem peccatorum; ut plerique etiam Veterum, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, interpretantur.

Quia nimirum] Fallacia est à non causa ut causa: Nec enim id solum *atrocissimâ Christi morte effectum* est, ut *veritatem novæ pactionis compertissimam* habeamus, de qua Sanctitas & Miracula Christi ita neminem dubitare patiebantur, ut ad illa tantum superpondij vice mortem acerbissimam accessisse opus non fuerit; cùm frustra fiat per plura quod æquè benè & commodè fit per pauciora; Sed atrocissimâ hac morte effectum, ut recluderetur nobis aditus ad *commercium atque communionem* cum Deo, quâ per peccatum jure antea excludebamur Esa: lix, 2. interveniente scilicet sufficienti λύτρῳ & ἱλασμῷ pro illo ipso peccato, ne possit ampliùs nobis ad condemnationem imputari: Ita scilicet in sanguine Christi extincta est illa ignea rhomphæa peccatorum quâ arcebamur ab arbore vitæ. Id qui abrogant sanguini Christi cum Socinianis, ejus crucem evacuant, & profanum ducunt sanguinem illum fœderis, quo sanctificari debemus Heb: x, 29.

Duplici autem ratione hoc divinum fœdus per Christi sanguinis profusionem confirmatum est; quarum altera hujus loci propria est; altera partim huc spectat, partim ad illa pertinet, quæ posterioribus locis explicanda nobis sunt. Quæ porrò hujus loci propria est, ea rursus vel ad ipsum Christum, vel ad Deum respicit. Ac ad Christum quidem ipsum ita refertur, ut planè statuendum sit, eum, ut pote sanctissimum atque sapientissimum, nequaquam tanto mentis furore exagitatum fuisse, ut quod ipse falsum vanumque esse compertissimum haberet, id tantâ obstinatione animi, tantis laboribus atque cruciatibus propositis, truculentissimâ denique morte imminente, asseverare non dubitaret, istaque omnia subire, quàm sententiam mutare, & se Christum Dei filium, suamque adeo doctrinam divinam esse, negare mallet. Ad Deum verò ex ea parte rei istius ratio revocatur, quatenus Christus illius jussu atq; imperio tot tantaq; mala, tamq; horrendæ mortis acerbitatem passus est. Hoc enim pacto Deus summum incredibilemque suum in homines amorem testatum reliquit, nimirum, ut quem unicè charum habuit, quique eam ob caussam unigenitus ipsius filius appellatus est, ei minimè parceret, imò

imò salutis nostræ gratiâ morti ignominiosissimæ illum subjiceret. quæ quidem res multo videtur factu difficilior, quàm vitæ sempiternæ promissum exsoluere.

1 Duplici autem ratione] His λόγοις nihil opus: Propriè loquendo in eo sancitum fœdus gratiæ sanguine Christi, quod hujus virtute placata sit ira Divina, Deique justitiæ ita satisfactum pro nostris peccatis, ut de eorum remissione per fidem certi securique esse possimus, & consequenter ad illam fœlicitatem & vitam æternam tutò adspirare, eamq; certò præstolari.

Ac ad Christum] Supponitur quod est in quæstione, videlicet Christum non alio fine mortem oppetiisse quam ut doctrinę suæ fidem majorem conciliaret: Hoc respectu sanguis Christi non magis sanguis Novi fœderis esset dicendus quam sanguis Martyrum, quos sanctissimos atque sapientissimos, nemo sanus dixerit *tanto mentis furore* exagitatos fuisse, ut *asseverare* non dubitarent, quod verum certumque esse *compertissimum* non haberent, illudque summâ *obstinatione animi* affirmare, etiam *tantis laboribus atque cruciatibus propositis, truculentissimaque morte imminente; istaque omnia subire, quam sententiam mutare, suamq; adeo* religionem Christianam & *doctrinam* Euangelicam *divinam esse negare*, mallent.

Ad Deum verò] Sed Deus nunquam fuisset Filium suum unigenitum dilectissimumque illis cruciatibus subjecturus, nisi ita decuisset suæ satisfieri justitiæ, & illa peccata hominum perimi quæ ad effectus salutares beneficentiæ & benevolentiæ suæ viam ipsis intercludebant.

Hoc enim pacto] Fateor summam Dei φιλανθρωπίαν in eo apparuisse, quod Filio suo proprio nostræ Salutis conficiendæ gratiâ non pepercerit Rom: VIII, 32. Sed tamen illâ Christi traditione in mortem pro nobis, *salutis nostræ gratiâ* opus non fuisset, nisi hac illius acerbissimâ morte reatus noster fuisset auferendus, & satisfaciendum exactè Legi suæ.

Quique eam ob causam] Hoc est falsissimum: Non enim ideo Christus *unigenitus* dicitur quia *unicè charus* est Patri, sed è contrario unicè charus est quia est ejus Filius unigenitus, in quo ideo sibi complacuit. Nec potest Volkelius negare Christum & *filium* dici quia genitus est à Patre, & *unigenitum*, quia nemo præter ipsum ita genitus est, nempe ex substantia Patris: Unde etiam *proprius* Dei filius, idest filius non adoptione, vel arrogatione, sed generatione, dicitur Paulo Rom: VIII, 32.

Quæ quidem res] Nempe tantæ molis erat humanam redimere gentem, ut eum in finem Dei Filius carnem nostram assumere & in ea luere pœnam peccatis nostris debitam debuerit. Et cum *vitæ æternæ promissum* præsupponat plenam illam satisfactionem præstitam vel præstandam Justitiæ Divinæ pro peccatis nostris, non facilius fuit hoc exoluere, quam Dei Filium ideo subjici pœnæ & morti pro nobis: Qui vult & intendit finem, debet etiam necessariò velle media sine quibus obtineri non potest.

Illud enim perficiendo maximam, ut sic loquar, Deus sibi ipsi vim intulisse videtur, cum charissimum filium, nullius culpæ affinem, sed contrà sui observantissimum, tot malis, tot calamitatibus, tam truculentâ morte affici passus est; & tanquam instituti sui oblitus fuisset, quo jam olim omnes sui studiosos à malis ac calamitatibus tutos integrosque servare decreverat: sic filium suum, quamvis vitæ sanctimoniâ præcellentissimum, tot miseriis

nem , remiſſionem ſcilicet peccatorum, per ipſius ſanguinem indulſerit Eph: I, 7. ut nunc *propinqui* facti, per hunc ſanguinem, ipſique *per crucem* reconciliati, *peremptis inimicitiis per eam*, liberrimum habeamus *aditum* ad ipſum Eph: II, 13. 16. 18. & tanquam filios ejus ex hoſtibus & filiis iræ factos, nihil non impetraturos certò confidere poſſimus: Sanè illud Paulinum quo dicitur eum Filio ſuo non pepercisse, ſed eum pro nobis omnibus tradidiſſe, multo amplius ſonat quam quod volunt Sociniani: Nam quod ὑπὲρ ἡμῶν traditus eſt, ſignificat eum non tantum bono noſtro ſed etiam loco noſtro traditum fuiſſe, eique impoſitam caſtigationem pacis noſtræ Eſ: LIII, 5. eo magis quod dicitur Pater ei non pepercisse, id eſt ab illo exegiſſe pleniſſimam Satisfactionem pro nobis, & pœnam omnem debitam peccatis noſtris, ut quod non rapuerat rependere cogeretur Pſal: LIX, 5. Ita etiam in altero Pauli teſtimonio ex Rom: V, 6. 7. 8. agitur de vicaria morte Christi pro nobis nocentibus, impiis, inimicis, ut ſuo ſanguine nos juſtificaret ac Deo reconciliaret, (quæ ſanè multo quid amplius ſonant, quam meram obſignationem doctrinæ ſuæ, qualis eſt Martyrum gregariorum) quam nequidem quis pro juſto & innocente, imo ſuo benefactore, vix auſit appetere.

Quo loco ſimul & ipſius Christi incredibilis in nos charitas attentiſſimè conſideranda eſt. Nam & eadem planè amoris argumenta hoc illius facto continentur; & ut nihil, quod magis charum haberet, ſalutis noſtræ cauſâ impenderet, ita nec difficiliorem rem ſuſcipere potuit. Et hanc ipſam ob cauſam, ut pauló pòſt videbimus, cum multò major vis N. Fœdus confirmandi in Christi reſurrectione, quàm in morte, ſita ſit: ſola tamen mors creberrimè a divinis autoribus in materiæ iſtius tractatione commemoratur. Vult enim nobis ſpiritus divinus inexplicabilem Dei Chriſtique charitatem ſemper ante oculos obverſari, ad illiſque planè confidendum, inque amore, quoad ejus fieri poteſt, illis reſpondendum acriter incitare.

‡ *Et hanc ipſam ob cauſam*] Imò cùm ex hypotheſi adverſarij plus efficaciȩ fuerit ad N. *Fœdus* confirmandum in Reſurrectione Christi, quam in illius Morte, oportet aliquid amplius quam meram confirmationē veritatis Euangelicæ mortem Christi continuiſſe, quod m[illegible] multò crebriùs quam ejus r[illegible] *à divinis autoribus in materiæ* [illegible] *tione commemoretur.* Sed [illegible] expreſſi[illegible] V[illegible] berrimâ commemoratione, non ſolum nobis proponitur inexplicabilis Dei Chriſtique charitas, quo *acriter* incitemur *ad illis planè confidendum, inque amore, quoad ejus fieri, poteſt illis reſpondendum,* ſed panditur nobis ſolidum firmamentum noſtræ conſolationis & fiduciæ, ac fundamentum remiſſionis peccatorum *noſtrorum*, no[illegible] in Dei filios *adoptionis cer*[illegible] [illegible] uod *pleniſſimâ Christi ſatis*[illegible] [illegible] *morte loco noſtri præſtitâ*, [illegible] ur.

[illegible] *ædus confirmatum eſt, in* [illegible] *dendo, aditum ſibi ad tan*[illegible] *atis prȩſtantiam aperuit, ut* [illegible] *on ſolùm in ſua ipſius perſona* [illegible] *exprimeret;*

[illegible] 2

exprimeret; sed ipse etiam in nos conferre, & sic salutem nostram à se inchoatam perficere, atque ad exitum perducere posset. Quæ quidem confirmandæ novæ pactionis ratio tantam vim habet, ut prior illa, hac non subsequente, haud satis firma fuisset futura. Opus enim præterea erat, ut, quemadmodum Petrus loquitur, (*1 Petr: 1.21.*) Deus Christum ex mortuis excitaret, gloriaque donaret, ut nostra fides atque spes in Deo esset.

96. Quòd si Christus, postquam adeò infami morte fuit è vivis sublatus, non resurrexisset; tantum abesset, ut ad illum nos conferremus, & ejus doctrinam amplecteremur, ut etiam eum aversaremur; & porrò in sceleribus persistentes, nullam de resipiscendo cogitationem susciperemus. Et hanc quidem ob causam divinus ille autor asserit, (*Heb: 2.14.*) *Christum per mortem suam abolevisse eum, qui mortis habet imperium, nempe Diabolum, ut eos liberaret, qui mortis metu per omnem vitam servituti erant obnoxii.* Quod si mortuus quidem est Christus, ex mortuis verò minime resurrexit; nec diabolum vicit, ejusvè imperium mortiferum destruxit, nec suos metu mortis liberavit; sed contra potiùs, tum ipse à diabolo superatus, tum denique fidelium nationi major etiam mortis timor injectus est. Quæ cum falsissima sint, constat Christum morte suâ ita maxima ex parte divinam veritatem confirmasse, ut per eam summum fœlicitatis, potestatis, dignitatisque gradum assecutus fuerit.

‡ *Altera ratio qua*] Hæc omnia largimur, & distinctiùs explicamus; videlicet Resurrectione & Glorificatione Christi, I. Confirmatam fuisse veritatem prædictionum quæ de illo præcesserant, circa eventuras ipsi *perpessiones & gloriam illas consequuturam* 1 Pet:1,11. II. Confirmatam veritatem personæ suæ Divinæ, cùm impossibile fuerit eum detineri vinculis mortis Act:11,22. aut non postliminiò redire ad eam gloriam æternam apud Patrem Joh:XVII,5. quam ad tempus non tam deposuisse quam seposuisse videbatur *propter mortis perpessionem* pro nobis subeundam Heb: 11, 19. III. Confirmatam veritatem Doctrinæ quam ore suo sacratissimo proposuerat *corroborans fœdus multis* Dan: IX,27. cùm etiam inter cætera, se pro nobis moriturum & tertiâ die resurrecturum, non semel prædixisset Matt:XII,40. Joh:11,19. x,18. IV. Confirmatam veritatem Satisfactionis plenissimæ & sufficientissimæ propitiationis, morte & sanguine ipsius pro nobis præstitæ; si enim in morte permansisset, indicio fuisset litatum non fuisse, juxta illud Pauli 1 Cor:XV,17. *Quod si Christus non est suscitatus, inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris.* V. Confirmatam veritatem Sacerdotij sui, cùm post oblatum in cruce Sacrificium εὐωδίας, ingressus est in sacrarium cœleste, nec sine sanguine, ut jugiter Patri suo repræsentet vim hujus sui Sacrificij, *compareat apud faciem Dei pro nobis* Heb: IX, 24. & tanquam *præcursor pro nobis* Heb: VI, 20. nobis ibidem paret *locum* Joh: XIV, 3. VI. Confirmatam denique veritatem promissionum Divinarum, & fidem nostram in ipsum, ut qui donatus *omni potestate in cœlo & in terra* Matt: XXVIII, 18. possit bonum opus salutis nostræ ad exitum perducere, nosque tandem traducere ad illam gloriam cœlestem quam nobis suâ morte meritus est, & cujus habemus pignus indubitatæ fidei in hac ipsiusmet

met, scil. capitis nostri, resurrectione & glorificatione; Nos enim Deus, *cùm in offensis mortui essemus, unà vivificavit cum Christo, unàque suscitavit, unàque collocavit in cœlis in Christo Iesu* Eph: II, 5. 6. Sed interea tamen hæc non impediunt quin speciali modo N. Fœdus in Christi morte & sanguine sancitum fuerit, quatenus illius sanguinis effusione satisfecit pro nobis justitiæ divinæ & plenam remissionem peccatorum nobis promeritus & consequutus est.

Quæ quidem confirmandæ] Id modò audivimus ex Paulo I Cor: XV, 17. Non destruxisset Christus suâ morte & mortem & eum qui illius habet imperium, si seipsum ex illius vinculis non exsolvisset.

Et ejus doctrinam] Adde, *& ejus morti consideremus*, ceu Redemptoriæ & Satisfactoriæ pro peccatis nostris.

Et hanc ob causam] Abolevit autem eum *per mortem* ipsam, ut cum Goliæ caput David proprio ipsius gladio resecuit, gustando mortem pro omnibus Heb: II 9. seque in sontium locum substituendo, & *triumphatis* potestatibus & imperiis per crucem, *deletoque quod adversum nos erat rituum chirographo, nobis valdè contrario, illud cruci affixum è medio auferendo* Col: II, 14. 15.

Constat Christum morte] Ex his omnibus constat Christum finem quem intendebat in sua morte fuisse assequutum; adeoque plenam nos Satisfactionem ac consequenter Redemptionem in illa esse consequutos.

Hac etiam ratione, per crucis mortem à terra sese exaltatum, omnes ad se tracturum dicit, (*Ioh: 12. 32.*) id est, omnibus sibi confidendi tantam caussam daturum, ut mentis lumine spoliatum, aut à virtute prorsus aversum esse illum oporteat, qui ipsi fidem non adjungat. Quod certè solâ ipsius morte effici nequaquam potuisse, ipsa sanæ mentis ratio dictat. Hinc efficitur, Dominum argutè admodum & eleganter Exaltationis nomine eo in loco & mortem crucis, & simul veram illam cælestemque exaltationem significare voluisse. Hac eadem ratione Christo, serpentis illius modo, in crucem sublato fidem habentes, non peribimus, sed vitam æternam obtinebimus. (*Ioh: 3. 14, 15, 16.*) Quod fieri nequaquam posset, nisi hæc Christi erectio, & mortem illius, & simul eam, quæ mortem consecuta est, gloriam potentiamque complecteretur.

‡ *Hac etiam ratione*] Atqui hic locus de morte ipsa Christi agit ejusque efficacia ad nostram salutem, (cui ferè similis est is quo Christus ipse se confert cum serpente æneo in deserto exaltato Joh: III, 14.) non verò de Christi Exaltatione & Glorificatione aut Resurrectione ex mortuis: Nam Johanne ipso interprete Joh: XII, 32. 33. quod Dominus dixerat, *Ego si sublatus fuero è terra omnes traham ad meipsum*, significabat *quâ morte futurum erat ut moreretur*. Sublatus enim dicitur è terra, qui in Crucem agitur.

Quod certe solâ morte] Id quidem solâ morte Christi, si in ea mansisset, fieri nequivisset: Factum tamen est solâ eâ morte quâ mortẽ vicit & absorpsit in victoriam, cùm ejus vinculis detineri non posset.

Hinc efficitur] Christus non sensu simul physico & morali Exaltationis nomen hîc usurpavit, per eam argutiam quam illi tribuit Volkelius: nec licuit ei tam *argutè* disserere: Sed *exaltationem* intellexit merè physicam in cruce, ut Joh: III, 14. 15. 16. cujus virtuti, efficaciæ & merito, futura hominum salus & conver-

sio, jure adscribitur. Intelligitur quidem hîc ea mors in qua Christus erat de inferis & morte triumphaturus, & quam per consequens erat superaturus gloriosâ Resurrectione; sed inde nullis fidiculis Hæreticus conficiet hanc Christi erectionem, *& mortem illius & simul eam quæ mortem consecuta est gloriam potentiamque* complecti, idest revera eodem vocabulo Christum expressisse & infimum Exinanitionis, & supremum Exaltationis ac Glorificationis suæ gradum

Ex dictis autem intelligi potest duplex potissimùm ratio, quâ mors Christi remissionem peccatorum ac salutem nobis peperit: altera est, quòd Deus morte Christi, veluti pignore dato, ad illam nobis dandam sese obligârit: altera verò, quòd hac via Christus potestatem amplissimo hoc beneficio nos afficiendi fuerit consecutus. alia adhuc ratio infrà à nobis explicabitur.

‡ *Ex dictis autem*] Sed quod tertiam rationem in aliud tempus rejiciat Volkelius, fraude non caret. Quid enim hîc opus illâ dilatione, nisi ut eos imitetur milites qui suæ paucitatis conscij, ordines in longum extrahunt, ut terribiliores quam revera sunt appareant; Verum etiam neutra harum rationum sufficit. Non prior; Nam mors Christi, in se considerata, pignoris locum nequit habere ullius rei ad quam Deus *nobis dandam sese obligarit*; Quia Deus non se obstrinxit ad remissionem peccatorum & salutem nobis conferendam nisi ex hypothesi mortis Christi & propter illam. Absurdè verò id facies pignus obligationis jam factæ, quod faciendæ obligationis causa est & fundamentum. Non posterior: Nec enim Christus suâ morte consecutus fuisset potestatem nos de facto servandi, nisi hæc illius mors satisfactoria fuisset justitiæ divinæ & meritoria salutis æternæ. Accuratè enim loquendo, non sibi Christus suâ morte meritus est potestatem nos servandi; sed cùm nobis suâ morte salutem sit meritus, inde sequitur Divinam illam ejus potestatem servandi peccatores, citra remoram aut difficultatem posse nunc explicari.

Vnde porrò intelligi possunt alia quoque sacrarum literarum testimonia, quæ hunc mortis Christi effectum ac finem variis loquendi formulis explicant. Quæ quidem testimonia in tres classes distribui posse videntur. Prima eos locos continet, quibus Christus pro nobis, proque peccatis nostris, vel propter nos, peccata-vé nostra passus, mortuus, sive traditus fuisse dicitur, (*Rom: 5. 6. 8.*) Quæ omnes dicendi formæ propè eandem vim habent, nihil-
97. **que aliud significant, quàm Christum scelerum nostrorum caussâ afflictiones mortemque subiisse, ut nimirum tum de eorum condonatione nos certos efficeret, tum ejusdem nobis largiendæ amplissimam potestatem consequeretur.**

‡ *Unde porrò intelligi*] Hæc sanè quæ hîc subjiciuntur multo amplius dicunt, quam quod vellent adversarij. Largimur equidem, quod *omnes* illę *dicendi formæ, quibus Christus pro nobis proque peccatis nostris*, vel *propter nos peccata-ve nostra, passus, mortuus, sive traditus fuisse dicitur, prope eandem vim habent*. Sed earum non alium esse sensum quã dicit Volkelius, fortiter negamus: Primò enim pertendimus quod

quod hæ phrases mutuam sibi fœnerent lucem, ad explicandam vim propitiatoriam mortis Christi, ipsiusque in illa substitutionem loco nostro ad sustinendas pœnas peccatis nostris debitas. Cùm enim dicitur Christus mortuus *pro peccatis nostris*, & *propter peccata* nostra, non potest significari causa finalis mortis Christi; cùm peccata, finis, qui semper bonus est, nequeant habere rationem; sed solum ejus causa impulsiva atq; meritoria; juxta stylum Sacræ Scripturæ perpetuum, quo mori, vel duriùs quid perpeti pro peccatis aut propter peccata, denotat subire ac luere pœnam & τιμωρίαν peccati; vide Levit: XXVI, 18. 28. Deut: XVIII, 12. 2 Reg: XXIII, 26. & passim. Hinc dicitur Christus peccata nostra pertulisse 1 Pet: II, 24. Es: LIII, 5. 6. 7. 11. idest eorum pœnas sustinuisse, factus scilicet peccatum & maledictio pro nobis 2 Cor: V, 21. Gal: III, 13. 14. Nequit autem Christus hoc sensu passus fuisse pro peccatis nostris & propter ea, quin moriendo *pro nobis*, vices nostras sustinuerit, & hanc suam passionem adierit loco nostro; quod non sola particula ὑπὲρ, sed etiam ἀντὶ, quę cum oppositionem non significat, importat subrogationem, commutationem & substitutionem, palam comprobat: Id vel sensus communis ipse dictat, ut liquet ex isto Terentij, *Ego pro te nubam*, item *Ego molam pro te*; nec non ex hoc Catonis Disticographi, *Cum sis ipse nocens moritur cur victima pro te?* Deinde non potuit Christus *scelerum nostrorum causâ afflictiones, mortemque subiisse*, quin istæ afflictiones & calamitates ipsius fuerint pœnę scelerum nostrorum. Quùm enim quis patitur *scelerum causâ*, illa scelera sunt causæ impulsivæ ei qui illum calamitati & morti subjicit, ad illas afflictiones & calamitates ipsi imponendas. Nequivit autem Deus justissimus & sanctissimus impelli nostris sceleribus ad calamitates tam graves ipsius mortis ignominiosissimæ & acerbissimæ, Filio suo Charissimo imponendas, nisi ex illorum scelerum demerito & reatu: Qui verò ex reatu & merito scelerum alienorum plectitur, ille utiq; eorum pœnas luit & sustinet: juxta illud, *Et quicquid delirant Reges plectuntur Achivi.* Quare non potuit Christus *scelerum nostrorum causâ* affligi & mori, tantum ut *de eorum condonatione nos certos efficeret*, sed re vera ut eorum pœnas sustinendo & luendo, nobis eorum condonationem certissimam mereretur & obtineret. Rogo enim te, Volkeli, ad quod genus causæ referas scelera nostra respectu mortis Christi? Nequeunt statui causa finalis illius, ut forte velles, tùm quia causa finalis habet rationem boni alicujus obtinendi, quod de sceleribus & peccatis respectu Christi dici nequit; tùm quia tu ipse alium hic nobis assignas finem mortis Christi, nempe nostram certitudinem de scelerum nostrorum condonatione; Igitur necesse est ut causa meritoria illius statuantur. Adhæc, id non potest *fieri finaliter* propter peccata nostra, quod *finaliter* fit propter certitudinem nostram de peccatorum nostrorum remissione & ablatione. Nemo sanus dixerit morbum esse finem vel medicamenti, vel medici, etsi hic illud misceat & propinet sanitatis restituendę & morbi exterminandi gratiâ. Non agit Medicus nec miscet medicamenta propter morbum in ordine causæ finalis, sed è contrario propter morbi depulsionem & sanitatem ægri, si finis *cujus* spectetur, si finis *cui*, propter ægrum. Præterea id valdè abhorret à ratione & sensu communi si dicatur Christus mortuus pro peccatis nostris, propter peccata nostra, scelerum nostrorum causâ, non simpliciter & directè ut condonationem eorum nobis obtineret & conficeret, sed tantum ut nos certos efficeret de condonatione eorum. Pari enim ratione quis dicat vel sacram Cœnam esse institutam pro peccatis nostris, propter peccata nostra, scelerum nostrorum causâ, vel Pastores concionari pro peccatis,

propter

propter peccata, & scelerum causâ, quia sacra Cœna est instituta ad nos reddendos certos de remissione peccatorum nostrorum in sanguine Christi, & Pastores annunciant Euangelium ad eandem certitudinem nobis initiandam. Non video id *finaliter* fieri pro aliquo malo, vel propter illud, quod fit propter certitudinem & fiduciam ingenerandam mentibus nostris de illius mali cessatione & ablatione. Itaque certitudo nostra de peccatorum nostrorum condonatione, non aliter ex morte Christi efflorescit, quam consequenter; quatenus is suâ morte pro peccatis nostris nobis eam remissionem illorum obtinuit, pœnas eorundem sustinendo, ut illius certissimam fiduciam nunc concipere queamus, juxta dictum Pauli Eph: 1, 7. quod in illo habeamus *redemptionem per sanguinem* ipsius, *remissionem nempe peccatorum ex divite ipsius gratia.* Quod addit Volkelius etiam scelerum nostrorum causâ passum dici Christum, quod afflictiones mortemque subierit, ut remissionis peccatorum *nobis largiendæ amplissimam potestatem consequeretur*, est longè absurdius: Nam primo id non fit *finaliter* causâ alicujus mali, quod fit *finaliter* ut obtineatur alicui vis & facultas mali illius averruncandi & removendi. Secundò si ad nos certiorandos de peccatorum nostrorum condonatione, Christus mortuus est, utique condonatio peccatorum in signo rationis prior est morte Christi: Id enim de quo per aliquid certiores reddimur, ordine naturæ & rationis prius est ipsius certioratione & sigillo. At vero si duntaxat Christus suâ morte consequutus est potestatem nobis largiendę remissionis peccatorum, necesse est illam eorum condonationē hac ejus morte posteriorem esse & ratione & naturâ, quia omnis effectus est posterior suâ causâ, omnis actus posterior suâ facultate ex qua elicitur. Si ullus Volkelij hyperaspistes hæc ἀσύστατα & ἀσύγκλωστα componere queat, erit mihi magnus Apollo & vitulam solus habebit. Tertiò si Christus potestatem remittendi peccata suâ morte est consequutus, eam igitur non habuit priusquam moreretur. At contrarium hujus liquet luce meridianâ clarius ex Euangelica historia Matt: 9, 5. 6. Ibi enim hanc divinam potestatem, sibi ceu Deo supremo convenientem, (etsi exercendam vi & efficaciâ mortis suę adhuc futuræ, prout ex eadem efficacia pependit omnis peccatorum remissio sub V. T.) non solùm sibi vindicabat adhuc agens in carne, sed etiam præsentissimo & potentissimo miraculo, Divinæ itidem suæ potentiæ irretragabili argumento, comprobabat & obsignabat.

Altera classis ea habet testimonia, quibus nos redemptionem habere in Christi sanguine, seu per mortem ipsius cruentam, vel Christum seipsum, sive animam suam, redemtionis pretium pro nobis dedisse docemur. (*Ephes: 1.7. Col:1.14. Matt:20.28. 1 Tim:2.6.*) quos quidem loquendi modos metaphoricos planè esse inde patet, quòd nullus ostendi potest, cui pretium persolutum fuerit, ut quidem in propria redemtione fieri necesse est. Neque enim Deus, ut vulgò creditur, pretium id accepit: cum ipsemet redemtionem nobis, ut sacræ literæ testantur, (*Luc:1 68. Ioh:3.16. Rom:8.32*) fecerit, & filium suum pro nobis impenderit. Quod si quis proprietatem vocabuli nimium urgere velit; is non animadvertit, quòd ipse Deus & Moses populum Israëliticum redemisse dicantur, (*Exod:15.13. Deut:7.8. Act:7.35.*) quamvis nemini ullum pretium pro illo persolverint.

Altera Classis] Verùm hæc Classis, multo amplius tribuit Christi morti & sanguini, quam merum testimonium & martyrium de Veritate Euangelij: Ex his enim & similibus locis, & Christi substitutio in locum nostrum, & plenissima pro nobis Satisfactio abundè comprobatur.

Quos quidem loquendi] Nempe eò redeunt isti homines ut malint in Christo metaphoricū Redemptorem habere quam proprium; cùm tamen redemptionem propriè dictā a pœna commerita evidenter comprobent testimonia hîc citata adversario, quibus & plura alia addi possunt ex Rom: III,24. I Cor: VI,20. Gal: III, 13. Heb: IX,15. I Pet: I,18.19. Apoc: V,9. Nec potest non esse propriè dicta redemptio, quæ persoluto λύτρῳ ac pretio facta dicitur, & cujus pretium & λύτρον ipsius Christi animam mortem & sanguinem fuisse asseritur.

Quod nullus ostendi] Sed ad Redemptionem propriam, non requiritur semper aliquem dari qui λύτρον acceperit, sive cui pretium persolutum fuerit: Nam λύτρον à λύω, idest, soluo, libero, dicitur, ac propriè notat, vel rem vel factum, quo intercedente quis liberatur ab ullo periculo vel incommodo: Sanè Maro redemptionem propriè dictam intelligebat cùm dixit, *Si fratrem Pollux alternâ morte redemit*: Mors tamen illa Pollucis alterna, quâ Castor frater illius à perpetuo interitu liberatur, tale est λύτρον & pretium redemptionis, de quo cui detur & persolvatur assignari non potest. Deinde λύτρον quod expenditur, ut hîc, ad liberationem è pœna debita, per ipsius pœnæ translationem, nemini propriè loquendo datur vel persoluitur: Nam persolutio propriè dicta pretij, est pretii quod in re non in facto pœna-ve consistit: Tum etiam in persolutione propriè dicta, fit quoad rem quæ habet rationem pretij, translatio dominij, per quam auctior & locupletior fit is cui persoluitur; At vero λύτρον quod pro nobis expendit Christus, non in re sed in facto consistit, cujus dominium non potuit transferri in alium: Et præterea pœnæ debitum quod isto λύτρῳ venit extinguendum, judicem, cujus est illud exigere, non propriè constituit creditorem; quod in eo non spectetur utilitas punientis, qui ex sontium coercitione non fit locupletior, sed bonum commune & ordo rerum: Uterque enim est hic debitor; & reus qui peccavit, nam debet ille pœnam; & judex cujus est plectere, nam ex officio punire sontes debet & tenetur. Zaleuci oculus, λύτρον & pretium fuit oculi filij, etsi judicari nequeat cui persolutum fuerit; Et in decimatione qui puniuntur λύτρον fiunt totius Legionis; Latini quoque veteres, quorum ferè tota lingua ex Græca transsumpta erat, λύτρον *Lustrum* appellarunt, & λυτροῦν *Lustrare* dixerunt: Lustrare igitur Urbem, est eam à pœna liberare per lustrum, hoc est per pœnam succedaneam, quod & *piaculum* dicitur: Sic Decij lustrasse Romanum exercitum, se devovendo, credebantur; idest suâ pœnâ & morte cladem omnem ab illo averruncasse: Et Luctatius, aut quisquis est Scholiastes vetus ad Papinium, *Lustrare*, inquit, *civitatem humanâ hostiâ Gallicus mos est.* In ejusmodi autem lustrationibus, qui λύτρον acciperet, cuique propriè persolueretur, dici nequit, sed tantum quod ejus præstatione civitas præstabatur immunis à pœna ei aliàs debita, vel infligenda, vel metuenda, Numine placato; prout etiam λύτρον quod pendit Christus pro nobis, ἱλασμὸς sive placamentum appellatur.

Neque enim Deus] Jam ostensum nequidem esse necessarium, ut omne λύτρον alicui persolvatur propriè, imò nec propriè persolvi illud quod pœnæ debitæ translationem ac substitutionem continet, cum quis, ut Christus pro nobis, fit ἀντίλυτρον aliorum vice, eorum pœnas luen-

do & sustinendo. Sed nihil est difficultatis si dixerimus revera ipsi Deo fuisse persolutum & persoluendum, eodem sensu quo sons qui debet pœnas Magistratui, eas dare & exsoluere censetur. Persolutum ipsi fuisse hoc λύτρον inde constat, quòd Christus se ipsum Deo obtulerit in oblationem & victimam pro peccatis nostris Eph: v, 2. Heb: ix, 14. Illi quoque debitum & exsoluendum fuisse vel inde liquet, quòd Deus erat placandus per ἀντίλυτρον, in quo noster Redemptor, noster quoque ἀντίψυχος fieret.

Cùm ipse-met Redemptionem] Hæc nullo modo pugnant, ut dicatur Deus & *pretium* exegisse & tamen ipsemet *Redemptionem nobis, ut sacræ literæ testantur, fecisse & filium suum pro nobis impendisse*: Ad justitiam enim ejus pertinuit quod exegerit pretium & pœnas peccatis nostris debitas; ad φιλανθρωπίαν vero, quod cum solvendo non essemus, λύτρον ipse pro nobis in suo Filio liberaliter subministrare voluerit: ut si quis Rex in Rei alicujus gratiam ex suo dependat id omne quod alter Fisco deberet, quo ab una parte Leges Regni & Fisci maneant inviolatæ, & ab altera Clementiam suam in Reum, quem vult liberatum, exerceat. Ita Zaleucus Locrensium Legislator, cujus modò memini, de suo dedit partem pretij à suo filio exsolvendi ob violatam suam legē in adulteros latam: Cùm enim filius ob crimen adulterij utroque oculo mulctandus fuisset, pater ipse dimidium mulctæ debitæ ipsi quodam modo largitus est, dum unum duntaxat ipsi oculum erui curavit, alterum sibi. Et sanè loca hîc à Volkelio citata nullo modo ipsi prosunt; Luc: 1, 68. dicitur Deus invisisse & *redemisse populum suum*; Sed quomodo? *Erigendo* scilicet *cornu salutis nobis in domo Davidis pueri sui*; idest Filium suum constituendo in Servatorem nostrum, qui pœnas nobis debitas lueret & expiaret. Joh: III, 16. & Rom: VIII, 32. dicitur Deus ita *dedisse* suum Filium, ut ipsi non *pepercerit*, adeoq; ipsum fecerit nostrum ἀντίλυτρον, in eum translatis pœnis quas aliâs ipsi pendere tenebamur.

Quod si quis] Ut urgeatur proprietas vocabuli omninò necesse est, cùm non dicatur simpliciter ἀπολύτρωσις, sed λύτρῳ interveniente facta statuatur, & quodnam sit illud λύτρον satis disertè exprimatur. Nec valet χρησιμεύγετον à redemptione populi Israelitici per Deum & Mosem: Nam 1. Liberatio Israelis ex Ægypto fuit externa, extrajudicialis & corporea, facta ex Tyrannorum manu, & quæ nonnisi metaphoricè Redemptio dicitur, quod certissimas vindicias secundum libertatem inferat; Liberatio per Christum est spiritualis & judiciaria ac propriè dicta. 2. In illa nulla pœna Liberatoris intercessit, quę pro λύτρῳ veniret, ut in ista; Imò nunquam illa, ut hæc sępissimè, dicitur per λύτρον vel ἀντίλυτρον facta. 3. Illa adscribitur Potentię Divinę, cujus administer fuit Moses; Hæc verò etiam Justitiæ Dei tribuitur quandoque, ut Rom: III, 25. 1 Joh: 1, 9. cui per Christum, non ministerialem sed principalem λυτρωτὴν, satisfieri debuit. 4. Nec etiam illa processit absque omni respectu ad λύτρον præstandum suo tempore per Christum & in agno Paschali adumbratum, 1 Cor: v, 7. 5. Quamvis λυτρωτὴς dicatur Moses Act: VII, 35. nunquam tamen dicitur vel λύτρον dedisse, vel seipsum in λύτρον & ἀντίλυτρον pro populo obtulisse, ut de Christo sæpiùs.

Hujus porrò dicendi figuræ ea vis est, ut quemadmodum in veræ proprięque redemtionis negotio, simul ac verbi caussâ pro eo, qui vinctus astrictusque est, pretium persolvitur, is è vinculis emittitur: ita teterrimam Christi mortem

mortem nostra à peccati servitute consecuta sit vindicatio. Peccati autem nomine hoc loco non ipsam sceleris impuritatem, sed peccati supplicium intelligimus: quod qua ratione Christi morte sublatum fuerit, paulò antè ostendimus.

‡ *Hujus porro dicendi*] Supponit quod falsũ esse demonstravimus, videlicet hanc Redemptionẽ metaphoricam statui oportere, non propriam: Itaque hæc loquutio non spectat tantum consequentiam pretij & λύτρυ, sed ipsum ejus proprium & realem effectum: Quod sicut solvitur vinculis & in libertatem asseritur, qui *vinctus astrictusque* rapiebatur ad supplicium, si victima succedanea occurrat in quam pœna transferatur; ut quadantenus factum in Sacrificio Isaaci, & fictum à Poetis in Iphigeniæ λύτρωσει, cujus ἀντίλυτρον fuisse dicitur sive cerva sive juvenca, ejus loco derepentè substituta; quod Ovidius *Metaph.* 12. sic expressit,

Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris, (inter
Victa Dea est; nubemq; oculis objecit & Officium turbamque sacri, vocesque precantum,
Supposità fertur mutasse Mycenida cervâ:

Ita substituto in locum nostrum Christo, pœnâ que, nos aliàs certissimè manente, in eum derivatâ, à peccati servitute, per quam eramus servi pœnæ, vindicati & liberati sumus; eò magis quod illâ pœnâ nobis debitâ & infligendâ juxta Legem, defuncti censeamur in nostro Sponsore; eò quod *si unus pro omnibus mortuus sit, omnes fuisse mortuos* statui oporteat 2 Cor v, 15.

Peccati autem nomine] Hoc magis adstringit quod volumus; nos videlicet liberatos à supplicio & pœna peccati, supplicio & pœnâ Christi, qui in eo animam suam dedit ἀντίλυτρον pro nobis; Itaque ideo peccati *supplicium* est *Christi morte sublatum*, quod illud subierit loco nostro, & præparatum debitumque nobis amarissimum iræ Divinæ calicem, solus ebiberit. Et sanè cum id tam ultrò & per se fluat ex Scripturæ dictis, nec alia solidior ratio reddi queat cur Deus suum unigenitum Filium ignominiosissimæ simul & acerbissimæ morti subjecerit, aut cur Christus ipse cum tantis anxietatibus, pavoribus & horroribus in morte luctatus fuerit, siquidem Martyres, tormenta externa graviora sustinentes, ea tamen psallentes & renidenti vultu expectarint & exceperint, non erat quod Sociniani à recepta inter Catholicos omnes doctrina tam proterviter discederent, crucem Christi evacuando, & primarium nostrum ex illa solamen evertendo.

Tertia classis eos locos complectitur, qui tum Christi oblationis, tum ejusdem effectuum mentionem faciunt. quos quidem non eâ ratione huc adducendos existimavimus, quâ totius Christi sacrificii explicationem continent: cùm hęc aliò pertineat: sed quatenus, ut antiquæ illæ oblationes sine pecudum jugulatione perfici non poterant: ita & Christi sacrificium, & quicquid ex illo in nos profectum est utilitatis, ab ipsius cruenta morte principium ita duxit, ut absque hac illud constare minimè potuerit; hac verò interveniente, ex Dei decreto fuerit consecutum.

‡ *Tertia classis eos*] At vero hi loci optimo jure cum superioribus connecterentur, eò quod Redemptionem nostram sua morte Christus confecerit, seipsũ in sacrificium

tiatorij pro nobis in cruento mortis suæ Sacrificio oblati & effusi, vim & efficaciam jugiter repræsentaret Patri, ejusq; applicationem suâ Intercessione jugi nobis impetraret: Itaq; ingressus Christi in Tabernaculum cœleste, eatenus nos *de scelerum nostrorum condonatione securos* reddit, quod in illius morte & sanguine, quo cum Sanctuarium cœleste subiit, suavem odorem placamenti, multo magis quam in oblatione Noæ Gen: VIII, 21. Deus sit odoratus, adeoque revera sese offerendo in morte pro nobis, litarit & perlitarit. IV. Potestas Christi nobis remittendi nostra peccata, non fundatur in illo ejus ejus ingressu in Tabernaculum cœleste, cùm eam potestatem etiam in terris exercuisset optimo jure Matt: IX, 2. Sed consequenter ad illum ingressum ab ipso exercetur, vi Satisfactionis præstitæ & oblationis factæ in sua morte pro nobis; siquidem hæc omnis gratia ab ejus sanguine & morte venit derivanda, Ephes: I, 7. I Joh: I, 7.

Effectus porrò Christi oblationis sunt, peccata portare, purgare, atque expiare. Quorum omnium una eademque ratio est. Primò enim peccata portare in præsenti disputatione, ab hominibus illa auferre significat, ut autor est Matthæus Evangelista, qui verbi istius ab Esaia usurpati hanc vim esse luculentissimè testificatur, vaticinationem illam tunc exitu completam fuisse asserens, cùm Christus multa morborum genera sanaret ac tolleret, & sic eos à laborantibus depelleret. (*Esa: 53. 4. Matth: 8. 17.*) Eodem sensu & ipse Deus peccatum iniquitatemque portare Hebraico sermone dicitur, (*Exod: 34. 7. Num: 14. 18.*) id est, peccati pœnam tollere. Etenim in his & non paucis aliis Scripturæ testimoniis, peccatum peccati supplicium designat: Idem de purgatione expiationeque peccatorum nostrorum statuendum est, de quibus suo loco diligentiùs explicabimus.

Effectus porrò Christi] Fallit & fallitur Volkelius, formalem rationem *oblationis* Christi cum ejus effectibus confundendo: Fateor ad illius effectus pertinere purgationem & expiationem peccatorum nostrorum: Nam peccatorum purgatio sive καθαρισμὸς Heb: IX, 14. 22. 23. nihil aliud est quam reatus remotio, sive à pœna, cæteroquin debita, indemnitas & liberatio, ut nulla sit amplius condemnatio iis qui illam sunt consequuti Rom: VIII, I. Quoniam autem illam purgationem peccati, sive pœnæ indemnitatem, nobis præstat sanguis Christi, qui eam fecit per semetipsum Heb: I, 3. prout in ipsius Sacrificio & oblatione fuit ejus sanguis fusus pro nobis, appellatur quoq; eadem purificatio, peccatorum expiatio, quatenus Christus ἱλασμὸς noster factus, nostrum reatum abstulit, pœnas nobis debitas subeundo, ut victimæ piaculares, vice peccatorum ipsorum substitutæ, eos expiabant & à mortis pœna liberabant Levit: V, 5. 13. X, 23. 26. Quare passim hæc duo conjunguntur Expiatio & Remissio, Num: XV, 28. Levit: IV, 20. V, 13. 18. 26. Sed τὸ *peccata portare* pertinet ad formalem rationem ipsius oblationis, quoniam peccata portare est eorum pœnam sustinere & luere; ut faciebat victima piacularis in Rei locum substituta Levit: X, 17. Hinc dicitur Christus, non solùm agnus Dei qui tollit peccata mundi Joh: I, 29. ut pecus mactata sustinebat reatum peccatoris, & mortem ejus vice oppetebat, sed etiam nostra peccata tulisse in corpore suo super lignum I Pet: II, 24. allusione factâ ad victimas, quæ in aram, ceu

locum editiorem, attollebantur Heb: VII,27. Nec sanè ex usu continuo Scripturæ *ferre peccatum* aliud notat quam illius pœnam sustinere, Levit: v, 1. xx, 17. Gal: v, 10. Quod victimis tribuebatur, Levit: x, 17. quia sanguis earum erat pro anima humana Levit: XVII, 11. Itaque falsissimum est quod nugatur Volkelius, nempe quod *peccata portare* nihil aliud sonet quam *ab hominibus illa auferre*; cùm è contrario non aliter auferat peccata aliorum qui ea portat, quam eorum pœnas sustinendo, & ita primario debitori indemnitatem & immunitatem à pœna præstando. Eo sensu Esaias LIII, 11. de Christo dicit quod *cognitione sui* multos *justificabit*, & *iniquitates eorum ipse bajulabit*; Quomodo verò? Sese *exponendo sacrificium pro reatu* com: 10. *in mortem seipsum profundendo* com. 12. *castigationem pacis nostræ sustinendo* com. 5. idest revera, quod præstabant secundum quid victimæ Legales, luendo pœnas nobis debitas, & reatum nostrum in se transferendo. Utitur autem Esaias duplici verbo, nempe נשא *Nasa* & סבל *Saval*, quorum prius quidem quandoque significat *auferre* cùm de peccatis dicitur, posterius nunquam: Hoc enim semper significat onus in se recipere, sustinere, bajulare, Gen: XLIX, 15. Es: XLVI, 4. Thren: v, 7. Quia vero ad Matthæi VIII, 17. authoritatem videtur provocare adversarius, sciendum est 1. Christum ut sanaret morbos nullum defugisse onus & laborem, adeo ut semet defatigans sæpè ad vesperam usque non sine insigni sui molestia aliorum morbis sanandis vacaverit: in quo typum & imaginem aliquam sustinuit molestiarum & oneris quod esset in cruce suscepturus ad homines liberandos à suis peccatis. 2. Morbos quos Christus sanabat fructus fuisse peccatorum, per quæ homines & morbis & morti sunt obnoxij; adeoque Christum in auferendis & removendis morbis suâ virtute, testatum fecisse quod sibi conveniret propriè illud vaticinium Esaiæ LIII: 4. quo dicitur languores nostros laturus & dolores nostros portaturus, idest pœnas peccatis debitas in se translaturus; eo quod illius solius sit auferre & removere fructus & sequelas peccati in nobis, nempe morbos, qui eorum causam, videlicet peccatum, removerit, reatum illius sustinendo & in se derivando. Et quam non voluerit Esaias meram hîc ablationem ab aliis, sed ipsammet bajulationem indicare, non solum liquet ex Petro 1. II, 24. ubi dicitur Christus peccata nostra pertulisse *in corpore suo*, sed etiam ex ipso-met Esaia, qui eum sub illo onere existimari *percussum*, *vulneratum & à Deo humiliatum*, conceptis verbis profitetur. Quod si illa morborum sanatio per Christum apud Matthæum, totum hoc Esaiæ vaticinium exhauriret, nemo fidelium qui miraculosæ ejusmodi sanationis consors non fuerit, posset dicere cum Esaia, *Sanè languores nostros ipse tulit, & dolores ipse portavit*; nec illam bajulationem languorum nostrorum in eo Propheta jure constitueret quod *ipse vulneratus sit propter iniquitates nostras, attritus propter peccata nostra*, & quod *castigatio pacis nostræ sit super eum & livore ejus sanati sumus* com. 5. & quod *Iehova traduxerit in eum nostras omnium iniquitates* com. 6. & quod ideo *mulctatus sit & afflictus & quasi pecus ad mactationē deductus* com. 7. Non est ergo quod urgeat Volkelius verba Matthæi, Christum sanasse omnes malè habentes, *ut impleretur quod dictum est per Esaiam*, siquidem metonymicè debet sumi illud *impleretur*, pro eo quod est ut significaretur id ipsum impletum iri; quia sanatio morborum corporalium per Christum, erat veluti signum & symbolum sanationis morborum spiritualium, quam nobis erat procuraturus suâ cruce; Unde etiam non rarò remissionem peccatorum cum illa morborum depulsione conjungebat Matt: IX, 2. Id viderunt quoque veteres: Rupertus enim *lib. 7. in Matt.* sic loquitur; *Suum*

opus

opus quod est ægrotationes animarum portare sive sanare, ab ægrotationibus corporum cœpit operari, ut prius ab illis dum visibiliter curaret, medicus verus innotesceret, & tunc demum ad curandas ægrotationes animarum perveniret.

Eodem sensu & ipse] At locis hîc citatis non est vox סבל *Saval, sed* נשא *Nasa*; Adeoque agnosco Deum ceu Rectorem misericordem auferre peccatum illud condonando & remittendo, sed id non impedit quominus Christus ferat & bajulet peccatum ejus pœnam luendo & sustinendo. Nullus est etiam interpretum qui verbum *portandi* vel *bajulandi* his locis usurparit. Vulgatus interpres utrobiq; habet, *Qui aufers*, vel *auferens*, *iniquitatem*, *scelera atque peccata;* Tigurina, Junius, Castalio, *Condonans iniquitatem & transgressionem*, vel *delicta*; Et nemo nescit quod aliter Deus auferat peccatum illud condonando, aliter Christus illud ferat & bajulet pro illo moriendo.

Etenim in his &] Optimè: Nam quia *peccatum peccati supplicium designat*, non potuit Christus peccatum nostrum bajulasse, quin peccato debitum supplicium sustineret, factus ipsemet *peccatum pro nobis*, idest victima piacularis pro peccato nostro, ut essemus justitia Dei in ipso, 2 Cor:v,21.

Idem de purgatione] Quo sensu verò Christo morienti, patienti, sanguinem suum pro nobis effundenti, tribuatur purgatio & expiatio peccatorum nostrorum, & suprà insinuavimus, & *suo loco* diligentiùs explicabitur.

Hæc omnia de Christi tum perpessionibus, tum ipsa morte, ex ea parte potissimùm à nobis disputata sunt, quatenus ad novi fœderis confirmationem pertinent. Verùm cum ex eadem Christi morte, quâ Novum fœdus confirmatum fuit, tres alii fructus existant; non alienum fuerit hoc loco eos perpendere. Primò enim, cum eâ lege conditioneque vita æterna nobis promissa sit, ut abjectâ scelerum impuritate justiciæ studeamus; consequens certè est, Ghristum afflictionibus morteque suâ ita etiam peccata nostra sustulisse, purgasse, expiasse, nos ab iis redemisse, adeòque pro nobis peccatisque nostris, vel propter nos sceleraque nostra, passum mortuumque fuisse, ut nos ab illis abstraheret, sanctitatisque studio inflammaret. Cujus quidem rei apud sacros autores plurima extant testimonia, quibus comprobatur, nos Christi morte ex præsenti seculo malo ereptos, (*Gal: 1.4.*) ab omni iniquitate, (*Tit:3.14.*) à vana patrum conversatione redemtos, (*1 Pet: 1.18.*) & Deo reconciliatos esse, (*Rom: 5.10.*) itemque eum in finem Christum esse mortuum, ut non ampliùs nobis ipsis vivamus, sed ei, qui pro nobis motuus est & resurrexit, (*2 Cor:5.15*) ut peccatis mortui justiciæ vivamus; (*1 Petr: 2.24.* ut ad Deum adducamur; (*1 Pet: 3.18.*) sanguinem ejus purgare conscientiam nostram à mortuis operibus, ab serviendum Deo viventi, (*Hebr: 9.14.*) & alia his similia.

‡ *Hæc omnia de Christi*] Atqui hæc omnia latiùs patere quam volunt Sociniani, satis jam demonstravimus.

Tres alij fructus] De illis ergo ordine dicendum.

Primò enim, cum eâ] At non eâ solum lege,

lege, sed etiam ut verâ fiduciâ in Christi Merito & Satisfactione acquiescamus, Joh: XIV, 1. 2.

Consequens certò est] Agnosco studium pietatis & novæ vitæ, consequens necessarium esse remissionis peccatorum quæ est in Christo: nec enim debet sumi peccatorum remissio pro permissione & licentia peccandi, ut evadamus pejores eo quod Deus erga nos bonus est: Adeoque verum est Christum in sua morte respexisse non solum peccata commissa ut eorum remissionem nobis impetraret suo sanguine, sed etiam ea quæ aliàs committi possent, ut Spiritus sui sanctificantis gratiâ, cujus communicationem eadem suâ passione nobis est meritus, ea præveniret; Et huc faciunt nonnulla testimoniorum ab Adversario hic citatorum, quibus largimur doceri etiam *eum in finem Christum esse mortuum, ut non amplius nobis ipsis vivamus, sed ei qui pro nobis mortuus est & resurrexit* 2 Cor: V, 15. *ut peccatis mortui justitiæ vivamus* 1 Pet: II, 24. *ut ad Deum adducamur* 1 Pet: III, 18. *ac sanguinem ejus purgare conscientiam nostram à mortuis operibus ad serviendum Deo viventi* Heb: IX, 14. Sed primò non sequitur, Mors Christi etiam ad præcavenda peccata quæ possent aliàs committi extenditur, ergo peccatorum commissorũ illa non fuit Satisfactio & expiatio propriè dicta: Aliter enim respicit peccata commissa, ut remissionem eorum nobis impetret; aliter ea quæ possent committi, ut ab illis abstrahamur. Illorum remissio debetur morti & sanguini Christi, ceu sacrificio propitiatorio, in quo pœnas luit ipsis debitas: Horum verò præcautio & averruncatio eidem morti & sanguini debetur ceu sacrificio impetratorio, quo nobis Regenerationis gratiam & Sanctificationis spiritum obtinuit: Hæc duo cùm subordinata sint, nec pugnant inter se, nec se mutuo evertunt; Ad priora mors Christi est remedium therapeuticum; ad posteriora nonnisi prophylacticum. Deinde non sequitur eo quod ad præcavenda peccata quæ aliàs committi possent mors Christi etiam inserviat, non solum ad ea inducenda & removenda quæ commissa actu fuerint, ergo illas phrases Scripturæ, quibus dicitur Christus morte suâ *peccata nostra sustulisse, purgasse, expiasse, nos ab iis redemisse, adeoque pro nobis peccatisque nostris, vel propter nos sceleraque nostra, passum mortuumque fuisse*, vel æquè respicere peccata quæ committi possent, ac illa quæ actu fuerint commissa, vel etiam ad hæc vi suâ citra alium respectum extendi debere. Nam 1. auferuntur, purgantur, expiantur, sola peccata quæ actu sint, non illa quæ possent committi: 2. *Ipse* Volkelius supra dicebat quod *in his & non paucis aliis Scripturæ testimoniis peccatum peccati supplicium designet.* Cùm ergo dicitur Christus sustulisse peccata nostra, ea purgasse, expiasse, pro illis mortuus esse, nos ab illis redemisse &c. designatur ablatio reatus & pœnæ peccatis nostris debitæ: At cùm dicitur Christus pro nobis mortuus *ut nos à peccatis abstraheret, sanctitatisque studio inflammaret*, ibi non intelligitur reatus & pœna cujus obligatio nulla est ubi non est peccatum; sed ipsa culpa & macula per sanctificationem evitanda. 3. Præterea quod nullus est locus Sacræ Scripturæ, qui habeat iisdem verbis assertum Volkelij, Christum peccatis mortuum *ut nos ab illis abstraheret*, omnia testimonia quæ hîc citat, ita Sanctificationis studium per declinationem peccati, subordinant remissioni peccatorum commissorum quam in morte Christi & per illam consequimur, ut illud evidenter ab hac distinguant ceu illius consequens & fructum: quamvis nec eò faciant omnia loca qua congerit adversarius; Sic Gal: 1, 4. dicitur Christus *semetipsum dedisse pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex præsenti sæculo malo:* quibus verbis posterius habet ad prius rationem finis, tantum abest ut in illa exem-

ptione

ptione consistat formaliter. ipsa Christi suipsius traditio pro peccatis nostris: Hæc enim spectavit peccata commissa, ut eorum remissionem nobis impetraret justificationis beneficio; Illa vero spectat consequenter preventionem peccatorum quæ committi possent, per gratiam sanctificationis: ne dicam quod illa *exemptio ex præsenti sæculo malo* æquè commodè potiet intelligi, de pœnis & miseriis quæ incumbunt præsenti huic sæculo malo, ex quibus eximimur remissione peccatorum nostrorum, ac de præcavendis vitiis & culpis, quibus ab hominibus hujus pravi sæculi indulgetur. Sic Tit: II, 14. duo fines proponuntur mortis Christi pro nobis, alter therapeuticus, *ut redimeret nos ab omni iniquitate*, idest nos ab omni supplicio peccatis nostris debito liberaret; alter prophylacticus, *& purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.* Sic 1 Pet: I, 18. 19. dicimur pretioso sanguine Christi redempti *ex vana nostra conversatione, à patribus tradita*, non sanè quod dicamur redempti ex peccatis quæ non fuerint actu commissa, sed quod Christus nos redemerit ab iis peccatis & inquinationibus mundi, quibus antequam ad ipsum evocaremur, juxta vanam πατροπαράδοσιν, omninò studebamus. Equidem hanc redemptionem ex priori vana conversatione, melior & honestior conversatio sequitur sub ductu gratiæ, sed non ideo debet fructus cum sua radice, vel consequens cum suo antecedente confundi. Sic Rom: V, 10. dicimur *reconciliati Deo per mortem Filij ejus, & multo magis reconciliati*, servandi *per vitam ipsius*; sed in eo nihil est quod in speciem faveat menti adversariorum. Sic 2 Cor: V, 15. dicitur Christus *pro omnibus mortuus, ut qui vivunt, posthac non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & suscitatus est.* Sed finis & usus secundarius mortis Christi pro nobis, non evertit, sed ponit potiùs, formalem ejus rationem, quæ in illius substitutione loco nostro pœnarumque nobis debitarum persolutione sita est; cujus consideratione ad gratitudinem Christo Sospitatori præstandam, studio obedientiæ & sanctitatis, excitari debemus. Eadem est mens loci 1 Pet: II, 24. ubi dicitur *peccata nostra sursum tulisse in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ viveremus*: Nam duo beneficia hic conjunguntur, ex eadem morte Christi, diverso tamen modo, ut suprà explicatum, emergentia, Justificationis & Sanctificationis: Et cum Christus dicitur *peccata nostra sursum tulisse in corpore suo*, peccatorum nomine, fatente Volkelio, supplicia peccatis debita intelliguntur: At cùm consequenter ad nostram justificationem debemus *peccatis mortui justitiæ vivere*, nomine peccatorum quibus mori debemus, ipsæ-met culpæ & transgressiones in suo formali intelligi debent. Sic 1 Pet: III, 18. dicitur Christus *semel pro peccatis passus ut nos ad Deum adduceret*, idest ut nos sisteret Deo ipsi reconciliatos & coronandos vitâ æternâ, quod nihil facit ad mentem adversarij, cùm extra dubium omne finis ultimus mortis Christi sit nostra salus & fœlicitas æterna. Sic denique Heb: IX, 14. dicitur sanguis Christi *qui seipsum obtulit inculpatum Deo, emundare conscientiam nostram à mortuis operibus, ad colendum Deum vivum*: quibus quidem verbis unà cum justificatione & remissione peccatorum actu commissorum, tribuitur quoq; Christi sanguini sanctificatio & præventio committendorum; sed inde non sequitur, ergo sanguinem Christi eodem modo se ad ista duo habere. Diversitatem enim satis superque indicavimus.

Huc & illud Esaiæ testimonium referendum est: (*Esa: 53. 5. 6.*) *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: castigatio pacis nostræ super*

per eum: & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm. Quibus verbis vates Christi morte, quæ hîc castigationis livorisque nomine intelligitur, factum esse asserit, ut verissimè pacem sanitatemque consequeremur,
99. quæ quidem sanitas in vitæ nostræ correctione consistit, quemadmodum sequentia docent; præsertim si Petri ea citantis, & ex parte aliqua explicantis, verba consideres. Ita namque inquit: *Eratis enim ut oves errantes: sed conversi estis nunc ad pastorem & curatorem animarum vestrarum.* (1 Pet: 2.25.)

‡ *Huc & illud Esaiæ*] Quomodo huc istud Esaiæ referat Volkelius ipse viderit; Sanè huc meritò refertur aureum hoc Prophetæ vaticinium, quod invadit arcem impietatis Socinianæ, & causæ quam defendit Volkelius jugulum petit. Verissimè quidem mors Christi appellatur *Castigatio pacis nostræ*, ejusque passio *livoris* nomine exprimitur; Verissimè quoque morte Christi factum ut *pacem sanitatemque consequeremur*; Sed mors Christi dicitur *Castigatio pacis nostræ*, quatenus in sua morte sustinuit pœnam peccatis nostris debitam, ut satisfaciendo pro illis justitiæ divinæ, nos Deo reconciliaret & pacem nostram conficeret. Vox enim מוסר *Musar* hoc loco, imò ubique, significat pœnam culpæ respectu impositam; Unde Gallica versio optimè eam vocat *Amende*, & Tigurina, *mulctam*, idest pœnam judiciariam quæ alicui imponitur, ad legum authoritatem vindicandam, & ne delicta impunita maneant. Ideo dicitur Christus *vulneratus propter iniquitates nostras & attritus propter scelera nostra*; ut significetur peccata nostra fuisse illi causam meritoriam suorum vulnerum & suarum attritionum, adeoque has attritiones, hæc vulnera illius, fuisse pœnas ipsorum peccatorum. Ita dicimur sanari *livore* vel *vibicibus* illius, quatenus illâ suâ morte peccata nostra, quæ mors erant & pestis animæ, profligantur, atq; salus æterna nobis acquiritur & confertur. Fallit itaque & fallitur Hæreticus cùm ait illam *Sanitatem* quam livore Christi consequimur *in vitæ nostræ correctione* consistere: correctionem judiciariam & pœnalem peccatorum commissorum, de qua agit Esaias, confundens cum correctione sive potiùs directione morali, quâ præcavetur novorum peccatorum commissio; Nec enim potest de tali correctione intelligi hæc sanitas: cùm ipsa sanatio respiciat morbos qui jam extiterint expugnandos & expellendos, non verò eos præcavendos qui possent oboriri.

Præsertim si Petri] Sed in his verbis Petri nihil est quod promoveat causam Adversarij: ostendit enim Apostolus non formaliter in quo hæc sanatio sita sit, quod per se evidens est, sed vel quid illam consequatur, nempe conversio ad Christum & nova vita, vel potiùs quâ ratione ejus fiamus participes nostrâ scilicet ad Christum vocatione & conversione per quam ex potestate tenebrarum & errorum aviis traducimur in regnum lucis. Illi enim soli qui Pastorem animarum nostrarum sequuntur & ad ipsum conversi ejus voci obsequuntur, pristinis suis relictis erroribus, fiunt participes istius sanationis sive salutis, idest remissionis peccatorum, quæ nobis obtigit livore & morte ipsius.

Quanquam autem postrema prophetici istius testimonij verba ita à Veteri interprete redduntur, quemadmodum ea nos citavimus: tamen ut viri Hebræ

bræę linguæ periti nôrunt, non est ibi scriptum: *Dominus in eo posuit iniquitates omnium nostrûm*: licet id quoque commodum, ut paulò pòst dicemus, sensum admittat: sed, *Dominus occurrere fecit ei iniquitatem omnium nostrûm*, quemadmodum in Bibl. Magn. Rob. Stephani annotatum habes. quin etiam illud patiuntur verba Prophetæ, ut reddas: *Dominus occurrit in eo iniquitati omnium nostrûm*: id quod Petri verba quodammodo videntur exigere. Quòd si tamen veterem interpretationem sequi volumus, hæc poterit esse verborum istorum sententia: Deum voluisse ac curasse, ut Christus mortem subiens, iniquitates nostras, hoc est, tum scelerum pœnas, tum eorumdem actus, ita à nobis, quantum quidem in ipso esset, tolleret, ac si eas sibi impositas haberet, & in longinquam aliquam religionem à nobis asportaret.

‡ *Quanquam autem*] In hac Critica Volkeliana parum est judicij; Quomodocunque enim legas, sive cum Vulgato interprete, *Dominus in eo posuit iniquitates omnium nostrûm*; sive cum Tigurina versione à Rob. Stephano edita cum notis Vatabli, *Dominus effecit ut incurreret in ipsum omnium nostrûm iniquitas*; sive cum Castalione, *Ioua omnium nostrum crimen in eum conjecit*; sive cum Pagnino, *Dominus fecit incurrere in eum, vel pervenire ad eum, iniquitatem omnium nostrûm*; sive cum Junio, *Iehova facit ut incurrat in eum pœna omnium nostrûm*; res eodem omnino redibit; videlicet Patrem Filium suum subjecisse pœnæ iniquitatum nostrarum & eam illi luendam imposuisse. Juxta notas Rob. Stephani, ad quem hîc Volkelius provocat, mens loci est quod Deus *conjecit in eum omnium nostrûm peccatum*, idest *supplicium* peccati; uti ante monebat ipse hæreticus, *in his & non paucis aliis Scripturæ testimoniis peccatum peccati supplicium designare*: Nec potuit aliter *occurrere* Christo iniquitas nostra, quam in illum incurrendo, ut ipsam, idest illius pœnam, sustinere debuerit. Quin etsi novum interpretamentum Volkelij admitteretur, de quo nemo hactenus præter Socinum cogitavit, *Dominus occurrit in eo iniquitati omnium nostrûm*, nihil inde ipse haberet quod juvaret suam causam: Neque enim aliter in Christo censeretur Deus occurrisse nostræ iniquitati, quam quod pœnas illius à Christo exigendo, eâ ratione præcaverit ne nobis obsit & imputetur ad condemnationem: Sed nec illa explicatio poterit subsistere, si consideremus vocem Hebræam הִפְגִּיעַ *Hiphgiangh*, esse verbum Hiphil à פָּגַע *Pagangh* quod est *occurrere*: Conjugationem verò Hiphil addere verbis Kal causam cujus virtute, impulsu, jussu vel permissione fit actio, adeoq; non unicam, sed duplicem actionem significare; & sic hoc loco non idem esse quod *occurrit*, significationis Kal, sed significationis Hiphil, *occurrere fecit*, ac si dicas *imposuit ei*, vel *conjecit in eum* iniquitatem nostram.

Quod si tamen] Verùm hæc glossa ineptiarum & inficetiarum plena est. Egregium sanè acumen horum interpretum; Dominus posuit in eo, vel conjecit in eum, iniquitatem omnium nostrûm, idest, Deus fecit ut Christus à nobis tolleret tùm pœnas tùm actus peccatorum, perinde ac si eas sibi impositas haberet. Quid sani in Scripturis sacris restabit, si eas ita licet detorquere potiùs quam interpretari? Agit Propheta de eo quod in se propriè sustinuit Christus, propter illud attritus & vulneratus; Et volunt isti homines nihil tale in se Christum sustinuisse, sed tantum removisse ab aliis. Fateor onus illud à nobis remotum fuisse per Christū; sed in eo remotum illud intelligimus ab ipso,

ipso, quod id in se receperit, & sibi ferendum imponi passus fuerit. Præterea hactenus iniquitatis & peccati nomine ejus supplicium sive pœnam debere intelligi Volkelius statuebat; at nunc pœnam & culpam vult venire sub eodem vocabulo; licet nemo vulneretur & atteratur directè & primariò propter culpam præcavendam, sed tantum propter pœnam luendam.

Simili quadam ratione Petrus ait, (*1 Petr: 2. 24.*) *Christum peccata nostra in corpore suo sustulisse in lignum, ut peccatis mortui iusticia viveremus*, hoc est, ita peccata à nobis abstulisse, atque si ea corpori suo imposita in crucem asportasset. Qui quidem loquendi modus sine dubio ab illo hirco emissario profluxit, (*Lev: 16. 21, 22.*) super quem Aaron Dei iussu omnia populi delicta confitebatur, illisque capiti ejus quasi impositis, in locum desertum eum amandabat; ut non aliter à populo omnia illius anni peccata ablata esse significaretur, atque si hircus ea secum in terram longinquam asportasset. Qui hircus cum Christi figuram imaginemque gesserit; intelligendum similiter est, mortis illius interventu perinde, quantum in ipso fuit, à nobis remota esse delicta nostra, quasi is ea secum in lignum illud sustulerit.

Simili quadam ratione] Atqui hoc Petri loco non diciturChristus abstulisse à nobis nostra peccata, perinde ac si illa sibi imposita habuisset & in longinquam aliquam regionem à nobis asportasset; sed conceptis verbis quod illa *in corpore suo* tulerit *super lignum*, prout quælibet victima aræ imposita ferebat in corpore suo peccatum ejus pro quo mactabatur & in cujus locum substituebatur.

Qui quidem loquendi] Istud *sine dubio* non debet affirmari. Cur enim potiùs ad hircum emissarium respiciat hîc Spiritus sanctus, quam ad quamlibet victimam piacularem, cui ejus imponebatur peccatum pro quo jugulanda & mactanda veniebat? Id satis liquet ex Levit: IV, 28. Hinc talis victima piacularis, *peccatum* dicebatur, quod peccatoris reatus in illam derivaretur Levit: V, 6. quomodo ipsemet Christus dicitur factus *peccatum* pro nobis 2 Cor: V, 21. & seipsum sive suam animam positurus אשם *Ascham*, idest *reatum*, sive *delictum*, vel ut Junius interpretatur *sacrificium pro reatu* Es: LIII, 10. Nec potest commodè hîc respici præcisè hircus emissarius, cùm ille vivus dimitteretur onustus peccatis populi, Christus verò in sua morte tulerit nostra peccata, ac propter illa mortem oppetierit. Sed neque si concederemus respici in hac loquutione Petri ad hircum emissarium, quicquam inde haberet Volkelius pro se: Nam hircus emissarius non tantum videbatur typicè auferre procul à Sanctuario & Dei conspectu peccata populi, sed etiam censebatur illa in se ferre & eorum pœnam in se sustinere, eo quod abducebatur in desertum ut ibi moreretur & tanquam execrabilis bestia malè periret. Ex Codice Thalmudico *Ioma cap.* 6. liquet quod deducebatur ad rupem Zuck & de ipsa præcipitabatur, ita ut membratim confractus ante foret quam ad montis medium pervenisset. Nec piget it hic annotare quod Robertus Sheringhamius Cantabrigiensis qui illum tractatum Thalmudicum non ita pridem emisit in lucem cum suis *notis*, ad *caput sextum* hac de re annotavit. *Mandatum*, inquit, *Dei non erat*, *sed statutum Rabbinorum*, *ut hircus emissarius à rupe detruderetur*: *Nam si hircus è deserto vivus rediisset tristia præsagire solebant*, *malumque inde portendi existimabant*; (quasi videlicet, litatum non

fuisset)

fuisset) *statuerunt igitur ut è Zuck alto & prærupto monte depelleretur. Nonnulli tamen inter Talmudicos, hæc lege divinâ præscripta & imperata esse putant, probantque suam sententiam ex eo quod dicitur Levit: 16. 22. Et portabit hircus super se omnes iniquitates eorum in terram excisionis. Per terram autem excisionis intelligunt locum in quo membra eius exscinderentur.* Nec desunt Magistri Judæorum qui putent quod עזאזל *Hazazel*, (dicitur autem hircus emissarius לעזאזל *Lehazazel*, idest Hazazeli destinatus) significet montem præruptum, ex quo debebat præcipitari: Ita hanc vocem interpretatur Schindlerus in *Lexico*, ita etiam eam reddunt R. Salomon & R. Abraham, *apud Pagninum.* Imò senserunt nonnulli ideo emissum in desertum ut tanquam bestia maledictioni devota ipsi diabolo in prædam cederet, indeque fieri quod Satan plerumque hirci formam inter Veneficos assumat: Quin etiam *Hazazel* apud Judæos nomen est ipsius dæmonis, de quo Reuchlinus ex Menahem Rachanat, *Art. Kabbal. lib.* 2. *in fine.* Ut videatur Hircus pro *Hazazel* destinatus, ipsi dæmoni quadantenus fuisse devotus, ceu Maledictionis divinæ & pœnarum peccatis debitarum executori ordinario: Neque putem aliunde desumptum ipsorum Gentilium morem, quo Pani sacrificabant hircum, qui ad specum agebatur in quo putabant Panem ipsum diversari. Nec aliter persuasum fuit Veteribus quam hircum emissarium exitio & interitui devotum & destinatum fuisse, in pœnam legalem & typicam peccatorum quæ illi imposita fuerant. Hinc Tertullianus *advers. Iud. sub finem*, hunc hircum nobis proponit in typum Christi patientis & morientis: Nam in duobus hircis festi expiationis duplicem Christi adventum significari pertendens, ita loquitur; *Sic & duorum hircorum qui iejunio offerebantur faciam interpretationem: Nonne & illi utrumque ordinem nominis Christi qui jam venit ostendunt? Pares quidem atq; consimiles propter eundem Domini* (aliàs *Dominum*) *conspectum, quia non in alia venturus est forma, ut quia cognosci habet à quibus & læsus est. Unus autem eorum circundatus coccino, maledictus & consputatus & convulsus & compunctus, à populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem, manifestis notis insignitus* (sic malim legere, quam *manifestis notis insignibus*, vel ut alij censent, *manifestis notatus insignibus*) *Christi passionis, qui coccineâ circumdatus veste, & consputatus, & omnibus contumeliis affectus, extra civitatem crucifixus est. Alter vero pro delictis oblatus, & sacerdotibus tantum Templi in pabulum datus secundæ repræsentationis argumenta signabat, quâ delictis omnibus expiatis, sacerdotes templi spiritalis, idest Ecclesiæ, dominicæ gratiæ quasi visceratione quadam fruerentur, jejunantibus cœteris à salute.* Non piguit totum hunc locum fusiùs describere, (quamvis circa hircum emissarium nonnulla assumat Tertullianus ex Traditione Judaica, & circa alterum videatur à textu recedere qui eum non comedendum, sed comburendum extra castra statuit Levit: XVI, 27.) quo constet quam longè recedant à Veteri & puriori Ecclesiæ doctrina Sociniani nostri, quibus constitutum est quo jure quâ injuriâ bellum indicere Christo & Satisfactioni illius. Ex eo autem quod exitio, destructioni, morti, eique miserrimæ & acerbissimæ, devovebatur iste hircus emissarius lege Dei, uti Magistri Judæorum & vetustissimi Christianorum censent, adeo ut ne quidem crederetur propitiatio peracta nisi ex illius interitu, qui per speculatores in via ordine dispositos, sive cornua inflarent juxta nonnullos, sive juxta alios vexilla aut sudaria agitarent, illicò renunciabatur summo Sacerdoti, id in Templo præstolanti, facilè est colligere, quod censebatur peccata populi non solum procul auferre, sed etiam ferre & sustinere in se, ac luere pro illis. Quod si tamen ali-

quis mordicùs pertendat in hoc hirco significatam solam remotionem peccatorum & asportationem eorum in desertum, nec quidquam expressè mandatum legi de illius interitu, (solâ ejus dimissione in desertum præscriptâ Levit: XVI, 22.) absque quo nequeat censeri victima piacularis pœnam peccatorum istorum legaliter sustinens & luens, id insuper illi potest reponi, quod hircus ille emissarius in hoc festo erat tantum pars sacrificij propitiatorij, quod constabat duobus hircis sibi similibus, & solâ sortitione distinguendis; adeo ut in eo qui mactabatur, & cujus sanguis inferebatur intra velum, consisteret formalis ratio λύτρου & pretij satisfactorij pro peccatis, sive ipsorummet peccatorum pœnitio in victima succedanea, (unde & illi hirco qui jugulabatur, censebatur obvenisse *sors pro Iehova*, & ipse dicebatur parari *in peccatum*, ac *hircus peccati* appellabatur Levit: XVI, 9.15. 27.) in illlo vero altero qui vivus emittebatur, & cui sors Hazazelis obvenerat, denotaretur satisfactionis, alterius morte præstitæ, consequens & effectum, nempe asportatio & remotio à conspectu Dei, adeoque ipsa remissio peccatorum eorum, quorum hircus jugulatus pœnam jam sustinuisset & luisset: Dato itaque non concesso, Petrum respicere ad solemnem propitiationem festi *Chippurim*, commodiùs dicetur allusisse ad hircum peccati, qui *in suo corpore* ferebat peccata populi, pro illis moriendo, quam ad hircum emissarium, qui ea vivus in terram longinquam asportabat; vel saltem non aliter hircum emissarium respexisse, quam prout pars erat illius totalis sacrificij in quo hæc duo concurrebant, peccatorum Satisfactio, & eorundem ex consequenti amotio: Neque post priorem hircum mactatum & jugulatum, peccata propter quæ jugulatus fuerat aliter imponebantur capiti hirci emissarij, solemni eorum confessione per summum Sacerdotem, quam ad significandum illa ipsa peccata, quæ prior jam luisset suo sanguine, imo hic ipse emissarius in illo, (qui erat alter idem,) Dei beneficio amotum & remissum iri, vi illius sanguinis, omnibus iis qui illa seriò & ex animo resipiscenti confessi fuerint 1 Joh: 1,9.

Ut non aliter à] Sed ex modò dictis constat non solam *ablationem* peccatorum à populo hoc ritu fuisse significatam, sed illius quoque fundamentum, nempe *Satisfactionem* pro peccatis, & victimæ piacularis substitutionem in locum populi, ut non aliter crederetur populus, jam luisse & exoluisse pœnam mortis & maledictionis peccato debitam, quam quod hircus uterq; morti & execrationi pro ipso subjectus fuerat.

Qui hircus cum Christi] Sunt qui putent utrumq; hircum simul gessisse *Christi figuram*, alterum Christi morientis, alterum Christi resurgentis: quod longè probabilius dici posset quam quod habet Rupertus *comm. in Levit. lib. 2. cap. 30. & 31.* in priori Christum, in posteriori Antichristum, significari. Sed largimur ultrò, etiam in emissario figuram Christi peccata nostra ferentis, & extra portam pro nobis patientis, esse conspiciendam; cùm illud animal non deberet tantum exportare peccata populi in desertum, sed pœnam eorum portare ac sustinere, tum suo quasi sanguine, in eo qui priùs jugulabatur, tum etiam proprio suo interitu, uti suprà visum est. Quapropter ex typi ad prototypon collatione, sequitur mortis Christi interventu propriè satisfactum esse pro nostris peccatis justitiæ divinæ, pœnarum ipsis debitarum in eum translatione, & consequenter ea à nobis esse remota, ut deinceps non veniant nobis imputanda in condemnationem. Itaque illa particula Volkeliana *quantum in se fuit*, vel nihil sonat, vel supponit ex parte Christi quod ad amotionem peccatorum nostrorum à nobis, ipse eorum pœnam sustinuerit suâ morte, prout sanguine

guine & morte hirci utriusque, prioris propriâ, posterioris saltem interpretativâ, expiabantur peccata populi. Sed præsertim impium est glossema Volkelij, quo fingit Christum ex mente Apostoli, non propriè & *in suo corpore* portasse nostra peccata actu commissa, sed duntaxat intendisse in sua morte amotionem eorum quæ possent committi, *quasi is ea secum in lignum illud sustulerit.* Nam Apostolus non loquitur per *quasi*, sed absolutè, nec dicit Christum amouisse peccata nostra ea asportando vel quasi asportando *in terram longinquam*, sed ea portasse in corpore suo super lignum crucis. Usus est autem Petrus verbo ἀνήνεγκεν quod significat *sursum ferre*, (non verò *auferre*, vel *amovere*) quoniam Christus fuit & in sua morte oblatus pro nobis & ad id in crucem sublatus; prout etiam victimæ quæ pro peccatis offerebantur eo ipso quod imponebantur altari, in locum editiorem sustolli videbantur. Hinc illud verbum de oblatione sacrificiorum promiscuè usurpatur, Heb: VII, 27. XIII, 15. Jac: II, 21. 1 Pet: II, 5. etiam de oblatione ipsiusmet Christi Heb: VII, 27. Quod si dicitur oblatus εἰς πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας Heb: IX, 28. imò ibid. com. 26. εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, spectat id illius suæ oblationis fructum & effectum demonstrandum, nempe peccati ablationem & abolitionem ut nequeat nobis amplius imputari. His omnibus hoc addo quod si debeat etiam sensu Volkeliano consistere analogia hirci emissarij cum Christo, eo hac ratione redire debebit hæreticus unde tam procul abire conatur. Nam ut hircus emissarius censebatur onustus peccatis populi asportare ea in terram longinquam & subducere præsentiæ Dei in Sanctuario, ne Israelitis ad pœnam & mortem possent imputari; ita censendus est Christus removisse à conspectu Dei omnia nostra peccata, quasi illa in terram longinquam & procul ab ipsius oculis asportasset, ne eorum pœnas Deus à nobis reposcat & cedant nobis in condemnationem apud eum: Id autem & spectat utrobiq; peccata actu commissa, nec potuit præstare Christus suâ morte, quin illâ nobis sit promeritus remissionem peccatorum nostrorum, adeoque in illa pœnas ipsis debitas, à nobis alias reposcendas, sustinuerit. Nonne hæc via & facilior est & complanatior, quam diverticula Sociniana, quæ in voculis, *quasi*, & *quantum in ipso*, Volkelius vult conquirere?

Constat igitur, Christum ideo etiam passum mortuumque fuisse, †ut nos ad sceleris odium, virtutis autem ardentissimum studium incitaret. Verùm cùm, qui in pietate sese exercent, hominum sceleratorum odio, invidiæ, & sic insectationibus variis expositi sint; facileque fieri possit, ut nisi divino præsidio circumsepiantur, arctissimam istam salutis viam deserant: nos hunc etiam ex Christi perpessionibus morteque fructum percipimus, quòd is nobis ad eandem viam dux fuerit, vel, ut inquit Petrus, pro nobis fuerit passus, exemplum nobis relinquens, ut ejus persequeremur vestigia. (*1 Pet: 2. 21.*)

† *Constat igitur Christum*] Etiam *ideo* passum largimur, sed ideo tantum, negamus: Respiciebat mors Christi peccata prævenienda per modum sacrificij impetratorij, quo nobis obtinetur gratia Spiritus Sancti dirigens & sanctificans; sed peccata commissa sive committenda respiciebat per modum Sacrificij propiatorij, ad illa expianda tollendaque idoneâ satisfactione.

Vel ut inquit Petrus] Christum nobis suo exemplo præluxisse, ad viam obedientiæ

dientiæ Deo debitæ & salutis æternæ, non negamus; Sed primò negamus divinum illud præsidium quo circumsepimur ne salutis viam deseramus, in solo Christi exemplo quod nobis reliquit, consistere. Hoc enim exemplum extrinsecè propositum, parum eò conferret, nisi *virtute Dei præsidio custodiremur per fidem ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo*, ut ipse Petrus hoc divinum præsidium exprimit 1 Pet:1,5. Præterea apud Petrum, loco quem citat Volkelius, hæc duo quod Christus *pro nobis* passus sit, & reliquerit nobis *exemplar* imitandum, non debent sumi exegeticè, quasi in hoc posteriori prius consistat, nec aliter censendus sit pro nobis mortuus, quàm ut nobis præberet ac relinqueret exemplar patientiæ in afflictionibus; sed potius conjunctivè ac diacriticè, quatenus in Christi passione hæc duo occurrunt, & pretium *pro nobis* solutum, cui innitamur coram Deo, & *exemplar* nobis relictum cui insistamus inter homines: ita ut prius rationem habeat beneficij, cujus consideratione alacriùs illi inhæreamus officio ad quod in posteriori invitamur: Cur enim non premeremus cordatè vestigia Christi in toleranda cruce ipsius, cùm ipse tam gravem crucem pro nobis sustinuerit, ut nos à peccato & morte liberaret? Agnoscimus equidem libenter & hunc finem fuisse inter alios incarnationis Christi, ut nobis præluceret suo exemplo ad humilitatem, modestiam, mansuetudinem, patientiam, aliasque virtutes, adeo ut vel minima ejus actio nostra sit instructio; sed negamus hæc esse ἰσοδυναμοῦντα, quod *pro nobis* passus sit, & quod nobis *exemplar* reliquerit sedulò imitandum. Verum hæc est fraus horum Hæreticorum, sumere pro iisdem quæ conjunguntur, ut ex vero & reali Redemptore, ne illi nimium debeant, exemplarem duntaxat faciant Præceptorem; quanquam nec ipsi ausint dicere totum illud quod *pro nobis* Christus passus est, exhauriri illo exemplari quod nobis reliquit ut subsequeremur vestigia ipsius.

100. Deum quippe decuit, ut cùm filios suos ad gloriam per afflictiones perducere vellet, principem ac ducem quoque salutis eorum per afflictiones perfectum redderet. (*Hebr: 2, 10*) Sic enim pro summa sua sapientia eventurum providebat, ut viam hanc, quantumvis asperam acerbitatumque plenissimam, nequaquam tantopere extimescendum duceremus, ut ejus caussâ veritatem cælestem abnegaremus, utpote quâ Iesum Christum ad immortalitatem summamque potestatem pervenisse videremus.

‡ *Deum quippe decuit*] Et hæc alia est insignis hujus loci depravatio: Nam primò τὸ *per afflictiones* non extat in textu; sed tantum *decuisse, ut ipse propter quem sunt omnia, & per quem sunt omnia, multos filios in gloriam adducendo, principem salutis ipsorum per perpessiones consecraret.* Deinde hic locus non agit propriè & directè de patientia Christi in calamitatibus imitanda, quasi perpessionibus ipsius hactenus adducamur in gloriam dum ejus premimus vestigia & patientiam ejus sub cruce imitamur: Verùm ostendit Apostolus I. Quodnam fuerit Dei consilium de nobis; nempe eum decrevisse multos filios in gloriam adducere, adeoq; liberare ex peccato & illa morte cujus *metu per omnem vitam damnates erant servitutis*, ut habet. com. 15. II. Per quem decreverit hos suos filios ad vitam, libertatem & gloriam traducere; scilicet per Christum, principem salutis ipsorum, in eo quod *pro omnibus* ipsis *Dei beneficio mortem gustarit*, ut dicitur com. 9. III. Quomodo Christus factus est ipsis ἀρχηγὸς & princeps auctorque salutis, nempe perpessio-

perpessionibus suis, quatenus eum in finem *paulisper fuit inferior Angelis factus* (ut habent verba immediatè præcedentia) assumptâ naturâ hominis & formâ servi, *propter mortis perpessionem* sustinendam & subeundam, *ut beneficio Dei*, vel *gratiâ Dei*, *pro omnibus* suis *mortem gustaret*. Esse enim συγχυσιν in textu Paulino, sed non inelegantem, saniores interpretes animadverterunt: Exempla similia prostant Psal: XLV, 6. Phil: 1, 21. Ex his autem colligimus, I. Christus non esse Servatorem Ministerialem & secundarium, sed primarium & principalem; siquidem ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας, quod Vulgatus interpres reddit *auctorem Salutis*, appellatur: sic & αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου nuncupatur Heb:v,9. II. Esse nobis principem & authorem salutis suis perpessionibus, quatenus illas perpessiones pro nobis sustinuit, & earum vi & efficaciâ salutem hanc æternam nobis confecit & impetravit. III. Omninò decuisse & debuisse has ejus perpessiones pro nobis intervenire, ut morti eriperemur & adduceremur ad gloriam. IV. Christum in his suis perpessionibus piaculare sacrificium fuisse factum pro nobis, διὰ παθημάτων τελειωμένος: Etenim verba hæc τελειῶσαι & τελειωθῆναι sunt verba sacrificalia, ut norunt eruditi; nec aliter Christus dux ille & princeps salutis nostræ potuit τελειωθῆναι διὰ παθημάτων, quam quod sacrificium εὐωδίας factus est in illis, cujus vi Deo reconciliamur & per angusta ad augusta traducimur. Ita Heb:v,9. dicitur Christus τελειωθεὶς, idest oblatus, sacrificatus, eoq; ipso factus author salutis æternæ, omnibus qui ipsi auscultant: Tunc igitur Christus existimandus est consecratus fuisse cùm victima piacularis & quasi κριὸς τελειώσεως ut Græcis interpretibus dicitur Exod:XXIX,27.31. aries consecrationum, in suis passionibus factus fuit pro nobis; quò & videbatur respicere eadem utens phrasi Luc: XIII, 32. ubi observant viri eruditi, Heinsius nominatim, τελειοῦσθαι idem esse quod προσφέρεσθαι, *offerri*. Quam autem hæc omnia a nobis annotata circa hunc Pauli locum adversentur causæ Socinianæ, nemo est qui non videat.

Sic enim pro summa] Equidem non nego exemplum Christi ad gloriam suam per varias perpessiones redeuntis, vim specialem habere ad nos solandos in ærumnis hujus vitæ 2 Tim:II,12. Sed tamen nec eò simpliciter spectat locus Heb:II,10. de quo hîc agitur; neque illa præscientia Dei quam hîc proponit adversarius, ex hypothesi Socinianorum potuit esse tam certa & infallibilis, (cum juxta eos, eventus hic, ut pote suspensus ex libero hominis arbitrio, dubius fuerit & incertus, & spectaverit non τὰ ἐσόμενα, sed tantum τὰ μέλλοντα,) ut ideo debuerit Christi subjici tam acerbis afflictionibus; neque nuda illa præscientia constantiæ paucorum, firmandæ forte exemplo Christi ad immortalitatem per suas perpessiones traducti, magis debuisset movere Deum ad Filium suum unigenitum cruci & morti subjiciendum, quam illum ab hoc proposito deterrere, quod etiam *pro summa sua Sapientia providebat*, Christum crucifixum multo pluribus futurum scandalum & stultitiam, uti illud est Judæis, hoc Græcis, teste Apostolo 1 Cor: 1, 23. Quapropter solidius quodpiam debet assignari fundamentum divini illius consilij quo Christus morti & maledictioni fuit subjectus, ac dicendum traditum eum fuisse definito Dei consilio, ut mortem & maledictionem nobis debitam sustinendo, satisfaceret pro peccatis nostris, nos reconciliaret Patri, & sic morte & maledictione triumphatâ nos ad vitam & gloriam cœlestem traduceret.

Hinc namque Paulus (*Rom: 8. 28, 29.*) colligit, Dei amantibus omnia,

 etiam

etiam adversa, ad bonum conferre. Hos quippe & ab illo præcognitos, hoc est, jam olim dilectos & approbatos, destinatos esse ait, ut filii illius imagini similes forent, id est, ut quemadmodum Christo afflictiones non solum non obfuerunt, sed ad sempiternam etiam felicitatem viam muniverunt: ita tantum absit, ut nobis illius vestigiis insistentibus quicquam detrimenti afferant, ut etiam amplissimum ad beatam immortalitatem aditum patefaciant.

† *Hinc namque Paulus*] Hæc Pauli collectio non arcessitur ex illa dubia & incerta, juxta Socinianos, Dei præscientia quâ prævidit fore ut pij non abhorrerent viam salutis calcare, ut ut salebrosam & ærumnosam, moti exemplo Christi; sed ex immoto amore Dei erga suos, & fixa absoluta atque irrevocabili ipsorum electione æterna ad salutem; Sic enim habet Apostolus; *Novimus autem iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum; iis videlicet qui ex proposito ipsius vocati sunt,* τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν: Quodnam vero est illud propositum? *Nam quos præscivit, etiam prædestinavit conformandos imagini Filij sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres: Quos vero prædestinavit eos etiam vocavit; & quos vocavit eos etiam justificavit; quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Ut fusé nunc differam de hoc testimonio Paulino non est hujus loci. Tantum moneo I. Benè quidem Volkelium *præcognitionem* Dei ejus *dilectionem* interpretari, cum hæc Dei πρόγνωσις sit practica; sed malè synonyma facere hæc duo, *dilectos* & *approbatos*: Nam hæc dilectio quâ Deus fuit motus ad eos quos prædilexit prædestinandos, fuit quidem dilectio *benevolentiæ*, non tamen *complacentiæ*, vel *approbationis*: Cùm enim jacerent in massa communis perditionis, nec cœteris essent vel digniores vel meliores, nullâ erant prædìti qualitate cœteris meliori, quam Deus suo calculo in illis præ aliis approbaret. II. Eos quidem qui Deum diligunt, & quibus omnia simul in bonum cooperantur, *etiam adversa*, adeo ut per ventos quoque contrarios portum subeant, illos eosdem esse quos Deus & præscivit & prædestinavit; sed tamen illam dilectionem qua Deum diligunt, non præcurrere dilectioni Dei ex qua sunt prædestinati ut conformentur Christo, ut videtur insinuare Volkelius; cùm è contrario ex illa Dei dilectione erga nos ejusque gratuita & æterna prædestinatione, fluat & derivetur quicquid est in nobis fidei & charitatis erga Deum & proximum: Etenim illa Dei dilectio quâ homines Deum diligunt, est eorum demum qui jam sunt ex ipsius proposito vocati, ut eorum vocationem subsequatur, non præcurrat illi; ergo minus debet vel potest vel hæc vocatio, vel quæ ex illa pendet dilectio divina, præcurrere prædestinationi divinæ, ut pote cum utraque ex ipsa prædestinatione fluat & arcessatur: Tum, nemo verè diligit Deum, nisi sit justificatus; at justificatio est posterior prædestinatione & Dei prædestinantis dilectione: Quin repugnat conceptis verbis hæc Volkeliana doctrina, quæ dilectionem Dei *objectivam*, quâ Deus nos dilexit, subordinat dilectioni Dei *subjectivæ* quâ ipsum diligimus, quasi illa ex hac flueret, Christi Servatoris asserto Joh: xv, 16. *Non vos me elegistis sed ego elegi vos*, & dicto Johannis 1 Joh: iv, 10. *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum*, (supple priores) *sed quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum ut esset propitiatio pro peccatis nostris.* III. Conformitatem cum Christo ad quam sumus prædestinati, latius multò spectare quam crucem, adeoque cum nostra concrufixione, etiam nostram conglorificationem complecti: ut

ut præter alia testimonia Scripturæ eò facientia, liquet evidenter ex 1 Cor:xv,49. Phil:111,21. & 1 Joh: 111,2. Hoc igitur quod monet Volkelius, non obfuturas nobis afflictiones, sed viam munituras ad æternam fœlicitatem, ut evenit Christo, potest quidem benè colligi & consequi per modum porismatis ex verbis Apostoli, sed sensum eorum directum nec continet nec exhaurit.

Huc etiam spectat, quòd divinus ille autor asserit, (*Hebr: 2.17.*) Christum debuisse per omnia fratribus similem fieri, id est, non solùm ipsius mortis acerbitatem sustinere, verùm etiam in variis ante mortem perpessionibus calamitatibusque versari; & contrà, non solum has afflictiones, sed etiam teterrimam mortem subire. Si enim alterutrum horum defuisset, nequaquam satis ad omnem patientiam exemplo ejus instructi fuissemus. Nam si plurimas quidem calamitates sensisset, haud aliter tamen atque Enochus Eliasque vivus in cœlum raptus fuisset, ipsius fortasse exemplo ad omnia mala perferenda incitari facilè possemus; interim tamen ex atrocissimæ mortis vinculis expediri nos posse, persuasum inde minimè haberemus. Rursus, si Christus vitam quietam omnibusque molestiis vacuam horrendissimo mortis genere conclusisset, in spem quidem venissemus fore, ut quamvis morte extincti, tandem tamen ex illius faucibus eriperemur; tot autem tantasque ærumnas perpeti fortè noluissemus, rati nimirum, nos injuriosè tractari; ut pote quibus plura gravioraque quàm duci nostro, onera imponerentur. Consentaneum igitur Dei sapientiæ erat, ut & variis calamitatibus & teterrimæ morti ducem nostrum subjiceret.

‡ *Huc etiam spectat*] At verò Christus debuit nobis per omnia fieri similis, non tantum quoad qualitates, ærumnas & crucem, sed etiam quoad ipsam naturam; Imò per prius debuit, fieri nobis similis quoad ipsam naturam, *non assumendo Angelos, sed semen Abrahami*, uti dicitur com. præcedenti, idest Heb: 11,16. ut posset fieri noster גאל *Goel*, ἀγχιστεύων & λυτρωτὴς, ut illa vox Hebraica Levit: xxv,25.31.32. redditur per utrumque hoc vocabulum Græcum ab Alexandrinis interpretibus, & quò *particeps factus carnis & sanguinis*, non secus ac illi quos suos & *pueros* & *fratres* appellat, crucem ferret & mortem ipsam pro ipsis gustaret & sustineret, *ac per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est diabolum, & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis*, Heb:11, 14.15. Præterea malè admodum cohærent scopæ Volkelianæ. Nam antea dicebat nos in eo fieri conformes Christo, quod crucem & afflictiones feramus: Hîc vero dicit Christum in eo nobis similem & conformem factum, quod crucem, mortem & afflictiones sustinuerit. Sanè afflictiones in quibus suo exemplo *ad omnem patientiam* invitamur, sunt illæ potissimùm quibus non quà homines, & quæ bonis & malis communes sunt, sed quà Christiani, ut loquitur Petrus 1 Pet: iv, 16. sumus obnoxij; adeoque non ideo illas suas subiit quòd his objiceremur; sed è contrario ad has redigimur, quòd illas suas pro nobis subierit.

Si enim alterutrum] Fateor satis nos instructos esse ad patientiam & in ærumnis hujus vitæ & in morte, exemplo Christi

Christi; sed nego hunc esse primarium finem ærumnarum & mortis Christi, cùm impiis & impœnitentibus nec prodesse nec proponi queat hoc ipsius exemplum in eorum ærumnis, & multo ampliorem quam merè exemplarem consolationem, (quamvis tamen hæc nulla non sit) pij ac fideles ex illis consequantur.

Nam si plurimas] Totus hic discursus non est ullius ponderis: Poterat enim mors Christi absque præcedentibus afflictionibus nos solari exemplariter, non minus adversus alias afflictiones quam contra mortem ipsam quæ terribilium terribilissimum dicitur Aristoteli: Quidni enim prodesset contra minus id quod contra majus est? Poterant & vitæ ærumnæ nos munire contra minas mortis, cùm illæ omnes tandem huc redeant, nec ulla sit gravis ærumna nisi quatenus ad mortem spectat aut illâ concluditur.

Ipsius fortasse exemplo] Quod per *fortasse* asseritur per *fortasse non* eadem facilitate negatur. Ecquis vero dubitet Enochi Eliæque exemplis, nos facilè incitari non tantum ad ærumnas vitæ alacriter perferendas, sed etiam ad mortis labores cordatè sustinendos, cùm ex utriusque raptu in cœlum, sub statu *Naturæ* & *Legis*, ut vulgò loquuntur, pij habuerint exemplum & pignus certissimum, tam vitæ melioris post hanc vitam obtinendæ, quam resurrectionis gloriosæ suo tempore subsequuturæ? Ecquam autem certiorem panaceam possunt optare pij contra mortis anxietates & agonem, cùm ipsa mortuorum Resurrectio *spes Christianorum* à Tertulliano appelletur?

Rursus si Christus] Atqui, nemo non poterit quoslibet labores in hac vita exantlare, qui se ex mortis *faucibus* ereptum iri certò confidit: Ut *fortè* illud quod hîc iterum ingerit Volkelius, ad Socinianorum Scepticismum omninò sit referendum.

Ut pote quibus plura] Sed quis in hominum castris quotidiè contrarium non videt & sentit, videlicet gregarios milites *plura graviora que* sustinere *onera*, quam eorum Imperatorem & Ducem? Quin ex hoc Volkelij argumento possent & pij queri mollius & melius agi cum suo Duce quam secum, ut pote qui ad gradum majorem gloriæ conscendit. Hæc moneo, ut ostendam quam inepta sit ratiocinatio Volkelij: Aliàs enim certissimum est *plura graviora que onera* multo imposita fuisse Duci nostro quam nobis: Nam afflictiones quas sustinuit erant propriè & per se pœnales & satisfactoriæ pro nostris peccatis; unde sub earum pondere, horruit, contremuit, ingemuit: Sed à pœnis vel gravissimis quas Martyres sustinuerunt pro Euangelio, & in quibus etiam suo *exemplo* nobis præluxerunt *ad omnem patientiam*, aculeus ille pœnalis & maledictionis ex parte Dei fuit remotus; unde factum ut illas sustinuerint alacres, psallentes, fronte serenâ, ac constantiâ ipsis-met tortoribus insultante.

Consentaneum igitur Dei] Id *consentaneum* fuit, non solum quò exemplo suo nobis ad patientiam præluceret, sed præsertim quò pœnas peccatis nostris debitas sustineret & in se derivaret.

Vocatur autem in quæstionem, cur Deus viam ad salutem elegerit tam ærumnosam, tantisque difficultatibus implicatam. Parùm enim illius justitiæ bonitatique convenire videtur, ut quos propter ardentissimum virtutis studium ab omnibus malis defendere debebat, eos tantæ sceleratorum hominum crudelitati permittat. Dicimus autem hoc non eò fieri, quòd Deus
101. piorum calamitatibus delectetur; sed ipsam rei naturam quodammodò efflagitare, ut nequaquam aliâ viâ ad beatam immortalitatem perducamur. Quia enim

enim Deus hominum voluntatem liberam nullaque necessitate astrictam esse voluit; evenit, ut nec impiis ullam Christi disciplinæ amplectendæ, & sic nostri amandi necessitatem offerat. Cùm porrò & semper mali bonos numero multitudineque superent, & ,* si maximè hi sese illis æquarent, hac lege obstricti sint, quâ injurias ulcisci vetantur; fieri non potest, quin ab impiis subinde premantur.

† *Vocatur autem in quæstionem*] Hæc quæstio huc non spectat; cùm hîc agatur de morte Christi, quę non tantum est via salutis adeundę, sed etiam causa infallibilis illius obtinendę. Deinde hujus quæstionis solutio quę hic proponitur est perabsurda: Quis enim sanę mentis dixerit *ipsam rei naturam quodammodò efflagitare ut nequaquam aliâ viâ ad beatam immortalitatem perducamur*: Quasi vero ipsa rei natura dictet *sceleratorum hominum crudelitati* pios & honestos permittendos esse: Etenim præter & contra naturam evenit, quod infœlix lolium & steriles dominentur avenç: Sed Deus ita sinit & permittit fieri, ut bonis malè sit in hac vita, malis benè, quò constet superesse post hanc vitam tempus præmiorum & pœnarum: *Dulcia non meruit qui non gustavit amara*: Hoc ergo discriminis vult Deus inter se & mundum agnosci, quod mundus bonum vinum primo loco apponit, cui brevi succedit vappa & acetum: Momentaneas enim mundi voluptates excipiunt tormenta æterna, & deliciarum quas promittit rivuli Oceano inexhausto amaroris perpetuç absorbentur; Deus vero præmittit suis in hac vita acerbitatem & crucem, quò magis à rebus sæculi hujus absterreantur, vehementiùs anhelent cœlum, & sapidior sit illis brevi sequutura fœlicitas æterna. Quę igitur hîc insuper nugatur Volkelius, de libera hominis voluntate, partim sunt aliena, aut saltem remotiora ab hac quæstione, partim falsa. Aliena quidem: Quid enim ad id facit libertas arbitrii, ut viam tam ærumnosam tantisque difficultatibus implicatam ad salutem Deus elegerit? Æquo jure huc adferas, vel Sangaris aculeum, vel ollas fictiles Gedeonis. Tum si ex ipsa rei natura adeoque necessariò id evenit propter *hominum voluntatem liberam*, igitur ipsa voluntatis libertas quam tantopere propugnant Adversarij, invehet necessitatem quampiam naturalem, eamque quod magis est malè agendi; cùm tamen necessitatis omnis vitandç studio, hanc voluntatum libertatem conentur adstruere. Falsa vero; quia voluntas libera multiplici necessitati est adstricta, non quidem coactionis, sed officij præstandi 1 Cor: IX, 16. infallibilitatis eventus ex hypothesi decreti divini Prov: XXI, 1. determinationis efficacissimę per gratiam Phil: II, 13. directionis per intellectum & judicium ultimum rationis practicę Heb: XI, 25. 26 Quid quod necessariò voluntas, quantumvis liberrima, fertur in finem ultimum, ut illum nequeat refugere? Quod illius quoque hæc est indoles, ut nequeat vel ferri in malum quà malum, vel bonum non persequi & appetere, cognitum quà tale, nisi majoris alterius spe & imaginatione? Imò quandam bonos *amandi necessitatem* imponi voluntati, vel inde liquet, quod virtus etiam in hoste laudetur, nec ars habeat inimicum nisi ignorantem. Quod ergo impij bonos oderunt ex eorum pendet ignorantia & cœcitate: Nec possent non amare pietatem & virtutem, si eas nudas & quales in se sunt possent contemplari.

Cum porrò & semper] Imò in hoc impiorum numero majori, & odio quo fervent contra bonos, quædam necessitas debet agnosci, non solum ex paucitate

piorum, quę magis apta est eos aliorum objicere contemptui quam odio, vel ex eorum mansuetudine & animo ab omni vindicta alieno, quibus impiorum animi potius flecti deberent ad misericordiam quam incendi in odium; cùm & hoc generositati inter homines vulgò deputetur, *Parcere subditis & debellare superbos*; sed potissimum ex intrinseca corruptione & depravatione per peccatum quâ non possunt impij benè agere cùm mali sint, aut filij tenebrarum non odisse lucem Joh: xv, 19. Porrò quod dicit Volkelius bonis esse nefas *injurias ulcisci*, ita verum est quoad vindictę privatæ studium, ut tamen nec vindictæ publicę exercendæ officio per Magistrarum, nec necessariæ suæ defensioni & tutelæ inculpatę hac lege derogetur.

Verùm hîc alia præterea Christi mortis subest utilitas. Consentaneum enim immensæ Dei bonitati erat, eum fidelibus constituere salutis principem, qui non solùm viam eâ, quâ diximus, ratione ad illam muniret, sed etiam omnibus istis malis prægustatis, misericors pontifex fieret, in tantoque propter istam obedientiam dignitatis ac potentiæ gradu collocatus, non modò posset, sed & vellet nobis periclitantibus subvenire, ac non ignarus malorum nostrorum, miseris nosset succurrere. (*Hebr: 2. 12, 18. & 4. 14, 15, 16.*)

‡ *Verum hic alia*] Non solum autem per ea quæ passus est Christus, idoneus factus fuit qui Pontificatum pro nobis postea sustineret, sed etiam in illis perferendis suo illo Pontificatu est defunctus; siquidem tum seipsum obtulit inculpatum Deo, fuso suo sanguine ad emundandas conscientias nostras Heb: IX, 14. & ita τελειωθεὶς, oblatus sive consecratus, factus est author salutis æternę omnibus ei auscultantibus Heb:v,9. Cùm autem illas ærumnas & calamitates passus sit in Sacerdotij sui actu oblatorio sive immolatorio, eò promptior & paratior erit nobis opitulari Sacerdotij sui actu intercessorio, & quod jus nobis fecit sua passione ad se imperterritè accedendi, & quod haud ignarus mali, miseris succurrere possit: Atque id ipsum est quod dicit Apostolus Heb:II,12.18. IV, 14.15.16.

Propter istam obedientiam] Primò cum neget Volkelius omne Christi meritum *lib.5. cap.20.* non video quî dicatur *propter* suam *obedientiam* in illo *dignitatis ac potentiæ gradu collocatus*: Nam vocula illa *propter* causam meritoriam denotat, cujus intuitu pręmiū, sive illud procedat ex condigno simpliciter, sive ex compacto, rependitur. Secundò nullis fidiculis poterit adversarius ex locis & textibus sibi hîc citatis, illud *propter* exsculpere: Cùm enim pro nobis illi & obedientiæ & morti seipsum Dominus subjecerit, gloria quâ nunc fruitur, ejus quidem consequens, non tamen præmium propriè dictum statui debet: Ea enim debebatur personę Christi, & quicquid habuit meritorum, illa nobis habuit, quorum utilitati & saluti vacabat, non verò sibi, cui sufficiebat ad gloriam & vitam æternam, jus illud hæreditarium ex quo eam repetebat à Patre Joh:XVII,5. Ac mira sanè in eo est doctrina Socinianorum: Nolunt Christum quicquam nobis meritum esse, ut *propter ipsius obedientiam & passionem*, justificari & glorificari statuamur; licet *pro nobis* eam subierit, *factus legi subjectus ut eos qui erant legi subjecti redimeret, ut adoptionem acciperemus* Gal: IV,4.5. Et tamen volunt Christum ad immortalitatem evectum & vitam ac gloriam æternam adeptum fuisse *propter* suam obedientiam

& passio-

& passionem, licet nusquam dicatur *pro seipso* passus & mortuus. Quoniam autem non desunt nonnulli Theologi qui Scholasticorum prementes vestigia etiam Christum sibi ipsi aliquid meritũ fuisse asserunt, cùm tamen ipsi Scholastici statuant Christum nec unionem hypostaticam nec ex illa resultantem beatitudinem sibi meruisse, ut videre est apud Becanum *Theol. Sch. p.*3. *cap.*14. *q.*6. *&* 7. haud abs re erit hoc loco verba Calvini referre *ex Inst. lib.* 2. *cap.* 17. §. 6. *Quærere verò an sibi ipse meruerit (quod faciunt Lombardus & Scholastici* lib.3. Sent. dist.18.) *non minus stulta est curiositas quam temeraria definitio ubi hoc idem asserunt: Quid enim opus fuit descendere unicum Dei Filium ut sibi acquireret quicquam novi? Et consilium suum exponens Dominus omnem dubitationem eximit. Non enim Filij utilitati consuluisse dicitur Pater in ejus meritis, sed eum tradidisse in mortem neque ei pepercisse* (Rom. 8. 32.) *quia mundum diligeret. Et notandæ sunt loquutiones Propheticæ* (Jes. 9. 6.) *Puer natus est nobis; Item* (Zach.9.9.) *Exulta filia Sion, Ecce Rex tuus venit tibi. Frigeret etiam alioqui confirmatio illa amoris quam Paulus commendat* (Rom.5.10.) *quod Christus pro inimicis mortem subierit. Inde enim colligimus rationem sui non habuisse; idque clarè affirmat dicens* (Joh.17. 19.) *Pro illis sanctifico meipsum. Se enim nihil sibi acquirere testatur, qui fructum sanctitatis suæ in alios transfert. Et certè hoc maximè dignum observatu quod Christus ut se totum addiceret in salutem nostram, quodammodo sui oblitus est. Præposterè verò huc trahunt Pauli testimonium* (Phil.2.9.) *Propterea exaltavit illum Pater & dedit illi nomen &c. Quibus enim meritis assequi potuit homo, ut judex esset mundi, caput Angelorum, atque ut potiretur summo Dei imperio, atque in eo resideret majestas illa cujus millesimam partem cunctæ hominum & Angelorum virtutes attingere nequeunt? Sed facilis & plena solutio est, Paulum illic non disserere de causa exaltationis Christi; sed consequentiam duntaxat ostendere, ut nobis esset exemplo; nec omnino aliud voluit quam quod alibi dicitur,* (Luc. 24. 26.) *oportuisse Christum pati & ita intrare in gloriam Patris.*

CAP. XIX.

De ea Christi promissorum confirmatione, quam ipse Deus effecit: & primùm de resuscitatione Christi.

4 *Respondente* GREGORIO MEES, Groningano.

HActenus eam Christi promissorum confirmationem ponderavimus, quæ, quatenus propheticum munus sustinuit, ab eo facta fuit. Sequitur, ut de altera explicemus, quam ipse Deus effecit. Cujus quidem summa potissimùm in eo consistit, quòd inexplicabili sua potentia hunc filium suum, crucis morte extinctum, à mortuis excitavit, inque cœlum assumtum, atque immortalitate donatum, à dextris suis collocavit, idest, divinum cœlestemq; regem effecit, & summum Pontificem nostrum constituit. Et hæc quidem sunt reliqua duo munera, quibus suprà, præter Propheticum, de quo hactenus egimus, Christum præpositum esse diximus, Regium nimirum & Pontificium; quorum utrumque jam tandem considerabimus, quod quidem tunc ritè nos perfecturos speramus, si priùs pauca de Christi resurrectione, tum

ascensu

ascensu in cœlum dixerimus. Hæc enim quasi vestibulum, & primum quendam aditum ad Christi regnum fuisse, nemo ignorat. Addo, quòd resurrectio Christi cum ejusdem gloria, quæ consecuta est, tanto vinculo conjuncta est, ut divini autores (*Act:2.32. & 4.33. (conf.5.31,32. & 10.42.) & 13.31. & d. Rom.4. ult: 1 Pet:1.2. 1 Pet.3.22.*) illius nomine, non ipsam tantummodo sed simul etiam ea, quæ illam consecuta fuêre, immortalitatem quidem creberrimè, sed sæpe etiam regnum ipsius complectantur. Quid, quod
102. ideo etiam hoc loco nequaquam prætermittenda fuit, quod maximum divinę veritatis argumentum continet, & unà cum regio Christi munere illam vim spiritus divini complectitur, quæ non solùm, ut superior illa, quam in miraculis cerni ostendimus, (*1 Ioh:5.6.8.*) Jesum divinum hominem, atque adeo Christum esse, testimonio comprobat, (*Rom:1.4.*) sed quæ etiam, ut is Christus sit, efficit, seu eum Christum constituit; & porrò ejus disciplinam veram esse planè convincit.

† *Sequitur ut de altera*] Vitiosa est hæc oppositio inter Deum & Christum, cum & ipse Christus sit Deus super omnia benedictus Rom: IX, 5. & unum cum Patre Joh:X,30.

Quod inexplicabili] Sed & Christus ipse seipsum propriâ suâ virtute suscitavit, ut liquet ex Joh: II, 19.20. & X, 18. quia nempe eadem est ut essentia sic potentia Patris & Filij.

Idest, divinum cœlestemque] Primò nullus *divinus* Rex dici debet, nisi sit vel à Deo, vel Deus: Christus *divinus* Rex dici nequit priori sensu, quod ita sint omnes Reges & Principes divini, idest à Deo constituti Rom: XIII, 1.2. Igitur id epitheton, quo utique ab aliis Regibus & Principibus distinguitur, secundo significatu debet illi convenire. Porrò non est Christus *Rex* constitutus, ut vult Volkelius, suâ collocatione *à dextris* Dei, sed tantum talis declaratus & manifestatus. Jam enim hunc titulum suo jure obtinuerat in Cruce, talem se esse ac eum in finem se venisse dixerat Pilato Joh:XVIII, 37. & quà talis subierat Jerosolymas sextiduo ante suam mortem Zach:IX,9. Imò sub hoc elogio quæsitus fuerat à Magis & in cunis adoratus Matt:II,2.11.

Et summum Pontificem] Falsum est Christum in *summum Pontificem* fuisse demum constitutum ipsius exaltatione ad dextram Patris, cùm jam in sua passione & morte talem se præstiterit, seipsum offerendo pro nobis, & hoc suipsius Sacrificium, variis ejulatibus & lachrymis, quæ pro libamine in illo fuerunt, adspergendo Heb:V,6.7. IX,13.14. Nec ita constanter in Scripturis, mors Christi nobis describeretur terminis ex sacrificiis *legalibus* desumptis, nisi in ipsa constitisset supremus actus immolatorius sacrificij illius propitiatorij quo Dominus æternam nobis redemptionem nactus est. Quî enim mors Christi ullo modo sacrificalis censeretur, si nonnisi post mortem & resurrectionem suam, Christus supremum Pontificatum est adeptus? Sanè Magi ipsum jam & Regem & Sacerdotem agnoscebant, qui illi offerebant Aurum ceu Regi, Thus ceu Sacerdoti, & Myrrham ceu Prophetæ.

Quorum utrumque jam tandem] In eo est ὕστερον πρότερον, cùm Christi resurrectione & ascensione in cœlos, utraque dignitas Sacerdotalis & Regia prior sit; siquidem utriusque & Propheticæ simul gratiâ, Christus sive Messias, idest unctus, fuit factus; & Regem eum simul ac Sacerdotem fuisse, etiam dum in his terris ageret

ageret, certissimum est. Cùm mors ipsius ad actum specificè Sacerdotalem pertinuerit, uti aliàs ostensum, non potest summus Pontificatus illius demum inchoari ab ascensione in cœlos: & cùm adhuc in cunis ageret Magi eum ceu Regem adorarunt Matt: II, II. & se talem professus est coram ipso Pilato Joh: XVIII, 37.

Hæc enim quasi] Non debet confundi Regia dignitas in Christo, cum illius potenti & gloriosa administratione: Verum est quod dicit Volkelius, quoad posteriorem, non quoad priorem: David jam Rex erat diu & optimo jure, priusquam à toto Israele Chebronem conveniente pro tali agnosceretur 2 Sam: v, 3.

Ut divini authores] Est hic quandantenus hiulca oratio authoris, sive ex mendo Typographico, sive ex festinantis ipsiusmet Volkelij inter scribendum vitio. Quod verò Jmmortalitas, Gloria, & Regnum Christi, ejus Resurrectione unà significentur in Scripturis, causa est in promptu, quia videlicet ad immortalitatem & gloriam resurrexit, adeoque corpus gloriosum & immortale, quod nolunt Sociniani, retulit ex sepulchro.

Quod maximum divinæ] Non tantum continet resurrectio Christi *divinæ veritatis* argumentum, sed etiam ἀπόδειξιν divinæ virtutis suæ, ut vel inde Deus super omnia benedictus sit agnoscendus: Non ergo inde tantum *divinus homo*, quod cuilibet Prophetarum competit, & *Christus* communiori sensu, quod Regibus Israelitarum olim conveniebat; (de loco 1 Joh: v, 6. 8. ante dictum.) sed revera θεάνθρωπος & Dei Messias ac Filius unigenitus, Patri ὁμοούσιος, venit agnoscendus. Ideo debuit resurgere, *solutis doloribus mortis, eo quod fieri non poterat ut ipse ab ea retineretur* Act: II, 22. Nec enim sub imperio mortis poterat detineri Princeps vitę, Pater æternitatis, & qui ipse erat Resurrectio & Vita. Hinc nusquam factus & constitutus Christus Deus Filius dicitur resurrectione mortuorum, sed talis declaratus Rom: I, 4. Ex Act: v, 30. liquet eum exaltatum fuisse ceu ἀρχηγὸν & σωτῆρα, sed non quod Christus ipsâ Resurrectione sit factus & constitutus: Hæc sunt Socinianorum glossemata, quę cùm omni Scripturarum authoritate destituantur eadem facilitate contemnuntur quâ probantur.

Vt igitur priùs de resurrectione dicam, duo potissimùm hoc loco discutienda videntur: ut nimirum, tum ad quam causam illa referenda sit, tum quo pacto sempiternæ vitæ promissum confirmet, diligenter animadvertamus. Reliqua enim vel disputatione non indigent, vel passim in hoc opere nostro explicantur.

Primò igitur res ipsa docet, Christi resurrectionem non nisi divinâ virtute potentiâque effici potuisse; utpote quę & naturę terminos excedat, & omnes non modò humanas, sed & angelicas vires superet. Est quippe à mortuis excitari nihil aliud, quàm iterum existere, postquam esse desieris. Qui enim morte extincti, & porrò in mortuorum statu constituti sunt, illi jam non sunt ampliùs, ut sacræ lit: loquuntur. (*Iob: 14. 10. Psal: 39. 14. Hier: 31. 15. Matt: 2. 18. Thren: 5. 6.*) Ex quo fit, ut Christum, qui in eodem statu fuit, non nisi à Deo, qui Pater ipsius est, in vitam revocatum esse, firmiter credendum sit.

 ‡ *Primò*

Primò igitur res ipsa] Et hoc libenter annuimus: Cùm enim Christus propriâ suâ virtute resurrexerit, eò magis inde confirmatur ejus Divinitas æterna, quam Adversarij nolunt agnoscere.

Est quippe à mortuis] Fateor ejusdem esse potentiæ & mortuum suscitare vitæque restituere, & creaturam ex nihilo producere: cùm potentia infinita utrobiq; requiratur: Sed nego tamen eandem esse rationem resurrectionis & productionis ex nihilo: Nam Creatio procedit simpliciter à non esse ad esse, sed Resurrectio procedit tantum à morte ad vitam, sive à non vivere in carne quod mors abstulit, ad carnis vivificationem, sive vitæ in illa restitutionem per animam ei denuò unitam & conjunctam. Itaque mors non est absoluta essendi desitio, ut volunt isti Impietatis & Atheismi Doctores; remanet enim anima post animal, nec ipsa corporis materia, licet ad tempus per resolutionem & corruptionem ipsius variis formis successivè vestiatur, penitùs annihilatur; sed est tantum vitæ animalis interitus, per divulsionem ac separationem animæ à corpore, extinctis in hoc spiritibus illis organicis per quos anima solet & debet operari.

Qui enim morte extincti] Vitiosé argumentatur Volkelius à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: Locis enim hîc citatis dicuntur mortui non esse amplius; non simpliciter & absolutè, quasi nihil omninò ex illis supersit; Reclamat enim Scriptura quæ docet *Spiritum redire ad Deum qui dederat illum* Eccl: XII, 9. Non metuendos *qui trucidant corpus*, *animam vero trucidare non possunt* Matt: X, 28. Vivere & existere meliori sui parte Abrahamum Isaacum & Jacobum, eo quod se Deum illorum Dominus esse dicat, cum tamen *non sit Deus mortuorum sed viventium* Matt: XXII, 23. Beatos esse à modo qui *in Domino moriuntur* Apoc: XIV, 13. eos enim relicto corporis ergastulo & tabernaculo, *adesse apud Dominum* 2 Cor: V, 8. & *esse cum Christo* quod *multò melius est* quam *permanere in carne* Phil: I, 23. 24. Statim post hanc vitam *Lazarum* recepisse *solamen* in sinu Abrahæ, sed *Epulonem* in locum cruciatuum delatum fuisse Luc: XVI, 23. 24. 25. Hinc optabat ipse Balaam *mori morte justorum* Num: XXIII, 14. & pij leguntur pleni spei, fidei & alacritatis in ipsa morte, ut pote sub qua ad immortalitatem transiri noverant; vide exempla Gen: XLIX, 18. Psal: XXXI, 6. Luc: II, 29. Act: VII, 59. Sed de mortuis dicitur quod *jam non sint amplius*, tantum comparatè, limitatè & secundum quid; tùm quia ipsum compositum jam resolutum est, tùm quia inter homines esse & versari desierunt, ut patet ex locis parallelis: Sic enim David loquitur de improbo Psal XXXVII, 35. 36. *Vidi improbum magnâ vi erumpentem, & sese explicantem tanquam arbor indigena virens: Deinde præterii, & ecce non erat amplius; quæsivi eum & non inventus est*: quia nempe jam abierat ad plures, & ejus splendor extinctus erat inter homines. Ita de Enocho dicitur quod *non extitit amplius quia assumpsit eum Deus* Gen: V, 24. *Fuit* enim *translatus ne videret mortem*, *nec fuit inventus propterea quod transtulerat eum Deus* Heb: XI, 5. Ejusdem ergo debemus censere ordinis ea quæ dicuntur de mortuis jam non amplius existentibus, locis tam sollicitè corrasis à Volkelio, (ad quæ sigillatim respondere, opus non est) ac quod dicitur de Enocho jam non amplius existente, & de quo illud legitur ואיננו *Veenennu*, ubi illud *& non ipse* Vatablus in Bibliis Roberti Stephani, ad quæ superiori capite provocabat Author, reddidit per *esse desiit*; licet tamen ipsum in cœlo translatum agnoscant Adversarij, *tom. I. lib. 2. pag. Auth. 16. nobis 723.*

Ex quo fit ut Christum] Fuit quidem Christus *in mortuorum statu*, sed tamen blasphemè diceretur, de ipso quod simpliciter & absolutè secundum sui totum *esse* desierit: Nam Divinitatem quod attinet, fuit

net, fuit naturâ & essentiâ planè immortalis; Animam quod spectat, æquè eam habuit immortalem & remanentem post animal ac nos: Imò illius respectu expressè dixit suo Patri, *Pater in manus tuas depono Spiritum meum* Luc: XXIII, 46. Quin & ipsi latroni pœnitenti ib. com. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Imò verò ipsum corpus ejus remansit hypostaticè conjunctū, non secus ac anima ab illo jam separata, ipsi Divinitati, unde possibile non fuit *carnem ejus sentire corruptionem*, aut ipsum *a morte* ejusve *doloribus* retineri, juxta vaticinium Davidis Psal: XVI, 10. *Non deseres animam meam apud inferos, nec sines sanctum illum tuum, sentire corruptionem* Act: II, 22. 27. 31. Certè qui in ipso sepulchro remansit *sanctus* ille Dei, adeo ut caro ejus sentire corruptionem nec debuerit nec potuerit, absurdè statuetur absolutè annihilatus & secundum sui totum esse desiisse.

Nonnisi à Deo] Pater quidem Christi Deus est; sed cùm ipse quoque ceu talis Patris Filius, sit *verus Deus & vita æterna* 1 Joh: V, 20. ac consequenter *Resurrectio & Vita* Joh: XI, 25. ut pote *vitam habens in seipso* non secus ac Pater Joh: V, 26. dubium non est quin propria suâ virtute, quæ una est cum potentia Patris, Christus quoque resurrexerit, quod disertè docet Scriptura, uti ante monitum Joh: II, 19. 20. X, 18.

Id quod insuper compluribus divinarum literarum testimoniis comprobatur; de quibus illud Pauli omnium & luculentissimum, & ad rem, quam agimus, accommodatissimum esse videtur, (*Ephes: 1. 20.*) quo confirmatur, Deum Patrem excellentem potentiæ suæ magnitudinem, pro egregii roboris sui virtute, in Christo exeruisse, eum ex mortuis suscitando. Quæ quidem Dei potentia ut omnibus clarissimè pateret, pro sua singulari sapientia effecit, ut Iesum revera mortuum, inque mortuorum statu fuisse, omnibus apertissimum esset. Nam (*Joh: 19. 34. 38, 40.*) & lanceâ latus ejus pungendum, & eâ ratione, utrùm revera mortuus esset, explorandum curavit; & illius corpus de cruce detrahi, linteoque involvi, & sepeliri, ut omni jam sensu destitutum esse pateret; & denique usque ad tertium diem in sepulchro esse voluit, ut nullus relinqueretur dubitandi locus, an planè è vita discessisset; & porrò nemo suspicari posset, eum, ut pote non planè mortuum, vel propriarum virium præsidio, vel humanâ ope triduo peracto revixisse, & sic Dei gloriæ multum detraheretur.

‡ *Id quod insuper*] In rebus non controversis isti homines sunt valdè diligentes; Non quæritur enim an virtute & potentiâ Patris Christus fuerit suscitatus ex mortuis, sed tantum an id ita sit factum virtute & potentiâ Patris solius, ut ipse Christus Patri consubstantialis ejusdemq; cum Patre essentiæ ac potentiæ, seipsum quoque suscitasse dici nequeat; quod fuisset Volkelio demonstrandum.

Quæ quidem Dei potentia] Christum humanitatis suæ respectu verè mortuum fuisse, est certissimum, neque de illo ulla hîc controversia venit movenda. Ipsi semi-Judaizantes, cum quorum Coryphæo Seidelio magna Socino intercessit familiaritas, de veritate mortis Christi nolunt dubitari.

Vel propriarum virium] Non quidem resurrexit Christus præsidio *propriarum virium* illius naturæ juxta quam ceciderat & mortuus erat; sed tamen resurrexit

præsidio earum virium quæ propriæ erant suæ personæ Divinitatis respectu. Nam templum corporis sui à Judæis eversum triduo post excitavit Joh:II,19.20.21.

Cum igitur Deus effecerit, ut Christus, qui jam non erat, rursus existeret, generatioque sit motus à non esse ad esse; meritò hanc ipsam ob causam Deus eum tunc genuisse dicitur, cùm illum à mortuis excitaret (*Act*: 13. 32.)
103. præsertim quia eum hac via sibi & immortalitate, & suprema potestate effecit similem.

Qui jam non erat] Quo sensu jam non esset suprà fuit explicatum: Nulloque Scripturæ loco eum jam non fuisse dicitur. Revixit quidem tertio die, sed tamen per id non transiit absolutè à non esse ad iterum esse. Aliud est excitari à somno mortis, aliud ex absoluta annihilatione & nonessentia secundum totum sui, quod intendunt Sociniani, ad priorem suam existentiam redire.

Generatioque sit motus] Sed I. Generatio, ut sonat acquisitionem formæ motus non est, ut norunt Philosophi; II. Generatio ut sonat tendentiā ad formam non est motus *à non esse* simpliciter & negativo *ad esse*, sed tantum à non esse secundum quid & privativo, cùm tamen supponatur materia prævie disposita ac præparata ad acquisitionem formę; III. Nusquam dicitur Deus *tunc genuisse* Christum, cùm eum à mortuis excitavit; sed tantum tunc innotuisse Christum esse Dei Filium unigenitum Patris, & quem ideo impossibile erat detineri vinculis mortis. Patet quod dico ex Rom:I,4. ubi dicitur *declaratus Filius Dei potenter secundum Spiritum sanctificationis per resurrectionem ex mortuis*; Aliud autem est *declarari* Filium quod antea erat, aliud per generationem talem constitui, quod antea non erat. Locus Act:XIII,32. nihil minus dicit quam quod illi tribuit Volkelius: Paulus ex verbis Davidis Psal: II, 7. probat consequenter suscitandum fuisse Jesum, eò quod is esset de quo Jehova dixerat, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; sed non probat per illam resurrectionem eum formaliter Filium Dei factum & constitutum esse. Multa probant aliquem esse alterius filium & ab ipso genitum, per quæ tamen formaliter non gignitur. Quin eo die quidem quo Christus fuit suscitatus à mortuis, Deus declaravit & manifestum fecit eum esse suum Filium dilectum & à se genitum ab æterno; sed eo tamen *die* eum non genuit: Ita enim sæpè verba absoluta in Scripturis habent significationem potiùs declarativam rei quam ejus constitutivam; cujus exemplum habemus luculentum Gen:XXII, 12. Aliàs jam ante suam resurrectionem Christus erat Dei Filius & unigenitus & proprius, talisque non semel à Patre renunciatus Matt:III,17. XVII,5. ut absurdè statuatur tum demum genitus à Patre cum fuit à mortuis per ipsum excitatus. Imò jam ante fuisse Dei Filium quam carnem nostram assumeret & ab æterno à Patre genitum esse, suo loco fusiùs fuit demonstratum. Denique etsi omnis generatio statueretur motus à non esse ad esse, non tamen viceversâ omnis motus à non esse ad esse, ut creatio vel suscitatio à mortuis, generatio dici deberet.

Præsertim quia eum] At jam antea ita similis erat Patri, ut profiteretur eum videre Patrem qui se videret Joh:XIV,9.10. Jam antea ita immortalitatem suæ divinitatis respectu possidebat, ut vitam in seipso habere se assereret non secus ac Patrem Joh:V,26. Jam antea ita *suprema potestate* similis erat Patri, ut quæcunque Pater faceret ipse *pariter* faceret Joh:V, 19. nec ullo modo *rapinam duceret parem esse cum Deo* Phil:II,6.

Et quidem

Et quidem ut magis constaret, Deum Iesum illum revera in vitam revocasse; tertio post mortem die, quàm quarto aut quinto, hoc facere maluit. Sic enim nullam fore causam prospexit, cur non eundem Iesum, qui crucifixus mortuusque erat, sed alium quempiam illius loco exhiberi quispiam existimaret: cùm verisimile atque adeò experientiâ cognitum sit, hominum cadavera tridui spatium à corruptione integra manere, pòst verò putrescere, & paulatim ad nihilum venire. Qua de causa Martha illa, Lazari demortui soror, Domino Iesu dixit: (*Ioh: 11. 39.*) *Domine, jam fœtet. Nam quatuor dierum est.* Ne igitur de Christi corpore dubitatio aliqua hominum mentibus injiceretur, & sic non is ipse, qui sepultus fuerat, resurrexisse putaretur; consentaneum divinæ sapientiæ fuit, ut tertio post mortem die eum in vitam restitueret; & quidem hanc ipsam ob causam, non simul ac resurrexit, in divino gloriosoque illo statu eum collocavit, & immortali spiritualique corpore donavit: sed per quadraginta dies cum suis eum commorari, cœlestisque regni eis rationem exponere voluit; (*Act: 1. 3.*) & ut ipsum in vitam revocatum esse exploratissimum haberent, in eodem corpore illum ante oculos illorum costituit, in quo plagis contusus, vulneribusque excruciatus ac deformatus, atrocissimaque morte extinctus erat. (*Luc: 24. 40. Ioh: 20. 27.*) Et ut tota hæc res confirmatissima esset, ipse Iesus, postquam à mortuis resurrexisset, tùm cibo potuque cum illis utebatur, (*Luc: 24. 41, 42, 43.*) tùm clavorum lanceæque, quâ confixus erat, vestigia ostendebat; (*Ioh: 20. 19, 26.*) quorum nihil in immortale ac gloriosum corpus cadit.

‡ *Et quidem ut magis*] Suas proculdubio habuit justissimas Deus causas ob quas triduo post mortem Filium suum suscitaret: Id temporis sufficiebat ad mortis veritatem comprobandam; sed non debuit vel longius esse, ne vehementiori tentationi fides discipulorum exponeretur, (cum jam tertio die inciperent animum despondere Luc: XXIV, 21.) aut sacratissimum illius corpus fœtori & putrefactioni exponeretur, contra quam prædictum fuerat Psal: XVI, 10. vel brevius, ne mortis quam adierat veritas posset ullo modo in dubium revocari. Sed minus philosophicè hîc dicuntur *cadavera* putrescendo *paulatim ad nihilum venire*; cum nullam dari *annihilationem* in rerum natura sit certissimum; Unde Peripatheticorum Scholæ materiam subinde novas induentem formas vi hujus axiomatis, *Corruptio unius est generatio alterius*, æternam statuerunt.

Et quidem hanc ipsam] Non equidem statim à sua Resurrectione ascendit in cœlum, sed de causis hîc annotatis, distulit hanc suam Ascensionem usque ad quadragesimum diem; quò interea & suos Discipulos familiariùs edoceret, & fidem certiorem suæ Resurrectionis apud illos adstrueret; Sed tamen in ipsa sua resurrectione & vi illius donatus fuit *immortali spiritualique corpore* illo quod intulit in sacrarium cœleste: Nam talis fuit Resurrectio Christi, qualis nostra futura est in die judicij Phil: III, 21. At in hac corpora spiritualia & immortalia recuperabimus, & juxta Aggæum II, 10. major est futura gloria domus posterioris quam prioris. Tum Christus in eo corpore resurrexit, in quo ascendit in cœlum & rediturus est judicatum vivos & mortuos,

ut liquet ex Act:1,11. Hoc autem immortale & spirituale esse, qualitativè non substantivè, certo certius est. Et cum Christus non resurrexerit ut Lazarus vel Eutyches ad hanc vitam mortalem, necesse est eum ex sepulchro corpus immortale, nec amplius morti obnoxium retulisse; quod disertè docet Paulus Rom: VI, 9. 10. *Ut qui sciamus Christum suscitatum ex mortuis, non amplius mori, nec mortem ei amplius dominari: Nam quod mortuus est peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo.*

In quo plagis] Id debuit, quia quod ceciderat debuit resurgere & idem numero corpus quod illatum fuerat sepulchro, ex eo redire: quod etiam omnibus nobis eveniet 2 Cor: V, 10. Aliàs nec resurrectio foret, nedum resurrectio carnis quam profitemur in Symbolo.

Tum cibo potuque] Verè quidem Christum manducasse post Resurrectionem agnoscimus: At id non factum ad nutritionem, quâ non egebat, sed per œconomiam & dispensationem in Resurrectionis suæ argumentum; ut cùm Angeli in corporibus assumptis aliquando has & alias operationes vitales edidisse leguntur. Neque hîc pigebit annotare verba Thomæ 3. *p. q.*54 *art.*3. *ad* 1. quo magis constet Socinianos vix quicquam nunc movere qvod olim motum & refutatum non fuerit; *Sicut* (inquit ille) *Augustinus dicit* 13. *de Civit. Dei* (cap. 22.) *Salvator noster post resurrectionem, jam quidem in spirituali carne, sed tamen vera, cibum & potum cum discipulis sumpsit, non alimentorum indigentiâ, sed eâ quâ hoc poterat potestate: Ut enim Beda dicit super Lucam* (cap. 97.) *aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius calens, illa indigentiâ, iste potentiâ. Manducavit ergo post resurrectionem non quasi cibo indigens, sed ut eo modo naturã corporis resurgentis astrueret: Et propter hoc non sequitur quod fuerit ejus corpus animale quod est indigens cibo.*

Tum clavorum lanceaque] Atque hæc vestigia non dedecebant corpus gloriosum: siquidem ea servare voluit Christus non ex impotentia curandi, sed in trophæum suæ victoriæ, suæq; resurrectionis argumentum. Et quamvis statuat Augustinus 22 *de Civ. Dei cap.*20. quod fortassis in corporibus martyrum videbuntur vulnerum cicatrices quæ pertulerint pro nomine Christi, possetque defendi Christum has suas retenturum in diem judicij, ut impij in eum respiciant quem pupugerunt Zach: XII, 10: Joh: XIX, 37. Apoc: I, 7. attamen eò nihil attinet devenire, cùm ad tempus potuerit hæc vulnerum vestigia, per quandam dispensationem, citra corporis gloriosi & immortalis dedecus retinere, ad firmanda corda discipulorum circa Resurrectionis fidem; præsertim cum in illis plus dignitatis & gloriæ foret, quam ignominiæ vel probri; ut potest Imperator ostentare cicatrices vulnerũ quę pro Rep. exceperit.

Quorum nihil in] Jam contrarium de utroque est demonstratum, atque sic concidit palmarium argumentum Volkelij, quo Christo resurgenti corpus gloriosum & immortale vult denegare: Nam carni suæ *immortalitatem dedit, naturam non abstulit*, ut habet Augustinus *epist.* 57. Videatur idem *epist.* 146.

Non audiendi igitur illi sunt, qui ut Christum jam tum glorificato corpore circumdatum fuisse ostendant, illa Iohannis adducunt verba, quibus Iesum post resurrectionem, cùm fores essent clausæ, ad discipulos venisse, in medioque stetisse asserit; unde consequi ajunt, Iesum per ostium clausum penetrasse, & porrò corpore glorioso tunc cinctum fuisse. Et enim nulla in argumento illo est consecutio. Nam Iohannis verba nequaquam prohibent, quominus januam clausam, non animadvertentibus discipulis, miraculosa

quadam

quadam ratione apertam fuisse statuamus; quemadmodum & portam illam ferream (*Act: 12. 10.*) suâ sponte Petro Angeloque, qui illum ex carcere eduxerat, sese aperuisse accepimus.

‡ *Non audiendi igitur*] Fateor ex miraculoso Christi ingressu ad discipulos, non posse colligi, quod volunt nonnulli, Christi corpus post Resurrectionem, ita in tenuem spiritualemque substantiam abiisse, ut corpora solida penetrare potuerit: cùm neque id in ullum corpus glorificatum cadere debeat aut possit; siquidem omne corpus, suas debet dimensiones retinere, suumque locum & spatium sibi adæquatum occupare; ut nec ullum corpus, quantumlibet glorificatum, simul in pluribus locis adæquatis, nec duo corpora simul in eodem loco consistere possint; quò facit potissimum illud Augustini *epist. 57. quæ est ad Dard. Spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt nec erunt: Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum non erit ubi sint, & ideo necesse est ut non sint.* Sed interea etsi hoc argumentum non adstruat penetrationem dimensionum, quam neque velimus defendere, attamen responsio Adversarii, nihil delibat de nostra thesi quod Christus resurgendo corpus immortale & gloriosum sit consequutus: Nec enim requiritur in corpore glorificato ut alia corpora solida penetrare queat.

Quid quòd, ut Lucas testatur, cum discipuli sese spiritum videre putarent, hunc illis errorem exempturus dixit, (*Luc: 24. 39.*) *Videte manus meas & pedes meos; quia ego ipse sum: palpate, & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis habere me.* Cùm verò illi adhuc diffiderent præ gaudio, & admirabundi hærerent, cibum sibi dari jussit, & in eorum conspectu comedit. verè inquam, ac propriè comedit; quandoquidem tùm ipse Dominus, ut 104
sese spiritum non esse ostenderet, id fecit; tùm Petrus (*Act: 10. 41.*) hoc ipso argumento ejus resurrectionem demonstrat. quod neutiquam facere potuisset, si modo quodam imaginario cum illis cibo potuque usus fuisset.

Quid quod, ut] Atqui hoc Christi dictum ostendit quidem se verum corpus carne & ossibus constans ex sepulchro retulisse, adeoque nec esse δαιμόνιον ἀσώματον, ut loquitur Ignatius; sed non probat corpus illud gloriâ & immortalitate fuisse destitutum: Addit enim resurrectio corpori immortalitatem & gloriam, suam tamen ei naturam auferre non debet.

Verè inquam ac propriè] Fateor *verè ac propriè*, non *modo quodam imaginario* Christum post suam resurrectionem comedisse; idest cibum in os ingessisse, mandisse, per œsophagum in stomachum traduxisse; adeoque omnia illa fecisse quæ comprobandæ suæ Resurrectioni poterant inservire: Nego tamen hunc cibum masticatum & comestum à Christo, ejus corpori nutriendo inserviisse aut in illius substantiam abiisse: quod omninò foret probandum asserenti corpus illius nec immortale nec gloriosum tum fuisse.

His ita constitutis facilè intelligetur, quâ ratione beatæ immortalitatis promissio Christi resurrectione confirmata fuerit. Animadvertendum quippe est, Deum ideo tantam suam in Christo excitando potentiam declarasse, ut nobis

nobis, quibus idem resurrectionis immortalitatisque beneficium promisit, planissimè constaret, eum esse illum, qui mortuis vitam restituere possit. Unde apparet, Christi resurrectionem non solùm divinum promissum simpliciter confirmare, quod ei cum aliis rei istius argumentis commune est, sed etiam ejus veritatem exemplo proposito conspiciendam quodammodo exhibere. Et hoc quidem illùd est, quod Petrus ait, (1 Petr: 1. 21.) *Deum ex mortuis illum excitasse, gloriâque ornasse, ut nostra fides atque spes in Deo reposita esset:* nec non illud, quod Paulus (Rom: 4. 24.) *nos in eum credere* asserit, *qui Iesum à mortuis suscitavit.* Quibus verbis Deum ideo circumscribere voluit, ut non solùm doceret, quis ille sit, in quo fidem ac spem nostram collocemus; sed simul etiam, quam ob causam ei confidendum sit, ostenderet.

‡ *Animadvertendum quippe est*] Verùm si alia sit futura nostra resurrectio quam Christi, si vi illius alia omnino corpora simus consequuturi quam Christus in sua obtinuit, non video quî *resurrectionis immortalitatisque beneficium* nobis confirmet Resurrectione suâ, quam juxta Volkelium neque immediatè neque necessariò immortalitas & gloria consequebantur. Adhæc jam ante sub V. T. aliquot exemplis satis superque constiterat Deum *esse illum qui mortuis vitam restituere possit*, ut hoc ulterius confirmari in Ecclesia quæ sacra suspicit volumina, *exemplo* Christi non debuerit.

Sed etiam ejus veritatem] Agnosco immortalitatis perChristum obtinendæ promissionem nobis luculenter confirmari ipsius Resurrectione à mortuis: Sed nego eò solum respicere Apostolos Petrum & Paulum locis hîc adversario citatis. Etenim quod dicitur 1 Pet: 1, 21. Deus Christum ex mortuis suscitasse & ornasse gloriâ, *ut nostra fides atque spes in Deo reposita esset*, non spectat tantum exemplum potentiæ Divinæ cui tutò proinde confidamus; aliàs etiam æquè dici posset, suscitatum fuisse Lazarum ex mortuis, per mare rubrum traductum populum Israeliticum, imò ipsum mundum creatum & hactenus conservatum, ut nostra fides atque spes in Deo reposita esset: Nam firmandæ nostræ fidei, tot nobis possunt ac debent esse argumenta, quot opera & miracula Divina Numinis Omnipotentiam evidenter comprobant: Sed fides nostra speciatim in Deo reposita est ob Resurrectionem Christi bifariàm; I. Quia credendi in Christum nobis est argumentum firmissimum ipsius resurrectio ex mortuis & quod *sese postquam passus fuit exhibuit vivum* suis Discipulis Act: 1, 3. Jam autem credentes in Christum credimus quoque in Deum Joh: XIV, 1. II. Quia suscitatione Christi ex mortuis constitit opus nostræ Redemptionis ita peractum & consummatum, ut plenâ fiduciâ ac certâ spe possimus consequenter ad illam vitam & gloriam æternam à Deo expectare. Eodem planè sensu dicimur Rom: IV, 24. *in eum credere qui Iesum à mortuis suscitavit*; Subdit enim Apostolus verbis immediatè sequentibus com: 25. quod fuerit *traditus propter offensas nostras & suscitatus ad nostri justificationem.* Et cùm agnoscat Volkelius sic judicari, non solum *quis ille sit in quo fidem ac spem nostram collocemus, sed simul etiam quam ob causam ei confidendum sit*, non potest statui Resurrectio Christi *causa* fiduciæ in Deum reponendæ, quin aliquid amplius in illa veniat considerandum quam *exemplum* & effectus Omnipotentiæ Divinæ.

Quam

Quam quidem ob rem idem Apostolus, (*1 Cor:15.12.*) ut & Petrus, (*1 Petr: 1. 3.*) ex Christi resurrectione nostram resurrectionem concludit, tantamque ejus, si exaltationem Christi universam hoc nomine comprehendas, vim esse indicat, ut cui de illa persuasum est, is immortalitatem sit consecuturus. Quid, quòd omnes reliqui Apostoli, (*Act: 1. 21.*) ut homines ad Christianam religionem amplectendam adducerent, satis habuerunt docere, Christum revera à mortuis resurrexisse; propterea quòd fieri non potest, quin, qui rem ita sese habere persuasum habeat, is Christo det nomen, eique constanter adhæreat. Qua de causa & Paulus, (*2 Tim:2.6.*) ut Timotheum ad patientiam Christianam firmaret, & ad officii sui munera diligenter obeunda incenderet, hoc unum præcipuè illum meminisse voluit, Iesum Christum resuscitatum à mortuis, ex semine David. Atque hæc causa est, cur Deus Christum in vitam revocatum non omni vulgo, sed solis discipulis illius exhibuerit; (*Act: 10. 41*) quòd Iudæos obstinatos perire, probos autem fidei exercendæ materiam habere voluit.

Quam quidem ob rem] Nostra resurrectio concluditur ex Christi resurrectione 1 Pet:1,3. 1 Cor:XI, 12. & seqq. non tantum ut ab *exemplo*, sed etiam ut à pignore illius certissimo, & à causa infallibili & necessaria. Resurgemus enim quia Christus suâ morte nos à peccato & morte redemit, & redemptionis hujus veritatem suâ resurrectione abundè comprobavit, & consequenter ad illam ascendit in cœlum nobis paratum locum Joh: XIV,3. Unde seipsum vocat resurrectionem & vitam Joh: XI, 25. Hinc dicimur resurrexisse cum Christo Col:III, 1. ut membra in suo capite & massa in suis primitiis 1 Cor:XV,23. Hinc dicimur 1 Pet: 1,3. regeniti *in spem vivam* per resurrectionem Christi ex mortuis, quia spei vivę concipiendæ causa & fundamentum est Christi resurrectio, ut est Redemptionis susceptæ complementum & demonstratio; juxta illud Pauli 1 Cor: XV, 7. *Quod si Christus non est suscitatus, inanis est fides vestra; adhuc estis in peccatis vestris.* Hinc quoque Rom:X,9. in fide & persuasione de resurrectione Christi, salus nostra reponitur synecdochicè, quatenus qui credit resurrectionem Christi, eo ipso credit *traditum enim fuisse propter offensas nostras, & suscitatum ad nostri justificationem* Rom:IV,25. Non ergo sola *exaltatio* ejus, ut vellet Volkelius, hoc nomine comprehenditur à Paulo Rom: X, 9. sed etiam ejus mors & passio, quam cum sustinuerit pro nobis, etiam nobis resurrexisse credendus est.

Quid quod omnes] Urserunt meritò Apostoli *Christum revera à mortuis resurrexisse*, quo & doctrinæ quam annunciaverat Veritatem, & Muneris quod susceperat Efficaciam ac Dignitatem, & Personæ ipsius Divinitatem ac Potestatem comprobarent; Ideo Act: 1, 21. 22. statuunt Apostoli eligendum in locum Judæ *testem* futurum secum *resurrectionis* Christi, sed talem, inquiunt, qui *nobiscum convenerit toto tempore quo Dominus Iesus versatus est inter nos, exorsus à baptismo Iohannis ad eum usque diem quo receptus est à nobis.* Et *Apostoli magnâ vi reddebant testimonium resurrectionis Domini Iesu* Act:IV,33. quod ita comprobaretur, eum esse Redemptorem, Messiam, Dei Filium, quem ideo impossibile erat *à morte detineri*, quod Deus pronunciasset se non passurum *sanctum illum suum sentire corruptionem* Act:II, 24.25.26.27.

Qua de causa] Hoc *Memento* proponit

Paulus Timotheo, non solum quod exemplo resurrectionis Christi nobis confirmatur omnipotentia Dei, nostraque fides ex consequenti in Deum; Sed 1. Quod in Christo post suam resurrectionē jam glorioso, habeant fideles ejus Ministri vindicē & remuneratorem laborum suorum. 2. Quod sicut Christi labores & passiones, sequuta est per ipsius resurrectionem quies, exaltatio & gloria, ita etiam eveniet suis membris, juxta id quod paullò post subdit Apostolus 2 Tim:II,10. *Certus est hic sermo: Nam si cum eo mortui sumus, cum eo etiam vivemus.* 3. Quod hic articulus resurrectionis Christi inter cœteros veniat inculcandus adversus hæreticos vel ejus Divinitatem abnegantes, vel futuram nostram resurrectionem impugnantes; quales jam illius tempore erant Simoniani, Ebionitæ & alij, qui hodiernis Socinianis multifariàm præluserunt.

Atque hæc causa est] Iterum argutatur Volkelius à non causa, ut causa. Hinc enim sequerentur duo gràvia absurda; 1. Deum voluisse *perire* eos omnes Judæos quibus Christum in vitam revocatum non exhibuit; cùm tamen nec omnibus piis qui tunc erant fuerit exhibitus, & plures ex Judæis paullò post Deus ad fidem Christi traduxerit, qui eum viderant patientem, suscitatum non viderant. 2. Eos solos *fidei exercendæ materiam* habuisse, quibus vivus & suscitatus Christus apparuit; Cùm tamen beati pronuncientur ab ipso, etiam occasione suæ Resurrectionis, qui non viderint & crediderint Joh: xx, 29. Si vides, non est fides. Sed Christus suscitatus tertio die, ut refert Petrus Act: x, 40. 41. *conspicuus factus fuit non toti populo, sed testibus quos ipse prius designaverat*, 1. Quod nollet ab ullo impiorum, quibus non resurrexerat, post suam Resurrectionem videri, ut docet Augustinus *tract.* 76. *in Ioh.* 2. Quod non esset amplius cognoscendus secundum carnem 2 Cor: v, 16. nec ad symbiosim terrenam resurrexisset, ut Lazarus, sed ad gloriam æternam: atque hinc est quod nequidem cum suis Apostolis post suam Resurrectionem ita ordinariè & familiariter, ut antea, conversabatur, sed per aliquot duntaxat intervalla ipsis apparebat, & nonnisi semel atq; iterum cum ipsis convivari voluit, ut de veritate sui Corporis & Resurrectionis suæ fierent certiores. 3. Quod persuasionem de sua Resurrectione, & salute consequenter ad illam suis conferenda, deinceps deberi vellet non oculis & sensibus externis, sed fidei & verbo suo, Rom: x, 17. Et ideo paucos duntaxat selegit oculatos testes suæ Resurrectionis, quorum præconio ab aliis omnibus servandis fidem adhiberi voluit.

Intelligendum igitur est, Christum ita à mortuis resurrexisse, ut, quemadmodum Paulus ait, (*1 Cor: 15. 3.*) primitiæ illorum, qui obdormierunt, vel primogenitus ex mortuis esset, id est, ut primus eorum, qui ex mortuis ad sempiternam vitam excitandi sunt, existeret; & sic liquidò constaret,
105. omnes, qui ipsius sunt, ejusdem felicitatis fore participes. Primitias enim primogenitaque ad ea semper respectum habere, quorum vel primitiæ, vel primogenita dicuntur, nemo ignorat. Quo fit, ut nisi & illi, qui Christi sunt, idem resurrectionis beneficium consequantur, Christus primitiæ mortuorum, seu primogenitus ex mortuis jure appellari non possit. Quod quidem cùm falsissimum esse divini spiritus autoritate convincatur; falsum certè & illud esse oportet, unde hoc consequitur. Et hanc quidem argumentationem ipse Paulus hunc in modum exprimit, atque illustrat: (*1 Cor: 15. 20. & d.*)

& d.) Christus resurrexit a mortuis, primitiæ eorum, qui obdormierunt. Cum enim sit per hominem mors; etiam per hominem est mortuorum resurrectio. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine: primitiæ Christus; deinde ii, qui sunt Christi, in ejus adventu.

‡ *Intelligendum igitur est*] Christus est *primitiæ dormientium* 1 Cor:xv,20.23. & *primogenitus ex mortuis* Col:1,18. non solum quod ordine temporis prior sit in resurrectione ad gloriam, sed etiam quod ab ipso tanquam fonte & radice, manet illa vita salutaris quam cœteri omnes pij in sua Resurrectione consequentur. Sic enim primitiæ & radix pro uno veniunt Rom: xi,16.

Quo fit ut nisi] Et hoc largimur, quod *idem Resurrectionis*, gloriosæ nempe & salutaris, *beneficium* cum Christo, illi soli percipiant *qui Christi sunt*; sed negamus inde sequi Atheismum Sociniano-Judaicũ impios nunquam resurrecturos, Scripturâ tam luculenter contrarium testante Danielis xii,1. Joh:v,28. 29. Act:xxiv,15. Argutantur enim adversarij, ipseque Volkelius hic ex indirecto, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: Siquidem Christus dicitur *primitiæ* mortuorum, non omnium, sed tantum eorum qui obdormierunt & *mortui sunt in Domino*, & quos ideo beatos pronunciat Spiritus Sanctus Apoc: xiv, 13. cùm hi soli ad massam Christi sanctificantis pertineant. Etenim Paulus non agit 1 Cor: xv, 20. & seq. de resurrectione in communi, quæ aliunde est repetenda, sed tantum de resurrectione piorum & eorum *qui sunt Christi*, in qua ipsorum consolatio potissima residet: Sic dicitur *primogenitus ex mortuis* Col:1,18. Apoc: 1, 5. tùm quia prior mortuorum resurrexit ad immortalitatem; quotquot enim antea resurrexerant resurrexerant ut iterum morerentur; tùm quia primogenitus est mortuorum in Domino, & eorum quorum *frater* appellari non pudet Heb: 11, 11. prout eodem respectu dicitur *primogenitus inter multos fratres* Rom: viii,29.

Ex his omnibus perspicuum est, maximum nostræ resurrectionis argumentum esse Christi resurrectionem. Quibus & hoc addendum duximus, quòd Christus, cum in terris degeret, ad fidem doctrinæ suæ faciendam, tertiâ se die à mortuis resuscitatum iri prædixerat, & eandem resurrectionem sibi fidem adhibentibus promiserat. (*Ioh: 2. 19. 6. 39, 40, 44, 54.*) Vt igitur eum minimè falsum vatem seductoremvé fuisse cerneremus, Deus illum primum à mortuis excitavit, & unà cum immortalitate, summâ potestate donavit. Neque enim fieri ullâ ratione potuisset, ut Deus, qui in omnes mendaces capitale odium habet, tantum impostorem, quantus Iesus fuisset, si vana resurrectionis spe nos duxisset, ita amaret, ut eum non solùm ex mortis vinculis expediret, sed etiam summo in omnes imperio donaret.

‡ *Ex his omnibus*] Maximum *nostræ resurrectionis* ad gloriam argumentum est Christi Resurrectio; sed resurrectionis in communi, tam bonorum quam malorum est Dei Justitia, juxta quam, *unusquisque* debet *reportare in corpore congruenter ad id quod fecerit, sive bonum sive malum* 2 Cor: v, 10. *Hoc enim in loco*, inquit jure Beza, *disseritur* de corpore ipso, quod in se recipiet vel gloriã vel ignominiam pepetuam pro transactæ vitæ ratione. Et hunc etiam sensum Syrus Interpres

 expressit,

expressit, tam in Tremelliana quam in Boderiana versione.

Tertia se die à mortuis] Imò seipsum templum corporis sui ab iis destructum quibus illud erat permissurus, triduo post erecturum, prædixerat Joh: II, 19. Nec posset promisisse Joh:VI,39.40.44.54. se suscitaturum ultimo die sibi fidem adhibentes, nisi ceu Resurrectio & Vita seipsum prior suscitaturus fuisset, adeoque suæ Divinitatis in seipso exemplum evidens præbiturus, atque ipso facto refutaturus insultationes improborum Mat:XXVII, 40.42. *Tu qui destruis templum & triduo ædificas, serva temetipsum; Si Filius Dei es, descendito è cruce: Alios servavit, seipsum non potest servare; Si Rex Israelis est descendat nunc è cruce, & credemus ei.*

Deus illum primum] Quin eum in finem ipse propriâ suâ virtute, quæ eadem est cum potentia Patris, resurrexit ex mortuis, quo demonstraret certissimè posse se alios suscitare. Si enim illud solum suscitari virtute divinâ, suffecisset Christo ut posset promittere se alios omnes sibi credentes suscitaturum ex mortuis, non video quî Lazarus suscitatus quatriduanus idem promittere nequiverit.

Neque enim fieri] Igitur ne Christus mendax & impostor habeatur, non tantum credendus est resurrexisse ex mortuis, sed etiam seipsum suscitasse, ut sibi credentes resuscitare posset. Si porrò Deus *in omnes mendaces capitale odium habet*, aut omnes homines debet capitali odio prosequi, adeoque æternùm punire, quoniam *omnis homo mendax est* Ps: CXVI, II. aut pro peccatis eorum quos odisse desinit, sibi satisfieri passus est morte Christi.

CAP: XX.

De ascensu Christi in cælum.

† Respondente JOHANNE NICLENIO, Execcio-Omlando.

AScensus Christi in cœlum, proximus ad ipsius immortalitatem atque gloriam aditus fuit. Quod ut explicatiùs doceamus, etiam atque etiam videndum est, tum in quod cœlum Christus, tum quo pacto ascenderit; tum quantum hæc res ad salutem nostram constituendam pondus atque momentum afferat. Ac prima quidem quæstio neqnaquam frustra proposita est, cùm cœlum non sit unius generis. Nam & aër isto nomine à divinis autoribus appellatur; *(Gen: 9.2. Matth: 6.28.)* & expansio stellifera; *(Gen. 1. 14.)* & denique summum illud Dei domicilium, quod tertium cœlum à Paulo *(2 Cor:12.2.)* nuncupatum est. In hoc igitur supremum ultimumque cœlum Christum ascendisse, & passim in divinis literis scriptum legimus, & Paulus divinusque ille autor epistolæ ad Hebræos luculentissimè testificantur.
306. Quorum ille, Christum longè supra omnes cœlos ascendisse: *(Ephes: 4. 10.)* hic verò, *(Hebr: 7. 26.)* excelsiorem cœlis esse factum asserit. Quid, quòd ipse Christus satis apertè, *(Ioh: 14. 2, 3.)* sese in domum Patris sui abiturum, discipulis prædixit, in qua multæ sint mansiones. Cœlum porrò hoc locus est immortalitatis, vivendique rationem continet, nulli mutationi aut corruptioni obnoxiam.

† Ascensus

‡ *Ascensus Christi*] Imò *proximus aditus* ad *immortalitatem* Christo fuit sua Resurrectio, sed ad *gloriam* cœlestem sua Ascensio.

Et expansio stellifera] At expansio cujus fit mentio Gen: 1, 6. tum aeream, tum æthercam regionem complectitur: licet hanc speciatim designet illa pars ejus superior, in qua *luminaria* sunt collocata Gen: 1, 14.

Et denique summum] Non quo Deus includitur, sed in quo se videndum & fruendum vult suis præbere Matt: xxv, 34. Joh:xiv, 2. 3. Cæterum de cœlo *in quod* Christus ascendit, assentimur Volkelio.

Ex quo fit, ut qui vel ejus hæreditatem adeunt, vel jam in ejus possessione sunt constituti, eos ab omni corruptionis contagione liberos esse oporteat; & quod consequens est, si ex hac terrena animalique vita in statum illum divinum transferendi sunt, convertantur necesse sit in naturam spiritualem, cœlestem, atque immortalem. *Caro enim & sanguis regnum Dei non possunt hæreditare. (1 Cor: 15. 50.)* Quam quidem mutationem tunc demum futuram, & scriptura sacra testatur, & rationi consentaneum est, cùm hoc terrestre domicilium relinquentes in cœlestem illam habitationem commigrabunt. Neque enim hæc inferior mundi pars, quę tota ad interitum vergit, satis digna idoneaque est, quæ ab immortalibus naturis incolatur. Qua de causa spiritibus malis ex cœlesti illo domicilio in hanc mundi regionem deprimi, tartarearum tenebrarum instar fuit. *(1 Pet: 2. 4.)*

‡ *Et quod consequens*] Plus est in hac conclusione quam in præmissis. Debent hujus cœli hæredes exuere corruptionem, mutabilitatem & mortalitatem 1 Cor: xv, 53. ipsam tamen naturam & essentiam corporum suorum exuere non debent: Credimus enim Resurrectionem *carnis*; imò hujus carnis, in qua se Deum visurum Job confidebat cap. xix, 25. Adeoque novis qualitatibus donabuntur nostra corpora, sed priorem suam substantiam non amittent: Quin tam impossibile est corpus ullum *naturam Spiritualem* induere, quam Spiritum esse corpus aut carnem & ossa habere Luc:xxiv,39. Imò si *conversio* hæc debet esse, debet remanere materia priorum corporum; cùm unum in alterum converti nequeat, nisi remanente materiâ, quæ expulsâ priori formâ novam induat. Ita convertebatur in draconem virga Mosis; & Christus in nuptiis aquam in vinum, & Narcissus Hierosolymitanus Episcopus apud Eusebium *lib:6. cap.*8. aquam in oleum convertebat: Ita ferrum in chalybem convertitur, & juxta Alchymistas æs in aurum. Quî autem posset remanere materia prior nostrorum corporum, ubi *convertentur in naturam Spiritualem*, eum omnis natura spiritualis sit ut incorporea, sic etiam immaterialis? Sed eò procedunt væsaniæ Sociniani, ut ex mutatione accidentali & qualitativa quam hîc ultrò largimur, faciant conversionem substantialem, per quam corpus eadem facilitate naturam Spiritualem induat, quâ bestiæ possunt converti in homines: Nec enim minus opponuntur, ceu maximè distantia sub eodem genere, corporea & spiritualis natura, quam homo & bestia. Corpora beatorum fore *spiritualia* largimur ex 1 Cor: xv, 46. eodem nempe sensu quo homo spiritualis opponitur animali 2 Cor: 11,14.15; Sed in naturam ac substantiam Spiritualem abitura & convertenda negamus; idque inter magna postulata,

imò falsissima asserta Adversariorum reponimus. Quoad dictum Pauli 1 Cor: xv, 50. *Caro & sanguis regnum Dei non hæreditabunt*, facilè est intelligere, carnem & sanguinem non intelligi à Paulo substantivè, (quasi substantia hæc carnea & sanguinea, sit incapax gloriæ cœlestis; sibi enim contradiceret Apostolus statuens debere *hoc corruptibile induere incorruptibilitatem*;) sed tantum qualitativè, pro carne & sanguine obnoxiis corruptibilitati, mortalitati, infirmitatibus & affectibus iis quibus circundamur in hac vita. Fient itaq; altera nostra corpora, non alia: Mutabuntur conditione, non substantiâ; Alias induent qualitates, sed suam non exuent naturam.

Quam quidem mutationem] Accidentalem scilicet & qualitatum, non substantialem & naturæ.

Quæ ab immortalibus] Fateor immortalitatem absolutè gloriosam & Patriæ alias sibi deposcere sedes quam terram; sed nego illâ excludi ideo naturas materiales & corporeas.

Qua de causa] Aliquid amplius sonat illud Petri ταρταρώσας, quam dejectionem *ex cœlesti domicilio in hanc mundi regionem*. Ideo totum illum locum 2 Pet: II, 4. Vulgatus interpres ita reddidit, *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*: & proculdubio denotat hoc *tartarum* illam abyssum quam dæmones reformidant Luc: VIII, 31.

Quocirca & Christus, ut immortali gloriosoque corpore cingeretur, & porrò vitam viveret sempiternam, nullisque acerbitatibus contaminatam, hoc est, ut is fieret, qui non solùm non moreretur, sed naturâ etiam suâ mori non posset, terras has reliquit, & in cœlum ascendit; in quo ascensu eum transmutatum esse, res ipsa satis indicat. Quanquam enim statim post resurrectionem suam in eo statu fuit, ut mortem iterum subiturus nequaquam esset; tamen hoc non ad ipsius naturam, quæ mortalis adhuc erat, (cum in eodem corpore, ut demonstravimus, resurrexerit, in quo passus mortuusque fuerat) sed ad singularem Dei voluntatem referendum est: quomodo & de Enocho Eliaque judicandum est, qui in terris adhuc viventes morituri quidem non fuerant, nec tamen corpora habuerant immortalia: quod idem de illis statuendum est, qui in Domini adventu ex fidelium ipsius numero reperientur superstites, quemadmodum Apostolus satis apertè docet. *(1 Cor: 15. 51, 52. 1 Thess. 4. 17.)*

‡ *Quocirca & Christus*] At verò immortale gloriosumque corpus ex Sepulchro retulit resurgendo, prout omnibus piis continget in sua Resurrectione.

Sed naturâ etiam] Nec possibile fuit Christum amplius mori post mortem gustatam pro omnibus: Et impossibile fuisse eum sæpiùs pati & mori docemur Heb: IX, 26. 28. 1 Pet: III, 18. Huc præsertim faciunt verba Pauli Rom: VI, 9. 10. *Ut qui sciamus Christum suscitatum ex mortuis, non amplius mori; mortem non amplius ei dominari; nam quod mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo.*

Quanquam enim statim] Imò non tantum non moriturus erat ulteriùs, sed etiam impossibile erat eum mori, ut modò visum, quia mors erat absorpta in victoriam, nec *possibile erat eum à morte retineri* Act: II, 24.

Quæ mortalis adhuc] Hoc est falsissimum

mum; nam resurgendo immortalitatem suo corpori dedit, licet naturam ei non abstulerit, ut docet Augustinus.

Cum in eodem corpore] Et pij quoque omnes resurgent in eodem corpore, quoad substantiam, in quo passi mortuiq; fuerint; (id enim solum resurgere potest quod ante ceciderit, & ex illo casu in sepulchrum *cadaver* dictum fuerit;) nec tamen corpora mortalia referent ex sepulchro.

Sed ad singularem] Opponuntur non opponenda; Nam ex singulari Dei voluntate factum est in Christo, & fiet in omnibus piis ultimâ die, ut corpus ex sepulchro illo retulerit, & hi referant, naturâ & conditione immortale atque incorruptibile.

Quomodo & de Enocho] Inepta comparatio: Hi duo in terris viventes erant obnoxij peccato; *at qui mortuus est liberatus est à peccato* Rom: VI,7. Hi duo tum temporis egebant cibo & potu; & omnibus naturæ infirmæ necessitatibus subjiciebantur: sed talia de Christo post Resurrectionem cogitari non possunt, cùm ederit & biberit cum suis ex dispensatione non ex necessitate; & *sudarium* ac *lintea* quibus involuebatur reliquerit in sepulchro Joh: XX,6.7. quo significaret se naturæ humanæ infirmitates & necessitates planè deposuisse. Adhæc Enoch & Elias rapti in cœlum aliquid morti analogum pati debuerunt, ex regula illa generali & invariabili, quæ dicit omnibus constitutum esse *semel mori* Heb: IX,27. Simile quid eveniet superstitibus piis in die judicij, ex 1 Cor: XV,51,52. 1 Thess: IV,17. in quibus repentina hæc mutatio erit loco mortis, ut hoc corruptibile & mortale induat incorruptibilitatem & immortalitatem; Sed Christus de facto mortem & sustinuit, & superavit suâ Resurrectione gloriosâ; adeoque talem mutationem mortis vicariam sustinere ulrra non debuit.

Iam ut, quo pacto Christus in beatas illas sedes translatus fuerit, intelligamus; audiamus Lucam hunc in modum loquentem: (*Act: 1. 9.*) *Aspicientibus autem ipsis elevatus est, & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum. & cum essent intentis in cœlum oculis, eo proficiscente, ecce duo viri adstiterunt illis albo vestitu, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic Iesus, qui sursum receptus est a vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cœlum.* Quo in loco duo consideratione digna nobis proponun- 107.
tur. Primum veritatem ascensus Christi in cœlum complectitur. Alterum ad ipsius è cœlis reditum pertinet. Ac veritas quidem ascensus ejus, ex certis quibusdam circumstantiis hoc loco expressis intelligitur. Nam & palàm inque eorum conspectu, cum illis sermonem habens, & nube illorum oculis eum subducente, sursum sublatus est; & duo divinissimi testes, eum revera & ascendisse in cœlum, & aliquando descensurum esse asserunt. Quod verò ad ipsius è cœlis reditum attinet; iidem testes eodem modo illum venturum esse affirmant, quo in cœlum abierat. Animadvertendum namque est, hoc in loco de personali Christi adventu orationem haberi. Nihil enim impedit, quominus Christus aliis etiam rationibus ante ultimum illum diem venire rectissimè dicatur, ut alibi à nobis demonstrabitur. Vult igitur hîc divinus Spiritus nos admonitos, ne personalem Christi adventum ante illud tempus

tempus expectemus, quo manifestè ac conspicuè atque in nubibus cœli veniet, quod ante ultimum judicii diem non fiet.

‡ *Iam ut, quo pacto*] In his omnibus non multum est quod desideremus: Tantum monemus quod cùm ascenderit visibiliter in eo corpore in quo resurrexerat, & visibiliter sit rediturus ad judicium, utique idem illud corpus in quo resurrexit semper debebit retinere. Nam si hoc corpus cum alio invisibili & spirituali permutavit ascendendo in cœlum, non potest in illo *manifestè ac conspicuè* reverti. Nec esset simul visibilis & *personalis* Christi reditus, nisi in eadem natura humana quam sibi primum hypostaticè & personaliter univit reverteretur judicatum vivos & mortuos. Id insuper moneo quod non satis accuratè *personalis* dicatur ultimus Christi reditus quem præstolamur, quasi vero Christus, *cùm aliis etiam rationibus ante ultimum illum diem venire rectissimè dicitur*, personaliter tum non veniat, aut nequeat tota persona Christi quæ invisibiliter aliàs ad suos venit, optimè distingui à toto personæ suæ, quod requiritur in reditu visibili.

Oportet enim eum, ut Petrus ait, (*Act: 3. 21.*) cœlo capi usque ad tempora instaurationis omnium, nempe ut ibi universam salutis nostrę rationem administret ac procuret: id quod, nisi in cœlis existeret, nequaquam futurum diviniſſimus ille autor ad Hebr. luculenter admodum testatur, inquiens: *Si esset in terra, ne sacerdos quidem esset*; (*Hebr: 8. 6.*) id est, nequaquam salutem nostram administraret ac procuraret: cùm ad eam rem summo eum cum imperio esse necesse fuerit. Hoc autem ut assequeretur, in cœlum eum ascendere opus fuit, ibique tam diu manere oportet, dum omnia nobis ad parandam felicitatem necessaria peragantur.

‡ *Oportet enim eum*] Id verum est de Christo corporis sui respectu quod intulit in Sacrarium cœleste; sic tamen ut divinitate suâ sit ubique præsens & nobiscum mansurus usq; ad consummationem sæculi Matt: XXVIII, 20.

Ut ibi universam] Ambiguè & subdolè hoc dicitur: quasi Christus dum ageret in terris nihil *administrarit* & *procurarit* eorum quæ ad *Salutis nostræ rationem* pertinent: cùm tamen seipsum obtulerit θυσίαν εὐωδίας pro peccatis nostris in cruce Eph: V, 2. factus *peccatum* pro nobis ut essemus justitia Dei in ipso, adeo ut tunc Deus fuerit in Christo reconcilians mundum sibi & non imputans illis sua peccata 2 Cor: V, 19. 21.

Id quod nisi in cœlis] Equidem non alibi debuit repræsentari Deo Patri vis & efficacia sacrificij pro nobis oblati quam in Sanctuario cœlesti; nec aliud Sactarium debuit noster summus Sacerdos subire cum suo sanguine, post illum effusum in remissionem peccatorum nostrorum Heb: IX, 12. 24. Sed non procedit argumentum à dicto secundum quid ad dictum simpliciter; nec sequitur absolutè & simpliciter Christum nihil sacerdotale in terris & suâ morte peregisse, quoad sui immolationem pro nobis, eo quod nonnisi in cœlis potuerit ac debuerit Sacrificij jam immolati & oblati ab ipso repræsentatio jugis fieri, ejusque applicatio procurari credentibus. Nec Apostolus Heb: VIII, 4. absolutè negat Christum in terris Sacerdotem fuisse, aut Sacerdotio suo defungi potuisse, contra quam ipse docet totâ hac epistolâ; Sed 1. negat Christum si in terris esset, posse censeri Sacerdotem, nempe ex eorum ordine *qui*

secundum

secundum legem offerunt dona, ut ipse loquitur, quoniam hi erant Levitici stemmatis, ipse vero Christus fuerit ex tribu *Iuda*, *cui tribui nihil de Sacerdotio loquutus est Moses* Heb: VII, 14. II. Negat Christum si adhuc in terris esset peractâ sui immolatione in cruce, tanquam in atrio, aliquid Sacerdotale habiturum amplius peragendum, jam illo opere consummato cujus gratiâ venerat Joh: XVII, 4. XIX, 30. aceoque inde vult colligi, alteram Sacerdotij sui partem, quæ intercessoria est, continuandam & peragendam in cœlis: Ne dicam quod *verum Tabernaculum* cujus Christus *Minister* est, nonnulli non de cœlo ut Chrysostomus, sed de ipsiusmet Christi corpore velint intelligi, ut nominatim Philoponus *ad* I. *Gen.* his verbis; τὸ δὲ τοῦ ἀποστόλου, καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος καὶ οὐκ ἄνθρωπος, οὐχ οὕτω περὶ τοῦ οὐρανοῦ λελέχθαι μοι δοκεῖ, καθά τινες ἔφασαν, ὡς περὶ τοῦ κυριακοῦ σώματος, εἰ ἐπιστήσειέ τις ἀκριβῶς τῷ τόπῳ. κατὰ τὸ εἰρημένον, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν.

Cum ad eam rem] Sed etiam ad eam rem decuit eum priùs sumpsisse formam servi Phil: II, 7. ac mortem pro nobis oppetiisse, & placato Patre sanguine suo æternam redemptionem nobis peperisse. Tum falsó fingit Volkelius Christum *summo cum imperio* non fuisse antequam ascenderet in cœlos, ut ita nonnisi dativam & accidentariam Divinitatem illi tribuat: At verò licet summum illi imperium non convenerit carnis assumptæ respectu ante suam glorificationem, idest licet in summæ suæ gloriæ participium naturam humanam antea non evexerit, jam tamen antea erat & ab æterno, unum cum Patre Joh: X, 37. & Deus super omnia benedictus Rom: IX, 5. Quapropter non debet contundi summum Christi imperium, quod ei quà Deo semper convenit, & cujus tot specimina edidit etiam dum in terris versaretur, adeo ut non solum dæmones ipsi subjicerentur, sed venti, mare, mors, elementaq; omnia ei promptissimè obedirent, cum illius imperij extensione subjectiva ad carnem assumptam, & manifestatione luculenta post suam Resurrectionem.

Hoc autem ut assequeretur] Non assequutus est suâ ascensione imperium quod non habebat prius, sed duntaxat illius manifestationem & plenius exercitium in carne assumpta.

Ibique tamdiu manere] Ibi quidem debet manere usque dum numerus electorum completus fuerit Apoc: VI, 11. & omnes, ab ipso adducendi ad gloriam, suo tempore evocati sint in communionem suæ gratiæ, & eorum quique convenienti loco & tempore aggregati Ecclesiæ ut serventur; Non est tamen existimandum aliquid superesse Christo peragendum in cœlo, ad *fœlicitatem æternam* nobis promerendam & acquirendam necessarium; id enim plenissimè præstitum est ipsius morte Heb: IX, 12. Et quod dicit Christus suis discipulis se eò ire ipsis paratum locum Joh: XIV, 3. cùm jam paratum Electis fuerit regnum cœlorum à jactis mundi fundamentis Matt: XXV, 34. & ipse aliàs suâ morte reseraverit eis viam ad Sanctuarium cœleste, non de alia præparatione debet intelligi, quam ea cujus fit mentio Heb: VI, 19. 20. quâ videlicet *ceu præcursor pro nobis ingressus est intra velum*, tum ut ejus possessionem nostro nomine sumeret Eph: II, 6. tum ut inde nobis Spiritus sui gratiam & charismata largiretur necessaria ad iter illud emetiendum per quod tandem eò secum perveniamus.

Cœlum quippe est sedes tanto salutis nostræ præside ac curatore digna, & ad tantæ provinciæ perfunctionem idonea. Hæc Dei ipsius, in cujus solio

consedit Christus, regia est: hinc spiritus sanctus*, hinc angeli in fidelium auxilium mittuntur: hic beatitatis, quam Christus nobis promisit, est locus; quem ab ipso occupari par fuit, antequam in eandem nos introduceret, ut exemplo suo doceret, quibus nos esset in sedibus aliquando collocaturus. Ex quo fit, ut à divino autore divinissimè dictum sit: *Talem nobis convenisse Pontificem, sanctum, innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus, & excelsiorem cælis factum*, (*Hebr: 7.20.*) hoc est, qui non perinde, ut reliqui homines peccati contagione polluti, afflictionibus, infirmitatibus, morti denique subjectus foret: sed qui immortalis, inque cælesti domicilio constitutus esset. Hac de causa Deus non nisi tunc eum à dextris suis collocavit, id est, summum omnium regem creavit, cum in cœlum sublatus est.

‡ *Cœlum quippe*] Nec illius solum, sed unà cum ipso omnium servandorum & beandorum.

In cujus solio] In Patris vero solio non consedisset, nisi ejusdem esset cum Patre naturæ, Divinitatis & potestatis: Nam solium Dei est inaccessum omni Creaturæ, ut satis liquet ex Es:XIV,12.13. *Omnis potestas impatiens consortis* est, inquit Lucanus; quanto magis divina? Deo ipso protestante se gloriam suam alteri non daturum Es:XLII,8. XLVIII,11. Ipse Pharao cum ad summos honores Josephum eveheret in Ægypto, *Solij* tamen adjecit exceptionem, ut *tantummodo hoc solio major* eo foret Gen: XLI,50. Adeo verè illud dictum à Seneca *in Agamennone*, *Nec regna ferre socium nec tædæ sciunt.*

Hinc Spiritus Sanctus] Hæc vero missio cùm fiat à Christo, ejus æternam Divinitatem magis magisque confirmat. A quo enim mitteretur Spiritus Sanctus, nisi à quo procedit? A quo Angeli, nisi ab eo qui illos condidit, & de quo dictum est, *Et omnes Angeli Dei adorent eum?* Heb: I,6.7.

Ut exemplo suo] Aliquid hìc amplius est quam exemplar: cùm ita noster sit præcursor factus ingressu suo intra velum, nostroque nomine & quasi vice nostri has æternas sedes nunc occuparit, ut dicamur meritò *unà suscitati unaque collocati in cœlis in Christo Iesu* Eph:II,6.

Ex quo fit, ut à divino] Miror cur tam affectatè istiusmodi elogiis prosequatur Volkelius Authorem epistolę ad Hebræos qui nobis est Apostolus Paulus; cùm aliàs infinitis in locis hæc epistola Socinianismi jugulum petat. Talem autem debuimus habere Pontificem, qui conditione foret sanctus, innocens, impollutus, ac personæ suæ respectu & dignitate à peccatoribus separatus Heb: VII, 26. qualem Christum fuisse dum viveret in terris, nemo sanæ mentis inficiabitur; quod & de seipso profitetur Joh:VIII,46. ut consequenter ad has conditiones, subeundo sacrarium ἀχειροποίητον *cœlis excelsior* sit factus; in illo suo Pontificatu per Intercessionem pro nobis, æternùm continuaturus, postquam non sæpiùs, ut Pontifices legales, sed *semel semetipsum* in sua cruce & morte *obtulit* pro peccatis nostris Heb:VII,27. Evertit itaque hæreticus mentem Apostoli; dum ex eo videtur negare Pontificem nostrum *morti subjici* vel potuisse vel debuisse; cùm nec mortis nec immortalitatis textus citatus faciat mentionem; & comma sequens è contrario commemoret in Pontifice nostro oblationem sui ipsius *semel* pro nobis factam in morte sua; quod liquet magis ex eodem authore Heb:IX,27.28. Ut illa ipsius exaltatio quâ cœlis sublimior fieri debuit, non omnem actum Pontificalem ejus præcesserit, sed è contrario

trario subsequuta sit illam sui oblationem in cruce pro nobis.

Hac de causa] Imò jam antea Christum *regem* fuisse vel ipse titulus Crucis indicabat, & Dominus id de se coram Pilato profitebatur Joh: XVIII, 33. 37. Quin si regnum naturæ consideremus, dubium non est quin æternum cùm sit, ab æterno quoque competierit Filio cum Patre; unde repetebat Joh: XVII, 5. gloriam eam quam habuerat apud Patrem priusquam mundus esset. Largimur tamen Adversario regnum œconomicum quod spectat ejusque augustiorem administrationem, quæ sessionis ad dextram Patris nomine, τ̃ θεανθρώπȣ respectu, exprimitur in Scripturis, initium sumpsisse ab ipsius assumptione in cœlum. Sed id nihil facit ad mentem Volkelij; nec probat τὸ νεωόμενον, videlicet nullum Sacerdotalem actum, à Christo exercitum fuisse priusquam in cœlos ascenderet.

Et hinc quidem maxima ex parte illud intelligi potest, quod tertio loco 108.
proposueramus, nempe, quantam Christi ascensus in salute nostra constituenda vim haberet. Intelligendum igitur est, hoc Christi ascensu, tum non mediocriter salutis nostræ rationem confirmatam, tum luculentissimè ostensam, & quasi in oculis nostris positam fuisse. Ac illud quidem ideo, quòd, ut & suprà de Christi resurrectione agentes diximus, qui cœlum est ingressus, & in ista beatitatis sede perpetuò cum ipso Deo victurus est, is mendax seductorque esse non potuit: quippe cum omnes mendaces semper Deum habeant inimicum, ideoq; à beatis sedibus excludendi sint. (*Psal: 5. 7. Apoc: 21 8.*) Ex quo consequitur, Christum, quem tanto sibi conjunctionis vinculo Deus copulavit, sempiternam vitam nobis promittendo nequaquam mentitum fuisse. Hoc verò alterum, nempe per Christi ascensum salutis nostræ rationem ostensam nobis fuisse, hinc perspicuum est, quòd & locus hæreditatis nostræ, & modus, quo in illum transferendi sumus, hoc ipso facto expressus est. Locus enim cœlum illud est, in quod Christus ascendit. In illo quippe nobis, ut suprà jam vidimus, & magnam mercedem, & thesaurum, & hæreditatem immortalem, impollutam, invietamque, & spem repositam esse, tum Christus, tum Apostoli testificantur. (*Matt: 5. 12. Hebr: 10. 35. Matth: 6. 20. 1 Petr: 1 4.*) In illo respublica nostra est: in illo Pater noster habitat: ex illo servatorem nostrum Iesum Christum expectamus: (*Phil: 3. 20.*) in illo domum nostram non manu factam, sed æternam habemus: (*2 Cor: 5. 1.*) in illo Christus nobis locum parat, eamque ob causam ante nos eò ascendit, (*Ioh: 14. 2, 3.*) &, ut divinus ille autor ait, in interiora velaminis præcursor pro nobis intravit, ad Melchiseci rationem pontifex factus in sempiternum. (*Heb: 6. 19.*) Et ideo quidem divinus spiritus nos monet, ut terrenis contemptis atque pro nihilo habitis, cœlum intueamur, (*Col: 3. 1, 2.*) totoque animo in futuræ felicitatis contemplationem conversi, summum illius splendorem & magnificentiam admiremur.

‡ *Et hinc quidem*] In his nihil est quod improbemus; nisi quod omisit author pri-

marium finem & fructum ascensionis Christi in cœlos: nempe efficacem ipsius Intercessionem pro nobis ad dextram Patris, & jugem repræsentationem sanguinis illius sui effusi in remissionem peccatorum nostrorum, quo cum in Sacrarium cœleste ingressus est.

Iam ut brevissimè etiam de modo ratione que dicamus, quâ in beatum illud domicilium recipiendi simus; animadvertendum, quemadmodum servatorem nostrum nubes exceperat, & in sublime elevârat: ita & nos aliquando, ut Paulus docet, (*1 Thess: 4. 17.*) in nubibus obviam Domino in aerem rapiendos, atque ita semper cum Domino futuros esse.

† *Animadvertendum quemadmodum*] Optimè: Et ex consequenti quemadmodum illud idem corpus quod Christus ex sepulchro retulerat nube fuit exceptum seu curru triumphali & in cœlum sublatum, sic hæc eadem corpora quæ gestamus, sed novis vestita qualitatibus, in Sacrarium cœleste subvehentur, ut perpetuò simus cum Domino.

CAP. XXI.

De ipso Regio Christi munere.

† *Respondente* ALEXANDRO TILIKINGIO, Groningano.

109. IAm igitur, ut ipsam Christi muneris explicationem ingrediamur, duo nobis facienda sunt: primò cujus generatim ejus natura explicanda; deinde eadem quasi retexenda est, speciatimque ea, quæ ad regnum istud pertinent, excutienda. Ac naturam quidem ita considerabimus, ut quibus encomiis à divinis scriptoribus insigniatur, animadvertamus, exque iisdem certam illius definitionem constituamus. Primum igitur Christi Regni encomium, (*Matth: 28. 18.*) omnis in cœlo terraque potestatis, illi à summo illo Patre concessæ, amplitudinem continet; quâ nihil aliud designatur, quàm summum imperium in omnia, quæ amplissimo non solùm terræ, sed cœli etiam ambitu coërcentur; & sic etiam summam autoritatem facultatemque, non solùm terrestribus temporariisque, sed etiam cœlestibus, spiritualibus, in omnemque æternitatem duraturis bonis suos ornandi, Christo datam esse; ut nimirum quod antea sibi morem gerentibus promiserat, id reipsa præstare, & non solùm ex temporaneis, sed æternis etiam malis ereptos, nunquam interitura felicitate donare posset. Quod quidem elogium ipse Christus ante suum in cœlos ascensum sibi tribuit; non quòd rem encomio isto notatam tunc revera jam possideret, cùm nondum in regni sui gloriam ingressus esset; sed quia certò, idque mox futurum erat, ut in imperii istius possessione constitueretur. Sciebat enim, inquit Iohannes,

Ioh: 13.

(*Joh: 13. 3.*) Patrem sibi omnia in manum dedisse, venisseque horam, quâ ex hoc mundo migraret ad Patrem.

‡ *Primum igitur Christi*] Hæc omnis potestas, illimitata & absoluta, ponit necessariò in Christo & omnipotentiam quâ exerceatur, & per consequens naturam divinam & infinitæ perfectionis.

Quod quidem elogium] Etsi specificum & gloriosum carni suæ exercitium illius potestatis, prout θεανθρώπῳ convenit, Christus nonnisi post suam ascensionem in cœlos sit consequutus; illa tamen ipsa plenitudo potestatis ei conveniebat antea, etiam tempore suæ mortalitatis & infirmitatis in carne, quo poterat dicere, non solum Patrem sibi omnia in manum dedisse eo quod *à Patre prodierit* Joh: XIII, 3. sed etiam Patri suo, *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt* Joh: XVII, 30.

Non diffitemur quidem, eum cum in terris degeret, divinissimâ potentiâ præditum fuisse, quam ipse (*Matth: 9. 6.*) peccatorum in terra condonandorum, id est, terrena ab hominibus supplicia propulsandi potestatem appellat, quæ in morbis sanandis, dęmoniis expellendis, mortuis denique in hanc vitam restituendis elucebat: sed nunc omnem non solùm in terris, sed in cœlis etiam potestatem adeptus est. Quę quidem multò luculentiùs à Paulo explicatur, (*Ephes: 1. 20. & d.*) cùm illum *elatum esse* asserit *longè supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro; & omnia subjecta pedibus ejus esse; & ipsum esse constitutum caput super omnia Ecclesia, quod est corpus ejus.* Quæ quidem verba eandem cum illis sententiam continent, quæ ad Philippenses hunc in modum scripsit: (*Phil: 2. 10.*) *Deus* inquit, *extulit eum in summam sublimitatem, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & subterraneorum: & omnis* 110. *lingua confiteatur, Dominum esse Iesum Christum, ad Dei Patris gloriam.* Quid, quòd & Petrus in eandem sententiam dicit, (*1 Pet: 3. 22.*) *Christum in cœlum profectum esse, subjectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.*

‡ *Non diffitemur quidem*] At *divinissimæ* potentiæ, nihil vel potestatis vel virium addi potest; Impiè verò potestatẽ condonandi peccata, quam Christus sibi tribuit in terra Matt: IX, 6. restringit Volkelius ad potestatem *terrena ab hominibus supplicia propulsandi*; cùm remissio peccatorum, quam Christus sacratissimo suo ore conferebat paralytico, non solum morbum temporalem removeret, sed omnem reatum mortis & condemnationis æternę auferret. Quis enim dubitabit eam hîc intelligi remissionem peccatorum quam Christus adscribit suo sanguini pro multis effuso in hunc usum? Matt: XXVI, 28. Quid quod cùm supplicia illa terrena quæ propulsabat Christus ab hominibus, eis impertiendo remissionem suorum peccatorum, cœlitùs ipsis immitterentur, nequiverunt àChristo propulsari, quin etiam, dum in terris ageret, eâ uteretur potestate quæ protenderetur in cœlum usque, ad sistenda mala & supplicia justè peccatoribus illinc immissa.

Sed nunc omnem] Verum nec illam *omnem* satis bona fide agnoscunt adversarij,

sarij, nec abrogari potest Christo adhuc degenti in terris, divini illa potestas etiam *in cœlis*, cum suum regnum non terrenum fuerit sed cœleste Joh: XVIII, 36. & jam tum fuerit in *cœlis* etiam dum in terris loqueretur Joh: III, 13. ac facilè posset obtinere plusquam duodecim legiones Angelorum ad sui tuitionem si ita jubuisset Matt: XXVI, 53. siquidem jam tum cœlis apertis ascendebant & descendebant Angeli super filium hominis Joh: I, 52. adeo ut ipsi in deserto & tentationis loco ministrarent Matt: IV, 11. ceu suo Capiti & Domino, & de quo cùm mundum subiret dictum fuerat, *Adorent eum omnes Angeli Dei* Heb: 1, 6.

Quæ quidem] Hæ potestatis Christi descriptiones, magis ad illius exercitium spectant, luculentius multo post suam ascensionem, tam *subjectivè*, quod in illius communionem caro glorificata veniat, quam *objectivè* quod ad plura pluriumque salutem extendatur, quam simpliciter ad illius essentiam & constitutionem; Siquidem jam ante suam ascensionem in cœlos, & in dæmones inferorum & in Angelos cœlorum summum suum imperium non semel contestatus est.

Et hæc quidem illa sessio à dextris Dei est, quam divini autores Christo *ideo* tribuunt, (*Psal: 110. 1.*) ut eum primum supremumque post Deum *locum* tenere, id est, summum secundùm Deum in omnes res creatas habere imperium doceant: sumpta nimirum translatione à terrenorum regum consuetudine, qui quos primam maximamque post se autoritatem habere exercereque volunt, eos à dextris suis sedere jubent. Hunc autem locutionis istius, cum de Christo agitur, sensum esse, tum aliis, tum illis maximè comprobatur divinis testimoniis, quæ scripta leguntur Matth. 26. 64. Luc. 22. 69. Act. 2, 34. 1. Cor. 15. 25. Eph. 1. 20. Heb. 1. 3. 13. & 8. 1.

‡ *Et hæc quidem illa*] Agnosco quod per Sessionem Christi *à dextris Dei*, juxta metaphoram hîc explicatam, summum supremumque ejus imperium denotetur; sed illud absolutè & illimitatè est sumendum, ut non concipiatur subalternum & *post Deum* Patrem, aut *secundum illum*, sed, solâ ordinis dependentiâ exceptâ, simpliciter & absolutè cum ipso; Sedet enim Filius cum Patre in ipsius throno Apoc: III, 21. Nec etiam potest convenire cuiquam *summum in omnes res creatas imperium*, quin eo ipso sit Deus super omnia benedictus Rom: IX, 5.

Hæc quoque illius perfectionis pars statui potest, ad quam per summas calamitatum angustias eum perductum esse, divinis literis edocemur. (*Hebr: 2. 10. & 5. 9.*) Quia enim antequam crucis mortem subiret, multa illi ad absolutissimam, tum naturæ, tum potentiæ ac dignitatis constitutionem deerant; cum & mortalis esset, & nonnisi in terris, & quidem certis limitibus circumscriptam, nullam autem in cœlis potestatem haberet: nunc verò & immortalis est, & omnia, quæ cœli terræque complexu continentur, amplissimo tenet imperio atque dominatu: nonne manifestum est, meritò hanc summam Christi dignitatem perfectionis nomine decorari?

‡ *Hæc quoque illius*] Ad illam quidem gloriam Christus enixus est per eas calamitates quas subire pro nobis dignatus est; Sed nec hæ illius causa meritoria censeri

debent

debent; nec ejus τελείωσις, cujus fit mentio Heb: 11, 10. v, 9. proponitur ab Apostolo, tanquam consequens calamitatum quas sustinuit, ut ipsam ejus gloriam & exaltationem significet, sed potiùs tanquam formalis earundem ratio; quoniam in illis sita fuit formaliter ejus τελείωσις & consecratio in victimam salutarem & vivificam; prout jam ante observavi suo loco quod τελειοῦσθαι idem sit quod προσφέρεσθαι *offerri*; vide Luc:XII, 32. & ibi Heinsium.

Multa illi ad absolutissimam] At sanè ante suam mortem Christus, ut-ut circundatus infirmitatibus carnis quam assumpserat ad opus redemptionis nostræ, & utramque habuit naturam integram in unitate suæ personæ, divinam & humanam, & personâ fuit θεάνθρωπος ac Immanuel noster, potentiâ Deus, dignitate Unigenitus Patris: quamvis eum talem esse demum plenè innotuerit post suam Resurrectionem ex mortuis & assumptionem in gloriam.

Cùm & mortalis esset] Equidem dedit immortalitatem suo corpori, sed naturam non abstulit; & mortalitas ac infirmitas sub qua conspicuus antea erat in carne, majestatem ejus occultabat, non extinguebat; ut velum quod Moses rutilanti suo vultui imponebat, ejus radios non auferebat ut non essent, sed occultabat ut non apparerent.

Et nonnisi in terris] Sed *potestatem* Christi etiam dum in terris versaretur ad cœlestia se extendisse, suprà luculenter demonstravi: Jam tum enim & Angelos sibi habuit obnoxios, & eam in terris conferebat remissionem peccatorum, quę valeret in foro poli, nec rapinam ducebat æqualem esse Patri & paria cum illo facere Phil:II,6. Joh:v,19.21.

Hæc præterea illa gloria est, quam se Christus apud Patrem habuisse ait ante conditum mundum, (*Ioh: 17.5.*) quamque jam jam acerbissimam mortem obiturus, à Patre precatur. Habuit quippe eam sibi ante mundi fabricationem certissimo atque immutabili Dei decreto firmissimè designatam; & ideo viam ejus consequendæ jam propemodum emensus, ut reipsa tandem in illius possessione collocetur, à Patre flagitat; id quod eum consecutum esse, autor epistolæ ad Hebręos. (*Heb:2.2.*) luculentissimè testificatur. *Eum* inquit, *qui paulò angelis est minor factus, videmus Iesum, propter passionem mortis, & gloriâ honore coronatum.*

‡ *Habuit quippe eam*] De isto loco Joh:XVII, 5. alias etiam à nobis dictum est. Sanè si eam gloriam Christus non habuit ante conditum mundum nisi ex *decreto* divino, nihil hîc dixerit Christus quod quilibet fidelium usurpare non possit; cùm etiam eorum cuilibet *ante mundi fabricationem certissimo atque immutabili Dei decreto firmissimè* designata sit cœlestis fœlicitas & gloria: Nemo tamen Sanctorum ita loquutus unquam legitur. Expectat Paulus *repositam* sibi coronam justitiæ 2Tim:IV,8. Sed non dicit eam se habuisse apud Patrem antequam mundus fieret. *Habere, sicut & pervenire, cum effectu accipiendum est*, inquit Ulpianus *l. Nomen filiarũ,§.2. ff. de Verborum signif.* Quapropter Christus non petit tantum gloriam sibi prædestinatam ante jacta mundi fundamenta, sed eam repetit quam jam antea & ab æterno habuerat & de facto possederat apud Patrem, cum esset apud eum in principio & priusquam mundus fieret Joh: I, I. Prov: VIII, 22. 23.24. Videatur Tertullianus, sive quisquis est author libri *de Trinitate* apud eum, hanc

hanc Socinianam Glossam in præcursoribus Socinianorum refutans. Hanc porrò gloriam Christus sic repetit, ut pote quam tempore exinanitionis quandantenus deposuisse videbatur, ut illam unà ad carnem assumptam extendi velit.

Autor epistolæ ad Heb.) Et de hoc loco Heb: 11,9. etiam alibi à me dictum: Illud *propter passionem mortis*, non notat caussam meritoriam vel impulsivam gloriæ & honoris, quem Christus nostræ redemptionis opere perfecto consecutus est, sed potiùs causam finalem illius exinanitionis quâ *paullo minor angelis factus est*, ut videlicet mortem propter nos pateretur: Si tamen volueris illud *propter* notare caussam formalem vel ipsius minorationis, quæ potissimum in passione & morte Christi emicuit, vel ut Syrus & Arabs videntur sumpsisse, ipsius nominis Jesu, quod ei competit propter passionem mortis suæ, quę est salutis nostrę λυτρον, nullam tibi ideo litem movebimus. Satis est quod mors & passio Christi sit salutis & Redemptionis nostræ, non exaltationis suæ, pretium & meritum certissimum; licet exaltatio ipsius hanc mortem & passionem necessariò consequuta fuerit.

Hoc est omne illud judicium, quod ita Christus sibi à Patre datum atque concessum esse ait, (*Ioh: 5. 22.*) ut ipse Pater non judicet quenquam. Iudicium enim istud, Christi imperium significat, quo is suam Ecclesiam, omnesque simul ac omnia, quibus ad illius administrationem opus est, complectitur: id quod ex ratione ibidem ab ipso Christo apposita, patet: *ut*, inquit, *omnes honorent filium, quemadmodum honorant Patrem*, (*Ioh: 5. 28.*) id est, ut omnes divino illius imperio, quo Patri similis est, agnito, eum illi
III. honorem atque obedientiam, & eum cultum præstent, qui cœlesti divinissimoque regi debetur. Divinum enim honorem illi habendum esse satis apertè asserit, hæc verba proferendo: *quemadmodum honorant Patrem*, cui quidem divinum honorem deberi nemo ignorat.

‡ *Hoc est omne illud*] Pertinet quidem potestas judiciaria ad Christi imperium œconomicum, sed tamen totum illud non exhaurit. Extenditur enim illud ad Creaturas inanimatas & intellectu destitutas, quin & in Angelos gloriosos; cùm tamen nec illæ judicari possint, nec hi sint venturi in judicium tanquam rei, sed potiùs tanquam summi judicis apparitores & accensi.

Id quod ex ratione] Hæc ratio potestatis judiciariæ Christo Mediatori & θεανθρώπῳ collatæ, non demonstrat omnem exaltationem Christi in illa potestate consistere: Cùm cæteroquin quod est finis totius exaltationis istius, sit quoque finis singularum partium illius.

Idest ut omnes] Sed nequit Christus habere *divinum* imperium, esse *similis Patri*, cœlestis *divinissimusque* rex haberi, *divinum* consequi cultum, ejusdem ordinis & naturæ cum eo quem Patri *deberi nemo ignorat*, quin eo ipso naturâ Deus & Patri coessentialis statuatur: cùm soli Deo talis cultus debeatur Matt: IV, 10. & nefas sit iis servire qui *naturâ dij non sunt* Gal: IV, 8.

Hoc insuper illud solium Davidis est, quod Deum Christo daturum angelus prædixerat, (*Luc: 1. 32.*) & in quo eum collocatum esse, res ipsa docet. Vt enim David Dei populi rex fuit: ita Christus illorum, qui singulari quadam

dam ratione Deo sese consecrarunt, & porrò præcipuo quodam modo ipsius populus sunt, summus Rex factus est; qui licet in cœlesti resideat domicilio, amplissimum tamen in omnes, qui in terris degentes illi sese crediderunt, imperium habet. Et hoc illud ipsum est, quod se Christus ipse clavem Davidis habere dicit, (*Apoc*: 3. 7.) ita ut ipso claudente nemo aperiat, & aperiente nemo claudat. Quod sanè nihil aliud significat, quàm Christo absolutissimam domus Davidicæ, quæ populus Dei est, gubernationem, & rerum omnium, quæ ad domum illam pertinent, administrationem ac procurationem, quæ clavium nomine designatur, demandatam esse. Alludit autem sine dubio Christus, ad illam Eliakimi potestatem, quam ipse Deus hunc in modum exprimit: (*Esa* 22. 20.) *Ponam*, inquit, *clavem domus David super humerum ejus: aperiet, & nemo claudet; claudet, & nemo aperiet.* Quam quidem rem Franciscus Vatablus his verbis explanat: *donabo illum consilio, quo totam aulam Ezechiæ possit regere: quicquid statuet fiet; quicquid noluerit fieri, non fiet.* Huic simile est, quòd Christus sese dicit habere claves mortis & inferni; (*Apoc*:1.18) hoc est, se mortem & infernum tanto continere imperio, ut quæcunque velit, ex illius claustris educere, quem item velit, sempiternis seculis claudere possit.

‡ *Hoc insuper*] Fateor *Solium Davidis* commemoratum Luc: 1, 32. esse regiam Christi Mediatoris dignitatem, ut ordinatur in bonum Ecclesiæ, cujus typus jam præcesserat in Davide ejusque Regno; sed tamen *amplissimum* hoc Christi *imperium* extenditur ultra pios qui *illi sese crediderunt*, & etiam in omnes Creaturas, quamvis in speciale bonum illorum, protenditur.

Quod sanè nihil aliud] Agnosco allusionem fieri Apoc: III, 7. ad locum Es: XXII, 20. 21. 22. adeoque Eliakim in illa potestate quam obtinuit in domo regia, typum quendam fuisse Servatoris; Sed tamen cum evidenti discrimine: Nam clavis domus Davidis erat committenda Eliakimo, ceu primario Ministro & Aulæ præfecto, adeoque per potestatem delegatam: quo modo etiam Petro & cœteris Apostolis, ac post eos omnibus Ecclesiæ Ministris, potestas Clavium à Christo delegatur Matt: XVI, 19. XVIII, 18. Joh: XX, 22. At habet eandem Clavem Christus non tanquam Minister & Oeconomus familiæ Regiæ, sed tanquam hæres & Dominus, juxta discrimen quod proponitur inter ipsum & Mosem Heb: III, 5. 6. Prout cives offerendo Principi alicui Claves Urbis suæ, eum agnoscunt pro supremo Domino: Hoc sensu dicitur Christus ceu Deus benedictus in sæcula, *habere Claves mortis & inferni* Apoc: I, 18. quomodo de Deo dicitur Job XII, 14. *En ita destruit ut non ædificetur; occludit viro, ut non aperiatur.* Huc potest referri quod statuunt Rabbini *cap.* I. *Tahanith fol.* 2. laudante Isaaco Abravanel Judæo *de capite fidei, cap.* 24. *Clavem resurrectionis mortuorum non traditam esse in manum legati, cùm Deus dicat, Ego morte afficio ac vivifico; percutio & ego sano.*

Hæc enim est efficax illa Christi potentia, quâ sibi omnia subjicere valet, (*Phil*: 3. 21.) & propter quam omnia illi, solo Deo excepto, subjecta esse

 dicun-

dicuntur; (*1Cor:15.27.*) licet ei, ut est apud autorem ad Hebræos, (*Heb:2. 8.*) nondum omnia re ipsa subjecta sint. Nam & multi homines peccatis impliciti illi sese opponunt, & mors atque infernus adhuc vigent vimque suam exercent. Ex quo fit, ut non quidem actu, sed potentiâ, quod dicitur, ista omnia Christo subjecta esse meritò dicantur; quia nimirum, quandocunque opus fuerit, ea sibi subjicere potest: cum & plenum, id faciendi jus ac potestatem, & vires ad id præstandum sufficientes habeat, ut infrà pluribus docebitur. In hoc genere & illud est, quòd Christo vivorum mortuorumque judicium attribuitur, ipseque à Deo vivorum ac mortuorum judex dicitur constitutus; (*Act:10. 42. Rom:14. 10, 11.*) quia nimirum tam hos, quàm illos rectè judicaturus sit. (*2 Cor:5. 9. 10.*) Quam ob causam in tanto divinæ
112. sapientiæ gradu collocatus est, ut sit scrutator cordium ac renum. (*Apoc: 2. 23.*) Nam & tota regni hujus administratio hominem interiorem, seu hominis animum complectitur, & non solùm de factis nostris, sed etiam de mentis nostræ cogitatis, & nunc judicium facit, & apertiùs aliquando facturus est. (*Rom: 2, 16. 1 Cor: 4. 5.*)

‡ *Et propter quam*] Filius enim regnans cum Patre habet omnia sibi subjecta in Regno, ipso Patre excepto.

Licet ei, ut est] Manifesta est perversio mentis Apostoli: Nec enim Paulus negat omnia Christo esse subjecta, contra quam tota Scriptura docet Matt: XXVIII, 18. Phil: II, 9. Dan: VII, 14. Sed 1. potest Scriptor sacer intelligi, non de jure & potestate; hanc enim jam convenire Christo certum est; sed de illius potestatis manifestatione, quæ plena & publica differtur in diem judicij. 2. Juxta multos interpretes, non loquitur Apostolus in his verbis de Christo, sed de hominibus in communi, quorum cum nemo sit qui illam plenitudinem potestatis hactenus obtineat, necesse est ut de alio subjecto, id est de Messia, verba Davidis intelligantur.

Nam & multi homines] Insulsa est hæc ratio; Si enim eos solum arbitremur subjectos vel subjiciendos fuisse Christo, qui *illi sese* non *opponunt*, tunc debebit jurisdictio Christi merè voluntaria statui, in eos solos qui illam ultrò voluerint agnoscere: Cùm tamen suam potestatem & jam olim exercuerit & porrò exercitúrus sit in dæmonas & impios, etiam quo tempore maximè *illi sese opponunt*. Quot sunt quæso Creaturæ Angelicæ & humanæ in mundo quæ ex professo & elatâ manu *sese opponunt* Deo? An illas ergo ideo eximemus Potestati & Jurisdictioni Numinis? Minimè: Sed hæc est Dei summa potestas ut etiam in iis & de iis suam faciat voluntatem, qui tamen insolentiùs suæ resistunt voluntati: ac remigum instar navem subducunt in portum cui tamen tergum obverterunt: Quod si hominum & Dæmonum impietas ac rebellio nihil deterit de summo Dei in omnia & omnes imperio, cur actuale negemus imperium Christi in omnia, eo quod homines peccatores illi sese student opponere?

Et mors atque infernus] At verò pro impiis hæc durabunt in æternum; nam *Vermis eorum non interit & ignis non extinguitur* Marc: IX, 46. Quin hoc spectat ad potestatem Christi in omnes & omnia, quod *mors atque infernus* pro ipsius lubitu & mandato, vigebunt vimq; suam exercebunt æternùm in hostes ipsius; quos etiam

etiam in die judicij eò amandabit Matt: XXV,41. Quare mortis atque inferni vigor & vis absolutè loquendo, nihil minuit de potentia Christi; licet ad illius suæ Potentiæ manifestationem pertineat ἐπανόρθωσις suorum ex mortis faucibus & imperio per resurrectionem gloriosam, quam illis suâ morte & resurrectione meritus est.

Ex quo fit ut non] Imò non *potentiâ* tantum, sed *actu* hæc Potestas competit Christo in impios, in dæmonas, in infernum; & quotidie per gradus eam exercet: Nam suos quotidie eripit ex impiorum tyrannide, dæmonum tentationibus & insidiis, faucibus mortis & inferni: efficitque ut quæ mors dicitur estq; talis impiis, ipsis abeat in somnum gratissimum, ex quo sunt excitandi in consummatione sæculorum per resurrectionem gloriosam.

In hoc genere &c] At omnium *mortuorum* judex esse nequit, prout proculdubio judex erit omnium *vivorum*, quin omnes illi resurgant, alii ad gloriam æternam, alii ad æternam opprobrium Dan: XII, 2. quod tamen Sociniani concedere nolunt.

Quam ob causam] At tantus hoc *divinæ Sapientiæ* gradus, in meram creaturam cadere non potest; cùm scrutari renes & corda, quod Christo tribuitur Apoc: II,23. solius esse Dei, tota passim testetur Scriptura 1 Sam: XVI, 7. 1 Reg: VIII,39. Psal: VII,10. Jerem: XI,20. XVII, 10. Quod argumentum est irrefutabile pro vera & æterna divinitate Christi.

Ex his omnibus encomiis, hujusmodi potest Christi regni constitui definitio, ut illud nihil aliud esse statuamus, quàm divinum imperium illi à Deo datum in omnia, tum cœlestia, tum terrestria, tum subterranea, & porrò tam in corpora, quàm in animos hominum, ut illis jura legesque præscribere, sibique dicto audientes juvare, defendere, & præmiis tum temporariis, tum sempiternis afficere: contrà verò, qui flagitiis sunt cooperti, quosque impietatis minimè pœnitet, illis tum temporarias, tum sempiternas scelerum pœnas irrogare possit.

‡ *Ut illud nihil aliud esse*] At hoc *divinum imperium* in merum hominem cadere nequit; nec à Deo homini mero dari potuit, tum quia Deus protestatur suam gloriam se alteri non daturum Es: XLII, 8. tum quia implicat contradictionem alium Deum à Deo fieri.

CAP. XXII.

De iis quæ ad regnum Christi pertinent: ac primùm de locis ad quos dominatus ipsius extenditur.

Respondente ad hoc & sequentia duo capita HENRICO SCHMETTAVIO, *Bregâ-Silesio.*

VErùm hæc generatim admodum à nobis disputata sunt: quocirca ut totam hanc rem luculentiùs explicemus, ad illud, quod secundo loco proposueramus, veniendum nobis est, nempe ut ea omnia, quæ ad regnum Christi spectant, sigillatim consideremus; & primò quidem loci amplitudinem, quem imperii sui magnitudine complectitur. Loci autem vocabulum

lum adeo latè fuseque hîc accipere placet, ut eo & ipsum locum, & omnia ad illum spectantia intelligamus. Qui quidem locus amplus admodum est. Nam & cœlum, & terram, & subterraneas partes complectitur.

† Quod igitur ad cœlum attinet; videndum, quo pacto tum ipsum, tum quæ eo continentur, Christi imperio subjecta sint. Cùm porrò ipsum cœlum, ut suprà docuimus, vel altissimum illud Dei domicilium, vel orbes cœlestes, vel aërem significet; animadvertendum est, Christum his omnibus dominari. In supremo enim cœlo tantam habet potestatem, ut ibi locum suis parare, & aliquando eos illud recipere possit. (*Ioh:14.2,3.*) Qua de caussa & divinus ille Autor dicit: (*Heb: 2. 5. & d.*) *Non enim Angelis subjecit orbem terræ futurum: testatus autem alicubi quis* &c. id quod de Domino Iesu esse intelligendum, ex sequentibus patet. Medium autem cœlum, nimirum stelliferum, ita dominatu suo complectitur, ut solem, lunam, & stellas, omnesque cœli cursus atque conversiones suo arbitrio moderari possit, quatenus nimirum vel hoc vel illo modo id ab eo fieri, fidelium nationi con-

113. duceret. Quod quidem ea de caussa hîc addendum videbatur, ne quis hanc propriam ac perpetuam Christi functionem esse putaret, & non potiùs summi illius omnium rerum conditoris Dei, qui ut omnia ista creavit, ita propriâ virtute regit atque gubernat. Quid, quòd Christum in istum cœlum tantum habere imperium, hinc etiam colligitur, quòd futurum aliquando est, ut illud tanquam amictum involvat, ignique comburat. (*Heb:1,12. 2 Pet: 3,10.*) Postremò aërem ita in sua potestate habet, ut si regni ipsius ratio postulet, eum vel inficere possit, ad suos inimicos debito supplicio vindicandos; vel eum in populi sui gratiam ita temperare, ut vitalem illis salutaremque spiritum præbeat: vel in eo nubes imbres, ventos, tempestates cogere, & tonitrua, jactusque fulminum excitare: vel contrà sedatâ omni cœli perturbatione, jucundissima serenitate homines exhilarare possit. Si enim dum in terris degeret, mare ventorum vi turbatum agitatumque, nec non ipsorum ventorum vehementiam cohibere potuit, (*Matth:8.26. Luc:8.24.*) quamvis tunc nondum ad tantum imperium, quantum nunc habet, elatus fuerit; quid tandem nunc de illius potestate existimandum est, postquam omnia pedibus illius subjecta sunt? Et hęc quidem de Christi dominatu, quo ipsum cœlum complectitur, dicta sunto. Sequitur ut qua ratione, quæ in singulis illius partibus continentur, ad ipsius regnum spectent, videamus.

† *Vel altissimum illud Dei*] Domicilium illud est non essentiæ divinæ, quæ nullo loco excluditur, nullo includitur, sed præsentiæ gloriosæ, ut creaturis beatis & beandis est communicabilis: Adeoque & hoc cœlum supremum inter opera manuum Dei meritò recensemus, ex Matt:xxv,34. 2 Cor:v,1. Heb:VIII,2. xv, 10.

Qua de causa & divinum] Orbis ille futurus

futurus Heb:II,5. non spectat simpliciter cœlum illud altissimum, in quo Christus considet ad dextram Patris & quo profectus est nobis paratum locum Joh: XIV,2.3. sed totam Oeconomiam N. F. cujus administrationem Christus immediatè sibi vindicat, cùm Lex ministerio Angelorum data fuerit, ut constat ex Gal: III,12. Act:VII,53. Heb:II,2.

Quatenus nimirum] Hanc limitationem admittimus quoad regnum Christi œconomicum & gratiæ; sed tamen debet agnosci Christum non posse de his disponere *quatenus vel hoc vel illo modo, id ab eo fieri fidelium nationi conduceret*, nisi absolutum & illimitatum in illa haberet imperium.

Quod quidem ea de causa] Nempe quod unâ manu dant Christo, alterâ illi eripere conantur: quasi vero ad *propriam ac perpetuam Christi functionem* non pertineat, omnem potestatem obtinere & exercere in cœlo & in terra Matt: XXVIII,18. aut debeat opponi Christi functio, functioni Dei, cùm ipse sit Deus super omnia benedictus Rom:IX,5. essentiâ, potentiâ, & voluntate unus cum Patre; sitque cum ipso summus omnium rerum conditor, *qui ut omnia creavit, ita propriâ virtute regit atque gubernat* Heb:I,3.

Quid quod Christum] At primò jus illud involuendi cœlum tanquam amictū Heb: I,12. & Psal: CII,26. tribuitur supremo Numini, ipsiusmet cœli Conditori; Quod continet irrefragabile argumentum, etiam ex hac Volkelij suppositione, pro vera & æterna divinitate Christi: Secundò cœlum stelliferum igni comburendum non dicitur 2 Pet:III,10. Illa enim exustio ad Elementa æstuantia, & terram ac opera quæ in ea sunt, ab Apostolo ibi restringitur: Transitus vero cœlorum, potiùs eorum videtur innuere renovationem, quam exustionem.

Postremò aerem ita] Atqui hæc omnia summam & infinitam ejus potentiam, quæ in solam naturam divinam cadit, satis superque comprobant.

Quamvis tunc nondum] Licet tunc nondum ad eam gloriam quâ nunc fruitur in carne evectus esset, eadem tamen quam nunc habebat potentiam in omnes Creaturas, ut pote quæ ab ipsius Divinitate separari non potest.

CAP. XXIII.

De scopo regni Christi.

VT autem id, quod proposuimus tantò commodiùs exsequi possimus, primò videndum est, quinam sit præcipuus regni istius scopus ac finis: deinde quænam illa, quæ ad hunc finem referuntur. Ac scopus quidem iste seu finis nihil aliud est, quàm salutis humanæ constitutio. Ad hanc enim reliquæ omnes regni ejusdem partes diriguntur. Quam quidem ob caussam, in suo nomine omnibus vitam corrigentibus peccatorum coudonationem, quæ vitam sempiternam in se complectitur, ab Apostolis deferri imperavit. (*Luc:24.47.*) Vnde haud est difficile colligere, in hoc maximam Christi gloriam constitutam esse, quòd suos in æternæ felicitatis possessione collocare potest; & porrò nihil esse, cur hac de re dubitemus, dummodo officium non desideramus: cùm fieri non possit, ut is gloriæ suæ memoriam deponat. Et quidem ut alia rei istius testimonia, utpote jam suprà allata, præteream; quàm præclarum illud divini Autoris est: (*Heb:5 9.*) *Perfectus*, inquit, *red-*

ditus, factus est causa æternæ salutis omnibus sibi obedientibus. Item illud ipsius Christi‡ (Ioh:17.2.) *Dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod ei dedisti, det illis vitam*
114. *æternam.* Et hæc quidem de Christi regni scopo dixisse satis sit. Videndum enim jam tandem est, quo pacto Christus earum rerum potestatem habeat, quæ ad hunc scopum referuntur, id est, quibus fidelium natio ad salutem æternam consequendam juvari potest, initio à cœlestibus facto. Id autem quò rectiùs intelligi possit, animadvertendum est, hominibus, qui ad divinum illum statum aspirant, tum rerum divinarum intelligentiâ, tum firmissimâ de illis persuasione, tum in fide officioque stabili permansione, tum denique contra hostium periculorumque impetus defensione opus esse. Ad hæc omnia ut nobis adjumento esse posset, tum spiritus sancti nobis largiendi, tum angelorum omnium potestatem consecutus est, ut illis pro suo arbitrio uti possit.

‡ *Ac scopus quidem iste*] Neque hic unicus est, neque principalis aut primarius: Non unicus: Sic enim regia Christi potestas œconomica dirigitur ad salutem Electorum, ut etiam ordinetur ad pœnam rebellium & impiorum: Siquidem jubetur sedere ad dextram Patris, donec ponantur inimici ipsius in scabellum pedum suorum. Non etiam principalis & primarius; cùm primariò respiciat Dei gloriam, ac ipsius Christi post tot labores pro nobis exantlatos, exaltationem, agnitionem & celebrationem Apoc: v, 9. 10. 11. 12. 13. 14. Et sanè huc *reliquæ omnes regni ejusdem partes diriguntur.*

Quam quidem ob causam] Atqui hæc prædicatio quæ Luc: xxiv, 46. 47. dicitur peragenda in nomine Christi, non minus pendet ab ejus passione & morte, quam ab illius regno & gloria: dicebat enim suis discipulis; *Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati & resurgere ex mortuis tertio die; & prædicari ejus nomine resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes gentes.*

Unde haud difficile] Non ita colligit Scriptura; Non enim in eo maxima ejus gloria sita est quod suos possit servare: Sed ideo suos potest servare, quia summam & gloriam & potestatem obtinet; *Unde*, inquit Apostolus Heb: vii, 26. *& servare perfectè potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis.*

Dummodo officium] Quid hoc sibi velit, non assequor: aliquid videtur deesse, quod tamen inter errata in meo codice repositum non est.

Quam præclarum] At sæpiùs jam monui quod illud τελειωθεὶς Heb: v, 9. non spectet exaltationem Christi, sed summe oblationem in cruce pro nobis.

Item illud ipsius Christi] Hoc tantum sibi vult Christus Joh: xvii, 2. potestatem sibi ceu θεανθρώπῳ delatam in omnem carnem, non ordinari in salutem omnis carnis, sive omnium & singulorum hominum, sed solùm suorum fidelium & Electorum: Imò secundum plerosque Interpretes petit Christus clarificari sic, ut sibi data est potestas omnis carnis, idest consequi gloriam convenientem illi potestati jam acceptæ; quò clarificatus & in suam receptus gloriam, ad vitam æternam traducat omnes suos quibus eam suâ morte & satisfactione meritus est.

Animadvertendum est] Hæc quidem omnia necessaria sunt fidelibus aspirantibus ad gloriam cœlestem; jus tamen illius consequendæ fundatur in Christi satisfactione & merito.

CAP. XXIV.

CAP: XXIV.

De Christi potestate Spiritum S. hominibus largiendi.

SPiritu enim divino, de quo priùs agendum nobis est, ad perfectam rerum cœlestium intelligentiam Christus nos instituit, tantumque in mentibus nostris ardorem excitat, ut eo mirum in modum confirmati, omnia humana, omnia pericula, mortem denique ipsam, præ æterna illa felicitate magno animo contemnere possimus. Et hanc quidem potestatem sibi omninò datum iri, tunc Christus innuit, cum Spiritum S. suis se à Patre missurum promitteret. (*Ioh: 15 26. 16. 7.*) Quod quidem promissum quo pacto & compleverit & etiamnum compleat, inquirendum hoc loco est.

‡ *Spiritu enim divino*] At hunc Spiritum tanquam suum conferre nequiret nobis Christus, nisi ipse cum Patre esset verus & summus Deus, à quo spiratur & procedit Spiritus Sanctus.

Nos instituit] Imò etiam hoc illo Spiritu sancto respergit nos suo sanguine, suumque meritum nobis applicat, ac suâ induit plenâ obedientiâ, unde cum fiducia accedimus ad thronum gratiæ 1 Pet: 1, 2. 3. 4. 5. Heb: IV, 16.

Et hanc quidem potestatem] Sed & hac potestate jam eum præditum fuisse dum in carne versaretur, vel inde patet quod etiam tum poterat fidem ut ingenerare, sic adaugere in suorum præcordiis: Inde enim dicebant ei Apostoli Luc: XVII, 5. *Adauge nobis fidem*: Fidem vero ingenerare & augere in hominibus, solius est Spiritus Sancti, qui ideo Spiritus fidei dicitur 2 Cor: IV, 13 1 Cor: XII, 9. Quare debuit Christus Spiritum Sanctum iis contulisse quos ad sui & Euangelij fidem traducebat, & quibus eam adaugebat. Sic & post resurrectionem suam, priusquam ascenderet in cœlos, *afflavit* suos Apostolos, *& dixit eis Accipite Spiritum Sanctum* Joh: XX, 22. Nec Joh: XV, 26. XVI, 7. dicit Christus eam potestatem sibi de novo *datum iri*; sed tantum se post suum abitum ad Patrem, Paracletum hunc, in suum quasi locum suis Apostolis submissurum, maiori videlicet copiâ quam antea eo præditi erant, à quo in omnem veritatem deducerentur, iisque donis & charismatis instruerentur, per quæ munere sibi commisso cordatè defungi possent.

Pro temporum igitur ratione, duplici modo hoc beneficium hominibus à Christo datum esse comperimus. Ac primus quidem aspectabilis erat, & nonnisi ad primæva Christi Ecclesiæ tempora spectabat, quo omnibus, qui Christianam disciplinam amplectebantur, palàm spiritus sanctus donabatur. (*Act: 1. 4: 2. 33: 3. 32: 8. 17: 10. 44: 19. 2.*) Qui quidem modus beneficii istius apud homines ponendi in eo maximè elucebat, quòd eorum, quibus contingebat, alii plenissimam certissimamque rerum ad salutem nostram pertinentium cognitionem, cum qua alia etiam spiritus sancti dona conjungi solebant, adipiscebantur; alii variis linguis rerum divinarum amplitudinem eloquebantur; alii vaticinando res futuras prænunciabant, obscuritate involutas mira

tas mira felicitate explicabant; alii varios morbos ſanando, dæmonia ejiciendo, aliaque innumera miracula edendo, homines in maximam admirationem traducebant. (*1Cor:12.8,9,10,28.*)

‡ *Pro temporum igitur*] Præſtaret distinguere inter chariſmata extraordinaria Spiritus Sancti, quæ nec ſine ſenſibili miraculo conferebantur tempore naſcentis Eccleſiæ, & ordinabantur ad patrationem ſignorum & miraculorum, quibus moverentur homines ad fidem Euangelio adjungendam; (vocant Scholaſtici hæc Chariſmata *gratias gratis datas*;) & præſentiam atque aſſiſtentiam ordinariam Spiritus adoptionis, qui confertur omnibus Electis & fidelibus, ad fidem in ipſis excitandam & fovendam, eorumque regenerationem paulatim inchoandam, promovendam & perficiendam Rom: VIII,9.14. 1 Cor:II,12.

Cum porrò Chriſtus, in hominibus fidelibus divini ſpiritus munere palàm inque omnium conſpectu afficiendis, id potiſſimùm ſpectaverit, ut diſci-
115. plinam ſuam veram, firmam, ſtabilemque eſſe demonſtraret, conſequens erat, ut eâ ſatis jam corroboratâ, omnibusque, quæ ad eam rem neceſſaria erant, peractis, modus iſte ejus donandi ceſſaret: ut taceam, libertatis humani arbitrii rationem, & illud, quod eſt inter probitatis ſtudioſos, illosque qui aliter affecti ſunt, diſcrimen, quorum utrumque Deus ſalvum eſſe voluit, omnino efflagitaſſe, ut miracula deficerent. Si enim tanta tamque admiribilia Dei opera, ad ætatem usque noſtram perducta fuiſſent, & etiamnum vigerent; quotus quisque extaret, qui, quantavis animi pravitate imbutus eſſet, eam hac quaſi vi ſibi allata non abjiceret, & ſic nequaquam virtutis ſtudio atque amore impulſus, Deo pareret? Maximè igitur Dei ſapientiæ conſentaneum fuit, ut ſingulari ipſius conſilio prodigiis iſtis ſublatis, probitatis pariter atque improbitatis experimentum ratum firmùmque maneret.

‡ *Conſequens erat, ut ea*] Hæc ratio miraculorum ceſſantium eſt optima, & quam jam olim adhibuit Auguſtinus *lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8. Quiſquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum eſt ipſe prodigium qui mundo credente non credit.*

Ut taceam, libertatis] Imò ſi ſapuiſſet Volkelius hoc tacuiſſet. Nam I. Si propter hæc duo, miracula ceſſarunt, ergo Deus & vim intulit libero arbitrio, & ſuſtulit diſcrimen inter *probitatis ſtudioſos, illosque qui aliter affecti ſunt,* toto illo tempore quo Euangelij ſui veritatem miraculorum variorum gloriâ & ſplendore obſignavit. II. Supponere antecedenter ad fidem ipſamque converſionem ſalutarem aliquod *diſcrimen* inter *probitatis ſtudioſos* & alios, eſt valdè abſurdum: cùm omne diſcrimen faciat gratia convertens I Cor: IV, 7. ante quam nemo eſt juſtus, vel qui intelligat & quærat Deum, vel faciat quod bonum eſt, *non uſque ad unum* Rom: III,10.11.12. II. Cùm Miracula ſint tantum motiva externa ad credendum, nullam vim vel *quaſi* adferunt hominum arbitrio; Imò nec ex ſe ſufficiunt abſque ulteriori gratia & operatione Spiritus Sancti ad fidem ingenerandam. Et quam multi ordinariâ & nativâ animi pravitate imbuti, vel luculentiſſimis Miraculis non

fuerint

fuerint permoti ad illam pravitatem, *quasi vi sibi allata* abjiciendam, liquet evidenter ex Matt: XI, 21. ne omnium sæculorum ac temporum experientiam, quibus frequentissima fuerunt exempla hominum ad summa Dei miracula adinstar Pharaonis occallentium, hîc debeam excitare. IV. Injuria fit omnibus iis piis & electis, qui permoti Miraculis Christi & discipulorum ipsius, fidem Euangelij susceperunt, ac si potiùs *quasi vi sibi illata* veritatis semitam sint ingressi, quam *virtutis studio & amore*. V. Potiùs hinc teneretur Deus, qui mavult conversionem quam mortem peccatorum, miracula continuare usque & usque, siquidem ea sit illorum efficacia ut occultâ suâ vi homines, *quantavis animi pravitate imbutos*, ad eam abjiciendam cogat: Quis enim credat potiorem esse Deo rationem liberi arbitrij humani, cui ne per umbram quidem quippiam perire velit, quam humanæ salutis ac sanctificationis, indubiò per miracula processuræ? Denique ex hac sententia sequitur multo pluris faciendam hoc tempore hominum conversionem ad Deum, quam olim: Tum enim vim vel quasi per miracula in sua conversione homines patiebantur; nunc vero, si diis placet, peccatorum conversio ita est libera & ultronea, ut citra vim & coactionem aut quasi Luc: XIV, 23. soli eorum arbitrio debeatur.

Ex quo fit, ut alter spiritus sancti largiendi modus, cujus explicationem jam aggredimur nequaquam ita, ut superior, sub hominum aspectum cadat: interim tamen omni tempore illis, qui Christo fidem adhibent, eique morem gerunt, ipsius liberalitate tam præstans munus donetur. Quamvis enim Christiana religione satis jam confirmata, externo illo aspectabilique spiritus sancti munere opus non sit: tamen quia nequaquam satis est, exploratam illius habere cognitionem, nisi etiam invictissimâ Dei virtute contra omnia, quæ fidem labefactare possunt, ita armeris, ut susceptum pietatis cursum ad extremum tenere possis; idcirco Deus per Christum, pro immensa bonitate sua, interno quodam modo, quique usque ad mundi conflagrationem in fidelium natione vigeat, eos, qui cum virtute vivunt, spiritu suo donare constituit.

† *Ex quo fit, ut*] Non tantum aspectabilis non est, sed etiam ad extraordinaria illa Charismata quæ vigebant & requirebantur tempore nascentis Ecclesiæ, non amplius regulariter extenditur.

Interim tamen omni] Imò non datur demum Spiritus Sanctus *illis qui Christo fidem adhibent*, sed etiam iis qui antea erant increduli, ut eius illuminatione, virtute & efficaciâ, Christo fidem adhibeant; Fidem enim præcedere omnem præsentiam & operationem Spiritus Sancti, tam est impossibile, quam impossibile fidem ipsam non esse speciale Dei donum, operatione, lumine & gratiâ Spiritus in hominis corde accensum & excitatum.

Tamen quia nequaquam] Sed quid hîc præstet *invictissima* hæc *Dei virtus*, cùm nec ullam vim inferat libero arbitrio, ac multum subsidat infra miraculorum efficaciam, ut placet Volkelio, videre non possumus; Imò potiùs interest liberi arbitrii Sociniani & discriminis inter probitatis studiosos & alios, talem *invictissimam Dei virtutem* hîc non exeri; nam quominus gratiæ suæ Deus confert, eo plus laudis meretur hominis arbitrium.

Interno quodam modo] At quis sit ille internus modus, haud facilè explicabunt

Sociniani, juxta quorum placita invictissima illa Dei virtus nihil reperit in quod operetur: Non agit in intellectum ut eum illuminet; siquidem jam eum præcessit illuminatio per fidem: nec etiam in voluntatem, ut eam flectat vel determinet ad perseverantiam & *susceptum pietatis cursum ad extremum usque* tenendum; id enim foret crimen læsæ Majestatis arbitrij humani in primo capite.

Eos qui cum virtute] Non ij *qui cum virtute vivunt* donantur Spiritu Sancto; sed è contrario, qui cùm naturâ essent filij iræ gratis donantur Spiritu Sancto; tum demum incipiunt cum virtute vivere; Nec enim aliunde quam à Spiritu sanctificatore, omne in fidelibus & piis studium virtutis. Taceo lubens quod videtur Volkelius insinuare esse *in fidelium natione* alios qui cum virtute vivunt, alios non; Etenim fidelium numero non debet accenseri, quicunque delectatur operibus tenebrarum, nec studet pietati & virtuti: Talis, fidelis est æquivocè, non univocè; & tantum distat à vero fideli, quantum homo vivus à mortuo.

CAP. XXV.

De imperio Christi in Angelos.

Respondente ad hoc & duo sequentia capita DANIELE MARESIO, *Mosæ-trajectensi.*

IAm ut de Angelis dicamus, illud primò animadvertendum est, eos alia nunc conditione esse, atque olim fuêre. Fuit quippe tempus, cum soli Deo subjecti essent: nunc verò sub Christi etiam ditionem subjecti sunt; ut facilè appareat, maximam illorum statûs per Christum mutationem factam esse. Quam Apostolus ut pro rei dignitate exprimeret, *(Col:1.16.)* dixit, in Christo thronos, dominatus, principatus, potestatesque, conditas esse. Condendi autem sive Creandi verbum, ut alibi non semel, ita & hoc in loco, insignem rei, qua de agitur, mutationem seu transformationem, in aliumque statum conversionem declarat. Sic Paulus alibi, *(Ephes:2.10.15.)* nos in Christo Iesu conditos esse ad bona opera, & Iudæos Ethni-
116. cosque per eundem creatos esse in unum novum hominem affirmat; ut tum nos, tum omnes alios, cujuscunque sint nationis, ad alium, eumque multò meliorem statum, Christi operâ perductos esse intelligamus. Cùm enim Hebræi verbis compositis destituantur, fit ut eorum loco simplicibus utantur.

† *Illud primò animadvertendum*] Imò hæc prima animadversio est πρῶτον ψεῦδος Adversariorum, cui nihil omninò deferendum. Nihil hîc accidit mutationis: Cùm enim Filius unum sit cum Patre, non fuerunt subjecti soli Patri exclusivè ad Filium, sed unà cum Patre, Filio & Spiritui Sancto; ut perperam opponatur Deus Christo in hac materia. Nec Christus potuit mutare statum Angelorum, si suâ naturâ eorum Deus & Dominus cum Patre non fuerit; Et si Christus ψιλὸς ἄνθρωπος sit agnoscendus, deterior per ipsum evaserit Angelorum conditio; Ut enim in regimine Monarchico majus & amplius est, soli ipsi Monarchæ subesse, quam simul ulli ejus subijici Vicario; ita potior debuerit esse status Angelorum

quo

quo tempore *soli Deo subjecti* erant, quam ex quo *sub Christi etiam ditionem subjuncti sunt*: Attamen si quæ *illorum status per Christum mutatio facta est*, debuisset non in deterius sed in melius fieri. Accessit quidem in eo aliquid nobis, quod etiam suo modo nostræ naturę in persona Filij subjiciantur: Sed per id nihil ipsis vel accessit vel decessit, cùm semper subjiciantur Filio, ceu suo Creatori, Capiti & Domino, quocunque modo consideretur sivè præcisè quà λόγος, sive compositè quà θεάνθρωπος.

Quam Apostolus] Horrenda est depravatio hujus loci, cujus hos homines puderet, si omnem conscientiæ sensum non penitùs deposuissent. Nam I. Illud *in Christo* idem esse quod *per Christum*, patet ex parallelo planè loco Joh: 1, 5. ubi omnia δι᾽ αὐτοῦ *per ipsum* facta expresse dicuntur. Ideo etiam hoc loco Col: 1, 16. subditur quod omnia δι᾽ αὐτοῦ & εἰς αὐτὸν, *per ipsum & in ipso sive ejus respectu, creata sint*. II. *Throni, dominatus, principatus, potestatesque* dicuntur Angeli, non quod id evaserint per Christum quod antea non erant, & novos distinctosque honoris titulos obtinuerint, contra id quod habet disertè Apostolus Heb: 1, 14. eos *omnes esse ministerij munere fungentes Spiritus, qui ministerij causâ emittuntur, propter hæredes salutis futuros*; sed quod his nominibus ad pompam factis designarentur & distinguerentur à Platonicis, Angelicis & Simonianis, (adversus quos disputat Apostolus) ut eorum θρησκείαν Paulo nominatim damnatam Col: 11, 18. sub titulo plausibiliori commendarent. III. Creatio nequit hîc sumi de secunda creatione cujus fit mentio Eph: 11, 10. 15. quia secunda creatio est creaturæ corruptæ & depravatę per peccatum, in meliorem statum transformatio: Sed Angelis secundâ creatione non fuit opus, quia non exciderunt per peccatū eo gradu & statu quem obtinuerant per suam creationem; quin potiùs è contrario ita sunt in gloria confirmati, ut extra omne labendi & peccandi periculū sint collocati. Tum secundę & mysticę creationis respectu, statuendum Christum non aliter esse aliorū Creatorem quam prout eorum Redemptor fuerit, adeo ut mystica illa creatio quæ fundam nitatur ipsius sanguine fuso in remissionem peccatorum suorum: Jam verò Christus nusquam dicitur Redemptor Angelorum, vel suum sanguinem pro illis fudisse; & per consequens mystica creatio quæ est in Christo ad Angelos spectare non potest. Adhæc nova & mystica Creatio non potest statum universum omnium creaturarum; Hîc tamen dicit Paulus, quod per Christum *condita sunt omnia quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia inquam per eum & ejus respectu condita sunt; estque ipse ante omnia & per eum omnia consistunt*. Præterea thronorum & potestatum & imperiorum nomine, Angeli in communi, ut malos etiam comprehendunt, debent intelligi; Patet ex Eph: VI, 12. ubi dicitur lucta nobis esse *adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi principes, idest tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales improbitates quæ sunt in sublimi*; Patet amplius ex Col: 11, 15. ubi dicitur Christus *expoliata imperia & potestates traduxisse palam, triumphatis illis per crucem*; Dæmonas tamen participes esse factos novæ creationis in Christo, ne ipsa quidem impudentia credo ausit affirmare. Denique omnis nova Creatio in Christo subjectum mutat in melius, 2 Cor: v, 17. At secundum Volkelium novâ Creatione Angelorum, eorum conditio processit in pejus; siquidem per eam uno gradu à Deo remoti sunt. IV. Non alia hîc creatio potest intelligi, quam prima & propriè dicta; quia est omnium rerum, tam visibilium quam invisibilium; quia idem tribuitur passim Christo, nominatim Joh: 1, 3. quia id facit ad scopum Apostoli, qui vult

vult demonstrare non esse quod speciosis Angelorum nominibus nobis imponi patiamur, ut illos in nostros μεσίτας adoptemus, eosque in religionis cultu Christo Servatori, vel æquemus, vel præferamus; quandoquidem sint ipsi tanto inferiores Christo, quanto Creatura subsidit infra Creatorem: Itaque Paulus subdit quod Christus ceu Creator omnium tam visibilium quam invisibilium, adeoque omnium etiam Angelorum, sit *ante omnia*, quia videlicet est ab æterno, & jam *erat in principio* apud Patrem Joh: 1, 1. cùm creati sunt cœli & terræ, & quod hæc omnia ab ipso creata *per ipsum* quoque *consistunt*; id est revera jugi illius influxu & concursu in suo esse conservantur, prout dicitur expressé de Creatore Act. XVII, 28. Heb: 1, 3.

Sic Paulus alibi] Sed quæ consequentia? Nec enim si alicubi *creatio* de creatione iterata & renovatione spirituali sumitur, hunc sensum coactum, contra mentem loci, stylum Apostoli, usum Scripturæ, debet admittere dictum Col: 1. 16.

Verbum autem Condendi seu Creandi non de veteri creatione seu substantiæ productione, ut vulgò creditur, in hoc Pauli testimonio accipiendum esse, sed de creatione nova, quæ in mutatione status ac conditionis consistit, inde patet, quòd cum Christus istic primogenitus omnis creaturæ dicatur, necesse sit ipsum ex creaturarum istarum numero primum esse. Atqui non fuit is primus inter creaturas veteres, sed inter novas. Adde, quòd verba illa, quæ paulò pòst subjungit Apostolus, *ut sit* vel *fiat in omnibus ipse primatum tenens*, (*Col: 1. 18.*) satis indicant, de ea rerum cœlestium ac terrestrium intelligentiâ præditarum mutatione sermonem esse, quæ facta est, cùm Christus è mortuis resuscitatus, omnibus illis rebus dignitate, potestate atque auctoritate prælatus est, cum antea nonnisi summus ille Deus primatum in omnibus, vel inter omnia tenuerit.

‡ *Inde patet, quod cum*] Modò proposuimus argumenta irrefutabilia, ex quibus constat Paulum intelligendum, de *veteri creatione*, non *nova*. Non obest autem ratiuncula Volkelij, quod Christus dicatur isthîc *primogenitus omnis creaturæ* Col: 1, 15. unde vult sequi, *ipsum ex Creaturarum istarum numero primum esse*: Nam Christus non dicitur primò creatus inter Creaturas, sed omnium Creaturarum primogenitus; id est genitus à Patre antequam ulla conderetur Creatura, adeoque omnis Creaturæ Princeps & Dominus; prout hoc dominium in reliquam familiam, secum trahit ex jure antiquo dignitas primogeniti. Nec etiam primogenitus in familia est necessariò ejusdem ordinis cum residuo famulitio; Quare tantum abest ut necesse sit Christum *ex Creaturarum numero primum esse*, eo quod omnis Creaturæ primogenitus est, ut è contrario sequatur eum non esse ex numero & ordine Creaturarum, tum quia eas omnes creasse dicitur, tum quia est earum *primogenitus*, id est, & genitus ante omnium illarum productionem, adeoque ab æterno, & earum tanquam Patris unigenitus, constitutus *hæres* atq; Dominus Heb: 1, 2. Quin in eadem epistola ad Col: 1, 18. Christus dicitur *primogenitus ex mortuis*, quamvis non sit per omnia ex eodem ordine cum illis qui resurgent ad gloriam beneficio redemptionis gratuitæ quæ est in ipsius sanguine: siquidem ipse ex suæ mortis merito & redemptione resurrexisse censendus non sit.

Quod

Quod ergo subjicit Volkelius Christum non fuisse primum *inter Creaturas veteres sed inter novas*, falsâ illâ nititur hypothesi, Christum debere esse ex numero Creaturarum eo quod primogenitus omnis Creaturę dicitur; cùm ita non significetur duntaxat ejus præexistentia & præcellentia præ Creaturis: Nec sanè potest Christus *ex numero* earum Creaturarum censeri quas *omnes* condidisse & creasse dicitur, nisi unà suipsius Creator perabsurdè statuatur, sive primæ, sive secundæ creationis respectu: Nec video quî *omnis* nova Creatio, citra restrictionem aut exceptionem ullam, possit vindicari Christo, si ipse Creaturis novis debet quoque accenseri. Imò in Schola Sociniana videtur Johannes Baptista fuisse prior ipso Christo inter Creaturas novas; quandoquidem Sociniani auspicium Euangelij arcessunt ab ejus præconio & curriculo.

Adde quod verba] Hæc indicari per illa *verba* non video: Sed Apostolus ubi dignitatem personæ Christi inde demonstrasset, quod sit Creator & Conservator Universi, addit quoque Col. 1, 18. quod sit *caput corporis Ecclesiæ, & principium ac primogenitus ex mortuis, ut inter omnes primas teneat*: quo scilicet triplicem primatum tribuamus Christo; In Creaturas omnes, quod eas condiderit; in Ecclesiam, quod eam redemerit; in mortuos resurrecturos ad gloriam, quod suâ resurrectione gloriosâ, se vitam & resurrectionem esse demonstraverit, & viam illis præstruxerit ad fœlicitatem & gloriam.

De ea rerum cœlestium] Sed Apostolus loquitur de creatione omnium rerum in universum, tam visibilium quam invisibilium; non tantum de Creaturis intelligentibus. Quanquam nec omnes illę pertinent ad novam creationem, quâ homines *ad alium eumque multo meliorem statum Christi operâ perductos esse intelligimus*, ut paullò ante Volkelius loquebatur.

Omnibus illis rebus] Sed præterea quod hac Christi prælatione omnibus aliis rebus, non videatur ea mutatio illis obtigisse, quæ ceu productio ad alium eumq; multo meliorem statum, nova Creatio dici debeat; cùm plerisque saltem illarum subesse Christo, nihil amplius conferat, quam immediatè summo Deo, qualem Christum esse negant adversarij; quandoquidem ex mente Volkelij Christus in illa sui prælatione omnibus Creaturis, merè passivè se habuit, eò exaltatus à Patre, quî potest illâ ipsa prælatione censeri Christus condidisse omnia & author factus omnis novæ Creaturæ? Nam ex mente Volkelij, tum illa facta est *rerum cœlestium ac terrestrium intelligentiâ præditarum mutatio*, quæ nova Creatio dicitur, *cum Christus è mortuis resuscitatus, omnibus illis rebus dignitate, potestate, atque auctoritate prælatus est*; adeoque in illa ipsa prælatione, hæc nova Creatio consistit. Atqui illa prælatio juxta Socinianos est opus solius Dei, non Christi meri hominis, qui se passivè tantum ad illam habuit; Ergo illa nova Creatio, non Christo, quod fit à Paulo, sed soli Deo Christum resuscitanti ac præferenti aliis Creaturis, est adscribenda. Nempè eò subtilitatis redeunt Sociniani, ut ideo dicatur Christus omnia creasse tam visibilia quam invisibilia, eo quod illis ex indebito Dei beneficio sit prælatus.

Cùm antea nonnisi] Inepta est hæc oppositio inter Christum & summum Deum; cùm ipse sit cum Patre summus & verus Deus ac vita æterna: Primatum tenet Christus cum Patre in omnibus & inter omnia jure Creationis; Sed quà Θεάνθρωπος & suo modo subordinatè ad Patrem, primas tenet in Ecclesia jure Redemptionis; inter mortuos, jure suæ Resurrectionis.

Hîc jam res ipsa postulare videtur, ut quo pacto Christus hoc, quod in Angelos habet, imperium ad regni sui præcipuum finem ac terminum, id

est, fidelium salutem convertat, inquiramus. Hac igitur de re divinissimi illius Epistolæ ad Hebræos autoris sententiam audiamus: *(Hebr:1,14.) Nonne*, inquit, *omnes* (Angeli) *sunt administratorii spiritus, qui ad ministerium legantur propter eos, qui salutem adepturi sunt?* Ex quo loco colligi potest, non quibusvis hominibus, ordinariè aut præcipuè, sed illis qui cum pietate vitam traducunt, angelos subsidio mitti solere: & ne his quidem perpetuò assistere, sed tum, cùm usus exigit, ad eos ablegari. Et illud quidem inde licet animadvertere, quòd Divinus scriptor, angelorum officium describens, non propter homines simpliciter, sed nominatim propter eos, qui salutem adepturi sint, qui quidem sunt homines pii, eos ad ministrandum mitti scribit. Et sanè haudquaquam consentaneum est, Deum eos tam sanctorum, tamque præstantium, & cælestis planè naturæ spirituum præsidio munire consuevisse, qui de ipsius voluntate exsequenda nihil quicquam laborant, imò etiam nefarium contra ipsius Numen bellum moliuntur. Interim haud negamus, Deum per Angelos dæmonum violentiam ac furorem ita coërcere, ne pro libitu suo prorsus in infideles atque à vera pietate alienos sæviant, & sursum deorsum omnia versent. Quare & regna resque publicas, nisi
117. fortè eas graviter ob perpetrata scelera punire velit, reges item ac principes, angelorum operâ tueri ac defendere, & aliqua ratione gubernare solet Deus; quemadmodum ex Danielis vaticinatione *(Dan:10.13,14,20,21.)* potest animadverti; maximè autem tum, cum fidelium ac piorum hominum incolumitas simul agitur. Alterum, quod ex isto loco colligi diximus, innuit vox *mittuntur* seu *legantur*, quæ indicat, angelos subinde ad ministeria hujusmodi submitti. At si Angeli piis semper adessent præsentes, vix ac ne vix quidem id dici posset. Quæ quidem res animos nostros exuscitat, ut & amplissimam Christi majestatem admiremur; quippe qui semper cœlestes illos spiritus astantes ad nutumque habeat: & ut non semper nobis Angelos adesse intelligentes, ne ignavo otio aut languori nos dedamus, sed promissorum divinorum magnificentiâ nos erigamus & confirmemus, contraque peccati atque hostium impressiones nos armemus: & tandem, ut tantò majorem habeamus caussam angelorum præsidii, quoties opus est, à Christo petendi.

‡ *Hac igitur de re*] Sed jam idem obtinuisse sub V. T. adeoque hac in parte nihil novi accessisse Angelis per Christum, liquet ex Psal. xxxiv, 8. xci, 11. & aliis locis: Imò multo frequentiùs Angeli leguntur olim ad homines ablegati & ad illos ventitasse, quam post tempora Christi. Cætera quæ hîc dicuntur de Angelis, eorumque cura, ministerio & emissione, facilè admittimus; prout in eo æternam Divinitatem Christi deberent agnoscere Sociniani, quod Angelorum Sanctorum præsidio ipse nos muniat, & justam habeamus causam illud ab eo petendi.

Duplici porrò ratione Christi fideles angelorum præsidio juvantur, quarum

rum altera ad hanc ætatem spectat, quę diem illum ultimum antecedit; altera verò ad illud ipsum tempus pertinet, quo Christus ad judicium venturus est. Primò igitur dum hoc seculum durat, vel omnibus generatim atque universè, vel singulatim unicuique, angeli subsidio Christi jussu venire solent. Ac universè quidem, cùm integros fidelium cœtus angelorum præsentiâ ita honestat, ut & eorum operâ diaboli insidiis, quas struere fidelibus solet, occurrat; & ut ritè ac feliciter omnia in Ecclesia administrentur, perficiat; secundum illud: *(Matth:18.20.) Vbicunque duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, in medio eorum sum.* Quod quidem suum promissum tam etsi multis aliis rationibus persolvere potest; sæpe tamen per Angelos eum id facere, ex illo Apostoli pronunciato colligi potest: *(1 Cor:11.10.) Mulier*, inquit, *debet habere in capite potestatem propter Angelos.*

‡ *Secundum illud*] Hæc est insignis detorsio ejus quod dicit Christus Mat:XVIII, 20. quod utique non de Angelorum suorum ministerio, sed de sui-ipsius præsentia debet intelligi. Seipsum enim personaliter, per Divinitatis suæ Immensitatem & Salutarem gratiam, non substitutivè per Angelos, pollicetur futurum *in medio* suorum; prout & ipsemet Apoc:1, 13. describitur ambulans *in medio septem candelabrorum aureorum*; ubi notanda veniunt Haymonis verba; *Benè in medio septem candelabrorum aureorum, videt Iohannes similem filio hominis, quia Christus qui Ecclesiæ suæ præsidet, & præsidendo eam protegit, in medio Electorum suorum est, secundum illud, Ubi fuerint duo vel tres congregati, in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; (Matt:XVIII,20.) *Et alibi, Exalta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel:* (Esa:XII, 6.) Adde aliud huic simile dictum Christi Matt:XXVIII,20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: quod de præsentia personali, non substitutiva ministerio Angelorum, omninò sumi debet. Sed urunt adversarios hæc & similia Scripturæ testimonia, quibus ex Omnipræsentia Christi ejus æterna Divinitas irrefutabiliter demonstratur.

Sæpè tamen per Angelos] Interesse Angelos cœtibus fidelium lubens do ex 1 Cor: XI, 10. Sed nego illâ Angelorum præsentiâ formaliter præstari & impleri quod promisit Christus de sua ipsiusmet præsentia favorabili in medio suorum. Sanè ut promissionem de Angelorum præsidio, non exequitur Christus suâ personali præsentiâ, quasi vices sustinens Angelorum; sic etiam promissionem de jugi & personali sua præsentia nobiscum, non explet ministerio Angelorum, suas vices & partes hac in re illis committendo.

Iam ut videamus, quomodo fidelium unusquisque sigillatim angelorum præsidio sepiatur; intelligendum est, id tum in rebus carnalibus temporaneisque fieri: tum in spiritualibus. Ac in illis quidem hoc pacto, ut quemadmodum Deus olim fecerat, ita nunc sine dubio Christus angelis suis mandet de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris, in manibusque nos portent, ne fortè ad lapidem offendamus pedem nostrum. *(Matth:4.6. Psal:91.11.)* Hinc Paulus, cùm periculosissimè maximisque maris turbinibus ac fluctibus navigaret,

navigaret, nocte sibi astantem angelum, huncque in modum sese alloquentem vidit: (*Act:27.23.*) *Ne metue Paule; ad Cæsarem te sisti oportet: ac scito, tibi Deum omnes tecum navigantes condonasse.* Quod plane sic evenisse, idque sine du-
118. bio angeli illius, qui Paulo apparuit, aut etiam plurium, operâ, Lucas testificatur. (*ibid: v.44.*)

‡ *Quemadmodum Deus olim*] Ergo nihil novi hoc respectu accessit fidelibus per Christum: aut fatendum etiam jam olim Christum, Angelum illum increatum, cujus meminit Jacob Gen: XLVIII, 16. suorum cuique sigillatim de præsidio Angelorum prospexisse.

In spiritualibus autem negotiis, vel illi angelorum experiuntur auxilium, qui pusilli à Christo nominantur; (*Matth:18.10.*) vel qui propter divinæ veritatis confessionem magnas subeunt calamitates, sæpeque in præsentissimum capitis atque vitę discrimen vocantur. Pusillos porrò illos à Domino nominari intelligimus, qui vel in rerum divinarum scientia, ob tenuitatem ingenii, aut temporis brevitatem, non longè sunt progressi, aut non satis in ea confirmati; vel qui propter imbecillitatem virium tantos in pietatis cursu progressus, quantos alii, facere non potuerunt. Hi igitur ne diaboli astutiâ, mundi illecebris, carnis denique stimulis ab officio deducantur, fidissimâ angelorum custodiâ providetur, secundùm illud Christi: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. dico enim vobis, eorum angelos in cælis semper aspicere faciem Patris mei qui est in cælis.* Vbi cernimus, non vulgares angelos, sed angelos valde præstantes atque eximios, istorum fidelium procurationem habere; & simul, non omnibus communiter angelis in Dei faciem semper intueri datum concessumque esse, intelligimus.

‡ *In spiritualibus autem*] Nusquam Scriptura *in spiritualibus negotiis* nos subjicit præsidio Angelorum; Nec Apostolus illorum tutelam reponit inter partes illius panopliæ quâ nos induit contra Diaboli astutiam, mundi illecebras, & stimulos carnis Eph: VI, 11. & seqq. Nec sanus quispiam dixerit fidei augmentum ad retundendas Satanæ tentationes, aut mentis illuminationem, aut corroborationem spei & charitatis, aut spiritum precum ad seriam Numinis invocationem, fidelibus ope & ministerio Angelorum contingere.

Vel illi Angelorum] Et absurda est oppositio inter *pusillos* quorum meminit Christus Matt: XVIII, 10. & eos *qui propter divinæ veritatis confessionem magnas subeunt calamitates*; Et illud Angelorum auxilium erga eos *qui propter divinæ veritatis confessionem magnas subeunt calamitates, sæpeque in præsentissimum capitis atque vitæ discrimen vocantur*, potiùs spectat terrena pericula & temporaneam hanc caducamque vitam, quam negotia simpliciter & merè spiritualia; quamvis illæ calamitates eaque pericula ex spiritualibus negotiis nascantur.

Pusillos porrò illos] Inepta admodum est hæc interpretatio; Nam *pusillorum* nomine debent intelligi, vel ij qui tales habentur judicio mundi, ut forte Matt: X, 42. vel saltem ij qui in pietatis & virtutis studio eousque profecerunt, ut sint

malitiâ

malitiâ infantes, prudentiâ verò adulti 1 Cor: XIV.20 Etenim contentio quædam orta erat inter discipulos, uter major esset; Christus eos edocturus, *puerulum* collocavit in eorum medio; ac monuit eum *maximum* fore in regno cœlorum, qui *sese summiserit* ad instar istius pueruli; simulque subjecit quod ei qui offendiculo fuerit *uni ex parvis istis*, (non utique ætate, vel judicio, sed humilitate & regeneratione) qui in se credunt, præstaret ut molâ asinariâ de illius collo suspensâ demergeretur in profundo maris, Matt: XVIII,1.2.3.4.5.6. Horum autem *pusillorum*, hominũ aliorum & suo proprio judicio, sed tamen in se & in regno cœlorum *maximorum*, hoc est privilegium speciale, juxta Dominum, quod sint in singulari custodia Angelorum Mat: XVIII,10. Adeoq; hoc *pusillorum* nomen potiùs notat perfectionem moralem, quam defectum & imperfectionem, ut Volkelius nobis persuasum vellet.

Hi igitur ne Diaboli] Jam ante monui, eos infirmos qui *in rerum divinarum scientia ob tenuitatem ingenij, aut temporis brevitatem, non longè sunt progressi, aut non satis in ea confirmati, vel quipropter imbecillitatem virium tantos in pietatis cursu progressus, quantos alij, facere non potuerunt*, contra hos spirituales defectus non præmuniri & juvari Angelorum ope & præsidio, sed operatione Spiritus Sancti, verbi Divini efficaciâ, actibus fidei, Numinis seriâ invocatione &c. Quę omnia soli gratiæ immediatè agenti ita debentur, ut Angelorum activitas ad ea excitanda vel promovenda non extendatur in Scripturis: Erubescimus autem sine lege loqui.

Secundùm illud Christi] At Christus nihil aliud sibi vult quam pios omnes & regenitos, qui videlicet composuerunt & sedarunt animum suum, & quorum *similis depulso à lacte apud se est animus* Psal: CXXXI,2. in speciali cura esse apud Deum, qui contra quosvis lædentes vel lædere volentes, eos sit protecturus ope & auxilio Angelorum suorum; ut vel inde non veniant *contemnendi*, sed potius maximi faciendi; Quò disertè ipsius Christi verba nos ducunt.

Ubi cernimus non vulgares] Sed duos soles videat oportet, qui hîc sibi imaginetur, tacitè distingui *angelos valdè præstantes atque eximios*, ab Angelis *vulgaribus*; maximè cùm tale discrimen tollatur ab Apostolo Heb: I,14. qui *omnibus* Angelis indifferenter tribuit quod sint *ministerij munere fungentes Spiritus, qui ministerij causâ emittuntur, propter hæredes salutis futuros*. Tum si hæc Volkelij valeret distinctio, non illis *pusillis*, sed potiùs provectioribus & perfectioribus Angelorum non vulgarium sed valdè præstantium & eximiorum tutela destinaretur: Quò enim sunt in pietate provectiores, eò diligentiùs Satan illis insidiatur, adeoque curâ & patrocinio nobiliori & magis eximio indigent.

Et simul non omnibus] Et hoc consectarium est æquè absurdum: Nam Angelorum in communi hoc est munus, ut apparitorum & accensorum instar coram Deo stent & compareant, ejus excepturi mandata ad protectionem suorum Dan: VII,10. eóque evolaturi celerrimè quò fuerint amandati Psal: CIV,5. Heb: I,7. Hæc itaque non est metaphora, ut censet cum Socinianis Grotius, à Regum more, quos aspicere quotidie non cuivis Ministrorum licet, sed solis regni proceribus; quasi distinguendum foret inter Angelos intimæ admissionis & gregarios, primores & secundarios; Sed est metaphora desumpta â Magistratu cui adstant Apparitores & Lictores, qui ejus mandata diligenter excipiunt, & celerrimè exequuntur, prout olim suos Celeres Romulum juxta se semper habuisse, testatur Historia Romana. Uno verbo si *intueri faciem Dei* denotet visionem beatificam, extra dubium est Angelos omnes hoc sensu jugiter videre Dei faciem

cieni, ac summâ nec unquam interruptâ illâ frui beatitudine quæ in Dei visione sita est; Sin vero, quod nos arbitramur, in hoc Christo dicto, intueri semper faciem Dei, idem sonat quod Deo adstare,& coram eo præsens esse, & exposcere ac expectare illius mandata circa piorum protectionem, hoc est etiam commune omnibus bonis Angelis, ex loco ante citato Heb: 1, 14.

Illis autem, qui pro tuenda Christi veritate periculis infinitis vitam suam exponunt, angeli ita adsunt, ut vel ex vinculis eos expediant, quemadmodum de Petro, Iohanne, Paulo & Syla, factum esse legimus; (*Act:5.19.& 12.11 &16.26.*) vel si ita ferat divinæ gloriæ ratio, illis animos addant, diabolique techinas ab illorum mentibus propulsent, ut in mortem etiam alacri sese animo offerre non dubitent, nedum plagas afflictionesque recusent. Quòd si Christum ipsum (*Luc:22.43.*) terrore mortis perculsum angelus erexit ac confirmavit; non est dubitandum, id auxilii per eos præstari Christi servis, quorum juvandorum causâ eos mitti suprà vidimus: non dubitandum etiam, occultè eos id prestare posse, quod Domino Iesu angelus ille aperta quadam ratione præstitit.

1 *Illis autem, qui pro*] Hos Angeli tuentur in quibuslibet periculis, quamdiu libet Deo eorum operâ uti ad Euangelij sui propagationem: Sed Angelos extrinsecè *animos* addere piis, ubi debent pati pro nomine Christi, *diabolique techinas ab ipsorum mentibus* propulsare, aliquo testimonio Scripturæ docendum, non simpliciter dicendum fuisset. Nam 1. Nihil possunt directè & immediatè in hominum *mentes* sive principes facultates, nempe intellectum & voluntatem. II. Non possent Angeli animos nobis addere, nisi moraliter & per alloquium; at talia colloquia Angelorum cum hominibus piis ad eos solandos, nec promissa sunt illis, nec uspiam in Scripturis deprehenduntur. Quin Deus ordinariè utitur erga suos tuendos & conservandos operâ & ministerio Angelorum, sine ullo sensibili inter eos commercio; quo minùs pateant insidiis diaboli, qui ut facilè se transformat in Angelum lucis 2 Cor: XI, 14 ita etiam facilè captaret cum hominibus occasionem ejusmodi commercij ad illos decipiendos, si sensibile commercium cũ Angelis lucis præstolari & sibi polliceri ex Dei verbo possent. Præterea optarim Volkelium definijsse cujusnam ordinis sint isti Angeli, qui hæc præstant pro illis *qui pro tuenda Christi veritate periculis infinitis vitam suam exponunt*; videlicet sint-ne supremi, vel medioximi, vel vulgares & minimi. Si prius dixerit, tum corruet discrimen quod paullò ante proponebatur inter *pusillos* & istos, juxta quod supremis & primoribus Angelorum pusillorum cura demandatur: Si posterius; quæro qui fiat quod Petro, Johanni, Paulo & Silæ, nonnisi vulgaris & gregarius aliquis Angelus inservierit, cùm pusillis quibuslibet, Angeli valdè præstantes & eximij destinentur?

Quod si Christum ipsum]. Id factum Christo extrinsecè, sive alloquio & commonefactione Angeli: At Angelorum alloquium & commonefactionem sensibilem, nobis Deus in Scripturis promittere noluit, ut *id auxilij* ab Angelis in calamitatibus & anxietatibus nostris nullo jure præstolari debeamus.

Non dubitandum etiam occultè] Et hoc Scripturarum testimonio destituitur. Consolationes *occultæ* piorum non tribuuntur Angelis, sed Paracleto & Spiritui Sancto.

Hacte-

Hactenus de eo angelorum præsidio explicavimus, quod justitiæ studiosis in hoc seculo contingit: reliquum est, ut quomodo in ipso seculi illius termino angeli iisdem opitulaturi sint, breviter exponamus. Ipse igitur Christus dicit, *(Matth:24.31.)* sese in adventu suo ad illos, qui cum virtute vivunt, ex omnibus mundi partibus colligendos, atque ad se transferendos, angelorum operâ usurum esse. Et hæc quidem de eo Christi imperio, quo res in supremo illo cœlo collocatas complectitur, dixisse satis sit.

‡ *Ipse igitur Christus*] Hoc dicit Christus de suis Electis, per allusionem ad mores Judæorum apud quos sono tubæ populus convocabatur. Sed non debuisset omitti à Volkelio, nisi negaret immortalitatem animorum, id Angelorum præsidium quod *justitiæ studiosis*, cùm ex *hoc sæculo* discedunt, *contigit*: Siquidem eorum animæ ab Angelis in cœlum ad locum refrigerij, quietis, & gaudij deferuntur Luc:xvi, 22.

CAP. XXVI.

De imperio Christi in dæmones.

Consequens nunc est, ut quomodo in illis potestatem suam declaret, doceamus, quæ inferioribus cœli partibus continentur. Tametsi enim suprà *(c.22.)* non solùm de ipsis istis cœlis, verùm etiam de multis eorum adjunctis, propter summam horum cum illis conjunctionem, explicandum nobis fuit; reservavimus tamen in hunc locum illorum angelorum considerationem, quos in aëre habitare divinæ literæ testificantur. *(Ephes:1.2.& 6.12.)* Et hi quidem mali illi angeli sunt, quos propter superbiæ crimen divinissimâ illâ luce expulsos, inque tenebras tartareas dejectos esse, nec non tenebrarum catenis constrictos teneri, sacri autores asserunt. *(2 Petr:2 4. Iud:ver:6.)* Nam locus hic, quem incolunt dæmones, cùm cœlesti illo splendore collatus, tenebrarum instar obtinet. Quòd verò in tartarum detrusi esse dicuntur, id nihil aliud est, quàm eos in hunc inferiorem mundum, velut in profundum carcerem conjectos, stabili immutabilique Dei decreto ad sempiternum supplicium asservari: quo pacto malefici solent in profundum carcerem detrudi, & ad supplicii tempus custodiri: Petrus enim, qui hujus rei testis est, quasi clariùs suam mentem aperiens, eos judicio reservatos esse asserit. Hos igitur Deum nequaquam frustrà sub Christi potestatem subjecisse, hinc perspicitur, quòd tantum in Christianorum genus habent odium, tantâque adversum eos, quibus sempiternam salutem destinatam esse sciunt, flagrant invidiâ, ut omnes suas vires ad eorum perniciem semper conferant; & nisi Christus illorum immanitatem reprimeret, facilè omnibus, qui in fidei pietatisque studio versantur, æternam pestem afferrent.

‡ *Quos in aëre habitare*] Paulus Eph: II, 2. VI, 12. non tam loquitur de habitatione propria dæmonum, quam de eorum activitate & efficacia in aëream regionem, in qua absque dubio possunt excitare varias tempestates, ut etiam liquet ex historia Jobi.

Nam locus hic] Attamen Apostoli Petrus & Judas 2 Pet: II, 4. Jud. 6. non loquuntur comparatè, sed absolutè; Quod si domicilium aëreum consequi, esset *tenebrarum catenis* constringi & *in tartarum* detrudi, multo potiori jure dicerentur omnes hanc terram incolentes, ut-ut pij, sancti & fideles, constricti tenebrarum catenis & detrusi in tartarum. Itaq; tradi catenis caliginis, sive vinculis æternis sub caligine asservari, quorum prius est Petri, alterum Judæ, nihil aliud videtur sonare, quam eos Angelos qui peccaverunt (peccatum-ne fuerit formaliter *superbiæ*, nolumus scrupulosé inquirere; uno verbo dicit Judas quod *non conservarunt suam originem*, *sed reliquerunt suum domicilium*:) ejectos cœlo & fœlicitate æternâ, obscuris quibusdam ac imperceptibilibus nobis vinculis in æternum constringi, damnatos ad pœnam Tartari, in quod sunt detrudendi actu cùm Christus ad judicium apparuerit: Verè autem sunt ista vincula catenæ caliginis & sub caligine adstrictæ, quia dæmones in obscuro & profundo suæ miseriæ, expectant pavidi diem judicij & suę condemnationis, quę quando & quomodo sit processura, omninò nesciunt. Quid quod dæmones noxij sunt potissimum in tenebris & per illas? quò Christus respiciens dicebat Luc: XXII, 53. *Hæc est hora illa vestra & potestas tenebrarum.*

Quod vero in tartarum] ταρταροῦν sive ταρταρίζειν quo utitur Petrus, non est de facto dæmonas in tartarum conjicere; sed eos devovere & adjudicare tartaro; unde fit ut in expectationem illius pœnę, expulsi cœlo sint instar miserorum reorum, qui jam convicti & damnati, expectant in obscurissimo carcere diem supplicij. Tartari nomen ab Ethnicis est desumptum: Apud Homerum *Il.* θ. Jupiter minatur cœteris diis, si decretum suum quis tentet rescindere, pœnam tartari, his verbis, ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς Τάρταρον ἠερόεντα. *Aut eum correptum projiciam in tartarum obscurum.* Sed nunquam evinci poterit, hunc inferiorem mundum *Tartarum* appellari; aliàs & nos qui illum incolimus in tartarum detrusi diceremur: Et res est notior, quod tartari nomine apud ipsos Ethnicos constanter significetur locus pœnalis, in quo post hanc vitam torquentur impij. Hinc quod *tartarum* dicitur Petro, *abyssus* appellatur in aliis Scripturæ locis; ut Apoc: IX, 1. 2. 11. XI, 7. XVII, 8. & ideo dæmones à Christo petebant ne mandaret ut *in abyssum irent* Luc: VIII, 31. quod nondum *tempus* advenisset hujus ultimæ pœnæ Matt: VIII, 29. Id autem ubi advenerit, conjicientur omnes cum impiis *in stagnum ignis & sulphuris* (nam ita etiam tartarum appellatur) *ubi erit & bestia & pseudo-propheta, & torquebuntur die ac nocte in secula seculorum* Apoc: XX, 10.

Hos igitur Deum nequaquam] Duplici jure Satan subjicitur Christo; Primùm quà Deo; deinde quà Victori & Triumphatori, ut patet ex Joh: XII, 31. Col: II, 15. Heb: II, 14. Apoc: XII, 6. 8. Ut autem hæc victoria & ejectio Satanæ tribuitur formaliter ipsi Christo, ita statui potest quod eum ipsemet sibi subjecerit, & prout promissum erat Gen: III, 15. *contriverit* caput serpentis.

Adde quòd ideo etiam dæmones Christi imperio subjici oportuit, ut primò per ipsos, tum pios interdum in officio contineret, tum eorum fidem exploraret, intemperantiq; divinorum munerum abusu prohiberet: quemadmodum & Paulo, (*2 Cor: 12. 7.*) ne ob patefactionum præstantiam sese efferret,

ret, appositus fuit stimulus carnis, angelus Satan, qui ipsum cæderet. Deinde ut illorum operâ homines, vel in officio negligentes, vel veritatem recipere nolentes, vel receptam vilipendentes, aut cum mendacio commutantes, vel aliis sceleribus coopertos, debito supplicio vindicaret. Id autem duplici fit ratione. Nam vel in corpora tantùm istorum hominum dæmonibus aliquam dat sæviendi potestatem; vel etiam animos illorum arbitrio malorum spirituum quodammodo permittit. Prius in iis patet, qui ab Apostolo Satanæ dicuntur traditi aut tradendi. (*1 Cor: 5.9. 1 Tim: 1.20.*)

‡ *Quemadmodum & Paulo*] At quis fuerit ille palus Pauli, haud ita constat inter eruditos interpretes. In illa tamen humiliatione Apostoli Satanam ipsum intervenisse, ut in probatione Jobi, haud gravatè concedimus.

Prius in iis patet] Qui in illa traditione Satanæ quæ fit per excommunicationem 1 Cor: v, 5. 1 Tim: 1, 20. concipiunt corporeas afflictiones excommunicatis per Satanam infligendas, non satis ex aliorum judicio assequuntur genuinum effectum potestatis clavium, ex qua tales abstentiones & excommunicationes procedunt, juxta dictum Christi Matt: XVIII, 19.20. Cùm enim qui ligantur & excommunicantur, eo ipso extra Sanctorum communionem ejiciantur in tenebras exteriores, illo respectu haud immeritò censentur traditi Satanæ, spiritui illi nunc agenti in hominibus contumacibus Eph: II, 2. Is enim in eos regnat ac sævit pro lubitu, qui extra Ecclesiæ castra, nullum sibi possunt in Christi beneficio polliceri præsidium. Interea tamen, utraq; explicatio potest hîc retineri, ut factum à Chrysostomo & aliis; ita ut traditio Satanæ per potestatem ordinariam Ecclesiæ, nihil aliud inferat quâ ejectionem ex Ecclesia, extra quam regnat Diabolus; sed eadem per potestatem extraordinariam Apostolorum, aliquid amplius sonare censenda sit; videlicet excommunicatum ab Apostolis, justo Dei judicio in suo corpore torqueri solitum fuisse à Satana, quo cautiùs mercari in posterum disceret, & citiùs resipisceret à suis peccatis. Sanè virga Apostolica cujus fit mentio 1 Cor: IV, 21. videtur amplius quid significare, quam meram rejectionem ex cœtu fraternitatis: Hanc verò virgam Paulus stringebat in incestuosum, ad interitum quidem carnis, sed ut spiritus servaretur in die Domini.

Posterius in iis cernere licet, quos Deus ob spretam sui noticiam in mentem 120.
tradit improbam, (*Rom: 1.28.*) ita ut, quamvis ea quæ faciunt, tam sint omni rectæ rationis judicio adversa, tamque atrocia, ut nec ipsis, nec aliis probari cæteroqui possint; vehementissimo tamen impetu ad ea perpetranda, & sic pestem sibi ipsis comparandam, incitentur. Dæmonum enim, qui, ut homines ad omnia scelera incitent, semper advigilant, operâ interveniente id fieri, ex sacris literis satis constat. (*2 Cor: 4.4.*) Sic Deus eorum, qui agnitam veritatem aspernantur, mentes tantâ sæpè circumfundit caligine, ut mendaciis fidem adjungere, & sic cæco quodam impetu ad sempiternum interitum eos ruere oporteat; quod Satanæ potentiâ atque operâ fieri sacræ literæ satis apertè testantur. (*2 Thess: 2.10, 11.*) Quamquam autem Deus hujusmodi supplicia dicatur hominibus infligere, tamen cum sciamus Deum

 hodie

hodie neminem judicare, sed omne judicium dedisse filio; (*Joh:5.22.*) quicquid suppliciorum ab eo tempore, ex quo Christo est omnis in cœlo ac terra potestas data, in homines Evangelii veritatem aspernantes, vel impiè adversus eam agentes, à Deo effundi dicitur, id totum per Christum, seu à Christo Dei nomine & auctoritate, fieri intelligendum est. Denique cum in finem Christus supremam in dæmones potestatem habet, ut eos aliquando tanquam hostes suos puniat ac perdat. qua de re infrà dicetur. (*cap:34.*)

‡ *Dæmonum enim qui*] Agnosco hic etiam Satanæ ἐνέργειαν, sed quæ reprobis nullam relinquit speciem excusationis; tùm quia ita de Deo sunt meriti ut sibi & Satanæ jure permittantur; tùm quia mali origo & fomes in ipsis est ab intra, ut vulgò loquuntur, per propriam & insitam malitiam, eo magis quod Satan directè & immediatè nihil potest in principes animæ facultates, intellectum nempe & voluntatem, ut illi tenebras & errores instillet, hanc flectat & inclinet ad nequitiam; tùm quia suggestionibus Satanę quas intus ingerit, & occasionibus quas adhibet ad extra ad illos præcipitandos, ultrò velificantur & spontè omnino obsequuntur.

Tamen cum sciamus] Absurdè statues Deum abdicasse omnem judicandi potestatem, & eam ut Prætor Romanus judici pedaneo, sic commisisse Filio, ut quicquid pœnarum effunditur in impios & incredulos, à solo Christo secluso Patre infligi credatur: Contrarium patet ex locis Rom:1,28. 2 Thess:II, 10.11. adversario ipsi citatis. Locus vero Joh: v, 22. non est ita sumendus quasi Pater hanc curam judiciariam à se devoluerit in Filium, quò securiùs ipsemet otietur; sed hoc sibi duntaxat vult Christus, quod Pater neminem judicet solus, sed omne judicium exerceat in Filio & per Filium, cum quo unum est essentiâ & potentiâ: quo sensu intelligi quoque debent loci Joh: III, 35. XVII, 2. Imò ex eo quod ejusmodi pœnitiones Deo quoq; adscribuntur, colligas potiori jure annumerandas illas operibus Trinitatis ad extra quę indivisa sunt. Sed & hîc aliud absurdum latet in Volkelio; Videtur enim judiciariam ac punitivā Christi potestatem, restringere demum *ad homines Euangelij veritatem aspernantes, vel impiè adversus eam agentes*; Unde sequatur, Vel nullam pœnam effundi in homines, nisi increduli Euangelio aut adversus illud impij fuerint; quasi non debeant puniri aut de facto non puniantur qui jura naturæ violant & peccant in Dei legem, etsi de illius Euangelio nunquam audiverint; cùm tamen hujus posterioris ordinis illi fuerint quorum fit mentio Rom: 1, 28. eosque puniendos statuat conceptis verbis idem Apostolus Rom: 11, 12. Vel ad Christum tam parum spectare pœnitionem eorum qui in Legem Dei peccaverint, quasi Deus eos immediatè puniat, non per Christum, quam parum spectat ad Deum, ex hypothesi Volkeliana, eorum punitio qui Christi Euangelio contumeliosi sunt.

Tanquam hostes suos] At hæc perditio & punitio, non erit mera annihilatio, ut fingunt Sociniani: Amandabuntur enim in tartarum, ubi nec vermis moritur, nec ignis extinguitur, sicque ferientur ut in æternum se sentiant mori. Quin ejusdem est potentiæ annihilare ac creare ex nihilo: Quod si igitur Christus annihilaturus sit dæmonas, non solum debet ei competere potentia infinita, idest absolutè divina, sed etiam censeri debet Creator dæmonum iam olim extitisse; cùm is solus eos possit annihilare, qui eos ex nihilo educere potuit.

CAP: XXVII.

CAP: XXVII.

De potestate Christi in terris.

EXplicandum jam tandem est de ea Christi potestate, quam in terris habet. Quæ quidem duplex est: vel enim res, vel personas terrenas, imperio suo complectitur. Ac res quidem terrestres ad regnum ipsius eatenus revera pertinent, quatenus vel humanæ saluti, piorumque usibus servire, vel in supplicium ac pœnam impiorum converti possunt. Iam igitur, quod ad terrestres personas attinet, duo hoc loco consideranda videntur. Nam & quæ personæ istæ sint, & quâ ratione Christus eas regat atque gubernet, ponderandum est. Primò igitur constat, Christum esse regem peculiaris populi Dei; cùm illius regnum, ut suprà monuimus, illud sit, quod Gabriel angelus Davidis solium eam ob caussam appellat; *(Luc: 1.32.33.)* quòd quemadmodum David peculiari Dei populo imperabat, ita & Christus in domum Jacobeam dominaturus esset, & omnia, quæ ad illam spectarent, administraturus: quam quidem Israëliticam nationem, mysticè autem populum Christianum esse, nemo ignorat. Consequens igitur est, Christum tum Ecclesiam universam, tum omnes omniaque quacunque tandem ratione ad illam spectantia, amplissimo imperio ac dominatu complecti, & sic istorum omnium caput, regem & dominum esse, Iam verò cum Deus velit, ut omnes omnino homines Christi doctrinam amplectantur, & ad ejus ecclesiam sese aggregent; patet, eatenus etiam ad homines universos imperium Christi extendi, quatenus eos omnes vel per Evangelii prædicationem sibi subjiciendi ac mancipandi; vel, si parere voci suæ nolint, eos tanquam hostes ac perduelles debito supplicio afficiendi; & eorum conatus piis noxios, & veritatis ac pietatis incrementis obstantes reprimendi, aut in contrarium convertendi, amplissimam potestatem habet. Itaque & reges, & cæteri, qui potentiâ inter mortales eminent, Christi imperio subsunt. Nec refert, quòd ei plærique non obediunt. Nam eodem pacto nec Deo parent: nec tamen ideo Dei imperio non subsunt. Quamquam interim sæpè vel inviti, Christi voluntati parere, & ejus decreta coguntur exequi; utpote qui pro arbitrio eorum conatus vel impedit, vel ad nominis sui gloriam, & fidelium emolumentum convertit. 121.

1 *Quatenus vel humanæ*] Omnia citra limitationem Christo Regi subjiciuntur, licet in regno suo œconomico eorum administrationem dirigat ad Ecclesiæ suæ protectionem & salutem.

Cùm Deus velit] Neque hoc est Dei consilium & decretum, ut eventus docet; si enim id futurum Deus docuisset, utique etiam eveniret; Neque hoc est ipsius mandatum; siquidem non promulgatur Euangelium ubique & semper, nec tenentur credere qui non audiverint; uti

notum;

notum: Itaque talia syncategoremata debent intelligi non de singulis generum, sed tantum de generibus singulorum, ut loquimur in Scholis.

Etiam ad homines universos] Tam verum id est theticè quam hypothesis adversarij falsa est: Non magis enim hæc subjectio omnium hominum Christo est arcessenda ab eorum vocatione ad Christi jugum admittendum, (nam eam vocationem non esse simpliciter & absolutè universalem, extra dubium ponimus;) quam ea potestas quam habet in Angelos & dæmonas, quos nemo dixerit per Euangelij prædicationem ipsi subjiciendos & mancipandos.

Nam eodem pacto nec Deo] Ergo unum est Dei Patris & Filij imperium, quod concedi nequit quin una eorum essentia & natura agnoscatur.

Et ejus decreta coguntur] At Christum nova decreta fecisse de rebus futuris, distincta à Dei decretis factis ab æterno, somniare faciliùs possunt Sociniani quam probare.

Qui pro arbitrio] At hoc nequit mera Creatura: Creatorem itaque & naturâ Deum oportet esse Christum, qui hæc & possit & præstet.

Et hac quidem in parte Christo reipsâ jam sunt subjecti: cæteroqui nonnisi juris ac potestatis habita ratione ei subsunt, quemadmodum & ipsi Deo; donec aliquando ita sub Christi pedibus collocentur, ut ne hiscere quidem ampliùs ac mutire adversus ipsum queant. Neque enim cùm sacræ literæ asserunt, Christo jam ab eo tempore, cùm ad Dei dextram collocatus est, omnia esse subjecta, significant, ei omnia jam reipsa, & quidem penitùs, esse subdita: sed id potissimùm sibi volunt, Christo jus, potestatem, ac vires plenissimas omnia sibi penitus subjiciendi, ab eo jam tempore à Deo datas esse. Actu vero ipso paulatim sibi omnia Christus subjicit; nisi quòd angeli, simul ac ad Dei dextram consedit, ei se submiserunt. Et hominum quidem alii, agnito ipsius imperio, sponte se ei subjiciunt; alii imperium ejus detrectantes, unà cum cæteris illius hostibus, in adventu ipsius subpedibus ejus ponentur.

‡ *Cæteroqui nonnisi juris*] At cum hæc potestas sit actualis, non tantum de jure sed de facto subjiciuntur Christo ejus inimici; adeo ut nequidem præter ejus voluntatem faciant, quod tamen faciunt contra illius voluntatem: Legio integra dæmonum in Euangelio nequivit gregem porcorum subire, nisi ex speciali venia Domini: Licet illa dæmonum & impiorum vis, quâ adhuc ipso permittente pollent adversus pios & quam in illos sæpè exercent, non ante consummationem sæculi penitùs sit infringenda.

Quemadmodum & ipsi Deo] Optimè: At Deo non de jure tantum, sed etiam de facto subjiciuntur omnia: Nec possunt omnia ita subjici Christo ut ipsi Deo, quin Christus ejusdem & potestatis & naturæ cum ipso Deo Patre statuatur.

Donec aliquando] Fatemur omnes penitùs debellatum non iri ante consummationem sæculi, cùm ultimus hostis, nempe mors, per piorum resurrectionem abolebitur 1 Cor: xv. 25. 26. Attamen, non minus jam ejus potentiæ subsunt quam potestati: & id agnovisset Volkelius, si suorum paullò ante verborum meminisse voluisset: *Nec refert*, inquiebat, *quod plerique ei non obediunt: Nam eodem pacto, nec Deo parent, nec tamen ideo Dei imperio non subsunt. Quanquam interim sæpè* (imò semper,) *vel invicti, Christi voluntati*

voluntati parere, & ejus decreta cogantur exequi, ut pote qui pro arbitrio eorum conatus vel impedit, vel ad nominis sui gloriam & fidelium emolumentum convertit. Annon verò illud est, omnes eos *actu* sibi subjectos habere, etiam dum furere ac sævire magis videntur?

Actu vero ipso] Non tam omnia *actu* sibi *paulatim subjicit*, quam paulatim atterit vires hostiles suorum respectu, donec numerus eorum completus fuerit.

Nisi quod angeli] Imò jam tùm cùm Deus primogenitum suum in orbem terrarum induxit, dixit *Et adorent eum omnes Angeli Dei* Heb:1,6. ut beatorum Angelorum subjectio Christo θεανθρώπῳ perperam ab illius Ascensione in cœlũ & Sessione ad dextram Patris colligatur. Adde hîc loca Matt:IV,6. XXVI,53. Marc:1,13. Joh:1,52. ex quibus colligere est Angelos in obsequio Christi promptissimo fuisse, etiam dum in his terris versaretur, & priusquam ad dextram Majestatis Divinæ consedisset.

Unde Paulus ad Corinthios scribens, (*1 Cor:15.27.*) licet ex Psalmo 8. asserat, Christi pedibus omnia esse subjecta: nihilominus tamen eo ipso in loco indicat, nondum omnia reipsâ illi subjecta esse, sed olim demum subjicienda; & nominatim mortem, quæ inter ejus hostes ultima sit abolenda. Nam partim paulò antè (*v. 25.*) ex Psalmo 110. asseruerat, Christum debere regnare, *donec ponat omnes inimicos sub pedes suos*; partim etiam paulò pòst (*v. 27.*) addit: *cum autem subjecta ipsi fuerint omnia, tunc & ipse filius subjicietur ei, qui subjecit* (vel *subjecerit*) *ipsi omnia.* Quare alibi ad eum Davidis locum, quo omnia ejus pedibus subjecta esse dicuntur, non obscurè respiciens, & eum nobis aliquâ ratione explicans (*Phil.3.21.*) ait Christum *efficaciâ suâ posse etiam subjicere sibi omnia.* quod satis apertè indicat, non omnia quidem reipsâ, sed eatenus tamen omnia ei subjecta esse, quatenus possit sibi omnia penitùs subjicere. 122.

‡ *Tamen eo ipso in loco*] Apostolus 1Cor:XV,26. non dicit subjectionem ipsam adhuc esse in fieri, sed tantum illius effectum, nempe abolitionem hostium. Quanquam non nego hanc ipsam abolitionem, metonymicè exprimi subjectionis nomine versu 28.

Et nominatim mortem] Atqui hæc licet nondum sit destructa penitùs respectu fidelium, manet tamen subjecta Christo, qui est resurrectio & vita, atque vitæ & mortis arbiter, & habet *claves inferorum & mortis* Apoc:1,18.

Nam partim paullò ante] Illud autem *donec* non pertinet ad actualem subjectionem, sed ad totalem destructionem inimicorum Christi jam ante ipsi subjectorum.

Quod satis apertè] Imò vel inde potiùs colligam *omnia reipsâ* subjecta esse Christo; quia non dicit Apostolus Phil: III, 21. in futuro *poterit*, sed in præsenti, *potest*: quo significetur eam Christum vim efficacem explicaturum ad nostri resurrectionem, nostrorumque corporum vilium assimilationem corpori suo glorioso, quâ etiamnum potest omnia sibi subjecta & obnoxia habere.

Vt igitur homines, de quibus est sermo nobis hoc loco institutus, reipsâ sibi subjiciat, veritatem iis Evangelicam annunciari curat, ut vel eâ receptâ, sponte se ei submittant, eum tanquam regem ac dominum suum colant, ejus

mandatis pareant; vel si eam recipere, aut alioquin mandatis ipsius obtemperare nolint, tanquam perduelles aliquando supplicium luant, & hac ratione divinum ipsius imperium, quod agnoscere summo suo bono noluerant, maximo suo malo experiantur, ac pedibus illius sanctissimis subjecti, ad quos sponte sese advolvere abnuerant, ab eo proculcentur. Quare cum Christus justissimum de universo mundo judicium sit facturus, dubitandum non est, fore ut omnes terrarum oræ divinæ veritatis lumine compleantur, Euangelio ubique gentium promulgato, & Iudæis etiam, hominum generi pertinacissimo, fidei ostium, quemadmodum sacræ literæ pollicentur, (*Rom: 11.25. & 31.*) aperiatur; ut ita nemo sit, qui non solùm Christi doctrinam auribus minimè percipiat, sed amplissimam etiam Christum pro domino suo agnoscendi occasionem non habeat; & hoc pacto omnis officii proditi præcidatur excusatio, Deique judicium justissimum esse, omnibus terræ nationibus clarissimè pateat. Hoc enim illud est, quod Christus ait, (*Matth: 24.14.*) Evangelium per totum orbem prædicandum esse *in testimonium omnium gentium*, id est, ut ea res sit testimonio, eos justissimè puniri, omnisque ignorantiæ excusatio illis in judicio præcludatur.

‡ *Ut igitur homines*] Adducuntur quidem homines per fidem ad obedientiam voluntariam Christi; sed primarius tamen scopus prædicationis Euangelicæ non tam est hæc ultronea hominum subjectio Christo, quam liberalis applicatio eorum conscientiis Redemptionis quæ est in ipsius sanguine.

Dubitandum non est fore] Per partes & successivè, concedo; semel & simul, nedum semper, nego. Deus enim movet candelabrum suum de loco in locum, & dum obstat quominus Paulus euangelizet in Asia & Bithynia, ipsum in Macedoniam propellit Act:xvi,6.7.9.

Ut ita nemo sit] Si nemo omninò deberet esse, qui non solum doctrinam Christi auribus suis percipiat, sed amplissimam quoque Christum pro domino suo cognoscendi occasionem non habeat, deberet semper & simul in omnibus terræ oris annunciari Euangelium; cùm juxta Paulum Rom:x,14. homines credere non possint ei de quo non audierint, nec audire absq; prædicante. At ubique semper annunciari Euangelium, omnium sæculorum & temporum experientia esse falsissimum evidenter comprobat: Ut promulgatio Euangelij sit potiùs communis & indifferens facta per Christum quam simpliciter & absolutè universalis: quod etiam ipso Judæorum exemplo, quibus nonnisi sub finem mundi, si iterum converti debeant ex Rom:xv,25. fidei ostium aperietur; manentibus interea obduratis & exclusis à fœdere, *tantisper dum plenitudo Gentium introierit.*

Hoc enim illud est] Non assequitur hic Volkelius mentem Christi: Agit enim Christus Matt:xxiv,14. de prædicatione Euangelij *per totum orbem*, quæ præcessura erat eversionem Hierosolymorum, ut liquet ex com. 15. & seqq. Ea verò prædicatio illo tempore processerat quidem communiter per totum orbem tum cognitum, maximè Romanum Rom:x, 18. non tamen universaliter omnes totius mundi angulos perreptaverat; ut liquet ex historia & syllabo speciali Conversionis Gentium singularum ad Christum: Nec illud εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, debet tam firmi de argumento convictivo ad

ad ἀναπολογίαν, quam de instructivo, quo testimonium perhiberetur Gentibus per Euangelium beneficiorum partorum generi humano & omnibus ex illo credituris morte & sanguine Christi; Hoc fine dicebat Christus Apostolis Act: 1, 8. eos fore sibi *testes & Hierosolymis & in tota Iudæa & Samaria & ad ultimas usque terras;* Nisi dicamus cum Grotio hac præviâ Euangelij prædicatione inter Gentiles ante Hierosolymorum subversionem, *Deum velut antestatum gentes omnes, ut nota illis esset Iudæorum pertinacia, antequam pœnas exposceret.* Fateor interea *justissimè puniri* eos quibus sufficienter annunciatum fuerit Euangelium, si increduli permanserint, *omnemque ignorantiæ excusationem* illis præclusum iri in die judicij: Sed etiam id agnoscendum multos quoque justissimè puniendos & inexcusabiles futuros, qui nihil de Christo unquam audiverint; quia vel solum residuum lumen naturæ, & quod homines Deum naturaliter cognitum ut Deum tamen non glorificent, sufficiet in judicio, impiorum inexcusabilitati.

CAP. XXVIII.

De modo quo Christus regnat.

‡ *Respondente ad hoc & sequens caput* NICOLAO METELERCAMPIO, *Benthemensi.*

Videndum nunc est, quo pacto Christus Ecclesiam potissimùm suam regat atque moderetur. Duplici igitur ratione hæc quæstio explicanda videtur, ut nimirum tum generatim ostendamus, modum, quo Christus regnat, divinum prorsus esse; tum speciatim, ut doceamus, quibus in rebus divina hæc illius gubernatio sit constituta. Primò igitur eam gubernandi rationem, quam Christus in populo suo administrat, divinam esse, ex his ipsius verbis patet: *(Ioh:5.22.) Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio; ut omnes filium honorificent, quemadmodum honorant Patrem.* Quibus verbis regni sui amplitudinem tantopere exaggerat, ut tanquam si Pater omni sese divini populi gubernandi potestate privasset, ita eum neminem judicare, id est, 123.
gubernare, sibique omne judicium, id est, regnandi munus, mandasse dicat. Quid quòd eum tantopere à Deo Patre elatum videmus, ut à dextris illius collocatus esse dicatur. Adde, quòd Paulus Apostolus, *(1 Cor:15.21.)* ut summam illius planeque divinam potestatem mirum in modum amplificaret, eum, non ut nunc Deo subjectum, sed aliquando subjiciendum commemorat: cùm tamen nec sese Pater in ecclesiam imperio penitùs abdicaverit; nec filium sibi prætulerit; nec Deus aut caput illius esse desierit; imò pro summa sua sapientia, totam hanc illius potestatem ad gloriam suam converterit. *(Ephes:1.17. Apoc:3.12. 1 Cor:11.3. Phi:2.11.)* Intelligendum igitur est, spiritum divinum isto verborum pondere ideo Christi majestatem maximam facere instituisse, ut & summam ejus cum ipsius Dei regno conjunctionem exprimeret, & Christum haud aliter in gubernando fidelium genere Dei vicem gerere ostenderet, ac olim Iosephus in re perquàm simili Pharaonis loco omnia

omnia procurabat. Qui Pharao, ut, quanti Iosephum fieri vellet, omnes intelligerent, hunc in modum eum allocutus est: (*Gen. 41.40, &c.*) *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium universus populus, obediet uno tantùm regni solio te praecedam.* & rursum: *Constitui te super universam terram Ægypti.* & paulò pòst: *Ego sum Pharao; absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* Vbi videmus, Pharaonem regno se haudquaquam privasse, licet administrationem omnem regni totius Iosepho committeret; imò eum apertè regni solium sibi ipsi reservasse. Quę quidem res, cum Christi regni, ipsi à Patre dati, imaginem seu umbram gesserit; consequens similiter est, nihil de Dei imperio detractum esse, quòd Christus in tam altum dignitatis gradum elatus est, & omnium rerum ad Ecclesiam pertinentium administratio ei est commissa.

† *Modum quo Christus*] Sed quis dicat seriò *modum quo Christus regnat divinum prorsus esse*, si Christum cum Volkelio, verum Deum & vitam æternam esse negaverit?

Ut tanquam si Pater] Non ea est mens Christi Joh: v, 22. sed tantum dicere quod neminem Pater, nempe solus, judicet immediatè & excluso Christo. Dat Pater Filio *omne judicium* non per alienationem, sed per communicationem suæ supremæ potestatis.

Adde quod Paulus] Sed Paulus dum loquitur 1 Cor: xv, 28. de ipso Christo tandem Patri subjiciendo, alio sensu hoc verbum usurpat; ut hæc subjectio non denotet Capitis aliquam diminutionem in Dei Filio, quoad suam personam, sed potiùs ad ipsius exaltationem in suo corpore mystico pertineat. Siquidem plenè, perfectè, absque ulla rebellione, & cum summa alacritate, Deo subjicietur Christus mysticus, idest Filij Sponsa, Christi corpus & Ecclesia.

Cum tamen nec sese] Optimè; quia Pater & Filius unum sunt Joh: x, 30. Hinc illa quæ sensu absoluto vel specialissimè conveniunt Filio, non debent ei tribui exclusivè ad Patrem, sed inclusivè: prout plurima quæ Patri tribuuntur, non excludunt, sed includunt Filium.

Ut & summam ejus] Nec etiam duo sunt *regna* sed unicum; neque hîc illud venit usurpandum Poëtæ, *Divisum imperium cum Iove Cæsar habet.*

Ac olim Iosephus] Est tamen & hic magna diversitas observanda: Nam Josephus nihil aliud erat quam primarius Pharaonis minister; unde Rex sibi uni retinebat Solium & Majestatem quæ socium non patitur: At Christus est hæres & filius; nec rapinam ducit æqualem esse Deo, atque cum ipso in ejus *Solio* considere, ut nominatim id de se profitetur Apoc: III, 21.

Imò eum apertè regni] Sed huic throni reservationi inter Patrem & Filium locus non est, ut modò dixi.

Sed jam tempus est considerare, quibus in rebus sita sit divina hæc Christi gubernatio. Duæ igitur potissimùm res sunt, in quibus ea occupatur; nimirum tum legum sanctio aut abrogatio; tum legum latarum administratio: quo nomine comprehendimus omnem illam curam, quam Dominus Iesus adhibet, ut leges à se latæ promulgatæque serventur, ac prætere præmiorum distibutionem, ac pœnarum irrogationem: quorum illa, præcepta ipsius

ipsius observantibus, hæ eadem transgredientibns ac violantibus sunt propositæ; quamquam, ut suo loco docebimus, quorundam præmiorum persolutio, ac similiter pœnarum irrogatio, ad eam curam Christi spectat, quâ fit, ut leges ipsius observentur & exequutioni mandentur.

‡ *Duæ igitur potissimum*] Totam Christi gubernationem his duobus absolvere nimis coactum est: Cùm etiam eo pertineat convocatio, justificatio, protectio & defensio Ecclesiæ, ac promotio sanctificationis in singulis suorum: De legibus vero à Christo latis vel abrogatis, dicetur suo loco: Hoc tantum moneo, quod Christus postquam venit in mundum nullas leges tulerit, si quas tulit, & quasdam positivas ab ipso latas non inficiamur, nisi tempore suæ conversationis in carne & dum adhuc in terris versaretur: quare legum sanctio à Christo, non potest ad illius gubernationem pertinere, cujus Sociniani auspicium non faciunt ante ejus ascensionem in cœlos.

Quod igitur ad priorem gubernationis partem attinet; eâ ita perfunctus est Christus, ut non solùm rempub: suam iis temperaret legibus, quæ ad 124.
illam constituendam aptissimæ essent; verùm etiam omnes illas, quamvis ab ipso Deo olim latas, quæ ipsius regno religionique adversabantur, refigeret atque exterminaret. Primò igitur animadvertendum est, Iesum Christum, postquam à mortuis excitatus, regiamque dignitatem adeptus est, plena ac perfecta de fidelium officiis præcepta hominum generi promulgari curasse, & non ampliùs ea, quæ à nobis Deus fieri vellet, prophetico tantùm more denunciasse: sed ut summum principem, in suo nomine pœnitentiam, id est, vitæ correctionem atque emendationem, omnibus terræ nationibus prædicari jussisse. Hoc enim obedientiæ suæ, quam usque ad crucis mortem Patri præstitit, quasi quoddam præmium illum tulisse, ex illis ipsius verbis intelligitur: (*Luc:24.47.*) *Sic oportebat*, inquit, *Christum pati, & à mortuis resurgere, inque ejus nomine prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum.* Quænam verò illæ Christi sint leges, quas hominum generi promulgari curavit, sequenti libro explicabitur.

‡ *Ut non solum*] In genere morum, nullas leges novas tulit Christus post suam incarnationem, aut distinctas ab iis quæ jam populo Israelitico ministerio Mosis in manu Mediatoris fuerant promulgatæ; Nec alias *ab ipso Deo olim latas* refixit & exterminavit, quam quæ latæ fuerant eum in usum & finem, ut suo tempore ubi plenitudo temporum advenisset refigerentur & exterminarentur, umbris cedentibus corpori, figuris veritati.

Plena ac perfecta] Illa vero extant sufficientissimè in Decalogo, nec alia nobis sunt promulgata nomine Christi, aut ab ipso sancita post suam resurrectionem.

Prophetico tantum more] Absurdè fingas aliam *pœnitentiam* nobis nunc denunciari in nomine Christi, ab ea ad quam homines invitabantur per ipsum ipsiusque Apostolos suo nomine dum adhuc in terris versaretur. Absurdè itidem opponas nomen Dei nomini Christi; siquidem in

communi nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti, ex ipsius Christi jussu, venimus baptizandi.

Sed ut summum] Qui vero Christus ut *summus* Princeps curaret nobis *in suo nomine pœnitentiam* prædicari, quomodo prædicabatur à Prophetis sub V.T. in nomine Jehovæ, nisi ipse esset *summus* cum Patre Deus & Jehova justitia nostra?

Id est vitæ correctionem] Agnosco vitæ *correctionem & emendationem* esse consequens necessarium veræ & salutaris resipiscentiæ, imò formaliter ad eam pertinere serium vitæ in melius corrigendę & emendandæ deinceps propositum; adeoq; verè & benè dictum fuisse à Luthero, *Optima pœnitentia nova vita*; Interea tamen vitę correctio non debet confundi cum pœnitentia, aut hæc per illam simpliciter explicari.

Hoc enim obedientiæ] Exaltatio & gloria Christi, nec merces fuit nec *præmium* obedientiæ suę, sed tantum illius consequens necessarium, ut colligitur ex 1 Pet: 1,11. ubi agitur de *perpessionibus* eventuris Christo & *gloria illas consequutura*. Hæc gloria debebatur ipsius personæ, non rependebatur ejus obedientię; Nec obedivit sibi, ut eam exaltationem & gloriam mereretur & compararet, sed nobis, ut suo merito & satisfactione nos ad suam gloriam & fœlicitatem traduceret; Quare nec pro se, sed pro suis seipsum sanctificavit Joh:XVII,19. Quod & jam ante suo loco fusiùs ostendi.

Ex illis ipsius verbis] Illud *oportebat* Luc: XXIV, 47. non agit de necessaria Christi exaltatione quam sibi suâ obedientiâ meritus sit, sed de eo quod debebat fieri post ejus mortem & resurrectionem, ut mortis suæ beneficium & fructus posset nobis offerri & applicari sub conditione fidei & resipiscentiæ, ad quam ex ipsius authorite & nomine eramus invitandi.

Quænam vero illæ] De illis ergo videbimus suo loco, nec debemus esse miseri ante tempus.

CAP. XXIX.

De quarundam legum abrogatione.

NVnc enim ad earum legum, quæ cum Christi regno religioneque parùm conveniebant, abrogationem pergendum nobis est. Hæ autem tum illæ erant, quæ de ritibus ceremoniisque, tum ex illis non paucæ, quæ de jure civili promulgatæ fuerant, eæ nempe omnes, quas positivas vocant. Hîc verò ex me quæres, quomodo verus Messias is habendus sit, qui contra manifestum interdictum, *(Deu:4,2.conf: Exod:12.24:27.2:29.42:31.17. Lev:7.36:16.31:24.3.Num:27.11.)* leges illas, quas Deus integras sempiternasque esse voluit, non solùm mutare, sed etiam refigere ausus fuerit? Respondemus igitur, nequaquam Deum sibi ipsi, nec porrò regi huic, qui illius personam gerit, hanc legem imposuisse; sed populo Israëlitico, ad quem respectu habito, leges istas adeò fixas, ratas, sempiternasque esse voluit, ut nemo pro libitu atque arbitrio suo eas commutare, nedum rescindere auderet. Interim tamen Deus seipsum libertate istâ nequaquam spoliavit, quin tempore maturo adveniente, per Christum sive Messiam multas leges, utpote vel hujus religioni parùm convenientes, vel planè contrarias, antiquaret; con-

sentaneum-

ſentaneumque omnino fuit, ut hæc legum abrogatio per regem potiùs, quàm quemvis alium perficeretur: cùm leges præſcribere, anteàve latas pro ſuo arbritrio refigere, ad reges maximè pertineat. Hìc tamen, ut paulò antè jam innuimus, non de illis legibus orationem habemus, quæ magna ex parte 125.
in mentibus noſtris infixæ naturâ ſunt; ſed quæ in legis latoris arbitrio revera poſitæ erant. Qua de cauſa hic rex noſter, lege illa quæ moralis appellatur, integrâ ſalvâque relictâ, eas exterminavit, quibus externæ ceremoniæ ſancitæ erant, quæque circa corpus tantùm occupatæ, ad interiorem hominem ſive mentem minimè pertinebant; & ideo à religionis Chriſtianæ, quæ ſpiritualis planè eſt, natura vehementer abhorrent. Extinxit quoque multas ex illis vetuſtæ legis præceptionibus, quæ de jure traditæ fuerant, ideoque juridiciales vulgò appellantur; quia nimirum hæ quoque à Chriſtianæ religionis diſciplina ſunt alienæ, aut ad eam non ſatis accommodatæ.

‡ *Nec porrò regi huic*] Scilicet Socinianis non verus ſed perſonatus & theatricus Deus, Servator noſter habetur, nihilq; juxta eos competit Chriſto, quod cuilibet Principi in terris pariter non conveniat.

Ad quem reſpectu] Imò etiam *ſempiternæ* debuerunt eſſe quoad inſtitutionem & ſignificationem myſticam; licet ſuo tempore quoad obſervationem fuerint abrogandæ.

Quin tempore maturo] Optimè; cùm nonniſi ad illud uſque tempus obſervandę fuiſſent.

Ut pote vel hujus religioni] Religio Chriſti eadem ſemper fuit quoad ſubſtantialia Heb. XIII, 8. Apoc. XIII, 8. adeoq; nullæ leges à Deo latæ poſſunt cenſeri vel *parum convenientes* vel *planè contrariæ* Religioni Chriſti in ſuis eſſentialibus conſideratæ: Quin omnes illæ veteres leges erant pædagogus ad Chriſtum. Sed tamen deſierunt eſſe convenientes illi Religionis Chriſti œconomię ſpeciali quę nunc obtinet ſub Euangelio, quia umbrę corpori, figurę veritati, cedere debuerunt: Ut qui eas nunc vellet revocare, Chriſto ipſi adverſari meritò cenſeretur.

Ut hæc legum abrogatio] Cur non dixeris potiùs per eundem Legiſlatorem eas fuiſſe abrogatas, per quem & latæ fuerant?

Qua de cauſa hìc] Sed nec legem moralem volunt Sociniani bonâ fide intactam Chriſto remanſiſſe, cui fingunt multa per illum addita & detracta fuiſſe.

Ad interiorem hominem] Nempe in ſeipſis conſideratæ, & abſtractè à χρήσει & ſignificatione Euangelica, per quam ad Chriſtum deducebant, eumque cum ſuis beneficiis non adumbrabant modò, ſed etiam fidelibus quadantenus exhibebant.

Quia nimirum hæ] Partim quia ſunt à religione Chriſtiana alienæ, quatenus pertinebant ad illam formam regiminis Theocraticam & Cæremonialem quæ nunc non poteſt amplius obtinere; partim quia alia tempora alios mores poſtulant.

Vt autem hoc quale ſit meliùs doceamus, paulò uberiùs tum ceremonialis, tum juridicialis legis abolitionem explanabimus. Quod igitur ad ceremoniarum deletionem attinet, duo nobis facienda videntur. Nam & quibus nominibus illæ ab Apoſtolis eleventur, & quibus de cauſis abrogandæ fuerint,

fuerint, conſiderandum eſſe putamus. Primò igitur placitorum nomen occurrit, quo ideo ideo legis ceremoniæ appellantur, quòd legis latoris arbitrio ſubnixæ, ab inſita ratione non provenerant, quemadmodum ſuprà jam alicubi monuimus. *(lib:2.c.11.)* Nominantur etiam præcepta hominum; *(Col: 2.22.)* non quòd ab hominibus tradita ſint; ſed quòd, qui diſciplinam conſectantur Dei juſſu atque imperio abrogatam, ii meritò non Dei, ſed hominum mandata ſequi dicuntur.

‡ *Ab Apoſtolis eleventur*] Omnia illa ceremoniarum nomina quæ enotat Volkelius illis elevandis non deſtinantur.

Primo igitur placitorum] Videantur & ſuprà quæ nos ad hunc Volkelij conceptum annotavimus: Sanè placita hæc ita fuêre juris poſitivi & arbitrarij, ut tamen ſuis ſapientiſſimis rationibus ſubnixa fuerint; Nec planè immeritò ſtatuit Mæmonides *in More Nevochim p.* 3. *cap.* 28. quod omnia & ſingula legis præcepta ad εὐταξίαν animę vel corporis pertineant, & ſuam *habeant rationem & utilitatem* ſpecialem. Per nos licet hæc præcepta *placita* dici, quò conſtet illa juris eſſe poſitivi & arbitrarij, non ſimpliciter naturalis, neceſſarij & perpetuò obligantis; adeoq; minus offendat eorum abrogatio prædicata ab Apoſtolis; Sed non ideo ἄλογα aut juſtis rationibus non ſubnixa, ſtatui debent. Ipſe-met Chriſtus quaſdam nobis dixit leges juris arbitrarij & poſitivi, de Baptiſmo, v.g. & S. Cœna, quæ *placitorum* nomine eo reſpectu citra ἐξουθενισμὸν ullum poſſunt exprimi; cum earum ſanciendarum ſuę illi fuerint magni momenti rationes.

Nominantur etiam præcepta] Nempe poſtquam earum obſervatio, Chriſto jam exhibito quò ducebant, non tantum non exigitur, ſed etiam abſolutè prohibetur Gal:v,2.3.4. Agere enim Paulum Col:II, 22. de legalibus præceptis jam per Chriſti adventum ſublatis & abrogatis, ſatis liquet ex ejuſdem capitis com: 14. & 17. Ut taceam Paulo dici *præcepta & doctrinas hominum*, non tam ipſas Cæremoniales inſtitutiones à Moſe quondam præſcriptas, quam Judaicas quaſdam traditiones & fabulas, inter quas præter delectum ciborum, ſupra modum à lege quondam pręſcriptum, ſcrupuloſum ac ſuperſtitioſum, etiam fuit Angelorum θρησκεία, ibidem Apoſtolo commemorata com.28. & quam nemo ſanus poterit Cæremoniis Moſaicis annumerare: Nec video qui differant Pauli τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίαι τῶν ἀνθρώπων, ab illo Chriſti dicto Matt: xv, 9. μάτην δὲ σέβονταί με διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων: Hoc autem Chriſti effatum non ſpectat Cæremonias legales, quæ tum adhuc vigebant, ſed Deuteroſes & Traditiones Judaicas, etiam in re cibaria, ut liquet ex com.10.11. & 17.

Vocantur pręterea rudimenta ſeu elementa mundi, *(Gal:4.3.Col:2.8.)* quia ut tota lex Moſaica non niſi rudia quædam & tenuia cœleſtis diſciplinæ continebat initia: ita multò magis eam illius partem, quæ ceremoniarum complectebatur religionem, obſcuriſſimam quandam rerum divinarum ſimilitudinem habuiſſe fatendum eſt. Quòd autem non elementa ſeu rudimenta ſimpliciter, ſed rudimenta mundi nominata ſunt, id eâ re factum eſt, ut intelligeremus, futurum aliquando fuiſſe, ut Deus univerſum terrarum orbem

ad

ad perfectissimam voluntatis suæ notitiam instrueret, clarissimoque cœlestis veritatis lumine circumfunderet. id quod per Christum factum esse, Paulus luculentissimè docet, (Col:2.9.&17.) cum his mundi rudimentis omnem divinitatis plenitudinem, in Christo sanctissimaque ejus disciphna corporaliter, h. e. reipsa, non umbratili quadam ratione, ut in Lege, habitantem, opponit: & tempori illi, quo Iudaicus populus adhuc infans, elementis mundi fuit mancipatus, opponit (Gal:4.3.4.) plenitudinem temporis, quo Deus, misso filio suo, homines Legi subditos redimere, & ex pueris servorum similibus, quibus rudimenta illa conveniebant, filios suos, spiritu filii sui illis 126.
dato, efficere studuit.

‡ *Vocantur præterea rudimenta*] Dicuntur Gal:IV,3. Col:II,8. στοιχεῖα, idest elementa vel rudimenta, quod pertinerent ad pueritiam Ecclesiæ, quo tempore adhuc Abecedaria erat: Tamen piis quibuslibet ex Elementis abibant in elevamenta, per quæ mens eorum ad majora attollebatur, ut ex illis primis literarum elementis vocabula formarent significationis Euangelicæ: quamvis non negem quod sicut pueri nonnisi sonum & figuras norunt & considerant Elementorum, cùm docti & adulti ad eorundem usum & significationem in singulis dictionibus attendant, ita etiam plerique Israelitarum, circa hæc sua literarum Elementa toti hæserint, de eorum significatione & usu parum solliciti. Meritò autem Paulus abducturus Christianos à Cæremoniali cultu & observatione Cæremoniarum, eas vocat jejuna & infirma elementa sive rudimenta mundi, quò ad sublimiores lectiones jam traducti, ab illis Abecedariis & puerilibus rudimentis revocentur: Nec malè enim dictum à Seneca *Epist.* 36. *Quemadmodum omnibus annis studere honestum est, ita non omnibus institui. Turpis & ridicula res est elementarius senex; juveni parandum, seni utendum est.*

Quia ut tota lex] Nimis generaliter loquitur Volkelius; Nam Lex Moralis accuratè & perfectè continebat quicquid in genere morum vel Deus à nobis postulat, vel nos præstare æquum foret: Unde ejus integritas & perfectio celebratur Psal:XIX,18. Huc facit illud Christi Matt: XIX,17. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Adde quæ habet Paulus de Lege Rom: VII,12.14.16.

Ita multo magis] Attamen umbræ, ut ut obscuriores imaginibus ad vivum effictis Heb: X,1. corporis figuram aliquam continent, ipsumque corpus, cujus umbræ sunt, repræsentant & ponunt præ sensibus.

Id ea re factum est] Non video qui hujus nomenclaturæ ratio ea solida sit quam adfert Volkelius; Ceremonias scilicet dici rudimenta mundi, quia Deus orbem universum ad Christi notitiam erat traducturus. Quid enim his ritibus soli Judaicæ nationis præscriptis, cum Gentilium futura conversione luce Euangelij? Rudimenta igitur vel Elementa *mundi* dicuntur, tùm quod in rerum multarum terrenarum & mundanarum observatione consisterent, prout dicuntur *ritus carnales* Heb: IX, 10. & eorum usui consecratum Sanctuarium, *mundanum* appellatur Heb: IX, 11. tùm quod, ut omnia mundana transeunt, nonnisi *usque ad præstitutum tempus directionis*, monente Apostolo Heb: IX,10. durare debuissent; Si quis tamen nomine *mundi* homines hic intelligere malit, haud ægrè feremus; siquidem ab illis primis rudimentis incœpit Deus mundi, sive generis humani, institutionem salutarem.

Id quod per Christum] Terrarum orbem lumine cœlesti repletum esse per Christum agnoscimus; Sed I. Id non facit ad rationem hujus nominis *Rudimentorum mundi*, quo cæremoniæ legales à Paulo appellantur. II. Paulus sic opponit Christum Col:11,9.17. umbris legalibus, ceu earum corpus & veritatem, nec non inani Philosophię & Elementis mundi, ceu authorem & doctorem longè perfectioris scientiæ, siquidem *in eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, ut tamen per Divinitatis plenitudinem quę in Christo est, non intelligat *sanctissimam ejus disciplinam*, quæ nusquam hoc titulo indigitatur, nec illo commodè ornari potest, verùm perfectissimam ejus naturam ac veram Divinitatem; quæ cum sit in Christo non τυπικῶς & umbraticè, ut illa Dei præsentia in propitiatorio legali ex quo Oracula fundebantur populo, quæ שכינה *schekina* dicebatur à Judæis, & quo videtur allusisse Johannes 1,14. ubi dicit quod verbum caro factum ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, sed *corporaliter*, idest reipsâ & per suæ personæ dignitatem; unde fit quod certum in ipso *complementum* consequimur, ex illis elementis & rudimentis egenis nequaquam expectandum. Christum itaque Paulus opponit Philosophiæ inani & seductrici, traditioni hominum & elementis mundi; eo quod cùm in ipso habitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter, *hoc est reipsâ, non umbratili quadam ratione*, quomodo Deus Legis tempore insidebat propitiatorio & Sanctuarium mundanum inhabitabat, in eo solo possumus compleri & deduci ad perfectionem; prout statim subjicit Apostolus, *Et estis in eo completi qui est caput omnis imperij ac potestatis.*

Et tempori illi] Ad plenitudinem temporis, cujus meminit Paulus Gal:IV,3.4. pertinuit longè plenior institutio quam quæ obtinebat sub Elementis legalibus; Ea vero à Dei Filio & expectari & præstari debuit, quod in ipso habitet corporaliter omnis plenitudo Deitatis; & suam disciplinam ex ipso Patris sinu, in quo est ac fuit ab æterno, nobis attulerit Joh: 1, 18.

126 Huc pertinet, quòd eędem ceremoniæ, rudimenta infirma atque egena dicuntur, quod ea, præsertim cum Christianæ disciplinæ institutis collata, nihil in se solidi habeant, sed umbrę tantùm quædam sint, suosque sectatores nec ad pietatem corroborare, nec ad spem verarum divitiarum erigere possint. quorum utroque Christi doctrina mirum in modum præstat, adeò ut qui eâ destituuntur, si vel maximè ex istis legis institutis vitam moderentur, eos tamen inopes, desertos, nudos, omnique veræ felicitatis spe destitutos esse oporteat. Meritò igitur Apostolus ibidem miratur, *(ib:v.9)* Galatas illos Christi doctrinâ, & sic sempiternarum opum spe non mediocriter confirmatos, adeò desipere, ut tantis bonis spretis atque contemptis, per summam temeritatem in legis infirmitatem paupertatemque sese conjicere non dubitent. Et hæ quidem sunt illæ umbræ rerum futurarum, quas Apostolus *(Col:2.17.)* corpori, quod Christi esse ait, opponit, ut, quæ ceremoniarum præceptionibus procul, & quasi obscuris quibusdam lineamentis adumbrata erant, ea in divinissima Christi disciplina expressè solideque proponi doceat.

Quod

‡ *Quod ea, præsertim*] Id verum si considerentur post suam abolitionem, & in oppositione contrarietatis ad Christum; non verò si considerentur dum vigebant ac vivebant, & cum relativa oppositione ad Dominum. Hoc respectu non erant *umbræ* inanes, sed rem ipsam significatam suo modo sistebant præsentem ac exhibebant fidelibus, licet minus clarè & accuratè quam illa imago viva quæ nobis nunc obtigit sub Euangelio Heb:x,1.

Meritò igitur Apostolus] Quia nempe eas jam ut abolitas post Christi exhibitionem considerat. Antea vivæ erant & suo modo vivificæ, quia ducebant ad Christum, ipso nondum exhibito: Ex quo dixit in cruce, *Consummatum est* Joh: xix,30. mortuæ fuerunt: Sed evaserunt mortiferæ post sufficientem Euangelij promulgationem; quò spectant dicta Pauli Gal: iv, 9. v, 1. 2. 3. 4.

Quod Christi esse ait] Mens est Apostoli Col: ii, 17. umbrarum corpus esse τὰ τῦ χειςῦ, idest quæcunque ad Christi personam, officium & beneficium spectant; Hinc est quod Syrus Interpres mentem & sensum expendens potiùs quam verba, reddidit in casu recto, *Corpus autem Christus est.*

Ut quæ Cæremoniarum] Fateor inter doctrinam Euangelicam & Legalem, tantum esse discriminis quantum inter σκιὰν τῶν μελλόντων & αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων Heb: x, 1. Sed tamen utrobique idem est Christus: ut idem est Cæsar qui in tabella exhibetur, sive carbone duntaxat delineatus, sive ad vivum per suos colores accuratiori penicillo descriptus: plus & minus non variant speciem.

Quid quòd hæc ceremoniarum disciplina septum medii parietis in divinis literis appellatur; (*Ephes:2.14.*) quòd, quemadmodum illâ vigente, Ethnici in populum Dei adsciscí, & cum populo Iudaico coalescere non poterant: ita eâ sublatâ, amplissimus omnibus terræ nationibus ad eadem divini populi jura, eandemque rempublicam accessus patefactus est. Ad extremum, hæc eadem ceremoniarum religio, jugum, quòd Iudęi ferre non potuerint, (*Act: 15.10.*) itemque jugum servitutis (*Gal:5.1.*) nominatur, opponiturque libertati, in quam nos Christus vindicavit. Dura enim servitus erat, ad tot ceremoniarum, ad pietatem ac virtutem per se nihil facientium, observationem, gravi propositâ pœnâ adigi. Quantâm igitur libertatem Christus, postquam rex factus est, nobis pepererat, nemini obscurum, aut parum apertum esse potest; de qua tamen suo loco uberiùs dicendum erit. (*lib:4.c:5.&6. & lib: 6.c.10.*)

Septum medij parietis] Imò eodem respectu, & quod distinctionem faceret inter fœderatos Dei & alienigenas, Israelitas & Ethnicos, ἔχθρα appellatur ibidem, Eph:ii,15.

Iugum quod Iudæi] Dum vigerent erant 1. Jugum importabile Act:xv,10. & servitutis Gal: v, 1. in sua χέσει legali; quo etiam respectu dicuntur *Chirographum quod nobis erat contrarium* Col: ii, 14. 2. Jugum servitutis comparatè & secundum quid, in quantum pertinebant ad eum statum Ecclesiæ infantilem, in quo non differebat à servo Gal: iv, 1.2.3. Sed jam abolitę, fiunt jugum servitutis absolutæ, iis qui libertatem per Christum oblatam admittere detrectant.

Dura enim servitus] Ita hæredis dura est conditio sub tutoribus & pædagogis, in qua vix differt à servo: in ipsius tamen

men bonum & commodum ordinatur, quod propter ætatem immaturã suis rebus superesse non possit: Ejusmodi capistro eget immatura ætas, eo magis quod licentiâ nimiâ omnes simus deteriores.

Per se nihil facientium] At licet *ad pietatem ac virtutem per se nihil* facerent cæremoniæ veteres, tamen plurimum conferebant ad utrumque per suam institutionem & significationem divinam, in iis omnibus qui attendebant non tam quid essent, quam quò spectarent & quid significarent. Et cum disertè Paulus eas faciat pædagogum ad Christum Gal: III, 24. qui inde finis Legis dicitur Rom: x, 4. valde absurdus fiet qui absolutè negaverit eas nihil ad pietatem ac virtutem fecisse; aut Deum suo populo illum imposuisse cultum, ex quo nullus honestus & salutaris fructus ad colentes dimanaret.

Quantam igitur libertatem] Quamvis olim suum usum habuerint ad salutem istę Cæremoniæ, dum vigerent, nihil tamen decedit summo erga nos Christi beneficio, quo illi intolerabiliori oneri subducimur, & quasi ætatis beneficium consequuti à duriori ista tutela & pædagogia expedimur.

His ita constitutis, nullo negotio intelligi poterit id, quod secundo loco considerandum nobis est, nimirum quam ob caussam istam ceremoniarum disciplinam, Christi religione promulgata, exterminari oportuerit. Quis enim, ut generatim dicam, non videat, corpore, id est, rerum adumbratarum veritate jam existente, umbris nullum esse locum relictum? Verùm ut pressiùs paulòrem istam intueamur; tres potissimùm hujus legum abrogationis causæ videntur esse. Primò enim ipsa res indicare videtur, præstantiorum bonorum promissa, præstantiora vivendi præcepta requirere,
127. adeò ut, cum spiritualis sumpiternaque vita populo Christiano oblata sit, nihil indignius videatur, quàm eum in carnali terrenoque ceremoniarum cultu occupatum esse. Altera causa est, quòd Deus per Christum Iudęos cum Ethnicis tam arcto conjunctionis vinculo colligare voluit, ut ex utrisque unus populus fieret: quod quidem ceremoniarum lege, quæ hos ab illis discludebat, statum suum retinente, fieri vix ac ne vix quidem poterat: & sic res ipsa postulabat, ut de medio tolleretur. Tertia causa est, quòd Deus hanc legis exterminationem argumentò esse voluit, Iesum hunc, per quem facta est, verum illum divini populi Regem existere. Et hanc quidem ob caussam Christus non tunc, cum in terris degeret, Propheticumque munus administraret, sed cùm supra omnes cœlos elatus, summus populi Dei Rex constitutus esset, legum istarum abrogationem revera aggressus est.

‡ *Primò enim ipsa res*] Corpore exhibito umbræ debuerunt evanescere, & peracto fastigiatoque ædificio, tabulata quæ illi promovendo destinabantur, evertenda & removenda fuerunt: Et hæc ratio, quam ne quidem videtur Volkelius inter causas speciales hujus *abrogationis* recensere, potuisset ei esse instar omnium. Quæ autem prima hic ab ipso proponitur nititur falsissimâ hypothesi, quod *præstantiorum bonorum promissa* nunc sumus adepti: Etenim suo loco demonstravimus etiam æternorum bonorum promissa Veteres olim adeptos fuisse, & benedictiones terrenas Israëlitis promissas atq; collatas, ipsis typos & imagines fuisse cœlestium

lestium, quas etiam ex fide, nixâ utique promissionibus divinis, quotquot tunc extiterunt pij sedulò anhelarunt. Præterea non sumus nunc consequuti *præstantiora vivendi præcepta*, cùm Lex illa moralis quę constans est perpetua ac perfectissima norma vivendi, & semper viguerit & etiamnum obtineat. Concesserim quidem Socinianis præstantiorem nunc esse fœderis divini œconomiam quam veterem, quod illis Cæremoniarum involucris & ambagibus missis, clariùs, distinctiùs, & rectà magis nos ducat ad Christum: Sed nunquam extorquebunt à nobis ut agnoscamus *spiritualem sempiternamque vitam* nullo modo populo Judaico oblatam fuisse, aut Cæremoniarum cultum, ut-ut in se terrenum & carnalem, spiritualem usum & cœlestium significationem non habuisse, contra quam expressé docemur Heb: VIII, 5.

Altera causa est] Nempe non poterat hæc colligatio procedere, quin vel Gentiles obligarentur ad has Cæremonias, vel ipsæ abrogarentur: Sed cùm Gentilium vocatio à Prophetis præscripta debuerit subsequi Redemptionem per Messiam & Cæremoniarum abolitionem ipsius morte Dan: IX, 24. illa hanc necessariò supposuit.

Tertia causa est] At verò Cæremoniæ omnes de jure fuerunt abolitæ morte Christi, & cùm in cruce exclamavit, *Consummatum est.* Nec earum abolitio pertinet ad Regium Christi munus, sed potiùs ad Sacerdotium illius, quatenus per sui sacrificium in cruce, corpus & veritatem umbris ac figuris legalibus substituit. Neque Christus abrogavit Cæremonias per actum potestatis meræ & Regiæ, sed per veritatis & rei significatæ subrogationem in earum locum. Imò si quà *summus populi Dei Rex* abrogationem legum istarum est aggressus, oportet vel eum paris omninò authoritatis constitui cum Deo qui eas tulit, eò quod nunquam possit inferior ex plenitudine potestatis legē auferre quam tulerit superior; si enim dixeris eam potestatem Christum à Deo accepisse, tum fateberis Christum non propriâ potestate sed delegatâ ab ipso Legislatore, has leges abrogasse, adeoque non a Christo ut Rege, eas abrogatas, sed ab ipso ut Ministro primarij Legislatoris promulgatam duntaxat fuisse abrogationem earum: Vel quod verius est, Christum cum Patre has Leges in manu Mediatoris datas tulisse, adeoque & jus eas abrogandi meritò habuisse; *Nihil enim tam naturale est quam eo genere quidvis dissolvere quo colligatum est*, ut JCtus loquitur *l. Nihil tam, ff. de Reg. juris.* Adhæc quamvis Apostoli nonnihil post assumptionem Christi in suam gloriam *legum istarum abrogationem* de facto annunciaverint, jam tamen de jure facta fuerat ejus morte, in qua ideo velum templi fuit discissum à summo ad imum Matt: XXVII, 51. quo significaretur eo ipso corruere parietem illum intergerinum per quem Ethnici à Judæis disterminabantur. Et prout Christus etiam antequam crucifigeretur non semel viam præstruxerat illi imminenti abrogationi, tum circa cibos Matt: XV, 10. 11. tum circa Sabbathum Matt: XII, 1. 2. & seqq. ita & transegit totum Sabbathum in suo sepulchro, quasi illud cum reliquis cæremoniis æternùm sepulturus, & lintea quibus involutus fuerat, in ejusdem rei Symbolum resurgens reliquit ibidem Joh: XX, 6. & hoc Cæremoniarum *chirographum quod erat nobis subcontrarium, crucifixum è medio sustulit* Col: II, 14. & *legem præceptorum quæ in ritibus sita est, per carnem suam* (in qua nempe passus est 1 Pet: IV, 1.) abolevit Eph: II, 15. Ut summæ sit impudentiæ legum Cæremonialium abrogationem ipso jure, aliunde quam à Christi sacrificio & morte velle arcessere, contra tam luculenta Scripturæ testimonia.

Veniendum nunc est ad illarum legum abolitionem, quæ de jure causisque forensibus Iudaicæ illi Reipublicę datæ atque constitutæ fuerant. Has igitur à Christo jam Rege facto idcirco deleri oportuit, quòd ipsius regno non solùm parùm conveniebant, sed ex parte etiam repugnabant. Regnum quippe Christi iis legibus atque institutis temperatum est, quibus summa præcipitur charitas, patientia, mansuetudo, modestia, misericordia, adeò ut nec oculum pro oculo, nec dentem pro dente exigere, aliave ratione injuriam nobis illatam ulcisci liceat; (*Matth:5.20,38,39,44.*) idque non modò privatim, quod ne sub Lege quidem licebat, sed nec per magistratum, quod olim licebat: verùm contrà & aliam potiùs injuriam perferre, &, quod gravius esse videtur, inimicos diligere, in illosque beneficia conferre, nostri sit officii.

Has igitur à Christo] Leges forenses non sunt abolitæ per specialem actum potestatis Regiæ Christi; sed earum abolitio eversionem Reip. Israeliticæ, cujus regimini Theocratico & religioso erant attemperatæ, necessariò sequuta est; eâ lege quæ vult ut subjecto sublato, ejus adjuncta tollantur. Superfluæ itaq; & falsæ sunt causæ istius abolitionis quas profert Volkelius. Cùm enim regnum Christi non sit ex hoc mundo, nullæ leges forenses quà tales ei *conveniebant*. Neq; fingi potest Romanas v.g. vel Saxonicas magis convenire Regno Christo quam Mosaicas: Multo minùs jure finxeris leges illas forenses, vel ex toto, vel *ex parte*, repugnasse regno Christi. Siquidem solùm propter suum nexum cum cæremoniis legalibus, nequeunt, his abrogatis, obtinere apud Christianos, sub hac Euangelica Oeconomia Regni Christi: Jam autem cum practicabiles esse desierint propter abolitum cæremonialem cultum, quocum nexu necessario cohærebant, non magis per se censeri queunt repugnasse Regno Christi, quam ipsas Cæremonias, in quarum abolitione, suam quoque abrogationem consequutæ sunt.

Regnum quippe Christi] At virtutibus quæ hic enumerantur, leges forenses nullo modo adversabantur, tum quia in se justæ erant & æquę, tum quia istę eædem virtutes, charitatis, patientię, mansuetudinis, modestię, misericordię, non minus mandabantur olim Judæis, etiam eorum stante Politiâ Theocraticâ, quam hodie Christianis, etsi quoad regimen Politicum subsint legibus merè humanis, & dignitate multò subsidentibus infra leges forenses positas pridem Israelitico populo.

Adeo ut nec oculum] Benè est quod agnoscit Volkelius id *privatim sub lege* non licuisse: Inde enim sequitur Christum, non aliter hoc prohibere, quam quo sensu sibi perperam licitum illud putabant Scribæ & Pharisæi; videlicet hac constitutione semel factâ, cuique privato licere uti lege talionis, & suas injurias, aut quas tales putaret, ulcisci in continenti. Et quam Christus nolit obsistere Judiciis publicis, satis constat ex eodem loco Matt:v,25. Lex talionis ut per Magistratum exercebatur, neutiquam pugnabat cum charitate, patientia & virtutibus aliis hîc enumeratis: Itaque Christus, & damnat Matt:v,37.38.39. quod contra Legem ex perverso glossemate Pharisæorum obtinebat, videlicet privatis licere oculum sumere pro oculo, dentem pro dente; certum enim est non exerceri debuisse talionem juxta Legem, nisi ex judicis decreto; Nec prohibet quamlibet resistentiam & defensionem necessariam serva-

servato moderamine inculpatę tutelæ; cùm Christus ipse & Apostoli verbis restiterint calumnijs ac convicijs in se jactis & suam defenderint innocentiam, & legitima sui defensio sit juris naturalis & perpetui; Sed solum vindictę studium & exercitium prohibet, eodem sensu quo Paulus dixit Rom:XII,17.19. *Nemini malum pro malo reddentes*; *Non ipsi vosmet ulciscentes*: Jam verò illud idem prohibitum erat lege Mosaicâ, stantibus tamen judiciis publicis: Imò lumine naturali agnoverunt Ethnici, hoc esse vitandum: Notum illud Platonis in *Critobulo*, οὐδὲ ἀδικούμενον δεῖ ἀνταδικεῖν: ut & hoc Pythagoræ inter illius scita quæ refert Jamblichus, μήτε ἄρχειν λοιδορείαν, μήτε ἀμύνεσθαι τοὺς λοιδοροῦντας. Est enim, Seneca judice, *immane verbum ultio, & ab injuria tantum distans ordine*: *Qui ulciscitur nonnisi excusatiùs peccat.* Christus igitur vult nos ab omni ultionis studio avocare, ut nec *privatim* nec *per Magistratum* liceat nobis illatam injuriam ulcisci: Qui enim privatus querelam de injuria, vel damno, defert ad Magistratum, propriè non agit ad sui ultionem, quod nec per ipsas leges humanas conceditur; sed vel accusatoris partes sustinet, ex zelo justitiæ, ut Magistratui innotescant crimina quæ ex officio suo punire tenetur, cùm eum in finem acceperit gladium à Domino, ut sit *vindex ad iram ei qui quod malum est fecerit* Rom: XIII,4. vel civiliter duntaxat agit, non ad vindictam, quam novit Deo & Magistratui relinquendam Rom:XII,19. sed tantum ad reparationem damni quod in sua vel fama, vel persona, vel re, passus fuerit. Quapropter nulli privato magis olim licuit quam hodie illatam injuriam *ulcisci* per *Magistratum*; cùm nunquam injuriâ affectus, debeat animo ulciscendi queri ad Magistratum, sed tantum studio consequendi illati sibi damni reparationē, jurisque sui restitutionem in integrum, quoad poterit fieri, relictâ Magistratui curâ ejus quod ipsi incumbit ex potestate gladij. Sed & olim licuit & hodie licet Magistratui, imò id semper fuit eritque sui officij, punire sontes sibi delatos aut ullo modo cognitos, cùm publici intersit crimina inulta non remanere. Sanè Magistratui suum locum inter Christianos concedunt Sociniani; ergo debent illi relinquere quæ sui sunt officij, idest potestatem sontes plectendi, & in illos animadvertendi; Et quamvis ego non debeam queri ad Magistratum de injuria mihi facta, ex studio vindictæ, sed tantum vel ex zelo justitiæ, vel ut consequar damni quo sum affectus aliquam reparationem, tamen Magistratus me ita defendere tenetur, ut injurianti ex suo officio reddat malum pro malo, & infligat pœnam quam meritus est.

Verum contra & aliam potiùs] Nolint adversarij omnem sui defensionem illicitam facere hominibus Christianis; Nec ipse vult Christus viam nobis præcludere omni legitimæ defensioni, quà privatæ, quà publicę; Sed omne vindictę omnis studium vult extinguere, ita ut paratiores debeamus esse secundam injuriam pati, quā ulcisci vel referre. Atqui animus ulciscendi, æquè improbatur in Veteri Testamento ac in Novo; quod luculenter docet Paulus Rom:XII,19.20.21. *Non ipsi vosmet ulciscentes dilecti, sed date locum iræ; Scriptum est enim, Meum est ulcisci; ego rependam dicit Dominus; Itaque si esurit inimicus ciba eum; si sitit da ei potum; hoc enim si feceris, carbones ignis coacervabis in caput eius; Ne vincitor à malo, sed vince bono malum.* Dubium nemini esse potest, eadem omnino officia hîc commendare Paulum, ad quæ Christus nos invitat Matt:v,38.39.40.41.42.43.44. Jam autem Paulus, nihil hîc officiorum urget ad quod non tenerentur homines ex Legis, quę spiritualis est, præscripto, etiam vigente Politiâ Mosaicâ; quandoquidem utrumque comprobat authoritate V.T. Ideo enim ulciscendi animum debemus

bemus deponere, quia ulcisci ex authoritate & judicio, solius sit Dei Deut: XXXII, 35. sive immediatè per se, sive mediatè per suos Ministros, idest per Magistratus qui ad id sunt constituti Rom: XIII, 4. Adde expressam prohibitionem vindictę & commendationem omnium officiorum hîc nobis præscriptorum Lev: XIX, 18. Et cum in loco Prov: XXV, 22. quem idem Apostolus citat, declaretur quoque quod *inimicos diligere in illosque beneficia conferre, nostri sit officij*; hinc satis liquet ad illam ipsam charitatem quę nobis à Christo mandatur, circa dilectionem inimicorum, æquè ac nos obligatos fuisse Israelitas, licet uigente jure eorum forensi, quod per consequens nihil continebat illi charitati contrarium.

Etiamsi autem hæ Christi Leges propriè unumquemque privatim stringant, nihilominus tamen iis etiam publica jura atq; judicia, à magistratibus Christianis ita sunt attemperanda, ne quid earum analogiæ adversum statuatur. Quare omnia Legis Mosaicæ instituta ab illarum norma atque analogia abludentia, pro antiquatis sunt habenda, eorumque severitas mitiganda est. Fuit enim tempus, cum Deus severè cum hominibus agere voluit, ut in illa *mundi* pueritia eorum animis terrorem incutiendo palàm ostenderet, sese absolutissimum in eos habere imperium: nunc verò ea venerunt tempora, quibus singularissimâ quadam genus humanum gratiâ atque benignitate complecti constituit.

‡ *Nihilominus etiam iis*] Nihil harum legum *analogiæ adversum* statuitur *à Magistratibus Christianis*, cùm cordatè suo munere defunguntur, & gladio quo sunt instructi, procedunt in nocentes ad vindictam publicam sibi divinitùs demandatam: Ut tam absurdus sit qui pœnitiones corporales & capitales illicitas Magistratui statuat, ac qui dixerit contra Paulum Rom: XIII, 4. Magistratum *frustra gladium* gerere; Erit enim frustra ille gladius, qui in sontes stringi non poterit.

Fuit enim tempus cum] Atqui primò etiamnum Deus vult hominibus constare *se absolutissimum in eos habere imperium*: Quare si hæc fuit ratio judiciorum capitalium exercendorum in Rep. Israelitica, illa eadem supplicia nequeunt etiamnum hodiè prætermitti. Deinde causa ob quam uigere debuerunt supplicia capitalia inter Israelitas, non est ea quę hîc narratur à Volkelio: nam Deus suū illud consilium quo constituebat olim magis *severè cum hominibus agere*, non exequebatur per leges forenses, quà tales, sed per œconomiam Leviticam, & Legis ipsius moralis, quæ litera est occidens & cujus ministerium est ministerium mortis, prędicationem & inculcationem *quotidianam*, ut liquet ex 2 Cor: III, 6. 7. 9. Gal: III, 19. 23. IV, 1. 2. 3. Sed vera ratio cur Deus constituerat judicia capitalia per leges forenses, est quod cum in formam Reipublicæ suum cogeret populum, debuerunt quoque constitui Magistratus per quos regeretur, & pœnæ statui in nocentes; cum his duobus, præmiis videlicet & pœnis, Resp. omnis contineatur. Quod ergo vixerit populus Israeliticus tempore severitatis majoris, hoc fuit ei speciale quatenus erat Dei populus & particeps fœderis gratiæ, sub duriori tamen œconomia dispensati: At quod habuerit leges in genere de pœnis capitalibus & coercitione etiam corporali nocentium, hoc ad illum spectavit, quatenus coaluerat in formam Reip. & Regimen aliquod Politicum debebat admittere, ut omnes Resp. aliæ, quæ sine Magistratu & judiciis publicis subsistere neque-

nequeunt. Ita *Gratia* quæ nunc per Euangelium promulgatur spectat forum poli & Conscientiæ tranquillitatem; Sed hæc *gratia* quę communiter spectat Ecclesiam quà Ecclesiam toto orbe diffusam, nec obstat politiis & Rebuspubl. distinctis in mundo, neque subvertit necessariam Legum in illis severitatem; quâ cives & subditi in officio & metu quoad forum fori & hominem externum contineantur. Ut gratia non evertit vel naturam vel politiam, ita non subruit Magistratuum tribunalia, aut ipsis adimit jus gladij: Christus *non eripit terrestria, qui regna dat cælestia.*

Adde, quòd suum tenens institutum, quo à minutissimis rebus initium ducens, ad majora gradum ducere consuevit, eas tunc populo suo leges imponere voluit, quæ imperfectionis cujusdam haberent significationem, & non 128.
leve istius, quam oratione persequimur, legum abrogationis argumentum continerent. Documento esse potest lex illa, quæ injurias corpori illatas talionis pœnâ expiare pensareque jubet; cum nequaquam oculum pro oculo, dentem pro dente requirendo, sed pecuniâ potiùs damnum illatum pręstari possit.

‡ *Eas tunc populo suo*] Si quæ leges olim *imperfectionis cujusdam* habuerunt *significationem*, cæremoniales illæ fuerunt, cùm nunc veniat Deus colendus in Spiritu & veritate Joh: IV, 14. idest cultu tum faciliori, tum perfectiori, quem Christus in illarum Cæremoniarum locum substituere dignatus est: Sed leges forenses erant perfectissimæ in suo genere, atque hîc & nunc convenientissimæ illi Regimini & Reip. Ideo cultui religioso sive cæremoniali alter subrogatus est per Christum sub N. T. Sed nullas leges politicas & forenses Christum legimus instituisse, aut forensibus legibus Israelitarum subrogasse; Nec enim amplius Ecclesia veniebat illi consideranda simul quà Resp. civilis, ut sub V.T. aut externa & βιωτικὰ spectare voluit in sua disciplina Luc: XIII, 13. 14. sed tantum spiritualia & cœlestia; temporalibus relictis respectivè Magistratibus, pro ratione legum & morum, apud singulos populos receptiorum pro sua incolumitate externa.

Documento esse potest] Ut fusé hic de talione disputem, necesse non est; Lex illa dabatur privatis ad terrorem; ut hoc metu ab injuria aliis inferenda abstinerent; quod eleganter expressit jam olim Isidorus Pelusiota, Chrysostomi discipulus *lib. 2. Epist. epistolâ* 133. *Illud oculum pro oculo, dentem pro dente, Judæis à mansuetissima natura idcirco præscriptum atque sancitum esse opinor, non ut iis à quibus injuriam accepissent veniam negarent, crudelesque se præberent, quemadmodum censent Manichæi* (& hoc tempore nostrates Sociniani) *qui Vetus Testamentum insectantur, sed ut eadem quæ agunt perpeti metuentes, ab injuria abstineant.* Sed eadem lex dabatur judicibus tanquam regula, ut scirent quousque procedere deberent in irrogandis injuriarum pœnis, ne vel modum excederent, vel nimiâ lenitate augerent ferociam improborum. De æquitate Talionis, alij fusè disputant: Fuit ea in usu non solum apud Judæos, sed etiam apud Romanos, qui tamen plurimùm studebant æquitati: Lex 53. XII. Tabularum, talis erat, *Si membrum ruperit ni cum eo pacit,* idest paciscatur, *talio esto.* Illi æquitati nihil derogat argutia Volkeliana, quod *pecuniâ potiùs* quam talione, *damnum illatum præstari possit.* Nam 1. In judiciis publicis, non tam debet spectari damni privato illati re-

reparatio, quam conservatio tranquillitatis publicæ, cujus interest exemplum statui in iis qui suâ proterviâ eam turbant, dum in alios injuriosi & contumeliosi sunt: Ita si quis alium occiderit, Magistratus non solet aut debet attendere quod tenui quandoque pecuniâ damnum illatum vel viduæ, vel orphanis defuncti, præstari possit; sed quod leges velint, Christo quoque comprobante, ut qui percusserint gladio, gladio pereant Matt: XXVI, 52. Etiam in ejusmodi injuriis corpori illatis locum fuisse commutationi pœnæ corporalis in pecuniariam, res est notior quam quæ debeat multis probari. Gellius *lib.20. Noct. Att. cap.1.* introducit Sextum Cæcilium, ita loquentem pro justitia talionis; *Quæ ista acerbitas est, si idem fiat in te quod tute in alio feceris, præsertim cum habeas facultatem paciscendi & non necesse sit pati talionem nisi eam tu elegeris? Quod edictum autem prætorium de æstimandis injuriis probabilius esse potest? Nolo hoc ignores, hanc quoque ipsam talionem ad æstimationem judicis redigi necessariò solitam; Nam si reus qui depacisci noluerat, judici talionem imperanti non parebat, æstimatâ lite judex hominem pecuniæ damnabat; Atque ita si reo pactio gravis, & acerba talio visa fuerat, severitas legis ad pecuniæ multam redibat.* Nec improbabile est in foro Judaico idem servatum fuisse: Nam etiam Exod: XXI, 30. qui morte aliàs dignus erat, poterat certo casu pretio vitam redimere; cur non igitur & pœnam talionis? Quin Magistri Judæorum pertendunt id omne quod dicitur *oculus pro oculo*, ad pecuniariâ duntaxat pœnâ spectasse, ut post alios asserit Ishac Atias *in Tesoro de preceptos, præcepto aff. 236.* Huc maximè faciunt quæ lego in בבא קמא *Bava chama*, sive Codice I. Thalmudico *de legibus forensibus cap.8 §.1. Qui proximum lædit in eo multis, idest quinque nominibus tenetur; damni nomine, doloris, curationis, cessationis, & ignominiæ; Si illius oculum excœcavit, manum amputavit, pedem fregit, eum considerant ac si servus esset in foro vendendus, atque æstimant quanti ante valebat & quanti jam valet.* III. Nec verum est quod statuit Volkelius quodlibet damnum illatum pecuniâ præstari posse; Vir enim cordatus damnum suæ quoque famæ illatum non æstimabit pretio: Solemniori aliquâ reparatione isthîc opus est. IV. Non est omninò improbabile utrumque obtinuisse, & quinque actiones, quas modò ex Thalmude commemorabam, institutas fuisse simul contra lædentem; ut primùm teneretur ad damnum; æstimatâ jacturâ hujus vel illius membri in læso pro illius conditione: secundò teneretur ad dolorem, expendentibus judicibus quantum homo istius conditionis reportare vellet aut deberet, ut dolore tanto afficeretur; tertiò teneretur ad curationem & quartò ad cessationem: Nam etiam *ff. de his qui effuderunt l. 7.* ita loquitur Gajus JCtus; *Cum liberi hominis corpus ex eo quod dejectum effusum-ve quid erit, læsum fuerit, judex computat mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia quæ in curatione facta sunt; præterea operas quibus caruit aut cariturus est ob id quod inutilis factus est:* quintò teneretur ad ignominiam, ut in pœnam publicam injuriæ ultrò & datâ operâ factæ alteri, eodem membro ad ignominiam perpetuam mulctaretur, quo per petulantiam ad damnum perpetuum prior mulctarit proximum suum: Non nescio verba Thalmudis aliud quid dicere, nec has quinque actiones simul conjungere in una injuria, sed pro injuriarum diversitate, nonnisi alteram ex illis concedere: Mihi tamen verosimilius est illas quinq; actiones conjunctim viguisse & exercitas fuisse in ejusmodi injuria; videlicet damni æstimati ex jactura membri; doloris passi tum in injuria accipienda, tum in sanando vulnere; curationis vulneris facti & cessationis dum curatur; ac tandem ignominiæ, per pœnitionem corporalem; quæ

tam

tam propriè ad παράδειγμα & τιμωρίαν authoritate publicâ spectet, quam reliqua quatuor ad id quod interest civiliter ipsius læsi.

Nunc verò postquam tempora gratiæ atque perfectionis venerunt, & postquam is Dei populi Rex constitutus est, qui divinę gratiæ beneficium administrat, quique perfectissimâ legum disciplinâ suam Rempublicam temperat atque moderatur; evénit, ut omnia legis jura, quę vel divinam gratiam impugnant; vel rigiditate quadam contaminant, vel umbras tantùm quasdam continent, meritò ex Christi regno per ipsummet exterminata fuerint. Hoc enim illud est, quod Iohannes asserit *(Ioh:1.17.)* legem per Mosem datam, gratiam autem & veritatem per Christum factam esse. Quibus verbis præter alia hoc nos docere instituit, Christi disciplinam non ita minis ac suppliciis, ut olim lex Mosaica faciebat, terrere, sed promissorum potiùs amplitudine homines in Dei studium incendere. Qua de causa lex illa, seu mavis, legis vis, quam in animis hominum exeruit, spiritus servitutis in timorem appellata est; *(Rom:8.15.)* quia nimirum suppliciorum metum atque horrorem mentibus hominum potissimùm invexit: quod contrà sub imperio Christi fit, utpote qui summâ misericordiâ, incredibilique clementiâ omnes eos complectatur, qui scelera, quantumvis maxima, à se admissa, quæque sub antiquo illo fœdere omni veniâ prorsus excludebantur, detestati, ad officium redeant.

‡ *Nunc verò postquam*] Absurdè colligit Volkelius cessationem judiciorum publicorum in Rep. humana, ab iis quæ præstat Christus in sua Republica spirituali & mystica: Nam nec Ecclesia regitur Magistratuum legibus, sed Dei verbo; nec politicas ullas leges tulit Christus Rebuspublicis humanis, quà talibus, sed iis tantum vult obediri, quam earum Rectores tulerint ad tranquillatem publicam conservandam & mutuas injurias inter cives impediendas.

Evenit ut omnia legis] Sed nego ullam legem forensem Vel *divinam gratiam impugnasse*; nec enim severitas publica circa hominem externum, ad sontium punitionem in foro fori, quicquam deterit de gratiæ divinæ pretio in foro conscientiæ & cœli, cujus efficaciâ confidimus remissionem peccatorum nos à Deo per Christum consequuturos; Vel *rigiditate quadam* eandem gratiam *contaminasse*; si enim nihil peribat gratiæ quæ est in Christo quando incestuosus Corinthiorum tradebatur Satanæ ad interitum carnis 1 Cor: v, 5. nemo sanæ mentis audebit dicere supplicia capitalia lege forensi præscripta aliquid labis gratiæ divinæ aspersisse; Vel *umbras tantum continuisse*; Leges enim forenses quà tales & quæ משפטים *Misçpatim* idest *judicia* dicuntur Judæis, ut cæremoniales non erant eo respectu, ita nullas umbras bonorum futurorum in se continebant.

Hoc enim illud est] Equidem Christus promulgando Euangelium gratiæ, nos liberavit tum à terrore, rigore & maledictione Legis moralis, tum à jugo umbrarum & Cæremoniarum Leviticarum, unde Joh:1,17. gratia & veritas opponuntur Legi, illa morali, huic cæremoniali; Sed tamen disciplina Christi non eripit suum gladium Magistratui, nec prohibet quominus pœnis & suppliciis

 condignis,

condignis, quæ etiam crescant & intendantur delictis crescentibus, sontes coerceantur in Republica.

Qua de causa lex illa] Spiritus servitutis Rom:VIII,15. dicitur 1. Absolutè operatio atq; effectus Legis Moralis in mente hominis peccatoris ante ipsius regenerationem, quod colligitur ex variis aliis Scripturæ locis, ut Rom:IV,15. Gal:IV,5.7. Heb: II, 15. Homo enim contremiscit & horret totus ad Legis denunciationem & minas, ac servus pœnæ constituitur & pronunciatur per illam: non tam ex metu *suppliciorum* temporalium quæ juxta Forensem infligebantur sontibus, ut somniat Volkelius, quam ex horrore mortis & maledictionis æternæ quam lex moralis sui transgressoribus denunciat; confer Exod: XX, 19. Heb:XII, 18.19.20.21. 2. Comparatè operatio Spiritus gratiæ in Israelitis viventibus sub pædagogia Legis, ad eam quam exerit in fidelibus sub N. T. Quia enim hæres quamdiu est infans nihil differt à servo, licet sit dominus omnium Gal:IV,1. Israelitæ in illa Ecclesiæ infantia & sub dura Legis pædagogia atque tutela, ac importabili Cæremoniarum jugo, non habebant plenam illam libertatem clamandi Abba Pater, quam per Spiritum adoptionis sub Euangelio consequimur.

Quæquè sub antiquo] Primùm quamvis crimina & *scelera omni veniâ* excluderentur sub veteri lege in foro fori, & quoad externam politiam, in qua Magistratus erat νομόφυλαξ, & ex legibus debebat agere non de illis dispensare, tamen in foro poli & apud Deum non carebant omni veniâ pro iis qui illa seriò *detestati* redibant ad officium, uti exemplo Davidis ipsius liquet, post contractum reatum adulterij & homicidij. Nec dubito quin occultus homicida qui Magistratus gladium effugisset, potuerit in festo propitiationis & aliis sacrificiis publicis, eas oblationes ἱλαστικὰς quæ tum fiebant in communi pro peccatis populi, applicare suæ conscientiæ in sigillum & pignus remissionis sibi factæ à Deo, si seriò crimen suum lugeret, & vera pœnitudine duceretur. Secundò etiam inter Christianos scelera capitalia debent plecti à Magistratu absque venia, sive resipuerit, sive obstinatus in crimine suo permanserit qui eorum convictus fuerit. Nec enim disciplina Christi laxat fræna criminibus, vel mutat Societates politicas in mera latrocinia, in quæ illas abire necesse esset si quorumlibet scelerum impunitatem homines, sub prætextu ac professione Christianismi sibi possent promittere. Nec quia Deus quoad forũ internũ & conscientiæ remittit propter Christũ etiã maxima peccata seriò resipiscentibus & ad officium redire paratis, Magistratus ideo debet eximere sontes pœnis statutis legibus, quod sese sua scelera detestari dicant. Debet enim Magistratus relinquere Deo quæ Dei sunt, & ipse exequi quæ sibi incumbunt ex officio.

Animadvertendum autem est, non omnia legis illius jura in hoc genere, de quo loquimur, haberi. Excluduntur quippe hoc numero, inque Christiana Republica locum omninò habent, quę patientiam, quæ benignitatem, quæ charitatem minimè evertunt, quæque, ut uno verbo dicam, omni injuriarum ultione vacant: ut quæ ad tuendam tranquillitatem publicam, & morum honestatem, quæque ad defensionem innocentium, ad controversiarum civilium diremtionem omninò sunt necessaria. quæ tamen non eam ob rem ad Christianos pertinent, quòd in Lege Mosaica contineantur; sed quòd cum Christi legibus consentiant. Quo pacto & moralia Legis præcepta non

non eam ob caussam retinenda sunt, quòd à Mose olim tradita fuerint; sed quòd à Christo non minùs, quàm olim à Mose, urgeantur.

‡ *Excluduntur quippe*] Atqui earum nullæ *patientiam, benignitatem, charitatem*, evertebant, ut antea visum; adeoq; ex isto axiomate omnes illæ deberent adhuc *in Christiana Rep. locum* habere. Leges quæ patrimonij absolutam alienationem vetabant, quæ omnem debitorum extinctionem septimo quoque anno præcipiebant, quæ singulos restituebant avitis suis prædiis anno Jubilæi, quæ usuras prohibebant inter ipsos Israelitas, & similes, *omni injuriarum ultione* vacabant; Quis tamen dicet eas in Rep. Christiana etiamnum locum omninò obtinere?

Ut quæ ad tuendam] At eò *necessaria* sunt judicia publica & capitalia, quæ Sociniani volunt tamen omninò rejicere.

Quæ tamen non eam ob rem] Forenses leges quà tales, & prout latæ erant speciali Reip. Israelitarum, illâ jam eversâ *ad Christianos* non *pertinent*; nec etiam in iis quibus *cum Christi legibus* consentire, sive saltem illis non adversari videntur; quia Christi leges non sunt politicæ, nec forum Magistratus spectant, sed conscientiam & cœlum: Hactenus tamen forenses Leges Israelitis latæ possent per modum doctrinæ erudire Christianos de ratione æquitatis in similibus casibus servandæ, prout jus Romanum, norma censetur æquitatis vestigandæ & reperiendæ in casibus dubiis, etiam ubi legalem authoritatem non obtinet.

Quo pacto & moralia] Imò eam ob causam sunt retinenda quod à Deo sint non solum extrinsecè præscripta ac inculcata per Mosem & per Christum ipsum, sed etiam inscripta intrinsecè cordibus nostris, saltem in suis principiis, ac suâ naturâ immutabilia & indispensabilia.

Verùm alia quoque caussa est, cur legalia jura defecisse credendum est; nimirum quòd ad Iudaicam Rempublicam ita fuerunt alligata, ut quia hæc 129.
interiit, illa consistere non potuerint.

‡ *Verum alia quoque causa*] Atqui hæc est vera, propria & sola causa, *cur legalia jura* defecerint; ut alias comminisci, prout ante factum à Volkelio, sit hominum suo otio perperam abutentium. Ideo autem interiit Resp. Judaica, quod Theocraticum & religiosum illud Regimen quo constabat, debuerit Christi adventu & cæremoniarum abolitione omninò interire; quò referri posset celebre illud vaticinium Jacobi quod extat Gen: XLIX, 10.

Vix nunc opus est monere, ea, quę de legum istarum abrogatione disputamus, non ita esse accipienda, quasi magistratum, omnesque leges judiciarias, de medio removere in animum induxerimus. Cuilibet enim non oscitanter nostra hæc legenti manifestissimè apparet, nos hoc in loco de Politia tantummodò Iudaica, deque legibus illi alligatis sermonem habere, iisque hac seculorum ætate Christi populum adstringi pernegare. Interim tamen omnis magistratus omnisque potestas Dei ordinatio manet. (*Rom:13. 1.*) Cui divinæ ordinationi nobis omnino, dummodo Christi imperium ne violemus, parendum esse, Apostolus luculentissimè testificatur; adeò ut vectigal etiam atque tributum solvendum nobis sit. (*ib:v.6.7.*) Et hæc de abrogatione legum istarum dicta sufficiant.

‡ *Vix nunc opus est*] At quo animo hæc dicant hæretici ex superioribus liquet: *Magistratum* in speciem admittunt, sed suo exarmatum gladio; & quem jure nequeat, vel ad bellum pro subditorum suorum tuitione contra hostes publicos expedire, vel in cives nocentes stringere per pœnas capitales. Recipere se dicunt *leges judiciarias*, sed tantum in causis civilibus, sive uti paullò ante loquebatur Volkelius, quæ *ad controversiarum civilium diremptionem* necessariæ fuerint: Fingunt se tantum agere *de politia Iudaica*, deque *legibus illi alligatis*, quibus *Christi populum nunc adstringi* optimè negant; sed revera non tantum Judæorum leges forenses specificè rejiciunt, verum etiam in iis quæ pertinent ad supplicia capitalia genericè, quandoquidem nec his nec vindictæ publicæ per Magistratum ullum concedunt locum in Rep. Christiana; *Vectigal atque tributum* solvendum fatentur; sed quo vix suus Magistratus egebit, qui nec stipendia militibus repræsentare, alios-ve sumptus bellicos facere debebit, nec officiarios alere quibus suam & legum majestatem tueatur, & per quos plectere possit pro meritis eos qui vel *tranquillitatem publicam* violare, vel *morum honestatem* deturpare aggredientur.

CAP. XXX.

In quo docetur, quomodo Christus suas leges administret.

‡ *Resp. ad hoc & duo seq. cap.* LAMBERTO WILHELMI BECKERINGH, Omlando.

Consequens nunc est, ut quomodo Christus leges à se datas administret, consideremus. Id autem, ut suprà jam monuimus, (*cap:28.*) duplici potissimùm pręstat ratione: partim dum curat, ut leges istę observentur; partim dum observantibus præmia tribuit, non observantibus pœnam irrogat: quamquam, ut eodem loco monuimus, præmiorum quorundam persolutio, similiterque pœnarum quarundam irrogatio eò pertinet, ut leges istæ observentur. Prius illud tribus potissimùm modis præstat: partim dum leges semel latas ac promulgatas repeti ac inculcari subinde curat; partim dum incitamenta ad virtutem proponit, pręmiorumqum spem certam in animis nostris excitat, & pœnarum metu à vitiis deterret; id quod inter alia pręmiorum aut pœnarum exemplis, quę vel in aliis, vel in nobis ipsis cernimus, efficit; partim denique, cùm singulari quadam ope laborantes adjuvat, atque inprimis cùm divinissimum Spiritus S. donum iis impertit, & sic robur illis inspirat, ad mandata ipsius exequenda sufficientissimum. Posterius ita pręstat Christus, ut qui ex illius præceptionibus vitam moresque componunt, illis non solùm, ut suprà suo loco diximus, (*cap:10.&15.*) sempiterna tribuat præmia, sed etiam temporaria, eaque tum cœlestia, tum terrena. Sed terrena tamen beneficia eatenus tantùm apud illos ponit, quatenus hoc tum divinæ gloriæ, tum ipsorum salutis ratio fieri patitur. Itaque & commodam illis valetudinem, & vitam tranquillam atque diuturnam, & ea, quæ ad victum cultumque sunt necessaria, largitur; &, si vel in morbum, vel

in

In alias difficultates incidant, eos sanat; quibusque sese rationibus ex difficili rerum suarum statu expediant, variis modis ostendit. Qui verò ipsius le- 130.
gibus contumaciter repugnant, illis non solùm spirituales æternasque pœnas, de quibus suo loco dicetur, sed corporales etiam atque terrenas irrogat. Quarum quidem varia sunt genera, prout varia etiam sunt genera bonorum terrenorum, quibus privari, aut malorum, quibus affici homines possunt: & rursus alia supplicia sunt singulorum, quæ privata possumus appellare, alia publica. Privata, quale illud Elimæ, v.g. cui subitò cæcitatem oculorum immisit Christus, (*Act:13.11.*) itemque Ananiæ & Sapphiræ, quos subita morte extinxit. (*Act:5.5,10.*) Publica, cum totam aliquam regionem, rempub: Ecclesiam, fame, peste, bello aut excidio, aliisque similibus suppliciis vindicat, quod genti Israëliticæ olim evenisse palàm est. Hæc autem omnia Christo meritò assignari, tum illud generale maximo est argumento, quòd, ut supra demonstravimus, Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit filio; (*Iohan:5.22.*) tum quæ Christus de homine illo nobili regnum adepto, qui ipse Christus sine dubio est, apud Lucam in medium affert, (*Luc:19.14,27.*) apertè indicant. Is enim inimicos suos, qui eum in se regnare noluerunt, adduci, & coram se jugulari jussit.

‡ *Partim dum curat*] Hæc duo perperam distinguuntur, cùm præmiorum & pœnarum promissio, comminatio & distributio, pertineat ad curam quam legislator gerit de legum à se positarum observatione.

Prius illud tribus] Certè in toto hoc sermone intricatior fit Volkelius dum vult videri supra modum diligens; & tamen ferè omittit ac levi duntaxat brachio perstringit id quod palmarium est, & quo Christus efficit in suis obedientiam debitam verbo suo, quam ab illis exigebat, nempe gratiam regenerationis, quâ legem suam inscribit eorum cordibus Jer: XXXI,33. eaque ex lapideis reddit carnea ut in statutis suis ambulent Ezech: XI, 19. 20. ac uno verbo in ipsis operatur & velle & perficere pro gratuita sua benevolentia Phil: II, 13. Absque hac enim gratia intus agente, mentem illuminante, ipsamque voluntatem potenter inflectente & determinante, non cogendo nolentes, sed ex nolentibus volentes faciendo, quicquid præstatur extrinsecè vel præceptorum divinorum inculcatione, vel comminationum ac promissionum divinarum repetitione, vel aliorum exemplis, vel nostramet aut calamitate, aut prosperitate personali, frustra foret ad regenerationem & sanctificationem; ut frustra plantaverit Paulus & rigaverit Apollos nisi Deus dederit incrementum 1 Cor: III, 5.6.7. Ista omnia suadent quidem obedientiam, sed eam persuadet Spiritus gratiæ in his & per hæc efficax in Dei electis, ad eorum regenerationem & sanctificationem inchoandam, promovendam & perficiendam. Nec tantum *robur illis inspirat ad mandata* Dei *exequenda sufficientissimum*, sed efficaciter eos dirigit & deducit ad illam executionem, ac bonum opus quod cœpit in ipsis, perficit usque ad diem Domini Phil: I, 6.

Posterius ita præstat] Sed de his nos sufficienter diximus suo loco; Ita ab ævo, etiam sub V.T. habuit pietas promissiones & vitæ præsentis & vitæ futuræ 1 Tim: IV, 8.

Hæc

Hæc autem omnia] Sed cum sint opera Omnipotentiæ, eadem pro Christi æterna Divinitate pugnant firmissimè.

Vt autem Christus vel præmiis illos, qui justitiam colunt, vel pœnis eos, qui in sceleribus versantur, rectè afficere possit, tantâ donatus est sapientiâ, ut hominum intimos sensus introspicere, & sic quo animo quisque erga illius leges sit affectus, quâ mente religionem & pietatem colat, qualem se quisque præstet, quid agat, quid in se admittat, intueri posset. Quod ita esse, ut dicimus, illa ipsius Christi verba, quæ in Apoc. habentur, luculentissimè testantur. Ego, inquit, *sum qui scrutor corda & renes.* (*Apoc:2.23.*) Item illud: *Novi tua facta, laborem & patientiam, utque malos ferre nequeas, & eos exploraveris qui se profitentur Apostolos, nec sunt, quos tu falsos deprehendisti, & tolerasti, patientiâque uteris, & propter nomen meum laboras indefessus; sed habeo quod tecum expostulem, quòd charitatem tuam pristinam omisisti.* (*v.2,3,4.*) Quorum similia sunt alia multa, ibidem literis prodita, (*v.9.13,14,15,19:6.3,1,2, 8,15.*) quæ admirabilem Christi sapientiam, omniumque, quæ vel mente homines concipiant, vel ore proferant, vel opere perficiant, absolutissimam scientiam planè demonstrant. Nec mirum, cum divinum imperium, quale Christum habere constat, nequaquam absque eorum, quæ à singulis cogitantur atque geruntur, plenissima cognitione administrari possit. Ea enim est divini regni vis atque natura, ut non solùm externas hominum actiones contineat, sed etiam ad animum usque eorum penetret; & hanc ipsam ob
131. causam non corpori tantummodò nostro, sed menti etiam animoque leges præscribat, cujus quidem Christum nunc potiri palàm est.

‡ *Tanta donatus est*] Atqui hæc *tanta Sapientia*, cùm sit infinita & propria supremo Jehovę, qui solus novit corda hominum 1 Reg:VIII, 39. æternam iterum Divinitatem Christi luculentissimè comprobat. Quis enim neget naturâ Deum esse, cui attributa simpliciter divina & infinita, & quę per consequens in nullam creaturam cadere possunt, tam apertè tribuuntur?

Nec mirum, cùm] Non mirum utique quod *absolutissima scientia omnium* Christo Servatori conveniat, cùm sit Deus super omnia benedictus Rom:IX,5. Cùm ergo Omniscientia requiratur ad *divinum imperium quale Christum habere constat*, nec ea conveniat vel convenire possit, nisi ei qui sit naturâ Deus, hinc evidenter colligitur vel ideo naturam Divinam, in Christo Servatore est agnoscendã, quod id ei competat regnum, quod *non solum externas actiones hominum continet, sed etiam ad animum eorum penetrat*, quod tamen penetrale Soli Deo animorum conditori accessum est.

CAP. XXXI,

De Christi imperio in Subterranea.

SEquitur tandem, ut quomodo Christus in Subterraneis partibus dominatur

tum habeat, perquiramus. Paulus igitur, (*Phil: 2. 10.*) ut rem istam nobis explicet, affirmat, etiam subterraneorum genua ad Christi nomen flectenda esse; subterraneorum vocabulo sine dubio non solùm dæmones, ut quibusdam placet, sed eos etiam, qui vitam cum morte commutarunt, intelligens. Hi enim quasi sub terram demissi, ibi à morte mortuorumque statu teneri videntur; eamque ob causam ad inferos deduci, vel ad inferos descendisse à divinis autoribus dicuntur, (*Gen:42.38. Iob:7.9.*) Horum Christus & Dominus appellatur, & eos aliquando potentissimo jussu suo in vitam revocabit. Hoc enim illud est, quod Paulus, (*Rom:14.7,8,9.*) hunc in modum pronunciat: *Nemo nostrum sibi ipsi vivit; nemo item sibi ipsi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivimus, sive morimur, Domini sumus. Nam ideo Christus & mortuus est, & resurrexit, ac revixit, ut & mortuis dominetur & vivis.* Quæ quidem Christi in mortuos potestas adeò latè patet, ut non solùm eos, qui Novi Fœderis temporibus moriuntur, sed illos etiam omnes, qui jam inde à mundi primordio vitâ excesserunt, complectatur. Nam & Davidis, quamvis jam olim demortui, dominus dicitur, (*Psal:110.1. Matth: 22.42, 43, 44.*) reveraque tunc factus est, cum in altissimo regiæ dignitatis solio collocaretur. Qua de causa statui potest, non solùm illos, qui ipsius disciplinam sequuntur, verùm etiam qui olim cum pietate vixerunt, Christi esse, ab Apostolo tunc dici, vel saltem iis, qui Christi sunt, accenseri, cum de mortuorum resurrectione explicans ait: (*1Cor:15.23*) *Primitiæ Christus: deinde qui sunt Christi, in adventu ejus.*

‡ *Sine dubio non solum*] Non malè *subterraneorum* nomine apud Paulum Phil: II, 10. etiam omnes mortui intelliguntur; Nec inficior quod Gen:XLII,38. & Job: VII, 9. descendere לשאול *Lescheol* in sepulchrum, quod Vulgata Versio *inferos* interpretatur utroque hoc loco, nihil aliud sit quam mori & redigi in statum mortuorum; Nam & *inferi* ab *inferendo* dici videntur, & *inferias facere* Latinis dicitur qui manes placare studet; Sed eo ipso quod mortui iis accensentur, qui æquè ac dæmones, *genua* flectunt *ad Christi nomen*, necesse est mortuos statuere non penitus annihilatos vel extinctos, ut vellent Sociniani, sed meliori sui parte, nempe animâ sive spiritu, superesse, cujus respectu debeant vel alacres & læti genua flectere Christo & coram ipsius throno concidere, gratias acturi quod se ex Euripo hujus vitæ ereptos in tranquillitatis & fœlicitatis æternæ portum subduxerit Apoc:V, 8, 9, 10. vel tristes & miseri ejus suspicere potentiam, & pœnam sibi ab eo impositam inviti sustinere.

Horum Christus & Dominus] Nempe eodem sensu quo Jehova se vocat Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi, cùm tamen non sit Deus mortuorum & eorum qui nullo modo sunt, eo quod non entis non sit accidens & de eo quod non est nihil possit prædicari, sed viventium, & qui meliori sui parte vivunt Deo Matt: XXII, 32. Luc:XX,37.38.

Et eos aliquando] Sed ex eo quod mortui sunt olim suscitandi à Christo, non sequitur *subterraneorum genua ad Christi nomen flecti*, si supponatur animam non remanere post animal, & nihil *subterraneorum* superesse, quod Christi de facto

 agnoscat

agnoscat potentiam: Itaque juxta Paulum hic citatum ex Rom:XIV,7.8.9. dominatur Christus *mortuis & vivis*, tum quod utrosque quà bonos quà malos sit judicaturus ultimo die, tum quod illi pii & sancti qui ex viventium numero esse desierunt, & qui in Domino mortui sunt, quiescant in cœlo à laboribus suis, & sequantur agnum quocunque iverit Apoc: XIV,4.13.

Quæ quidem Christi] Atqui non posset extendi potestas Christi in mortuos sub V.T. ad eos ex mortuis suscitandos & glorificandos ultimo die, nisi eos quoque redemisset suo sanguine, ceu Servator plenarius utriusque populi tam veteris quam novi. Non alios enim Christus eripit faucibus mortis & donat vitâ æternâ, quam eos pro quibus mortem oppetiit & degustavit Heb:II,14. Agnoscant itaque Sociniani, aut pios & fideles qui vixerunt sub V.F. participes esse salutis & redemptionis quæ est in Christo Act:XV,11. adeoque etiam in illius fide mortuos fuisse, aut negent potestate & beneficio Christi eos ad gloriam resurrecturos. Illorum sanè *Dominus* dici nequit alio jure quam aut Redemptionis aut Creationis: sed quodcunque dixerint Sociniani, (si saperent dicerint utrumque) in propria sua dogmata impingent: Si Christus est eorum Dominus jure Redemptionis, ergo beneficium & promissiones illius ad eos pertinuerunt; si jure Creationis, ergo supremus est Deus & Creator universi.

Nam & Davidis] Atqui ante ascensionem Christi in cœlos, Messias jam *Dominus* erat Davidis, uti liquet ex ipsiusmet Davidis professione Psal:CX,1. & Christi declaratione Matt:XXII,42.43.44. Deinde si Christus dum viveret & cum in cœlos ascendit, Dominus fuit Davidis, oportuit Davidem etiam tum extitisse meliori sui parte, tum quia relata sese mutuo ponunt & tollunt, tum quia ejus qui non est, nemo vel Deus vel Dominus dici potest Matt:XXII,32. Sanè nemo sanus dixerit potuisse Angelos primo creationis die Deum salutare ut Dominum Adami, qui nondum extabat in rerum natura. Ad hæc Christus ideo profert eum Davidis locum in quo Messiam suum vocat Dominum, non quò probet Davidem resurrecturum ex mortuis suâ virtute, sed quò demonstret in Messia aliquid supra hominem agnoscendum; ut pote qui sic futurus erat filius Davidis secundum carnem, ut quoad Divinitatem ejus Dominus & superior esset agnoscendus. Dico quoad divinitatem: David enim Rex optimo jure, nullum Superiorem vel Dominum præter Deum potuit agnoscere, unde & se illi soli peccasse profitetur Psal:LI,6. Adhæc, uti ante monui, Dominium hoc Christi vel est Creationis vel Redemptionis: utrumvis dixerint adversarii cadent causâ: Si enim Christus est Davidis Dominus jure Creationis, ergo præextitit ipsi Davidi, adeoque ei conveniunt elogia Jehovæ quæ leguntur Psal: CXXXIX,15.16. Si jure Redemptionis, ergo etiam ipsum redemit suo sanguine æquè ac nos, nec aliter posset eum ultimo die suscitare ex mortuis: Eos enim solos Christus ad vitam suscitabit pro quorum offensis traditus fuit & ad quorum justificationem ipse fuit suscitatus Rom:IV,25. Nam in resurrectione ultimus hostis, nempe mors, abolebitur 1 Cor:XV,26. At quî posset ultimus hostis Davidis & piorum sub V.T. aboleri per Christum in resurrectione, quin hostes priores eorundem, ab ipsomet confossos fuisse statuatur?

Qua de causa statui] At verò Christi nemo est quem Christus non redemit, nec possent *iis quæ Christi sunt accenseri* qui olim cum pietate vixerunt, resurrectionis adhuc futuræ respectu, quin iis accenseantur quos redemit suâ morte, & qui primitias Spiritus per ipsum acceperunt. Nec enim aliis quam suis ovibus & iis qui in se crediderint dabit vitam æternâ Joh: III,16.X,28. Igitur ad oves & fideles Christi pertinent veteres illi quos suscitabit ad vitam & gloriam.

CAP.

CAP. XXXII. *De regni Christi tempore.*

SAtis jam, ut videmur, de locis, in quibus Christus dominatur, diximus. Veniendum igitur tandem est ad circumstantiam temporis, ut & quando Christi regnum inceperit, & quamdiu duraturum sit, intelligamus. Animadvertendum autem est, nos hîc de absolutissima hujus regni administratione orationem habere. Fuit quippe tempus, ut suprà diximus, cùm Jesus jam plurimùm dignitate atque potentiâ valeret. Nam & mari, & ventis, & dæmonibus, & morbis, & morti imperabat, & honore divino afficiebatur, 132.
& ea ab illo petebantûr, quæ nonnisi divinâ effici darique potentiâ poterant, eaque re in Dei forma constitutus dicitur: (*Phil:2.6.*) verum tamen omni ex parte Christus, sive Rex, tunc evasit, cùm à mortuis resuscitatus, inque cœlestis vitæ possessione collocatus est. Tunc enim demùm obedientiæ suæ præmium, tunc nomen supra omne nomen obtinuisse, tunc in gloriam suam intrasse, tunc denique Dominus Christusque factus esse perhibetur. (*Phil: 2.9. 10. Luc:24.26. Act:2.36.*)

‡ *Veniendum igitur tandem*] Et mox videbimus *regnum* Christi semper *duraturum*, & si de ejus agatur initio, aliquâ distinctione opus est: Nam I. Regnum Christi naturale, ut fundatur in illius Divinitate & Omnipotentia, exordium sumpsit à mundi principio. Quamprimum enim fuerunt Creaturę in quos regnaret, regnum ejus in illas incœpit, ut pote cum eum Pater hęredem omnium constituerit, vel eo ipso quod per illum *mundum condidit* Heb:1,2. II. Regnum Christi Oeconomicum quod ei competit quà est Θεάνθρωπος & Mediator Dei & hominum, potest illi vel incarnando, vel jam incarnato convenire: Priori sensu jam Rex erat suæ Ecclesiæ sub V.T. Unde & ei Legem suam promulgavit Gal: III, 19. & David illum suum Dominum agnovit Psal:cx,1. & pœnas penderunt Israelitæ quod eum ductorem suum supremum tentarunt in deserto 1 Cor:x,9. Posteriori sensu Rex natus est, ut liquet ex Matt:II, 2. & regiam illam dignitatem multoties exeruit dum viveret, sibique vindicavit coram Pilato cum mox esset crucifigendus, unde & Regis elogium in ipsa cruce sustinuit. Sic tamen ut gloriosa hujus regiæ potestatis & manifestatio & administratio, incœperit demum ab ejus exaltatatione, resurrectione ex mortuis & ascensione in cœlum; ut docemur præsertim Phil: II, 9.10.

Animadvertendum autem est] Inepta est distinctio inter *absolutissimam* & minus absolutam administrationem regni Christi: Nam semper ei competiit potestas absolutissima in omnes & omnia: Siquidem *mari & ventis & dæmonibus & morbis & morti* imperare, ejus sit soluis qui absolutissimum habet imperium in omnia. Quamvis non negem ejusdem absolutissimæ potestatis administrationem modis suis variasse, & nunc longè magis conspicuam & gloriosam evasisse post suam exaltationem, quam cum carnis nostræ infirmitatibus circumdatus Dominus, formâ servi apparebat.

Fuit quippe tempus] Atqui illa *dignitas* & *potentia* omninò regia erat, adeoque non præsagiebat Christum futurum olim regem, sed eum jam talem esse luculenter comprobabat. Nec aliud faciet in ultimi hostis, mortis scilicet, destructione, quam quod ei imperabit ut suos reddat mortuos, eosque sibi sistat definitivè judicandos.

Et honore divino] Optimè: Sed legitimè affici *honore divino*, aut ea conferre *quæ nonnisi divinâ effici darique potentiâ* possunt, nemo potest, qui non sit supremus Deus essentiâ & naturâ: Hic enim solus est adorandus & invocandus Matt: IV, 10. & prout protestatur se *gloriam* suam alteri non daturum Es: XLII, 8. ita etiam eos omnes detestatur, qui ausint ijs servire qui *naturâ Dij* non sunt Gal: IV, 8.

Eaque re in Dei] Absurdissima est depravatio loci qui extat Phil: II, 6. Cùm enim legitur Christus *& mari & ventis & dæmonibus & morbis & morti* imperasse, jam assumpserat *formam servi*, *similis hominibus factus & habitu inventus ut homo*, ibid.com.7.8. At priusquam se eò demisisset & sese *inanivisset*, jam erat *in forma Dei*; *Quùm* enim, inquit Apostolus, *esset in forma Dei*, *nec duceret rapinam parem esse cum Deo*, *ipse sese inanivit formâ servi acceptâ* &c. Unde liquet Paulum describere Christum, & qualis erat antequam manifestaretur in carne, & qualis apparuit ex quo naturam nostram sibi hypostaticè conjunxit: Similis planè extat locus 2 Cor: VIII, 9. ubi dicitur Christus *propter nos pauper factus cum esset dives*: adde Joh: I, 14. 1 Tim: III, 16. Igitur non tunc demum fuit Christus *in Dei forma constitutus*, cùm illa opera potentiæ divinæ exercuit diebus carnis suæ, sed per illa comprobavit æternam suam Divinitatem & quod revera jam ante fuisset ἐν μορφῇ θεοῦ, & consors cum Patre ejusdem essentiæ & naturæ divinæ, priusquam carnem nostram assumeret, & illâ contemptibili formâ appareret.

Verumtamen omni ex parte] Fuit semper noster Servator, & Christus, & Rex optimo jure, neque per partes hoc axioma adeptus est. Neque *Christus sive Rex tunc evasit cum à mortuis resuscitatus inque vitæ cœlestis possessione constitutus est*, quasi antea neque Christus, neque Rex fuerit; sed tunc gloriosam sui regni Oeconomici administrationem auspicatus est, & quis qualisque sit cœpit multo luculentiùs quam ante apparere.

Tunc enim demum] Primò falsum est exaltationem Christi fuisse *obedientiæ suæ præmium*: Ea enim debebatur ipsius personæ, unde eam repetebat à Patre Joh: XVII, 5. Nec sibi sed nobis vitam & gloriam suâ obedientiâ meritus est, ut alibi fusius demonstravi. Verum hæc est astutia horum Hæreticorum: Vim & efficaciam omnem obedientiæ à Christo præstitæ ejus exaltatione volunt exhauriri, ne illa nobis imputetur apud Deum & cedat Satisfactioni pro nobis debitæ & præstandæ justitiæ Divinæ, contra quam tota docet Scriptura, nos justificari illâ Christi obedientiâ Rom: V, 19. factumque eum nobis à Patre Sapientiam, Justitiam, Sanctificationem & Redemptionem 1 Cor: I, 30. imò factum peccatum pro nobis ut nos essemus justitia Dei in ipso 2 Cor: V, 21. Loca quæ hîc citantur à Volkelio ex Phil: II, 9. 10. & Luc: XXIV, 26. ostendunt quidem Christi exaltationem & gloriam necessariò consequi debuisse ejus obedientiam, humiliationem & passionem in cruce, quod etiam disertè habetur 1 Pet: I, 11. ubi expressa fit mentio eventurarum Christo *perpessionum* & *gloriæ illas consequuturæ*; sed non dicunt illas perpessiones illam-ve obedientiam præstitam usque ad mortem crucis, causam esse ullo modo meritoriam illius suæ exaltationis & gloriæ, vel hanc illarum *præmium* esse statuendum. Particula διὸ, quam Paulus adhibet Ph: II, 9. denotare causam consequentiæ non consequentis, sive esse illativâ & rationalem non causalem, ut alij amant loqui, multis Scripturæ testimonijs posset demonstrari; Videatur Salomon Glassius *Philol. sac. lib. 3 tract. 7.* ubi hunc *Canonem* 22. posuit; *Conjunctio conclusiva διὸ*, qua propter, *in se non causam rei exprimit*, *sed consequens in ratiocinatione infert*, *sive ex causa*, *sive ex alio loco desumptum argumentum præcesserit*.

Secundò

Secundò loca hæc adversario citata ostendunt quidem gloriam & exaltationem Christi sequutam fuisse ejus perpessiones, sed non probant quod tum demum Rex incœperit esse, uti probandum veniebat. Locum Phil:II,9.10. explicat dictum ipsiusmet Christi Luc:XXIV,26. *Hæc oportuit pati Christum & sic intrare in gloriam suam*: Tunc *nomen supra omne nomen* obtinuit, tam receptâ pristinâ suâ divinâque gloriâ quam videbatur ad tempus quadantenus deposuisse, quàm evectâ suâ humanitate ad eum gradū majestatis & gloriæ, infra quem omnis gloria & majestas creata, etiam Angelica, subsidit; Sed quamvis ab illo tempore Rex gloriæ agnosci & celebrari cœperit, non tamen illo demum tempore talis incœpit esse. Neque plus est præsidii in loco Act: II, 36. Nam Petrus non dicit Jesum demum post suam crucem Dominum Christumque factum esse; cùm nihil frequentiùs occurrat in historia Euangelica quam eum *Christum* & *Dominum* dici & agnosci etiam in diebus suæ carnis; Sed dicit duntaxat eum ipsum Jesum quem crucifixerant Judæi, fuisse nihilominus illum & Christum & Dominum in Scripturis promissum, & eo fine à Patre in has terras missum fuisse, adeoque ipsos nescios quid agerent crucifixisse Dominum gloriæ, ut monet Paulus I Cor: II. 8. Quis negabit eum tunc factum sive constitutum Christum, idest Messiam, cum unctus est unctione illa mystica à qua & Christus dicitur, cujus fit mentio Psal:XLV,8.Es:LXI,I.? Atqui hæc mystica unctio non demum ei obtigit post suam assumptionem in gloriam: Nam Luc:IV,21. lectâ illâ pericopâ Esaiæ de sui unctione, jam tum hoc vaticinium completum esse declarabat.

Quæ quidem res, cum partim ex se ipsa, partim ex illis, quæ hactenus à nobis explicata sunt, maximè sit perspicua; nihil esse videtur, cur longiore eam oratione persequamur, & non potiùs ad alteram hujus circumstantiæ partem veniamus, ut quamdiu Christus regnum suum administraturus sit, consideremus. Hoc autem ut planè intelligamus, illud repetendum videtur, quod suprà diximus, *(cap.27.)* in cœlo quidem omnia, in terris verò Ecclesiam inprimis sub Christi ditionem actu ipso subjunctam esse: multa autem restare; quæ licet sibi subjiciendi amplissimam potestatem habeat, reipsa tamen nondum, vel nondum penitus subjecerit. Intelligendum igitur est, Christi regnum ad illud usque tempus duraturum esse, cùm omnia, non potentiâ solùm, sed ipso etiam actu sibi subjecta habebit. *(I Cor:15.26.28.)* *Oportet enim*, inquit Paulus, *eum regnare, donec ille omnes hostes sub ejus pedes subjecerit*: & paucis interjectis: *cum autem ei subjecta fuerint omnia, tunc ipse quoque filius subjicietur ei, qui ei subjecerit omnia.* Quod ut penitus percipiamus, duo hoc loco excutienda videntur. Primò enim perquirendum est, qualia illa sint, quæ Christo adhuc subjici, aut penitus subjugare oportet, quáque id tandem ratione futurum sit. Deinde, quam ob causam omnibus sibi subjectis regnum sit depositurus, attentissimè considerandum. Ac ut primum intelligamus, animadvertendum est, illa quæ Christo tunc reipsa subjungenda sunt, in tria genera distribui posse, de quibus ordine agemus.

Vt quamdiu Christus] Frustra id quæras, cùm Regnum Christi sit regnum simpliciter *æternum*, quod nunquam dissipabitur, Dan:11,44. VII,14.27. Luc:1,33.

In cælis quidem omnia] At Christus illimitatè loquitur Matt: XXVIII, 18. cum ait datam sibi omnem potestatem *in cœlo & in terra*. Quid quod in Ecclesia militante, nondum ita *actu* paretur Christo, quin in unoquoq; illius membro caro concupiscat adversus Spiritum, & lex membrorum repugnet legi mentis, ut quilibet fidelis sub illa lucta debeat cum Paulo exclamare Rom: VII, 24. *Ærumnosus ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis?*

Reipsa tamen nondum] Omnia quidem subjecta sunt Christo quoad potestatem; sed effectus illius subjectionis in ultima hostium debellatione ac destructione situs, adhuc est expectandus, 1 Cor:XV, 26.

Intelligendum igitur est] Absurdè statuas tunc cessaturum Christi regnum, cum omnibus hostibus debellatis, eos habebit pedibus suis subjectos. Neque ea mens est Apostoli 1 Cor: XV, 25. 26. 27. 25. 28. Tunc erit *finis*, juxta Apostolum, non regni Christi, sed sæculi, *quùm tradiderit regnum Deo ac Patri*, idest exhibuerit ei regnum jam plenè pacatum, hostes omninò debellatos, Ecclesiam omni rugâ & maculâ carentem, adeoque *ut inane sustulerit omne imperium & omnem auctoritatem & potestatem*: Vnde liquet hanc traditionem regni, non futuram per actum *abdicationis*, sed potiùs per actum ovationis ac *triumphi*, in quo Filius non deponet *regnũ* formaliter sic dictum, idest jus & potestatem regnandi, sed *regnum* materialiter sumptum, pro Ecclesia plenè consummata & redempta, Deo & Patri sistet ab omnibus suis hostibus omninò vindicatum & liberatum, adeoq; plenè beandum in æternum; quasi dicens, *Opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem* Joh: XVII, 4. *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus* Heb:11,13. Ita etiam hunc locum interpretatur Augustinus *lib.* 1. *de trinit.cap.*8. ut ideo sic loquatur; *Nec sic arbitremur Christum traditurum regnum Deo & Patri ut adimat sibi: nam & hoc quidam vaniloqui crediderunt*; adeoque juxta illum perinde est *ac si diceretur, Cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei & Patris*. Itaque quod, subdit Apostolus, Oportere eum *regnare donec omnes inimicos supposuerit pedibus ejus*, non est ita sumendum quasi post hostes plenè debellatos non sit amplius regnaturus, cùm è contrario beati in cœlo sint agnum sequuturi quocunque iverit Apoc: XIV, 4. qui ipse pascet eos & ducet ad vivos fontes aquarum Apoc: VII, 17. Sed potiùs eo significatur hostes eum in finem planè debellandos esse, ut pacatè & securè regnet in æternum. Notum est quod particula *donec* in Scripturis, sæpè denotet potius quid sit antea factum vel non, quam quid postea sit futurum: maximè hoc loco affirmat quod in dubitationem posset incidere, videlicet Christum etiamnum cum hostibus suis colluctante Ecclesiâ, in ea regnare, quod dubium esse poterat; alterum verò scilicet Christum post luctam & triumphum regnaturum, eò magis certum relinquit omnibus, quò tutiùs & securiùs is regnare intelligitur, qui pedibus suis subjectos habet omnes hostes, ut ne mutire quidem adversus ipsum audeant. Exempla similia hujus particulæ prostant Psal: CXXIII, 2. Matt: 1, 25. V, 26. Rom:V, 13. Quod verò addit Apostolus, tunc ipsum Filium *postquam subjecta fuerint ei omnia* subjectum iri Deo, non tam de persona Filii præcisè considerata debet sumi, (quasi tunc esset futurus Patri subjectior quam nunc est, quod nemo sanæ mentis posset cogitare) quam de ipsius corpore Mystico, in quo & cujus respectu, omni carnis rebellione ex illo sublatâ, plenè Deo subjicietur; ut per Antanaclasim, *Dilogia* Pediano vocatur, verbum subjiciendi in duabus planè diversis significationibus usurpetur: primò quidem de subjectione depressiva & destructiva,

cum

cùm dicuntur hostes Christi illi subjiciendi; deinde verò de subjectione exaltativa & perfectiva, cùm dicitur Filius in suis, (quorum etiam calamitates sibi tribuit Matt:xxv, 45. Act: ix, 4.) omninò subjiciendus Deo, adeo ut nihil supersit quod ei reluctetur, aut impediat quominus sit *omnia in omnibus*. Hæc paucis dicta sunto de loco Paulino, quæ ut plana sunt & facilia, sic ad ea quę deinceps sequentur commodiùs intelligenda facient.

Deinde quam ob causam] At jam ostendimus illi depositioni locum nullum futurum, adeoque frustra in ejus causas inquiret postea Volkelius.

CAP. XXXIII.

De sempiterno impiorum supplicio.

‡ *Respondente ad hoc & sequens caput* ULPHARDO EECKELMAN, Bellingwoldensi.

PRimum genus omnes generatim homines complectitur, qui Christo sese audientes præbere noluerunt. Hos enim tunc sempiterno supplicio mactabit, & sic scabellum pedum suorum ponet. quod quidem supplicium, ut quale sit cognoscere possimus, sciendum, illud variis nominibus à divinis autoribus appellari. Primò enim dicitur judicium; ut intelligamus, sempiternum illud supplicium non temerè, non errore aliquo improbis irrogandum esse; sed legibus, sed acerrimo de unius cujusque cogitatis, dictis, factisque adhibito judicio. 133 Hac de causa apud Paulum (*Rom:2.2.5.*) judicium secundùm veritatem, & justum Dei judicium dicitur. Appellatur deinde supplicium illud ultimum impiis irrogandum ignis Gehennæ, (*Matth:5.22.*) allusione facta ad vallem illam, quæ à possessore suo Hebraicè Ge (hoc est, vallis) Hinnæ, aut filii Hinnon appellata est, aliàs vallis Tophet, in qua Israëlitæ filios suos, in honorem deorum falsorum, funestis ignibus inferebant. (*4 Reg:23. 10. 2 Paral:28.3.*) Per translationem igitur quandam Christus Gehennæ vocabulo sempiternum interitum atque ultimum ignis supplicium significat. (*Matth:25.46.*)

‡ *Primum genus*] Imò cum complectatur omnes omninò impios qui vixerint ab Orbe condito, necesse est agnoscere Christi imperium in illos quoque dum viverent se extendisse.

Hos enim tunc sempiterno] At sempiternum supplicium dici nequit nisi dolores & cruciatus eorum qui illi subsunt durent in æternum; quod evertit Atheismum Socinianorum qui rident Tartara & inferos, omnemque pœnam impiorum solâ desitione essendi, sive annihilatione, definiunt: Quo vel solo dogmate, fenestram amplam aperiunt omnibus sceleribus: Non continebitur enim impius metu hujus imaginarii supplicii, cui perinde erit non amplius esse post centum annos, ac non extitisse in rerum natura ante annos centum.

Primò enim dicitur Iudicium] Judicium cujus meminit Paulus Rom: 11, 2. 5. non tam ipsammet impiorum pœnam denotat, quam decretum & sententiam condemnatoriam ex qua procedet.

Per translationem igitur] Hoc vocabulo *Gehennæ* utitur Christus, quo denotet non

non solum *æternitatem* sed etiam *acerbitatem* hujus supplicii; cum istud vivicomburium infantiū, multo acerbius esset supplicio ordinario ignis inter Israelitas usurpato: Id malim quā iis adstipulari qui censent *Gehennæ* nomen adhibitum à Christo, non tam per respectum ad ignem sacrum Molocho, cui Idololatræ filios suos tradebant devorandos, quam ad ignem inextinctum, quo eodem in loco postea omnes urbis sordes comburebantur; Huc enim pertinet quod R. D. Kimhi habet *ad Psal:* 27. ut refertur à Buxtorfio in *Lexico. Gehinnom est locus vicinus urbi Ierusalem contemptissimus, in quem projiciebant sordes & cadavera, fuitque illic* אש תמיד *(Esch thamid) ignis continuus ad comburendum cadavera, ossa ac reliquas sordes; Inde postmodum appellatum fuit judicium impiorum sive locus in quo pœnas æternas impii sustinebunt* גיהנם *Gehinnam, idest Gehenna.*

Appellatur quoque æternum supplicium aut interitus, eò quòd nullum unquam finem habiturum sit. *(2. Thess: 1.9.)* Quo pacto & ignis inextinguibilis æternusque vocatur, *(Matth: 3.12. Mar: 9.43. Matth: 25.41.)* utpote cum in eum conjecti, nunquam inde emergere possint. Id quod satis apertè Christus illa divitis Lazarique parabolâ demonstrat, *(Luc: 16.26.)* ubi qui semel in ignis illius flammam immitentur, eis nullam inde exeundi facultatem dandam esse asserit.

‡ *Appellatur quoque æternum*] At verò *æternum supplicium* dici nequit, nisi dolores ejus continuent in æternum: Aliàs æquè diceretur Magistratus plectendo impios etiam eos *æterno supplicio* afficere, si mors eorum sit mera annihilatio, ut docet Schola Sociniana.

Quo pacto & ignis] non tantum quia semper durat, sed etiam quia semper torquet & urit. Quare non solum inde non emergunt qui in eum sunt conjecti, sed eo jugiter torquentur & uruntur Apoc: xiv, 11. xv, 7. Id quod *satis apertè* docet parabola divitis & Lazari Luc: xvi, 26. ex qua constat etiam animas hominum præmia sua suasque pœnas illicò postquam hinc excessum est consequi, nec minus æternos cruciatus sentire *impios*, quam pii æternâ consolatione & lætitiâ fruuntur: adeoque illorum pœnam non tantum esse damni, sed etiam sensus, in qua miserè *cruciantur* ibid. comm. 24. 25. 28.

Huc spectat, quòd vermis nunquam moriens, per eandem dicendi figuram nominatur. *(Marc: 9.44.)* Quemadmodum enim vermes cadavera rodentes, dum quidem cadavera durant, nec rodere desistunt, nec mori solent: ita hæc, de qua loquimur, pœna, hominibus scelere astrictis illata, nunquam cessabit. Et hæ sunt illæ exteriores tenebræ, ubi futurus est ploratus & stridor dentium, *(Matth: 8.12)* ideo sic appellatæ, quòd qui in illas deprimentur, ab illo cœlestis luminis splendore remotissimi futuri sunt; & quemadmodum qui in tenebras densissimas, procul ab eo loco, ubi alios lætitiâ ac voluptate perfrui nôrunt, conjecti sunt, si ex illis evadere se posse desperant, lacrymis sese dedunt, ac præ horrore dentibus strident: ita nihil futurum est luctuosius illorum statu, qui sempiternæ mortis supplicio sunt puniendi.

Huc

Huc spectat quod] Planè inepta est & violenta hujus dicti Christi Mar: IX, 44. de verme non moriente interpretatio. Nam I. dato non concesso esse metaphoram à vermibus rodentibus cadavera, oporteret ergo cadavera impiorum in æternum durare, siquidem vermibus nunquam morituris subjiciuntur: Sed quæso te, Volkeli, quid est convenientiæ inter meram annihilationem semel pro semper factam, & vermes vivos perpetuò rodentes nec unquam morientes? II. Non loquitur Christus de vermibus in plurali, qui solent enasci ex cadaveribus & ea devorare, sed de *Vermi* in singulari, quem dicit impios perpetuò gestaturos, & ejus rosionem internam sensuros in æternum; instar Promethei Poëtarum alligati Caucaso, cujus præcordia vultur rodit indesinenter; Est igitur potiùs metaphora à verme pomum intus rodente, cui interna Conscientiæ tormenta optimè conferuntur, quàm à copia vermium quibus scatent cadavera & à quibus consumuntur. Igitur hic intelligitur vermis conscientiæ de quo Rom: 11, 9. Comprobat id ipsum quod Thargum Es: LXVI, 24. ubi similis extat loquutio, vocem תולעתהון *Tholagnitham*, idest *Vermis eorum*, reddidit נשמתהון *Nischmathehon*, idest *anima ipsorum*, ut notat Schindlerus in *Lexico*. Videturque fuisse hæc species adagij in Dei populo, ut exitium improborum diceretur secum hæc duo trahere, ignem inextinguibilem & vermem qui non moritur, juxta illud Syracidis Eccles. VII, 19. ἐκδίκησις ἀσεβῶς, πῦρ καὶ σκώληξ: & in libro Judith cap. XVI, 21. *Væ gentibus insurgentibus generi meo;* κύριος παντοκράτωρ ἐκδικήσει αὐτοὺς ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως. δοῦναι πῦρ καὶ σκώληκας εἰς σάρκας αὐτῶν; an per Socinianam annihilationem absolutam? neutiquam: additur enim immediatè, καὶ κλαύσονται ἐν αἰσθήσει ἕως αἰῶνος: *& flebunt in sensu* (erit enim pœna sensus, non damni tantum) *usque in sæculum*, idest in æternum.

Et hæ sunt illæ] Ast ubi est luctus ille horrendus & privatio ærumnosa *lætitiæ* ac *voluptatis* illius quâ alios *perfrui* cognoscitur, ibi mera negatio existentiæ & absoluta annihilatio esse nequit: Nam qui omninò non sunt, illi neque *lugent* suum statum tristiorem, quod ex eo *evadere se posse desperent*, neque *alios lætitiâ ac voluptate perfrui nôrunt*. Aliàs fateor hîc loci Matt: VIII, 12. ut & Matt: XXII, 13. ac XXV, 30. allusionem videri ad convivia veterum, quæ vesperi at noctu potissimùm & ad lucernas agitabantur, & ex quibus qui ejiciebantur contumeliosè, videbantur protrudi in tenebras exteriores, quoniam extra domum illam convivialem, nihil lucis erat reperire in plateis: in quibus insuper erat ploratus & stridor dentium, tum ipsorum ejectorum, suam sortem indignantium & ex illa frendentium, tum aliorum mendicorum, ad januas conviviales adstantium, qui voce lugubri, horrore, fame ac frigore constricti, aliquod subsidium inde ventri suo famelico necquicquam expetunt.

Hæc porrò illa condemnatio est, cujus Paulus ad Romanos scribens mentionem facit. (*Rom: 5. 16. 18. 19.*) Appellatur autem hoc nomine per metonymiam, quam efficientis vocant. Condemnatio enim, quæ in ferenda de æterna sceleratorum morte sententia consistit, ejusdem supplicii causa est: ut & justificatio, condemnationi ibidem opposita, justitiæ præmium affert. Quo fit, ut quemadmodum justificatio pro ipsa hominum salute usurpatur: ita & condemnatio æterni interitus significationem habeat. Per eandem dicendi figuram Ira nominatur; (*Rom: 5. 9. 1 Thess: 1. 10*) quip-

pe cum ira, quâ Deus ad homines flagitiosos perdendos incitatur, ejusdem rei causa est.

‡ *Hæc porro illa condemnatio*] Absurdè confunditur pœna ipsa, cū condemnatione ad illam: Ut enim *justificatio* nunquam significat illud *justitiæ præmium* quod obtinebitur in cœlo, sed solum absolutionem à reatu peccati, & sententiam adjudicatoriam præmij illius æterni, ita *condemnatio* apud Paulum Rom:v, 16. 18. 19. non denotat ipsummet *supplicium* impiorum, sed tantum vel illius meritum ex peccato, vel justissimam Dei sententiam quâ propter peccatum illi supplicio adjudicantur.

Quo fit ut quemadmodum] Nullum tamen profert Volkelius locum Scripturæ in quo *justificationis* talis sit acceptio: Equidem sequitur æternus interitus condemnationem divinam, ut suspensio vel decollatio rei, sequitur ejus condemnationem à Prætore; sed tamen sententiæ dictio cum executione illius confundi non debet.

Per eandem dicendi] Ex neutro locorum citatorum hîc Volkelio, benè colligetur, ipsummet supplicium impiorum *iram* appellari, cùm tantum insinuet uterque illud ex justa Dei ira & vindicta processurum: Nam servari *ab ira* Rom:v, 9. est illi iræ divinæ subduci, ex qua si Deus ageret nobiscum, nihil præter perditionem exitiumque æternum possemus expectare: ideo David precatur Deum his verbis, Psal:vi, 2. *Iehova ne in ira tua reprehendas me, neque in excandescentia tua castiges me*; Et Psal: cxliii, 2. *Ne congrediaris judicio cum servo tuo; nam non esset justus coram te ullus vivens*; Ita Christus nos eruet *ab ira illa ventura* 1 Thess:1, 10. idest nos immunes prestabit ab illa vindicta quā Deus olim iratus exercebit in improbos.

Dicitur etiam perditio sive exitium, (*Matth:7.13. Phil:1.28. 1 Tim:5.9.*) quòd qui supplicio isto mulctantur, ita miserè pereunt, idque in æterna tempora, ut restitui nullo pacto queant. In hanc sententiam tum Judas, (*Ioh:17.12.*)
134. tum Antichristus, (*2 Thess:2.3.*) filii perditionis appellantur, & qui Christi cruce offenduntur, perire dicuntur; (*Cor:1.13.*) quia sempiternæ perditioni sunt destinati.

‡ *Dicitur etiam perditio*] Atqui hæc *perditio*, hoc-ve *exitium*, non consistit in annihilatione mera, sed in ærumnis & doloribus æternis, in quibus ita peribunt impij, ut semper se periisse sentiant.

In hanc sententiam] Quia videlicet I. ad hoc exitium justo Dei judicio positi & destinati sunt: II. Uterque debuit esse ὁδηγὸς & antesignanus aliis in exitium abducendis; id enim quod de Juda observatur Act: 1, 16. & Joh: xviii, 3. multo magis convenit Antichristo, quem Græcus Scholiastes ex Theodoreto dicit appellari υἱὸν ἀπωλείας, διὰ τὸ ἀπολλύειν πολλὰς καὶ αὐτὸν ἀπολλύναι: homo videlicet perniciosus, qui sibi & aliis adfert exitium; ut ideo sit בן־הכות *Ben hacoth* Deut: xxv, 2. *filius percussionis*, sive dignus qui vapulet & pœnas det, quia est בן בליעל *Ben Belignal*, *filius iniquitatis*. Inde etiam & ἀπολλύων activè, & Hebraicè אבדן *Abaddon* (nam & se gerit pro אב דין *Ab Din*, *Patre judicii*) dicitur Apoc: ix, 11. Sic Rabbinis Scholæ hæreticorum, aut quas pro talibus habent, dicuntur בי אבידן *Be Abiddon*, *domus perditionis*, non tam quod dignæ sunt quæ pereant, quam quod in illis docentur errores perniciosi & quibus via complanatur ad exitium.

Nomina-

Nominatur etiam hoc genus suppliciorum Rationis redditio, idque in aliquot sanctarum literarum locis. Rationem quippe nobis reddendam esse otiosi cujusque verbi, si Deus summo nobiscum jure agere velit, auctor est Christus: (*Matth:* 12. 36.) rationem reddendam esse luxuriosis blasphemisque, illi qui paratus est judicare vivos & mortuos, testificatur Petrus Apostolus: (1 *Pet:* 4. 5.) rationem denique esse reddendam Pastoribus, pro animabus nostris vigilantibus, testis est divinus ille auctor Epistolæ ad Hebræos scriptæ. (*Heb:* 13. 17.) Quâ quidem loquendi formâ nihil aliud significatur, quam & otiosi verbi, & blasphemiæ pœnas daturos esse illos, qui hisce criminibus sese adstringunt; & qui Christi Ecclesiæ præsunt, eos supplicium luituros esse, si illorum negligentiâ fiat, ut auditores officium prodant, & quod consequens est, beatis sedibus excludantur.

t *Nominatur etiam hoc*] Rationis redditio, non significat propriè *supplicium æternum*, sed hominis vocationem in jus & comparitionem coram summo judice ut suorum factorum & dictorum examen rigidum sustineat, pro eorum qualitate vel laudem & præmium, vel pœnam & supplicium relaturus: Est enim id ipsum quod habet Apostolus 2 Cor: v, 10. debere nos omnes comparere & manifestos fieri coram tribunali Christi, ut reportet quisque etiam in suo corpore, juxta id quod fecerit sive bonum sive malum. Adeoque hæc rationis redditio ad quam omnes evocabuntur in die judicii, necessariò arguit omnium personalē comparitionem coram tribunali Christi, & ex consequenti impiorum etiam omnium resurrectionem, quam Sociniani inficiantur. Et qui, quæso, omnes essent reddituri rationem verborum suorum otiosorum Matt: XII, 36. vel suæ luxuriæ & blasphemiæ 1. Pet: IV, 5. vel suæ administrationis in Ministerio Ecclesiastico Heb: XIII, 17. nisi essent personaliter vocandi & comparituri in Judicio, quandoquidem illæ rationes sunt reddendæ ei qui juxta Petrum *paratus est judicare vivos & mortuos*? Igitur ad illam rationis redditionem, ipsi mortui debent resurgere & sisti judicio. Quam verò per se non sonet *Rationis redditio* supplicium æternum, ut vellent Hæretici, ne comparitionem illam omniū & singulorum coram Christo futuram ultimo die cogantur agnoscere, multa sunt quæ demonstrent. Nam I. Ipsa rationis redditio, præcedit Judicis sententiam, adeoque ipsummet supplicium. Patet ex parabola Luc: XVI, 2. ubi vocatur dispensator iniquus ad reddendam rationem dispensationis suæ priusquam suo munere abdicetur. II. Illa debet esse communis bonis & malis, ut modò visum ex 2 Cor: v, 10. adde Rom: 11, 6. 7. 8. 9. 10. Huc potissimum facit parabola talentorum, in qua Dominus diu post talenta suis servis distributa, *rationem confert* cum illis, sic ut approbet & remuneretur eos qui ex suis talentis benè negotiati fuerant, eum vero qui unicum acceperat & in terram defoderat, graviter increpet, & tanquam inutilem mandet ejici in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium Matt: XXV, 14. & seqq. Luc: XIX, 12. & seqq. Imo ipse locus quem citat Volkelius ex Heb: XIII, 17. comprobat quod dicimus; Nam de bonis & fidelibus Pastoribus, quibus sit obsequendum & qui vigiles excubant pro animabus sui gregis, dicitur quod sic excubent *tanquam rationem reddituri*, non utique tanquam æterno afficiendi supplicio, sed è contrario tanquam servorum bonorum,

fidelium & frugi, laudem reportaturi, quo die reddet quisque rationem suæ villicationis, ut cuique reddatur secundum opera sua.

Hoc idem supplicii genus Christus ita explicat, ut Spiritum sanctum blasphemantibus, (*Mar:3.29.*) in æternum hoc peccatum non iri remissum affirmet; ut intelligamus, eos, qui hoc flagitium in se admittunt, sempiterno judicio seu supplicio obnoxios esse, ut ipse Christus ibidem interpretatur. Quemadmodum enim peccatorum remissio vitæ æternæ, quam ex liberalissimo Dei decreto secum adfert, donationem non semel significat: ita peccata non remitti, præsertim in futuro seculo, in sempiternum detrudi exitium designat.

‡ *Hoc idem supplicij*] Sed hic insuper duo observanda: Unum est quod Matth: XII, 32. de eodem peccato dicitur illud non remissum iri *neque in hoc sæculo neque in futuro*; non equidem quod quædam crimina sint remittenda in futuro sæculo quæ in hoc remissa non fuerint, aut viceversa, sed quod in futuro sæculo, idest in die judicii, sint omnes compariturі coram Christo, sententiam solemnem vel absolutoriam, vel condemnatoriam accepturi. Alterum est quod Mar: III, 29. dicitur reus hujus peccati ἔνοχος αἰωνίου κρίσεως, idest teneri judicio æterno: Nullius autem reatus potest in æternum continuare & manere, quin ipse in suo esse permanere & continuare intelligatur; quia non entis non est accidens, & subjecto pereunte atque annihilato, nullum ex accidentibus illius perseverare potest.

Quemadmodum enim] Vita æterna necessariò consequitur remissionem peccatorum: Sed tamen loca in quibus *peccatorum remissio vitæ æternæ donationem* formaliter significet, debuisset Volkelius, si quæ habebat, annotasse. Interea hinc liquet, contra quam sentit alibi adversarius, omnem peccatorum remissionem adferre vitam æternam, adeoque & illam quam Christus conferebat paralytico Matt: IX, 2.

Præsertim in futuro] Nescio cur hic utatur Volkelius particulâ *præsertim:* Nec enim magis *sempiternum exitium* adfert non remissio peccati in futuro sæculo, quam in præsenti: Sed etiam ex eo quod omnes Spiritum Sanctum blasphemantes, quotquot unquã extiterunt, debent in *sempiternum detrudi exitium* in futuro sæculo, patet utique ergo omnes illos suscitatum iri ex mortuis ad exitium sempiternum: Nam detruduntur in exitium qui existunt, non verò qui amplius nullo modo sunt in rerum natura.

Postremò hæc eadem pœna Mortis vocabulo nominatur. (*Rom:5.12,14.17.18. 21.& 6.23.& 8.12.13.*) Quod vocabulum quamvis simpliciter, sineque ulla alterius vocis appositione, à sacris auctoribus offeratur: sæpè tamen nonnisi æternam mortem illo exprimere voluerunt: quia nimirum ea demum vera mors censenda est, quæ sit sempiterna. Qui enim aliquando in vitam æternam sunt revocandi, illi quia Deo vivunt, (*Luc:20.28.*) propemodum mortui existimandi non sunt. Qua de causa Christi fideles obdormiisse dicuntur. (*2 Cor:15.20.*)

‡ *Postremò hæc eadem*] Pœna peccato debita *Mors* appellatur satis frequenter in sacris literis, nominatim in prima comminatione divina Gen: II, 17. Mortis autem

autem nomine tam primam quam secundam intelligi, vel inde liquet quod Deus minatur peccatori quicquid mors est eoque nomine venit in Scripturis; Talis vero est non modo mors Spiritualis & æterna, sed etiam Temporalis & corporea; & quam hæc non excludatur satis liquet ex Gen:III,19. *Quia pulvis es in pulverem reverteris.* Hinc est quod Christus subiturus pœnam peccato denunciatam & debitam, *gustavit mortem* pro omnibus suis quos erat adducturus ad gloriam Heb: II,9.10.

Sæpè tamen nonnisi] Mortis meminit Scriptura duplici sensu: aliquando merè historicè, quo significet *obitum* sive *transitum* alicujus, ut etiam Veteres loquebantur: aliquando vero Theologicè, quo denotet pœnam peccati: Priori modo, nihil aliud intelligitur mortis nomine quã hujus vitæ *ἀνάλυσις*, quæ vulgò per animæ à corpore separationem ac divortium exprimitur: at posteriori sensu, & quoties mors describitur ut pœna peccati, intelligitur mors prima & secunda, spiritualis & corporea, temporalis & æterna: Utramque enim peccatum invexisse, vel inde liquet quod homo neutri futurus fuisset obnoxius si in officio permansisset, in cujus rei pignus arbor Vitæ divinitùs illi destinata fuerat; Nec dubium quin in illa latitudine nomen mortis sumatur locis quæ citat Volkelius, videlicet Rom: v, 12.14.17.18.21. & vi,23. & viii,12.13. Nec si in mille formas se converterit Volkelius poterit unquam ostendere, mortem per Adamum in omnes derivatam, de prima & temporali non esse intelligendam; quamquam ulteriùs eam progredi non inficior: Quod omnes morti primæ sumus obnoxij, id debemus Adamo ex 1 Cor: xv, 22. Quod mortis secundæ scopulos feliciter prætervehamus, id debemus morti Christi pro nobis & redemptioni in illius sanguine.

Quia nimirum ea] Etiam *vera* mors est, ea quæ denotat solam *ἀνάλυσιν* animæ per quam redit ad Deum qui ipsam dederat: sed fateor eam demum esse veram pœnam personalem peccati, in iis qui pereunt, in qua mors prima est transitus ad secundam, & indivulso nexu illi cohæret, non tantum meritoriè sed actu: Interea tamen ut mortem *sempiternam* agnosco *κατ' ἐξοχὴν* mortem dici in Scripturis, prout involvit respectum ad peccatum peccatique reatum in singulis reprobis, ita pertendo illam merâ annihilatione neutiquam constare, ut Sociniani fingunt, sed simul involuere cum pœna damni pœnam sensus, nunquam eluendam vel finiendam.

Qui enim aliquando] Et hoc quoque certũ est, vix *mortuis* annumerandos pios & fideles, quorum cùm animę jam cœlo donatæ vivant Deo Luc:xx,38. & apud ipsum, eo ipso censentur ipsimet meliori ac nobiliori sui parte vivere vitâ jucundissimâ & beatissimâ, adeoque simpliciter mortuos non esse dicendos; Maximè cum ille idem Deus cui vivunt, sit quoque eorum corpora à morte vindicaturus & ad eandẽ fœlicitatem traducturus. Sed quamvis non vivant Deo impii postquam hinc transitum fuerit, quia nec sunt suscitandi ad vitam gloriosam nec vivunt apud Deum, rejecti ab illius conspectu & exclusi foràs ubi est fletus & stridor dentium, tamen non debemus existimare cum Socini Schola, mortem impiorum, quæ sola absolutè talis est, meram inferre *ἀναισθησίαν* & annihilationem. Nam & eorum animæ supersunt post mortem primam pœnasq; sustinent suorum criminum in gehenna, & eorum corpora revocabuntur ultimo die ex suis sepulchris, non tam ad vitam quàm mortem æternam, uti alias à nobis est demonstratum. Quod igitur mors corporea piorum *propemodum* mors censenda non sit, non inde pendet quod mors corporea non sit ex natura rei pœna peccati, sed quod per accidens pijs abeat in transitum ad meliorum vitam & sinum Abrahæ, quò impii perpetuis cruciatibus

bus mancipati nunquam sunt perventuri.

Qua de causa Christi] At verò ut fideles quandoque absolutè *obdormiisse* dicuntur, ut 1 Cor: xv, 20. quandoque expressiùs obdormisse in Christo ibid. com. 18. sic etiam nonnunquam impii & improbi dicuntur morientes obdormire & cum suis patribus recolligi: ut legitur de Roboamo, 1 Reg: xiv, 31. de Abiam 1 Reg: xv, 8. De Bahasa & Amri 1 Reg: xv, 6. 28. de Achabo 1 Reg: xxii, 40. & alibi de multis aliis: Notumque illud Poëtæ Ethnici, utut inter mortem primam & secundam non distinguentis,

Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago;
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Et Diogenes ex lethargo morti proximus, rogatus ut haberet, Frater, inquit, sororem amplectitur, idest somnus mortem. Piorum itaque & impiorum more corporea *somnus* est in communi & genericè loquendo, cùm & utrique ultimo die excitandi sint ex suis monumentis, quæ ipsis sunt tantisper pro cubilibus, licet alii *in resurrectionem vitæ*, alii in *resurrectionem condemnationis* Joh: v, 28. 29. & interea dum jacet corpus in sepulchro supersit & operetur anima; ut in somno naturali, corpore stertente immobili in lecto, anima tamen non desistit cogitare & operari, ut liquet ex insomniis, & Cant. v, 1. Sed somnus mortis fidelium & infidelium est longè dispar, quoad statum animæ separatæ; nam illorum animæ placidè quiescunt & gratâ perfruuntur consolatione in sinu Abrahæ, horum verò torquentur apud inferos, ut liquet ex parabola Lazari & Epulonis Luc: xvi, 22. 23. 25.

CAP. XXXIV.

De potestatibus Christi subjiciendis.

Alterum genus eorum, quæ Christo subjicienda aliquando sunt, omnem principatum ac potestatem continet, eam nimirum, quæ Christi imperium vel detrectavit, vel ei, quantum in ipsa fuit, impedimenta opposuit: veluti tum Principes hujus seculi Christo adversi, tum diabolus, omnesque ipsius angeli. Quod tamen non perinde à nobis dici quivis animadvertere potest, quasi isti etiamnum reipsa, magna ex parte Christo subjecti non sint. Satis enim suprà (*cap. 27.*) à nobis demonstratum est, tum Principes
135. terrestres, quantumvis Christo repugnantes, tum dæmones, jam ex parte in Christi potestatem redactos esse, quatenus vel illorum immanitatem comprimit, vel illorum ministerio utitur: sed loquimur hoc loco de plenissima hostium istorum subjectione, quâ fiet, ut in ignem æternum sibi jam antea paratum conjiciantur.

1 *Jam ex parte*] Agnocismus tandem omnia imperia mundi esse destruenda & abolenda; imò illa etiam quæ aliàs *Christi imperium* non omninò detrectant agnoscere: & de illa imperiorum abolitione debent intelligi varia Scripturæ loca Dan: ii, 44. 45. vii, 9. 14. 1 Cor: xv, 24. Etenim ubi apparuerit Christus ad judicium universi, immutabitur status hominum, & cessabit omne Politicum regimen inter eos, aliis in tartarum detrusis, aliis assumptis in cœlum cum Christo ad fœlicitatem æternam: Sed quamvis hostes Christi, nondum sint omninò debellati

bellati respectu suæ Ecclesiæ, cum qua tantisper debent luctari donec omninò vincantur & vinciantur, non est tamen Christo *partialis* duntaxat quædam potestas in eos tribuenda, cum omnem & plenissimam habeat & exerceat in illos potestatem, etsi ad tempus illis permittat sævire in suos ad eos exercendos, & per varias calamitates adducendos secum ad gloriam.

Quâ fiet ut in ignem] Quem tamen *ignem æternum* Sociniani revera nec credunt, nec admittunt, ut pote qui impios jam mortuos, sic annihilatos statuant, ut nihil ulterius ipsis incumbat patiendum, nihilque ultra in ipsos possit statui.

In tertio istarum rerum genere sunt mors, infernusque seu mortuorum status. (*1 Cor:15,26. Apoc:20,14.*) Atque hi ultimi sunt hostes, & omnium teterrimi, qui solâ potentiâ sub Christi jurisdictionem hactenus subjuncti sunt. Videmus enim, non illos tantùm, qui in omni scelerum turpitudine volutantur, sed eos etiam, qui in sanctimonię studio omnem ætatem omnemque operam consumunt, morte extingui, inque mortuorum statu versari. Hos igitur inimicos suos tunc planè subiget, cùm eos in stagnum igneum conjiciet, hominesq; fideles ex eorum faucibus ereptos, gloriosâ illâ inmortalitate donabit.

‡ *In tertio istarum rerum*] Primò alienum est ab usu & phrasiologia Scripturæ, *mortem* & *infernum* annumerare potestatibus & imperiis. Secundò falsum est mortem *solâ potentiâ sub Christi jurisdictionem hactenus* subjungi: Nam ut taceam quod unà cum Christo multi è sanctis resurrexerint & morti in æternum fuerint erepti Matt:XXVII,52.53. Hos enim ad *vitam inmortalem* resurrexisse asserit ipse Grotius post authorem *quæstionum ad Orthodoxos* apud Justinum *q.85.* Ut nihil quoque dicam de actuali imperio per Christum in mortem exercito in plurimis quos vel ipse, vel ipsius Apostoli & Discipuli in ejus nomine, ad hanc vitam ex mortuorum statu revocarunt; Annon eo ipso Christus actualem suam in mortem exercet quotidie potestatem, quod efficit ut piis & fidelibus mors hæc corporea & temporalis abeat in januam vitę, & eos vel invita traducat ad cœlestia gaudia, adeo ut eorum nemo sit cui in mortis suæ articulo non dicat quod Latroni Luc: XXIII, 43. *Hodie mecum eris in paradiso?* Tertiò, mors est ultimus hostis debellandus & abolendus 1 Cor: XV,26. non tam absolutè, quasi mors nullo respectu vel modo amplius sit futura; (nam mors æterna quæ & secunda dicitur, manebit impios;) quam maximè respectu fidelium, quorum corpora Christus eripiet mortis faucibus & donabit gloriâ sempiternâ. Quamvis enim sint quoque suscitandi impii, mors tamen eorum respectu non abolebitur, sed è contrario novum erga illos assumet vultum & aculeum, ut viva crux ipsis evadat in æternum: resurgent enim non ad vitam & gloriam, sed ad ignominiam & mortem. Quanquam & hoc ultrò largior mortem hanc corpoream, ut sonat separationem à corpore, ac corpus privat vitâ, motu & sensu, illudque subjicit putrefactioni & incinerationi, omninò abolitum iri per Christum, tam in bonis quam in malis: Siquidem resurgent utriq;, & spiritibus eorum sua singula restituentur corpora, ut in illis referant prout fecerint benè vel malè. Atque hoc respectu, hic ipse *mortuorum status* per quem cadaver exanime jacet in sepulchro, omninò & omnium respectu tolletur; sed non in omnibus eodem modo; aliis enim cedet ad liberationem & gloriam, aliis vero ad opprobrium & pœnam: prout æquum est ac justitiæ divinæ con-

convenientissimum & hanc & illam extendi quoque ad corpora, quæ animæ fuerint instrumenta vel boni vel mali. Quartò hæc tria, *mors, infernus, & mortuorum status*, perperam pro Synonymis habentur à Volkelio: Nam mors genericè, ut habet rationem pœnæ peccato debitæ, non abolebitur respectu omnium, sed tantum respectu piorum qui in gloriam assumentur; Mors verò specificè sumpta pro divortio animæ à corpore, abolebitur respectu omnium, quia suis corporibus denuò conjungentur animæ singulorum, vel ad præmium vel ad pœnam. Mortuorum item status immutabitur, non ut desinant esse qui mortui fuerant, sed ut incipiant denuò integrè existere, sive ad gloriam sive ad gehennam. Verùm quoad *infernum* nec benè explicatur per statum mortuorum, (quamvis non negem τὸ שאול *Scheol* Hebræorum eo sensu quandoq; sumi in Scripturis,) nec ille erit penitùs abolendus: Quod *infernus* non notet simpliciter statum mortuorum indè patet, quod status mortuorum est communis bonis & malis; at infernus est peculiaris reprobis & damnatis: Hinc est quod *portæ inferorum* denotant nequitiam & conamina Satanæ nunquam in Ecclesiam & pios prævalitura Matt: XVI, 18. Epulo quoq; in infernũ detruditur, Lazarus verò defertur in sinum Abrahæ Luc: XVI, 22, 23. Dicere enim cum Grotio Lazarum quoque ἐν ἅδῃ fuisse, & nescio quas ἅδου *regiones* distinctas sic comminisci, est plusquam cœlum terræ miscere: Tum saltem illa ἅδου regio in qua erat Epulo, notat τὸν τόπον τῆς βασάνου, idest aliquid amplius quam communem omnibus statum mortuorum. Adhæc ex morte mortisque statu redimentur pii per resurrectionem, sed nunquam dicuntur redimendi ex inferno: cùm neq; ex inferno sit redemptio. Et cùm *mors & infernus* videantur expressè distingui Apoc: I, 18. XX, 13. 14. absolutè synonymis non sunt annumeranda. Nec potest eidem convenire esse simul in paradiso & in inferno: & tamen id necessariò esset statuendum, si mortuum esse idem sonaret quod esse in inferno, siquidem de iis qui mortui sunt in Domino meritò statuamus, authore Christo, eos esse in paradiso Luc. XXIII, 43. Apoc: XIV, 13. Quod etiam infernus, ut notat vel locũ tormentorũ, vel ipsa tormenta impiis destinata, non debeat finiri & aboleri multa evincũt, maximè quod ignis ille sit æternus & ἄσβεστος, Matt: XXV, 41. 46. Marc: X, 44. 46. 48. Adde Apoc: XIV, 11. XIX, 3. ubi fumus tormenti impiorum dicitur ascendere in sæcula sæculorum. Adhæc tantum abest ut infernus hoc sensu debeat aboleri in die resurrectionis & judicii, ut è contrario etiam ii quos infernus stiterit Christi tribunali judicandos secundum opera eorum Apoc: XX, 13. sint remittendi cũ corpore & anima in infernum & morti secundæ adjudicandi. Locus verò quem citat Volkelius ex Apoc: XX, 14. non favet imaginationi Socinianæ. Verba Johannis sunt pressiùs expendenda: Ita verò sonant com. 13. 14. & 15. *Et reddidit mare mortuos quos habebat. Mors quoque & infernus reddiderunt mortuos quos habebant, & judicatum est de singulis secundum opera ipsorum: Infernus autem ac mors conjecti sunt in stagnum ignis, quæ est mors secunda: Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus conjectus est in stagnum ignis.* Ex istis verbis plura elicio; Primò distingui hæc duo, mortem & infernum, saltem ita ut prior denotet statum, posterior locum. Cùm dicuntur enim Mors & Infernus reddere mortuos quos habebant, nihil aliud significatur, quam ad vitam revocari & citari ad judicium impios, quorum corpora videbantur esse sub vinculis mortis primæ & spiritus detrusi ad inferos. Secundò adstrui hîc resurrectionem communem bonorum & malorum, qui versu præcedenti dicebantur stare coram thono ut judicarentur, eisque redderetur secundum

sua

ſua opera; Videtur enim bonorum reſurrectio ſignificari his verbis, *& reddidit mare mortuos quin habebat;* Hi enim non tam dicuntur morte detenti quam mari, quod cæteroquin viverent Deo, licet æſtu perſecutionis in hoc mundo abſorpti crederentur: Nec enim mare hîc loci ſumitur propriè, ſed ut ſolet in hoc ſcripto prophetico, metaphoricè; unde etiam Apoc:xxi, 1. dicitur tandem *mare* non amplius futurum, ideſt præſens & procelloſum hoc ſæculum, cujus fluctibus & Euripo, præſertim tempore perſecutionum, tot pii hauriuntur. At reſurrectio impiorum aliis his verbis ſignificatur, *Mors quoque & infernus reddiderunt mortuos quos habebant..* Hi enim tanquam vilia mortis mancipia, & jam animæ ſuæ reſpectu inferorum accolæ, potentiâ Domini revocabuntur ad vitam, ut ſummo judici ſiſtantur & publicè ac ſolemniter condemnentur. Tertiò non hîc poſſe intelligi per mortem & infernum communem ſtatum mortuorum; quia diſtinguuntur mortui quos mare reddit ab iis quos habebant mors & infernus; cùm tamen literaliter loquendo, ex ſenſu Volkelij, non minùs ſub mortis imperio & in inferno fuiſſe cenſendi ſint, quos aquæ hauſerint, quam illi quibus ſplendida ſepulchra in terris extructa fuerint. Quartò neque hîc prædici abolitionem mortis & inferni in die judicij, ſiquidem in infernum ſunt etiam detrudendi dæmones & impii quoad corpus & animam Matt: x, 28. ut iſthic puniantur morte ſecundâ, quæ cùm dicatur nihil poteſtatis habere in eos qui partem habent in reſurrectione prima Apoc:xx, 6. eo ipſo intelligitur poteſtatem ſuam exercituram in reprobos & dæmonas, adeoque omni poteſtate ſuâ non eſſe ſpoliandam: Ideo ibid. com. 10. dicuntur torquendi in ſtagno ignis & ſulphuris die ac nocte in ſæcula ſæculorum. Quid igitur, inquies, id ſibi vult quod dicit Johannes, *Infernus autem ac mors, conjecti ſunt in ſtagnum ignis, quæ eſt mors ſecunda?* Reſpondeo, id poſſe bifariàm intelligi; Primò ut mors & infernus dicantur conjici in ſtagnum, non ut pereant, ſed ut perdant; non ut excidant ſuâ poteſtate, ſed ut eam ex Chriſti arbitrio exerceant in omnem qui cùm inventus non fuerit in libro vitæ conjicietur quoque in ſtagnum ignis, torquendus in æternum per mortis ſecundæ & inferorum diros cruciatus: Ita mors dicebatur eſſe in olla & pulte filiorum prophetarum 2 Reg: iv, 40. Ita conjicit venenum in poculum qui vult alios intoxicari, ac *Lurida terribiles miſcent aconita novercæ.* Nec abludit ab hac phraſi, quod extat Pſal: xi, 6. *Depluet ſuper improbos prunas, ignem & ſulphur; Ventuſque procelloſiſſimus, portio calicis eorum.* Deinde, ut mors & infernus ſumantur metonymicè pro iis quos mors & infernus reddidiſſe ad judicium dicebantur, quos ſolemni ritu condemnatos curabit Chriſtus conjici in ſtagnum ignis & mancipari doloribus & cruciatibus æternis mortis ſecundæ, juxta id quod legimus Matt: xiii, 40. 41. 42. 43. *Sicut colliguntur zizania & igni exuruntur, ita erit in conſummatione ſæculi hujus; Mittet filius hominis Angelos ſuos qui colligent ex ipſius regno omnia offendicula, & eos qui dant operam iniquitati: projicientque eos in fornacem ignis: illic erit fletus ſtridorque dentium: Tunc juſti effulgebunt ut ſol in regno Patris ſui; Qui habet aures ad audiendum audiat.*

Videmus enim non] At licet mors prima utroſque demetat, tamen nec *morte extinguuntur* penitùs, ut aſſerit impiè Volkelius; *Sunt* enim *aliquid Manes: lethum non omnia finit*; Nec in pari *ſtatu* verſantur; Nam animæ piorum cœlo recipiuntur & in ſinum Abrahæ deferuntur ab Angelis; ſed animæ impiorum à cacodæmonibus rapiuntur in Tartarum: Nec infernus eas reddet in die judicii niſi ut compareant coram tribunali Chriſti & veſtitæ ſuis corporibus æternùm in illis & cum illis torqueantur.

Hos igitur inimicos] Nescias facilè quos hic *inimicos* Christi intelligat Volkelius: Num mortem & infernum? Sed eos non conjiciet propriè in *stagnum ignis*. Quid enim, amabo, hoc esset, mortem & infernum morti secundę subjicere, idest pœnam de iis sumere, per quæ pœnæ sumentur de dęmonibus & impiis? An ipsos impios *qui in omni scelerum turpitudine volutantur*? Sed illi deberent ergo existere in die judicij; quod nolunt Sociniani.

Ex eorum faucibus] Atqui fideles in die judicij Christus non eripiet ex faucibus mortis & inferni, cùm jam per primam resurrectionē & per redemptionem quam habemus in ipsius sanguine, inferorum & mortis secundæ faucibus sufficienter erepti simus; & cæteroquin animæ fidelium qui in Domino mortui sunt, diu ante resurrectionem carnis, cœlo receptæ sint, & *gloriosâ immortalitate* donatæ.

Quæ quidem Christi potestas tanta tamque admirabilis est, ut excepto Deo, nulla sublimitas, nulla omnium regum, qui sunt, fuerunt, aut futuri sunt, majestas atque potentia, cum illa vel minima ex parte comparari possit. Si enim hominem, quantumvis vivum, ex mortali immortalem efficere divinissimæ potestatis est, quâ Christus in illis, quos novissimo illo tempore superstites offendet, mortalitate donandis utetur; quantæ tandem potentiæ esse putabimus, eos, qui ad nihilum venerant, in viventium numero reponere? Eam ob rem Apostolus (*Phil:3,21.*) hoc admirandum Christi factum efficacissimæ illius potentiæ attribuit, quâ sibi omnia subjicere potest.

‡ *Quæ quidem Christi*] Absurdè distinguitur hæc Christi potestas à Dei potestate, cum ea de facto sit potestas simpliciter & absolutè divina, quæ in meram Creaturam cadere non potest: Nec video quid minus sonet quod sibi tribuit Christus Apoc:1,18. *Habeo claves inferorum & mortis*, quam quod tribuitur Jehovæ Psal:LXVIII,21. *Iehovi Domino sunt exitus mortis*, vel *contra mortem*.

Si enim hominem] Hic suum Pelagianismum recoquit Volkelius, juxta quem distinguit inter mortalitatem & mortem, ita ut homo cæteroquin mortalis mortem tamen necessariò subire non debeat; cùm tamen mortalitas quam invexit peccatum, inferat secum absolutam necessitatem moriendi, juxta regulam Paulinam Heb:IX,27. *Statutum est omnibus ut semel moriantur*: Hinc mors dicitur *stipendium peccati* Rom:VI,23. & *in Adamo omnes moriuntur* 1 Cor:XV, 22. Primus homo non fuisset factus *ex mortali immortalis* si permansisset in officio, sed illâ immortalitate cum qua conditus fuerat nunquam excidisset. Et ex quo peccatum *nos* mancipavit morti, nemo mortalis potest ad immortalitatem pervenire nisi per mortem, aut aliquid morti analogum, per quod hoc corruptibile induat incorruptibilitatem, & mortale istud immortalitatem 1 Cor:XV,53. Itaque pii *quos* Christus *novissimo illo tempore superstites offendet* donabuntur immortalitate per illam subitaneam mutationem Paulo commemoratam 1 Cor:XV,51. quæ erit illis pro morte, ut etiam ex Chrysostomo statuit Theophylactus. Interea tamen id velim hinc colligi contra Socinianos, non secus idem numero & substantiâ corpus quod *in* morte deposuerint per resurrectionē consequuturos qui mortui fuerint, ac superstites illi, qui ex mortalibus fient immortales, eadem numero & substantiâ corpora quæ antea habebant retinebunt. Item non minus debere plecti in corpore & anima cœteros impios qui priùs fuerint mortui, ac illos ex eodem grege quos superstites ille dies

dies decretorius deprehendet, & qui proculdubio animâ & corpore perdentur in gehenna Matt: x, 28.

Qui ad nihilum venerant] Mortuos *ad nihilum* redire, fallò statuit Volkelius: Nam hominis anima rationalis remanet post animal; &, saltem ex Peripateticorum sententia, corpus quidem materiale corrumpitur, atque alias aliasque subinde induit formas, non tamen penitùs annihilatur, cùm materia ipsa sit æterna, nec generationi vel interitui obnoxia. Quid quod Scriptura disertè huic imaginariæ annihilationi repugnat, dicente Christo suis, *Pilus capitis vestri non peribit* Luc: xxi, 18. & verbo Dei passim mortem cum somno conferente? Ideo non vult Apostolus 1 Thess: iv, 13. de iis qui obdormierint, nos contristari instar eorum qui spem non habent. Illos enim magis præmisimus quam amisimus.

Eam ob rem Apostolus] Hæc verò efficacissima potentia Christi, ut nullos habet fines vel limites, ita soli naturæ Divinæ potest convenire, nec in hominem merum cadere: Quale enim quodque est in suo esse, tale est in suo posse & operari: Nec enti merè finito, omnipotentia sive virtus infinita, cujusmodi hæc est, citra contradictionem tribui potest.

CAP. XXXV.

De modo quo Christus sibi obedientibus vitam æternam daturus sit.

‡ *Respondente ad hoc & sequens caput* GREGORIO MEES, Groningano.

HIs ita generatim atque universè descriptis, operæ pretium est eadem speciatim explicare, ut, quo pacto Christus rem tantam confecturus sit planissimè intelligamus. Hujus autem rei narrationem Apostolus paucissimis verbis complectitur, (*Phil: 3.21,*) cùm Christum corpora nostra transfiguraturum, corporisque sui gloriosi similia effecturum affirmat. Hoc autem duplici ratione perficiet. Primò enim divinissimâ illius virtute fiet, ut qui mortui sunt, ii omnis corruptionis expertes prodeant, & ex mortis dominatu ita emergant, ut nunquam illo premi queant. (*1 Cor:15.52.*) Deinde, qui tunc, cùm Christus è cœlis descendet, superstites futuri sunt, ita immutabuntur, ut uno temporis puncto oculivé ictu ac momento, (*1 Cor:15.52.53.*) mortalitas ab immortalitate absorbeatur, ut utrique, id est, tam illi, qui antea diem suum obierant, quàm isti, quos tunc Rex noster vivos offendet, rapiantur in nubibus obviam Domino in aërem, atque ita semper sint cum Domino. (*1 Thess:4.17.*)

‡ *Hujus autem rei*] Sed hic ipse locus Phil: iii, 21. ostendit eadem corpora quæ nunc habemus nobis remansura; quandoquidem *corpora nostra* non transsubstantiabuntur, si fas sit uti illâ voce, sed duntaxat transfigurabuntur; ut altera fiant qualitativè, non alia nobis dentur substantivè; contra quam hoc capite, ex Manichæorum, Origenistrarum, aliorumque similium *carnis* resurrectionem negantium delirijs, disputat Hæreticus. Nec superstites qui momento *immutabuntur* 1 Cor: xv, 52. 53. priorem suam deponent substantiam, sed novas duntaxat assument qualitates, glorioso illi statui convenientes. Quin nec possent statui, qui

mortui sunt prodire ex suis tumulis expertes corruptionis 1 Cor: xv, 52. nisi resumerent quod tumulatum fuerat, & idipsum resurgeret quod sub mortis falce ceciderat.

Ut autem tantò rectiùs cognoscatur illa, quam diximus; corporum nostrorum mutatio; operæ pretium erit expendere, utrùm eadem sit futura corporum nostrorum à resurrectione substantia, ‡quæ nunc est, an diversa. Plærique in ea sunt sententia, ut humanorum corporum substantia permanente, qualitates esse tantùm mutandas existiment. (*vid. Calvin. Instit. cap. 8. sect. 220.*) ad quod comprobandum inter alia, quæ postmodum examinabimus, eo utunturargumento, quòd Apostolus, (*1 Cor: 15. 39. 40.*) de corporum istorum, quibus nunc circumdati sumus, & eorum, quibus in resurrectione cingemur, differentia differens, utatur similitudine humanæ belluinæque carnis, cujus eadem sit substantia, qualitas diversa; itemque siderum diversorum, quorum materia eadem, claritas diversa. In qua ratiocinatione primùm pro concesso sumitur, carnes hominum, jumentorum, ac piscium, quas commemorat Apostolus, nonnisi qualitatibus accidentariis, quæ nullum substantiæ discrimen adferant, inter se distare. At licèt carnes illæ omnes genere proximo conveniant, specie tamen, & sic formis essentialibus, ac differentiis, ut vocant, specificis discrepant. Atque ut ut stellarum eadem sit materia, non tamen protinus eadem est substantia seu essentia. Nam nec terrestria protinus ejusdem sunt substantiæ, licet ex eadem materia constent. Ut nihil jam de ea dicamus differentia, quæ est inter diversa siderum, itemque carnium singularia seu individua: cum ii, adversus quos disputamus, eadem prorsus, seu, ut in scholis loquuntur, eadem numero corpora nos à resurrectione habituros affirment.

‡ *Plerique in ea sunt*] Imò hæc non est unius Calvini sententia, *lib. 3. Inst. cap. 25.* sed omnium omninò Catholicorum & verè Christianorum fides communis, quâ *carnis & hujus carnis*, ut Aquilejense habebat Symbolum, credunt & profitentur. Ita olim loquebaturHieronymus *de Symb. ad Damas. Resurrectionem carnis confitemur & credimus, ut dicamus nos in eadem in qua nunc sumus veritate membrorum esse reparandos, qualesque semel post resurrectionem fuerimus effecti, in perpetuum permansuros.* Videatur idem Hieronymus *ad Pammach. de erroribus Ioh. Hieros.* hanc hodiernorum Socinianorum impietatē invictis planè argumentis impugnans.

Eo utuntur argumento] Agnosco hic Calvini argumentum *Inst. lib. 3. cap. 25. sect. 8.* Sed quod malim hic integrum referre. Is ita loquitur; *Tenendum est quod diximus, nos in eadem quam gestamus carne resurrecturos, quoad substantiam, sed qualitatem aliam fore; ut cum eadem Christi caro quæ in victimam oblata fuerat, suscitata fuerit, aliis tamen dotibus excellens, ac si alia prorsus foret; Quod Paulus familiaribus exemplis declarat; Nam sicut belluinæ & humanæ carnis eadem est substantia, non qualitas; stellis omnibus eadem est materia, claritas diversa; ita quamquam retinebimus substantiam corporis, mutationem fore| docet, ut longè præstantior sit conditio.*

Ita

In qua ratiocinatione] Sed in hac cavillatione, parum est soliditatis: Nec enim dixit Calvinus *specie* convenire carnem humanam & belluinam, sed tantum *substantiâ*, quod nempe sit corporea, extensa, quanta, sensibilis, suis nervis, organis, musculis &c. constans. Deinde substantiæ identitas in hac comparatione, spectat duntaxat materiale carnis utriusque, non verò formas essentiales, vel differentias specificas. Adhæc meritò posset dubitari, an differentiæ specificæ carnis humanæ & belluinæ, aliunde sint petendæ quam ex *qualitatibus accidentariis*, sive modis diversis eidem aliàs corporeæ & materiali substantiæ accedentibus. Nec enim hic conferuntur homines & bestię in concreto, sed abstractè ab eorũ essentialibus formis, carnes tantum humanæ & belluinæ. Quid quod ἀφιλοσοφῶς valdè pertendit Volkelius ita *stellarum* eandem esse *materiam, ut non tamen protinus illarum eadem sit substantia seu essentia?* Quis enim unquam sensit aliam inter stellas esse differentiam quam accidentariam & numericam, aut docuit easdem non esse specificè ejusdem substantiæ & essentiæ? Aut quis somniavit, (si formarum substantialium patronos forte excipiamus, qui tamen hodie satis vapulant ubique,) quoad *terrestria* & merè materialia ac corporea, illa quæ *ex eadem materia* constant, *protinus* non esse *ejusdem substantiæ?* Ec quam enim aliam *substantiam*, à materia distinctam, mihi dabit Volkelius, per quam hæc caro, vel hæc arbor, ab illa alia carne vel arbore distinguatur? Hæc enim alia substantia, si fuerit immaterialis, erit per consequens spiritualis & immortalis, ut sunt animæ nostræ: Si materialis, ab ipsa materia distingui non poterit; ut taceam inde sequuturam penetrationem dimensionum, quam sanior Philosophia fatetur contradictionem implicare.

Ut nihil jam dicamus] Et hoc si dixerit, conteget absurdis absurda ne perpluant. Cùm enim comparatio Paulina & Calviniana inter carnem humanam & belluinam, inter stellam claritate & gloriâ aliam stellam superantem, procedat in abstracto, ex eo quod numericè carnes & stellæ diversæ inter se differunt, nihil potest exsculpi quod illam Christianam veritatem evertet de iisdem numero corporibus nostris resurrecturis in die judicij: ita ut corpora nostra post resurrectionem non aliter differant ab iis quæ nunc gestamus quam qualitativè, prout per qualitates differunt stellæ inter se; Ut hæc sit omninò ratio hujus similis; quod sicut stellæ quæ sunt ejusdem speciei non aliter à se mutuo differunt quam claritate & gloriâ, vel sicut caro humana & belluina, quæ conveniunt in una generica natura carnis, differunt à se invicem per meras qualitates diversas; ita etiam corpus mortale quod nunc gestamus & gloriosum quod per resurrectionem sumus consequuturi, cùm sit idem numero subjectum, de quo tamen tum dicetur, *Quantum mutatum ab illo?* nonnisi per accidentia & qualitates varias à seipso debet distingui; quemadmodum caro Naamanis facta *ut caro pueri parui* postquam se immersisset septies in Jordanem 2 Reg. v, 14. non differebat à seipsa priùs leprosa, nisi qualitativè, etsi specificè & in idea alia sit caro pueri puri recens nati, alia viri leprosi & immundi. Ut, nisi summâ vitiligine animi laborasset Volkelius, hac primâ suâ responsione potiùs abstinuisset. Mens enim Apostoli plana est; Vult solvere quæstionem propositam com. 35. *quali corpore* sint mortui prodituri sive resurrecturi: & ostendit, corpus illud fore id ipsum quod *seminatum* fuerit, sed aliis instructum qualitatibus; ut illud à priori differat qualitativè, quemadmodum caro hominum differt à carne pecorum, & stella stellæ præstat decore, licet in eadem natura conveniant.

Sed largiamur nunc id, quod pro concesso sumi diximus: an necesse est similium prorsus eandem esse rationem? an quia carnes hominum, jumentorum, ac piscium, itemque stellæ omnes ejusdem inter se sint materiæ ac substantiæ, & qualitatibus tantùm distinguantur; ideo etiam corpora hæc nostra à futuris, qualitate tantùm discrepare consequitur? Cur ergo non similiter ex eo, quòd Paulus eodem loco utitur similitudine corporum cœlestium & terrestrium, quæ materiâ & substantiâ longè à se invicem distant, colligitur, corpora hæc nostra à futuris, materiâ ac substantiâ longè distare? Atqui hoc multò rectiùs concluderetur, quàm illud: cùm ita discrepent corpora hæc nostra à futuris, ut terrestria à cœlestibus, quemadmodum inferiùs in eadem disputatione ostendit Apostolus, (*vid. v. 47, 48, 49.*) non verò ut caro à carne:
137. cum idem apertè, disputationem hanc de corporibus aliquando extituris concludens, dicat, *carnem & sanguinem regnum Dei hæreditare non posse*, de quibus verbis inferiùs nobis erit agendum.

‡ *Sed largiamur nunc*] Hîc largitur Volkelius quod retinere non potest: Videt enim nihil esse præsidij in præcedenti effugio; cùm argumentum hoc adhibeatur ad probandum non substantiâ futura alia corpora resurgentium, sed qualitate altera; ut diversæ carnes vel stellæ à se mutuo qualitatibus duntaxat differunt.

An necesse est similium] Si *prorsus* eadem foret ratio similium, tum non amplius similia forent, sed eadem: Satis est similitudinem in iis observari, quorum gratia profertur; jam autem eo fine hoc simile adhibetur à Paulo ut ostendat *quali corpore* simus resurrecturi, & quî differat corpus gloriosum à mortali; nempe ut ea quæ ejusdem aliàs naturæ, materiæ & substantiæ, vel genericè, vel specificè, à se mutuo differunt *qualitatibus tantum*, non utique substantiâ & materiâ.

Cur ergo non similiter] Absurdè: Nam Paulus etiam in hac *similitudine corporum cœlestium & terrestrium*, meras considerat qualitates; cum cæteroquin in specifica corporeitate, ut vulgò loquuntur, conveniant. Imò corpora cœlestia & terrestria, *materiâ & substantiâ longe à se invicem distare*, est falsissimum: siquidem communis & eadem est omnium corporum materia, adeoque & substantia corporea, quæ à materia distingui non potest. Igitur ex *similitudine corporum cœlestium & terrestrium*, cum omnium corporum, quà sunt corpora, una & eadem sit omninò materia, non debet colligi *corpora hæc nostra à futuris materiâ & substantiâ longè distare*: sed potius eandem eorum esse materiam, licet aliter modificatam & qualificatam.

Atqui hoc multò rectiùs] Imò multò rectiùs inde concludetur identitas materiæ, ut modò dictum, hoc argumento, in gratiam Volkelij. Ita discrepant *corpora hæc nostra à futuris, ut terrestria à cœlestibus*; Atqui hæc ita discrepant per qualitates, ut ejusdem planè sint materiæ, cùm omnia corpora ex eadem materia prima constent, & jamdiu explosa sit Peripateticorum quorundam sententia de quinta essentia & materia cœli distincta à materia sublunarium; Ergo ita etiam discrepant corpora nostra à futuris, per meras qualitates, ut ejusdem planè sint materiæ & substantiæ.

Non vero ut caro à carne] Id falsum est: Nec enim Apostolus tam sollicitè diversas carnes inter se distingueret circa hoc quæsitum, *Quali corpore* sumus resurrecturi, nisi corpus quod resurget ab eo quod seritur differret, ut caro glorificata

& quæ

& quæ adepta est incorruptibilitatem, à carne misera & infirma, corruptioni & morti adhuc obnoxia.

Cum idem apertè] At in illa conclusione *carnem* intelligit qualitativè, non substantivè, sive carnem miseram & corruptioni ac interitui obnoxiam; quæ has scorias debet deponere, adeptâ incorruptibilitate & gloriâ, ut fiat particeps regni cœlorum. Aliàs Job ipse cap. xix, 25. se in sua carne suum Redeptorem visurum post resurrectionem omninò confidit: sed de eo plura suo loco.

Quare ut ad objectionem propositam redeamus; potuit Apostolus exempla aut similia congerere plura, quorum alia accidentariam tantùm, alia etiam essentialem seu substantialem differentiam inter corpora hæc nostra & futura declararent. Et posteriorem quidem differentiam (nam de priori nullum est dubium) eum declarare voluisse, tum ex occasione & scopo totius illius de ratione corporum futurorum disputationis, tum ex ipsis verbis, quæ in ea disputatione habentur, patet. (*Cor: 15, 35. & seqq.*) Nam occasio ejus disputationis pendet ex objectione illorum, qui resurrectionem futuram ideo negabant, quia cùm viderent, corpora hominum post mortem penitùs corrumpi atque interire, putabant, eos corpora, in quibus resurgant, non habituros, atque adeò neutiquam resurgere posse. quæ objectio breviter proponitur ibi: *Sed dicit quispiam* (nempe adversus ea, quæ attulimus hactenus ad ostendendum, mortuos resurrecturos) *quomodo resurgent mortui, aut quali corpore venient?* Huic objectioni ita respondet Apostolus, ut ostendat corporum nostrorum corruptionem atque interitum, resurrectioni haudquaquam obstare: cùm in illorum locum veluti renasci possint alia, atque longè præstantiora.

Potuit Apostolus exempla] Benè est quod agnoscit Volkelius *exempla aut similia* quæ in objectione proposita urgentur, *accidentariam tantum* differentiam *inter corpora hæc nostra & futura* declarare; An etiam aliis differentiam *essentialem seu substantialem* velit innuere, hoc opus hic labor est; & nullis unquam fidiculis id extorquebit Paulo, statuenti aliàs quemque *in corpore suo* relaturum congruenter ad id quod fecerit in ipso, sive benè sive malè 2 Cor: v, 10. Ita enim legit Syrus interpres, quem & in eo Genevenses sequuti sunt.

Et posteriorem quidem] Sed neque id ex *occasione*, vel ex *scopo* Pauli unquam colligetur.

Nam occasio ejus] Verùm primò non tam est hæc *objectio* contra doctrinam resurrectionis, quam quæstio sive scrupulus de modo quo illa futura est: Qui enim quærit, *Quomodo resurgent mortui, aut quali corpore venient?* is jam videtur præsupponere futuram resurrectionem, & duntaxat in illius modum inquirere; prout illam Apostolus usq; ad hoc comma 35. invictis adstruxerat argumentis. Deinde, si hæc verba sonant objectionem contra rem ipsam, eò redibit vis argumenti: Si mortui sunt resurrecturi aut eadem referent corpora quæ habuerunt, aut alia; Sed neutrum dici potest; Non prius; Nam illa computruerunt; Non etiam posterius; Nam tunc non foret corporum quæ ceciderunt resurrectio. Huic vero objectioni respondet Apostolus, & eadem

dem futura, & alia: Eadem substantiâ, sed alia conditione & qualitate, eo quod hoc mortale & corruptibile debeat immortalitatem & incorruptibilitatem induere.

Huic objectioni ita] Jam dixi verbo quæ sit responsio Apostoli: Negat corporum nostrorum interitum resurrectioni obstare, quia vivificâ Dei virtute ita renascentur, ut longè præstantiora sint futura: Quæ lateritia nobis perierat domus resurget marmorea; Hactenus itaque *alia* erunt, quoad dotes & qualitates, sed eadem quoad substantiam, quia ipsamet de facto renascentur, non verò ut nugatur Volkelius, alia *in illorum locum*: Id enim solum renascitur quod redit in eadem substantia, vel numerica, ut sol quotidie renasci dicitur, & homo pius ac fidelis denuo nascitur ex aqua & spiritu; & hirundines quæ veluti mortuæ & sepultæ delitescebant in paludibus renascuntur primo vere; vel saltem specificâ; ut frumentum terræ commissum renascitur in spica: Neutram tamen renascentiam, vel numericam vel specificam, tribuunt Sociniani his nostris corporibus, unde ea nonnisi *veluti* renasci, dicit hîc Volkelius. Nec video, quî *veluti renasci* censerentur hæc corpora nostra per resurrectionem, si ea quæ consequemur nihil planè habitura sint commune cum istis, ut nec eadem sint numero, nec eadem naturâ & specie; quorum neutrum admittunt adversarij.

Id quod primùm aptissimâ seminis illustrat similitudine, quo in terram conjecto, atque in ea mortuo & corrupto, aliud longè nobilius ac præstantius nascitur, nempe planta aut stirps aliqua, non nascitura, nisi semen istud priùs fuisset emortuum: *(v 36. & d.)* In qua similitudine explicanda illis utitur verbis, quæ ad rem, de qua disputat, accommodata, omnino indicant, aliud esse corpus hoc nostrum, quod seminatur, & in hoc mundi agro satum tandem emoritur ac corrumpitur, aliud id quod resurgit. Inquit enim: *(v 35. 38) & quod seris, non gignendum corpus seris, sed nudum granum, v. g. tritici, aut cujus piam alterius rei. Deus verò corpus ei dat, prout libuit, & suum cuique seminum corpus.* Quid clariùs dici potuisset ad ostendendum, non hoc ipsum, quod seritur, corpus aliquando resurrecturum, sed aliud, quod nobis Deus sit daturus? nempe quemadmodum non illud idem seminis corpus, quod in terram sparsum & in ea corruptum fuerat, enascitur, sed loco nudi alicujus grani, elegans plantæ aut stirpis corpus exoritur, quod Deus illius loco reponit: ita loco horum nostrorum corporum alia longe nobiliora resurgent.

‡ *Id quod primum aptissima*] Hæc sanè similitudo est aptissima menti & scopo Apostoli: Quæris *quali corpore* prodituri sint mortui, morbido-ne & ægro quale erat cum abierint ad meliores. Respondet Apostolus, Nequaquam: quia prodibunt quidem eadem substantiâ, sed diversâ qualitate: ut semen tritici vel hordei, quod projectum fuit in terram, ubi computruit prodit iterum, non quidem aridum, durum, nudum, quale terræ fuerat concreditũ, imò nec putridum, quale fit in sinu terræ, sed substantiâ ac specie idem manens, longè alias induit qualitates; Nascitur enim vestitum aristis & siliquis, vivum, prægnans & succi plenum. At in doctrina Sociniana huic simili à semine nullus planè est locus: Nam semen quod seritur est principium materiale ejus quod renascitur: imò hoc educitur

ex illius

ex illius potentia. Sed nolunt adversarii quicquam per modum materiæ constituentis, collaturum cadaver hominis mortui ad illud corpus imaginarium quod recipiet in die resurrectionis: maximè cum corpora gloriosa faciant merè spiritualia quoad substantiam & penitùs immaterialia, quæ impossibiliùs est renasci ex materialibus tanquam ex principio suo seminali, quam colligi ex spinis uvas aut ficus ex tribulis Matt: VII, 16.

In qua similitudine] Imò per hanc similitudinem ostendit tria; Primùm, quia erat quæstio *quali* corpore, non talia renascitura corpora qualia seruntur, sed multum ab illis mutata proditura. Secundò, putredinem & corruptionem corporum sub morte non obesse eorum resurrectioni; sicut non obest renascentiæ seminis quod seritur, ejus alteratio, fermentatio & corruptio in terra. Tertiò, idem corpus nobis restitutum iri sub aliis tamen qualitatibus, prout idem renascitur semen, sed qualitatibus suis immutatum. Et sanè nulla sunt apud Apostolum verba quæ *omninò indicent ALIUD esse corpus hoc nostrum quod seminatur, & in hoc mundi agro satum tandem emoritur & corrumpitur; Aliud id quod resurgit:* Nisi ludat Volkelius in vocabulo *aliud*, illudque intelligat de alietate qualitativa (detur venia verbo) quam concedimus, non verò de substantiali, quam negamus: Christus Servator utitur eodẽ simili in sua ipsius morte describenda Joh: XII, 24. *Nisi granum frumenti ceciderit in terram & mortuum fuerit, solum manet; si vero mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Ita tamen corpus ejus cecidit in terram & mortuum fuit, instar grani frumenti, quod moritur, ut idem numero corpus retulerit ex sepulchro quod in illud ceciderat.

Quid clariùs dici] Hæc quidem valdè clara sunt ad probandum *qualia* corpora sunt resurrectura, sed non ad probandum quod numero & substantiâ diversa debeant esse à nostris: Quin è contrario, ut idem renascitur granum quod satum fuerat, nam prodit triticum ex tritico, ex hordeo hordeum, sic debet idem corpus renasci quod ceciderat & terræ commissum fuerat. Dat quidem Deus semini renascenti *corpus* prout vult, & suum cuique seminum corpus, sed illud *suum* est ipsius seminis quod satum est, non alienum: An vero in Schola Sociniana poterit dici *suum* corporis quod jacuerit in Sepulchro, planè *aliud* illud corpus quod Deus nobis daturus est in resurrectione, quod neque specie, substantiâ & naturâ cum illo conveniet, neque ab eo seminaliter & materialiter pendebit?

Nempe quemadmodum] Non quidem *illud idem seminis corpus quod in terram sparsum, & in ea corruptum fuerat enascitur*, si identitas numerica intelligatur; sed tamen *idem* planè est, si statuatur identitas saltem specifica; At ex Socinianorum mente nequidem locus esse potest inter corpora morientium & resurgentium isti specificæ identitati, quæ intercedit inter granum quod seritur & illud quod renascitur; Ex frumento enim saltem renascitur frumentum, licet suâ paleâ vestitum, non omninò nudum, uti satum fuerat; at juxta Socinianos, nihil *enascetur* ex corpore mortuo, sed tantum in illius locum reponetur corpus alterius planè substantiæ & naturæ, & quod in nulla re cum priori conveniet: cùm sit futurum inorganicum, spirituale, immateriale &c. Deinde nobis non obest quod aliud granum numero renascatur quam quod satum fuerat; quoniam satis est ad mentem Pauli demonstrasse hoc simili identitatem speciei & naturæ; quâ concessâ in resurrectione, identitas numerica facilè obtinebitur: Nec enim omnia uno simili possunt exprimi. Quin prout hinc saltem colligimus identitatem specificam, numerica sub eodem simili poterit colligi ex morte & resurrectione Christi, qui ut granum fumenti ita cecidit

& mortuus fuit, ut idem numero corpus ex ſepulchro retulerit.

Sed loco nudi alicujus] Apoſtolus *nudo* grano ſingulorum ſeminum, opponit *ſuum corpus*, veſtitum ſcilicet & præditum aliis qualitatibus: Nec corpus tritici quod ſeritur nudum, in culmo vel palea ſitum eſt, ſed in ipſo tritico quod culmo ſuſtentatur & veſtitur paleâ. Quare Volkelius aberrat procul à Pauli mente, dum hîc fingit *elegans plantæ aut ſtirpis corpus exoriri* ex grano quod in terram ſparſum eſt & *illius loco* à Deo *reponi*: Nec enim planta vel ſtirps tritici conſideratur ut corpus ejus quod ſatum eſt, ſed ipſummet triticum quod ex planta per ſemen producitur; Nec enim plantæ aut ſtirpis ergo ſeritur triticum, ſed ipſiuſmet tritici obtinendi gratiâ: Nec Deus tritici quod ſatum fuerit *loco reponit* ſtirpem aut plantam, ſed benedictione ſuâ ex illo & per illud, grana ejuſdem conditionis & naturæ.

Ita loco horum] Nullam talem agnoſco meram ſubſtitutionem aliorum corporum *loco horum noſtrorum*, ſed realem reſurrectionem, exortum & renaſcentiam eorundem; ſic tamen ut longè nobilioribus donentur qualitatibus. Id ipſum juxta Apoſtolum viviſcet quod mortuum fuerit, prout in natura non viviſcit quod ſeritur niſi moriatur: Ergo id ipſum debet reſurgere: Nec foret renaſcentia aut reſurrectio, ſi ejus loco quod omninò perierat, planè aliud recuperaremus, alterius omninò conditionis & naturæ. Summa itaque hujus ſimilitudinis à ſemine deſumptæ eò redit, ut oſtendatur reviviſcentiæ corporum noſtrorum, ſed cum qualitatibus aliis, non obſtare mortem & corruptionem in ſepulchro, quandoquidem in ipſa natura non impedit reviviſcentiam tritici, hordei, alterius-ve ſimilis grani terræ commiſſi, quod in terra moriatur; cùm è contrario revicturum & renaſciturum non eſſet niſi moreretur. Quod ſanè Epicuræorum reſurrectionem negantium jugulum petit, argumento quotidiano & familiariter omnibus noto. Quod enim fit iſthîc per potentiam Dei ordinariam, quâ granum quod renaſcitur educitur ſuo tempore ex eo quod ſatum fuerat, ejuſdem cum illo ſubſtantiæ & naturæ, hîc fiet per potentiam Dei extraordinariam, quâ corpora noſtra glorioſa noviſque ornata qualitatibus renaſcentur & educentur ex his ipſis cineribus & exuvijs, quæ terræ concreditæ fuerint, quomodo Phœnix dicitur ex ſui ipſius cineribus renaſci.

Hinc porrò longiùs progreditur Apoſtolus, (*v. 39, 40, 41.*) & alia affert exem-
138. pla, ex quibus pateat, quanta ſit diverſitas corporum, tum ejuſdem generis, ut carnium, ut ſiderum; tum diverſi, ut corporum cœleſtium ac terrenorum: Quæ omnia eò pertinent, ut & tantò magis pateat objectionis ab initio propoſitæ infirmitas ac vanitas, & ſimul ad differentiam, inter hæc noſtra corpora & futura explicandam, fiat acceſſus. Nam quod ad prius attinet; ſi tanta eſt corporum varietas, tantaque diverſitas; quid eſt, quod prohibeat, quominùs corrupto hoc corpore, aliud in ejus locum ſubſtituatur?

‡ *Hinc porrò longiùs*] Id *patere* quod dicit Volkelius ex alijs Pauli exemplis, eſt falſiſſimum: Imò ſupra oſtendebamus quomodo illa exempla comprobent identitatem ſubſtantiæ inter corpus hoc noſtrum & illud quod recipiemus in reſurrectione, & ſolam diverſitatem accidentariam indicent, vindicato ad hanc rem Calvini argumento, cui acceſſit ipſiuſmet Volkelij Confeſſio: His adde eſſe viros doctos qui putent non eodem omninò ſpectare omnia hæc ſimilia, *carnium, ſiderum*

siderum & *corporum cœlestium ac terrenorum*; sic tamen ut neque in eorum sententia quicquam sit præsidij pro Volkelio. Statuunt ergo, carnium discrimen proponi à Paulo, non quò demonstret carnem quam referemus in resurrectione, etiam carnem futuram, etsi aliis vestitam qualitatibus quam nunc est; sed quò præveniat tacitam objectionem quæ poterat fieri contra resurrectionem jam elucidatam per simile sementis in sua spica renascentis. Si enim homines sunt resurrecturi ut semen renascitur postquam in terra computruerit, cur non videmus quoque jumenta & pisces post obitum renasci & resurgere? Respondet Apostolus per discrimen carnium; aliam enim esse carnem hominum, aliam bestiarum, sive jumenta fuerint, sive pisces, sive aves: hanc enim non esse capacem resurrectionis post mortem, quia non fuit animata animâ rationali & immortali: sed posse vivificari post mortem carnem hominis, quæ animæ rationalis ac immortalis domicilium fuit & cum illa unum compositum constituit. Igitur ex horum interpretum mente, ideo diversas carnes commemorat Paulus, ut ostendat non sequi non futuram resurrectionem carnis humanæ, eo quod caro bestiarum semel mortua nunquam resurgat. Et sic pertinet hoc simile, ut & juxta eos præcedens sementis, ad quæstionem, an sit futura carnis resurrectio; Sed volunt alia duo similia, tum siderum, tum corporum terrestrium & cœlestium, maximè inservire explicationi alterius quæstionis, qualia corpora nostra erunt in resurrectione: Ut quemadmodum sidera ejusdem sunt essentiæ & naturæ si inter se conferantur, quamvis gloriâ differant & splendore, ita debeant esse nostra corpora post resurrectionem ejusdem naturæ & essentiæ cum his quibus nunc circundamur, licet ea sint longè superatura qualitatibus & gloriâ: tantumque sit futurum discriminis inter hoc & illud, quantum inter solem & lunam: Imò sicut Sol quandoque obnubilatus est & obscurus, quandoque perillustris & serenus, ac sicut Luna, modò plena est luce, modò silet, ita hoc corpus nostrum, quod nunc obscurum est, opacum & nubilosum, fiet lucidum, serenum & gloriosum in resurrectione. Censent ijdem corporum cœlestium & terrestrium fieri insuper mentionem à Paulo, non tam quò tantum discriminis ponat inter corpora hæc nostra & gloriosa, quantū corpora terrestria differunt à cœlestibus; quanquam nec id obesset nostræ sententiæ, eò quod etiam corpus hoc terrenū non substantiâ modò sed qualitate, fiet cœleste, saltem quoad qualitates, post resurrectionem; sed quò ostendat nullum esse genus corporum sive terrestrium sive cœlestium, in quo non observetur varietas qualitatum, substantiâ eadem remanente: Etenim etiam corpora terrestria, si inter se conferantur, deprehendentur variare qualitatibus; imò sæpè eadem vel specie vel numero diversas per vices suscipere qualitates, ut de Sole & Luna inter cœlestia jam dictum est: Adeoque minus mirum videri debet quod idem corpus humanum mutetur qualitate, & ex corruptibili & mortali, immortale & incorruptibile fiat. Quicquid sit, non vult Apostolus demonstrare, *quanta sit diversitas corporum*, ut somniat Volkelius, *tum ejusdem generis, ut carnium, ut siderum, tum diversi generis, ut corporum cœlestium ac terrenorum*; Id enim non veniebat in quæstionem; Sed vult ostendere illam omnem diversitatem, esse potius qualitativam quam substantialem, qualis nempe debet concipi inter hæc nostra corpora & ea quæ consequemur in resurrectione; Id enim pertinet hoc sensu ad soluendam quæstionem propositam Apostolo, *Quali corpore* resurgemus ex mortuis. Addo præterea, quod si eadem duntaxat sit diversitas præsentium corporum & futurorum, quæ est in communi corporum *ejusdem generis*, impossibile

est ut genere differant, aut non conveniant in eadem substantia & natura; quod nolunt Sociniani. Est quoque hoc falsum quod corpora cœlestia & terrena sint *diversi* generis, in genere & ordine corporeitatis & materialitatis; Utrorumque enim eadem est corporeitas generica & prima materia.

Vt & tanto magis] Illius tamen *objectionis* vim hactenus agnovit suprà Volkelius, ut confiteretur saltem quædam *exempla aut similia* Pauli, *accidentariam tantùm* differentiam inter hæc nostra corpora & futura declarare. Et nullum est ex quo *substantialem* apodicticè ostendere possit.

Quid est quod prohibeat] At verò non quærebatur an posset *substitui* aliud corpus in hujus locū ubi perierit; Sed an hoc quod periisse judicatur, reviviscere & resurgere possit: Non agitur de substitutione, & subrogatione unius in locum alterius, ut cùm Mical substituit Idolum ligneum in locum Davidis, qui surrexerat ex lecto & abierat; sed de ejus quod mortuum & sepultum est reviviscentia & resurrectione. Quare illa *corporum varietas* notata Paulo, non eò pertinet ut probetur aliud nos posse consequi corpus per substitutionem in locum ejus quod perierat; sed ut probetur posse dari in eodem corpore diversitatem qualitatum; ut alterum & longè excellentius resurgat quam ceciderat: prout omnis illa corporum varietas in eadem & communi materia aut specie, ex variis & diversis qualitatibus exurgit. Saltem hinc liquet quam nullo modo credant Sociniani *resurrectionem carnis*, quandoquidem ei substituunt meram *substitutionem* novi corporis in locum alterius.

Quod ad posterius attinet, quatuor Apostolus in iis, quæ proximè sequuntur, verbis, corporis hujus & futuri exprimit discrimina, quorum primum & ultimum potissimùm ostendunt, illud ab hoc substantiâ ipsâ, non accidentibus tantùm differre. Nam corruptibile & incorruptibile, quæ prima est differentia ab Apostolo constituta, essentiâ differunt, ut præter Philosophum (*Arist: lib. 10. Metaphys: cap. ult.*) ipsa docet ratio. Quicquid enim corruptibile est, id necessariò substantiæ ipsius ratione corruptibile est: cùm corruptio sit ipsius substantiæ interitus. Quare partem aliquam substantialem rei illius, quæ corrumpi possit, primò ac per se corruptibilem esse, &, si res ipsa ex corruptibili incorruptibilis fieri debeat, partem eam tolli, & sic substantiam mutari necesse est.

‡ *Quatuor Apostolus*] Benè est quod ex quatuor discriminibus quæ dicuntur poni ab Apostolo inter hæc nostra corpora & futura, nonnisi duo urgent Adversarij pro distinctione substantiali: Sic enim ultrò nobis concedunt mediam partem victoriæ: Eo itaque facilior erit in duobus aliis, in quibus suæ causæ proram & puppim constituunt.

Nam corruptibile] Scilicet non poterat impugnari Resurrectio, nisi vocato in subsidium Aristotele: prout ab ævo fuerunt Philosophi Patriarchæ Hæreticorum: Sed huic axiomati facilis est responsio; Primò corruptibile & incorruptibile differunt *essentiâ*, si abstractivè considerentur, ut nequeant simul & eodem respectu eidem subjecto & composito convenire; non verò si considerentur concretivè; Nam eidem subjecto quod corruptibile priùs fuerat, postea convenire potest esse incorruptibili, si corruptibilitatis causæ, vel extrinsecæ vel intrinsecæ, removeantur; formâ ejus ad eam elevatâ

elevatâ perfectionem, ut materia in illa penitùs acquiescat neque ullam ulteriorem appetat. Censent Peripatetici corpora cœlestia esse incorruptibilia, ex formæ quam nacta sunt perfectione: Annon verò posset Deus qui illa creavit ex nihilo, aliquid demere de illa perfectione accidentaria, ut ex incorruptibilibus corruptibilia fierent? Quanto magis ergo possit corpus quod antea erat corruptibile incorruptibilitate donare, illudque ejusmodi vestire conditionibus & proprietatibus, quæ omnem corruptionem, aut illius periculum arceant? Non periit serpenti quo usus Satan fuerat ad deceptionẽ sua prior essentia, cùm ablato ipsi usu pedum in ordinem reptilium fuit redactus; Non periret pariliter alicui reptili sua essentia, si Deus illud faceret bipes vel quadrupes, concesso ei pedum usu quo antea carebat: Et tamen repere & stare in pedibus non minus differunt essentiâ, abstractè loquendo, quã corruptibile & incorruptibile. Et successivè duntaxat eidem subjecto tribuit Apostolus corruptibilitatem & incorruptibilitatem, cùm dicit, id quod *seritur cum corruptione suscitandum cum incorruptione*, 1 Cor: xv, 42. & *hoc corruptibile induiturum incorruptibilitatem* ibid. 53. 54. Præterea corruptibile & incorruptibile essentiâ differunt, non tam respectu totius compositi, sive quoad totum illius, quod constat ab una parte materiâ *ingenerabili* & *incorruptibili*, secundum ipsummet Aristotelem *lib.* 1. *Phys. cap.* 9. *textu* 82. & formâ caducâ ab altera, quam respectu solius formæ illius caducæ, quæ extinguitur ut in eadem materia alia ei succedat. Quid verò obstat quominus post extinctam in materia corporum nostrorum formam illam caducam quâ nunc conspiciuntur, forma fixa eidem materiæ indatur à Deo, in qua non minus acquiescat, quam ex opinione Peripateticorum materia cœlorum in ea forma acquiescit per quam sunt incorruptibiles?

Quicquid enim corruptibile] Miror hominem Aristotelis jactantem authoritatem tam malè philosophari ex suis principiis. Nam ex ipsomet Aristotele *lib.* 1. *de gen. & corr. cap.* 4. ejus interpretes corruptionem definiunt, *mutationem totius in non totum, sub eadem communi materia*; Ita Conimbricenses nominatim *ad prædictum Aristotelis locum quæst.* 16. *art.* 1. At mutatio totius sub eadem communi materia, non est *ipsius substantiæ interitus*, sed tantum prioris potiorisque formæ abjectio, cum substitutione vilioris. Nec meliùs intelligitur quid sic corruptio quam ex ei opposita generatione; Generatio autem nihil aliud est quam formæ nobilioris in subjectum introductio; ergo corruptio nihil aliud debet esse quam formæ illius abjectio & deperditio. Hanc vero substantiæ interitum non esse, liquet exemplo statuæ aureæ; quæ igne fusa suam priorem & meliorem formam amittit, licet non intereat illius substantia. Cum vinum acescit, corrumpitur: tantum tamen manet liquoris in vase, quantum antea, licet ex vino in acetum per corruptionem abierit. Adhæc cùm materia, juxta Aristotelem & Aristotelicorum placita, sit incorruptibilis, tota rerum merè corporearum substantia talis debet esse, cum rerum talium omnis substantia materialis & materia sit. Dicat mihi Volkelius quidnam in hominis jam exanimis cadavere, habeat rationem substantiæ, quod materia non sit: Cùm autem materia non intereat per subjecti corruptionem, utique nec substantiæ interitus dici debebit ipsa corruptio: Itaque tale subjectum post animam separatam est corruptibile, non *substantiæ ipsius ratione*, ut fingit Volkelius, nisi quatenus hæc substantia se habet *subjectivè, receptivè & passivè* ad talem mutationem, sed tantum ratione formæ illius quâ prius gaudebat & visebatur. Sed nec secum consentit Volkelius: nam quam perperam corruptionem dicit esse *ipsius substantiæ interitum*, cùm sit potius desitio & interitus formæ illius

illius quæ antea illi substantiæ accesserat, neq; posset aliàs unius corruptio esse generatio alterius si substantia corrupti interiret tota, tam parum convenienter huic suæ definitioni, corruptionem restringit ad *partis alicujus substantialis* interitum in composito: Nam si in subjecto corruptibili sufficit *partem aliquam substantialem* illius *primò ac per se corruptibilem esse*, utique necesse non erit ad hoc ut corrumpatur, totam illius substantiam interire. Tum etiam formæ illæ caducæ, in quarum desitione corruptio sita est, nec substantiæ sunt, nec subjecti quod corrumpitur partes substantiales: Si enim substantiæ fuerint, vel corporeæ erunt & materiales, vel immateriales & spirituales. Si posterius statuatur, non possunt desinere; Si prius, nec etiam peribunt, quia nihil perit unquam materię in universo; Ut taceam quod aliàs monui, sic datum iri substantiam corpoream in corporea & penetrationẽ dimensionum. Nec etiam nobis obest Philosophema Volkelij: Siquidem ultrò largimur quod cùm hoc corpus nunc corruptibile fiet incorruptibile, ab eo tolletur id quod ei corruptibilitatem dabat; & sic mutatio aliqua fiet substantiæ, non per alterius substantiæ in locũ prioris substitutionem, sed per aliarum qualitatum subrogationem. Agnoscimus quoque aliquid perire corpori cùm corrumpitur; sed negamus id illius esse *partem substantialem*: Nihil enim substantiale agnoscimus in homine præter animam & corpus: Anima quæ spiritualis est & immortalis & hoc corpore soluta extra illud remanet & operatur, non potest dici pars illa substantialis hominis quæ *primò & per se* sit corruptibilis. Corporis vero substantia cum tota sit materialis, eo ipso, uti ante dictum est, incorruptibilis statui debet. Igitur homo corrumpitur ratione totius compositi, non quod pereat aliquid quod sit pars illius substantialis, sed quod compositum ex anima & corpore in suas partes resolvatur, & anima rationalis à corpore ipso divellatur & separetur, abrupto vinculo quo inter se colligabantur; sive formaliter, sive consequenter, in illa separatione consistat ipsius hominis mors & interitus, Corpus vero exanime ulteriùs corrumpitur & putrescit, non per substantiæ totius, vel partis alicujus substantialis desitionem & interitum, tota enim illius substantia materialis est, sed per formæ suæ accidentariæ & caducæ perditionem, & partium illarum ex quarum coagmentatione, situ & figura constabat, resolutione & separatione. Possunt autem istæ partes à Deo recolligi, atque iterum in unum coagmentari, eademque animâ vestiri quâ antea, ut etiam futurum constat ex Ezech: XXXVII. I. & seq. ubi ossa arida, iterum nervis, carne & pelle vestiuntur, ac suo redonantur spiritu. Cùm verò hoc corruptibile induet incorruptibilitatem, id non fiet per ablationem alicujus suæ partis substantialis, nam integrum reviviscet & resurget; sed partim per animæ beatæ & gloriosæ inhabitationem, partim per remotionem & sublationem causæ corumpentis, nempe peccati, quod tunc plane cessabit in sanctis, partim per additionem sive substitutionem qualitatum novarum, quæ statui gloriæ & immortalitatis conveniant. Pluris itaque facimus Apostolum docentem hoc corruptibile induiturum incorruptibilitatem, sic ut idem maneat corpus, idem subjectum, cui primò conveniat corruptibilitas in hac vita, secundò incorruptibilitas in futura, quod id pronomen demonstrativum *Hoc* satis indicat, quam omnes argutas ineptias Volkelij, quibus eam somniat substantiæ & subjecti mutationem, per quam eidem successivè non conveniant hæ conditiones corruptibilitatis & incorruptibilitatis.

Dein-

Deinde animale & spirituale, quæ quarta est differentia corporum nostrorum ab Apostolo explicata, (1 Cor:15.44,45.) non tantùm accidentali, sed essentiali quoque discrimine à se invicem dispescuntur. Spirituale enim corpus partibus terreis ac crassis, quales sunt carnes, ossa, & cæteræ, ex quibus hoc corpus compactum est, non constat: animale constat. Spirituale nutritione non indiget, nec ad generandum aptum est: adeoque nec animâ vegetativâ, quam vocant, quæ nonnisi nutritionis & generationis caussâ est, ullo modo eget. Animale contrà illud est, quod animâ vegetativâ animatur, ita tamen, ut simul facultati sentiendi aptum præstet & domicilium, & instrumenta. Itaque & nutritione eget, & ad generationem, quamdiu vegetum integrumque est, aptum est, iisque constat partibus, quæ utrique huic functioni ita sunt destinatæ, ut nullum alium habeant usum: quam ob causam in incorruptibilibus corporibus, in quibus nullus nutritioni aut generationi locus est non ampliùs extabunt: Quò respiciens Apostolus ita alibi scripsit: *(1 Cor:6.13.)* *Esca ventri, & venter escis* (nempe destinatus est;) *Deus autem & hunc & illas abolebit.* Quod autem de ventre dicitur, id de reliquis etiam partibus, quæ similem habent usum, deque iis omnibus, quæ à ventre nutriuntur ac sustentantur, ut pote æquè corruptibilibus, & animalium corporum propriis, discendum est. Quomodo ergo fieri potest, ut animalium & spiritualium corporum eadem sit substantia?

‡ *Deinde animale*] Ut malè antea voluit Volkelius philosophari de corruptibili & incorruptibili, sic pessimè nunc vult θεολογεῖν de corpore *animali* & *spirituali*; Nec enim hæc duo distinguuntur ab Apostolo ac si naturâ & totâ substantiâ differrent, sed tanquam accidentariâ duntaxat distinctione diversa. Etenim id ipsum quod *seritur fœdum, suscitatur cum decore*; quod *seritur virium expers, suscitatur potens*; quod *seritur corpus animale; excitatur corpus spirituale*, inquit Paulus 1 Cor: xv, 43. 44. Quare quod subjicit, *Est corpus animale, est corpus spirituale*, non duo distincta notat corpora, sed ejusdem numero corporis status duos; alterum, quo regitur à sola anima ejusque operationibus quibuscunque subservit, estque obnoxium naturæ animalis functionibus, in cibo, potu, somno, &c. alterum quo ita regetur à Dei Spiritu, ut liberatum importunis hisce functionibus vitæ præsentis, solis operationibus spiritualibus vacabit: Non quod anima tunc ampliùs non sit corpus motura & informatura, sed quod ipsa quoque plena spirituali luce, corpus spiritualiter tantum tunc movebit, ut cibo, potui, vestitui, aliisque necessitatibus hujus vitæ animalis non ampliùs sit obnoxium. Etiam 1 Cor: II, 14. 15. opponuntur homo *animalis* & *spiritualis*, non substantivè sed qualitativè, adeo ut ex animali fiat sæpè spiritualis per illius ad Deum conversionem, citra depositionem prioris substantiæ. Ac sicut hoc quod nunc habemus corpus *animale* dicitur, non quod sit *anima* & non corpus, verum quod uni animæ subjiciatur & ab ea regatur; sic corpus quod obtinebimus in resurrectione spirituale erit, non quod desinat esse corpus & in spiritum abeat, (hoc enim modo tam implicaret contradictionem dari corpus spirituale, quam spiritum corporeum, eo quod omnis substantia finita

finita immediatè in corpoream & spiritualem distribuatur,) sed quod omnimodo Spiritui erit subditum sine ulla corruptione vel morte. Id dixit ante nos Augustinus *de fide & symb. cap. 6 Spiritale dicitur corpus non quasi in spiritum vertatur, sed quia ita spiritui subditum erit ut cœlesti habitationi conveniat, omni fragilitate ac labe terrenâ in cœlestem stabilitatem mutata atque conversâ.*

Spirituale enim corpus] Imò corpus cùm sit, corpusq; humanum, non spiritus, non phantasma, debet esse quantũ, extensum, circumscriptum, suis instructum organis; ut dum Scholastici etiam de *subtilitatis* dote hic disputant, atq; corporibus gloriosis vim tribuunt alia corpora penetrandi, non satis attendant ad id quod monet Augustinus *ep* 57. de Christo resurgente, scilicet eum carni quidem suæ *immortalitatem* dedisse, sed *naturam* non abstulisse. Si homo spiritualis, ut opponitur animali, non caret carne & ossibus, quare id vult hæreticus tribuere corpori spirituali, & illud suâ essentiali conditione spoliare? Igitur hæc prima quam assignat differentia inter corpus spirituale & animale, quod hoc carne & ossibus constet, illud non, est falsissima: Nec enim debet discrimen quod Christus assignat Luc. XXIV, 39. inter corpus & spiritum, quod hic, ut pote ἀσώματος, nec carnem habet nec ossa ut illud, locum habere inter corpus spirituale & animale: Nam Christi corpus quod fuit spirituale post resurrectionem, constabat tamen carne & ossibus, ac fuit visibile, palpabile & circumscriptum: & cui illa regula Augustini V. S. conveniret & pergit convenire; *Spacia locorum tolle corporibus & nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, & ideo necesse est ut non sint.*

Spirituale nutritione] Agnoscimus quidem corpus *spirituale* nec egere nutritione, nec pollere illo superfluo ultimæ coctionis quod natura videtur secrevisse ad semen prolificum & generationem. Verum inde absurdè colligitur quod *animâ vegetativâ* non egeat: Nam primò, anima vegetativa in homine, juxta communiorem & veriorem Philosophorum sententiam, non realiter distinguitur ab anima rationali, sed ab hac una censentur manare operationes non solum intellectuales, sed etiam vegetativæ & sensitivæ. Deinde vegetativæ facultatis prima operatio vita est, non nutritio vel generatio; quare etiam necessaria erit corpori spirituali saltem ad vitam, licet non sit ei profutura ad nutritionem vel generationem. Et ut taceam facultatem vegetandi non extingui vel cessare in iis qui vel ex temperamento, vel ex aliquo corporis vitio, aut alia de causa, sunt inepti *ad generandum*, sanè Christus Servator diebus carnis suæ facultate vegetativâ non caruit, licet ea ad generationem non ordinaretur, ut nec semper ad nutritionem; saltem per quadraginta dies illos quibus miraculosè omni cibo & potu abstinuit in deserto. Denique non statim debet negari facultas vegetativa, ubi negatur ejus operatio circa nutritionem & generationem: Facultatis est vegetativæ, quod ungues & capilli crescant: & tamen si credamus Hieronymo *adversus err. Ioh. Hieros.* Israeliticus populus in deserto *per quadraginta annos nec unguium, nec capillorum incrementa* sensit, *& quod* (inquit) *his majus est, non sunt attrita vestimenta eorum, nec inveteraverunt calciamenta eorum: Enoch & Elias tanto tempore in eadem permanent ætate quâ rapti sunt; Habent dentes, ventrem, genitalia, & tamen nec cibis nec uxoribus indigent.*

Animale contra] At verò hoc non *animatur* tantum vel *animâ* vel facultate *vegetativâ*, sed etiam sensitivâ & rationali: An ergo quia corpus spirituale non erit animale, ei denegari debent præter animam vegetativam facultas intelligendi & *sentiendi*? Quod si non repugnant corpori spirituali *facultas sentiendi* & illius *instrumen-*

strumenta, cur solam vegetativam in illo extinguemus? Vel si etiam facultate sentiendi ejusque instrumentis privari debet, cur illi hoc solum tribuit Volkelius quod *animâ vegetativâ* non egeat?

Itaque & nutritione] Fatemur de corpore animali quà tali, & prout in naturali conditione venit considerandum, quod *egeat nutritione* & *ad generationem aptum* sit; Sed negamus illas ejus partes *quæ utrique huic functioni* nutritionis & generationis *sunt destinatæ*, *nullum alium* habere *usum*: Sunt enim per prius de illius constitutione & integritate, sic ut absque illis mancum & mutilum planè foret. Nec opus est statim eos egere nutritione aut ad generationem se applicare, qui sunt instructi partibus naturaliter ei usui inservientibus: Eunuchi illi spirituales qui seipsos castrarunt propter regnum cœlorum, quorum fit mentio Matt:XIX,12. non ideo carent partibus quæ *destinatæ* sunt generationi, licet illis ad eam non utantur, & ut scitè loquitur Hieronymus, *in sexu sine sexus opere* vivant: Mosi & Eliæ non perierunt partes nutritioni destinatæ, licet miraculosè per quadraginta dies nihil ingererent ad nutritionem, nihil digererent.

Quam ob causam in] Absurdè procedit Volkelius ad partium harum sublationem, à cessatione usus illius quem habent in hac vita. Mulier sterilis vel effœta non excidit suis mammis, etsi nullus sit earum usus in ipsa ad fœtus lactationem: Sunt & mammæ in pectore virili, licet mammarum usum nunquam habeant. *Nec statim*, ut benè urget Hieronymus, *superflua videbitur membrorum resurrectio, quæ caritura sint officio suo, cũ adhuc in hac vita positi, nitamur opera non implere membrorum.* Erunt itaque illæ partes de corporum nostrorum integritate, licet usum animalem non amplius obtineant. Christus ex sepulchro resurgens eas retinuit: Cur dissimilis foret nostra resurrectio quâ illi conformabimur? Phil:III,21.

Quò respiciens] Non est quod tantopere glorientur Sociniani de hoc Pauli dicto 1 Cor:VI,13. Nam præterea quod juxta Chrysostomum *venter* hîc loci de gulæ vitio posset intelligi, adeoque sumi moraliter non physicè, ut etiam Phil:III,19. notantur illi quorum *Deus est venter & qui terrestria curant*, certum est ventrem quidem abolitũ iri in suo formali & quoad usum hunc animalem cibos excipiendi, coquendi, digerendi, egerendi, Apoc: VII,16.17. Beati enim, ut iterum loquar cum Hieronymo, *quod nos imitamur jejunio possident Dei consortio; vescuntur cœlesti pane & saturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum quem & cibum*; At non abolebitur in suo materiali & substantivè: addit enim Apostolus, *Corpus verò non scortationi sed Domino & Dominus corpori.* Quî sic? Rationem reddit com.14. & 15. *Deus autem & Dominum suscitavit & nos suscitabit potentiâ suâ. An ignoratis corpora vestra esse membra Christi? &c.* Hoc enim affert argumentum cur ad scortationem corpore non sit abutendum: quia est Domini jure redemptionis non minus quam anima; quia est illius membrum & Templum; quia quà tale est resurrecturum ad gloriam. Quod si illud ipsum corpus quod non est scortationi sed Domino, sit suscitandum ad gloriam, ergo etiam illæ ejus partes remanebunt quibus non licet abuti ad scortationem. Videtur enim Apostolus velle refutatam scortatorum objectionem, videlicet non minus naturale esse scortari quam edere; adeoque parem & ventris & eorum quæ infra ventrem habendam rationem: Ostendit enim magnam differentiam: eò quod escæ quidem ex institutione & ordinatione divina ventri ad nutritionem destinentur, prout & illis indiget venter ad nostri sustentationẽ 1 Tim:IV,4. quamvis suo tempore hæc necessitas sic cessatura; neutiquam verò corpus eum in usum accepimus ut scortatione & libidinibus se polluat, sed ut sit

 vas san-

vas sanctum & templum Domino, qui illud redemit sanguine sui Filii, illud inhabitat suo Spiritu, illud tanquam membrum corporis Christi & pars illius suscitabit ad gloriam.

Quod autem de ventre] Eodem per nos modo id intelligatur de *reliquis partibus quæ similem habent usum*, quo de ventre dicitur; quod scilicet cessabit earum operatio nutritiva & generativa, omnisque ille usus animalis qui ad individui conservationem in hac vita, vel ad speciei propagationem ordinatur; Modò concedatur partes illas omnes remansuras in suo usu constitutivo & integrante corporis. Quod si enim totalem desitionem & abolitionem velis fingere omnium partium *quæ à ventre nutriuntur & sustentantur*, debes pertendere nihil omninò ex hoc corpore resurrecturum; adeoque *hoc* mortale non induiturum immortalitatem, nec ea corpora quæ sunt membra Christi & templa gratiæ ac Spiritus sancti in terra, futura participia gloriæ & fœlicitatis æternæ in cœlo.

Ut pote æquè corruptibilibus] Atqui corruptibiles non manebunt, sed à statu corruptibilitatis ad incorruptibilitatem & gloriam traducentur. *Hæc est*, inquit Hieronymus, *vera resurrectionis confessio, quæ sic gloriam carni tribuit, ut non auferat naturam: Quod verò dicit Apostolus corruptibile hoc & mortale, hoc ipsum corpus, idest carnem quæ tunc videbatur ostendit: Quod autem copulat induere incorruptionem & immortalitatem, illud indumentum, idest vestimentum, non dicit corpus abolere quod ornat gloriâ, sed quod ante inglorium fuit efficere gloriosum; Ut mortalitatis & infirmitatis viliore veste depositâ, immortalitatis auro, & ut ita dicam firmitatis atque virtutis beatitudine induamur, volentes non spoliari carne, sed supervestiri in gloria, & domicilium nostrum quod de cœlo est superindui desiderantes, ut devoretur mortale à vita. Certè nemo superinduitur, nisi qui ante vestitus est. Sic & Dominus noster in monte transfiguratus est in gloria, non ut manus ac pedes cœteraque membra perderet, & subitò in rotunditate vel solis vel sphæræ volueretur; sed eadem membra solis fulgore rutilantia, Apostolorum oculos præstringerent: Unde & vestimenta ejus mutata sunt in candorem, non in aerem, ne forte & vestes ejus asseras spirituales; Et facies ejus, inquit, fulgebat sicut Sol. Ubi autem facies nominatur, existimo quod & cœtera membra conspecta sint.*

Quomodo ergò fieri] Imò quomodo fieri potest ut animalium & spiritualium corporum non *eadem sit substantia*, siquidem non substantivè, sed qualitativè duntaxat sibi mutuo opponuntur, ut ex superioribus liquet?

139. Verba sanè ipsa Apostoli, quibus discrimen istud corporum animalium & spiritualium explicat, docent, substantiale inter illa discrimen esse. Ait enim, (1 Cor: 15. 44. 45.) *est corpus animale, & est corpus spirituale: ita etiam scriptum est, factus est primus homo in animam viventem, ultimus Adam in spiritum vivificantem.* Nam cùm ex eo demonstret, esse corpus animale, diversum à spirituali, quòd primus homo factus sit anima, h. e. animal vivens; satis ostendit, omne animal vivens habere corpus animale; quemadmodum etiam res ipsa indicat. Quare si quis animale corpus non ampliùs habeat, sed id cum spirituali commutarit, quod piis in resurrectione continget, necesse est eum non ampliùs esse animal. At animal non potest desinere esse animal, nisi parte aliqua substantiali sublatâ, atque in aliud quippiam mutatâ. Quòd si ergo mutatio illa fiat ratione corporis, substantiam corporis mutari necesse est.

Verba

Verba sanè ipsa] Vim sibi ipsi debet facere & verbis Apostoli 1 Cor. xv, 44. 45. qui ex illis colligat corporum animalium & spiritualium *substantiale discrimen*. Nam Pauli scopus est ostendere se meritò distinguere corpus animale à spirituali, non quod in suo materiali diversæ sint substantiæ, sed quod in suo formali distincta habeant principia; nam corpus quà animale, habemus per Adamum, quà spirituale per Christum: Animalitas corporis, est à priori Adamo per generationem & naturam; Spiritualitas, est à posteriori per regenerationem & gratiam.

Nam cum ex eo demonstret] Agnosco primum hominem factum esse *animal vivens*, & hoc benè colligi ex eo quod dicitur factus *in animam viventem*; sed non dicitur vel à Paulo vel à Mose quem citat, quod *primus homo sit factus anima*. Nec ex eo Paulus simpliciter colligit *esse corpus animale diversum à spirituali, quod primus homo factus sit animal vivens*, sed ex eo quod Adamo nihil aliud tribuatur quam quod factus fuerit in animam viventem, non verò, quod Christi est, in spiritum vivificantem; adeoque nihil aliud ab ipso ad nos derivetur quam animalitas mera. Non igitur verum est quod supponit Volkelius, *omne animal vivens habere corpus animale*; Nam homines post resurrectionem, qualiacunque fingamus eorum corpora, erunt animalia ut rationalia sic etiam viventia, nisi negemus eos fore homines ex anima rationali & corpore vivo constantes; nec tamen habebunt animalia corpora. Christus post suam resurrectionem erat adhuc animal vivens, & tamen non amplius habebat corpus animale. Aliud est dicere, quod largimur, id habere corpus animale necessariò quod nihil habet spiritualitatis, nihilque est aliud quam animal vivens, prout in epistola Judæ com. 19. impii dicuntur ψυχικοὶ πνεῦμα μὴ ἔχοντες, *animales, spiritum non habentes*, aliud verò pertendere, omne animal vivens habere corpus animale, quod est falsissimum: Si enim animal vivens, sive homo ψυχικὸς, πνεῦμα consequatur, abibit in πνευματικὸν, non abolitâ naturâ, vel extinctâ ipsâ animâ, sed superinductâ gratiâ, & sic idoneus fiet cujus corpus spirituale quoque evadat ex merè animali in die resurrectionis.

Quare si quis animale] Quod si is qui non amplius habet *corpus animale*, desinat *ampliùs esse animal*, negent ergo Sociniani, se ampliùs esse animalia & homines, eò quod nolint censeri ψυχικοὶ, sed πνευματικοί: Puerile est argumentari à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter: Non est Volkelius homo orthodoxus, ergo non est homo; Non est animalis, ergo non est animal. Qui deponit faciem pallentem ex febri per plenam convalescentiam, non tamen ideo facie caret. Et statuere hominem post resurrectionem non amplius fore *animal*, est statuere ipsum non amplius fore hominem, cùm hominem esse & esse animal rationale sint reciproca; nec possit dari animal rationale quin animal supponatur. En quò subtilitatis redeunt Sociniani. Neque *animale corpus* cum *spirituali* commutabunt pii in resurrectione, quoad *materiale* corporis, sive mutatione substantiali, quasi aliud substantiâ corpus sint recepturi; id enim supponere potest Volkelius, in æternum probare non potest; Sed tantum quoad illius *formale*, sive mutatione qualitativâ & accidentali, ut cùm Naaman corpus leprosum cum carne sana & pura mutavit, & æger totum *cubatum* suũ ex morbo mutat Dei auxilio Psal. xli, 4.

At animalium] Sed homines in resurrectione desituros esse animalia, gratis assumitur & perabsurdè dicitur, ut modò visum. Tum si animal desinat animal esse, utique debet ei perire id per quod animal constituebatur, nempè anima; hæc verò non perit homini, vel saltem ex hypothesi Socinianorum, non

deerit in resurrectione. Adhæc 1. neque qualibet parte substantiali sublatâ ex animali, desinit illud esse animal, ut videtur asserere Volkelius: nam si quis Volkelio dum vivebat, aurem vel nasum vel manum abstulisset, partem aliquam substantialem ei dempsisset, nec tamen per id desiisset animal esse, quanquam aliquid de ejus integritate substantiali decessisset; sed demum animal desinit esse animal, sublatâ ejus animâ, quæcunque illa sit, per quam in suo formali animalis constituebatur, ut jam dictum est. 2. Neque necessariò id quod auferri debet ex animali ut desinat esse animal, est pars substantialis illius; nam v. g. anima canis vel asini, quâ pereunte desinit esse animal, non est accuratè loquendo pars illius substantialis; eo quod sic nihil sit substantiale in cane vel asino, quod ad illius materiam & corpus non pertineat; ut pote cum nihil habeat substantiæ spiritualis, sed omnis illius substantia sit materialis & corporea. 3. Neque id quo sublato animal desinit esse animal, debet *in aliud quippiam* mutari; vel enim omninò perit & desinit esse, quod de formis caducis, quicquid illæ sint, notum est; vel duntaxat divellitur & separatur à corpore, illudque desinit animare, uti constat de hominis anima, quæ spiritualis cum sit & immortalis remanet post animal. Quis unquam absurdiùs hoc homine de animalium desitione philosophatus est?

Quod si ergo illa mutatio] Sed quæcunque mutatio fiat in animali *ratione corporis* solius, manente ejus animâ in ipso, illa nec desitionem sonat animalis, nec tam substantialis dici debet quam accidentalis, nisi forte pars quædam integralis pereat corpori: Et præterea si animal debeat perire, priùs ejus anima vel discedit vel perit, quam corpus ipsum in aliud quidpiam mutetur. Imò quodcunque mutatur in aliud quidpiam, eo ipso quod est ipsius mutationis subjectum, periisse vel interiisse dici non potest. Sed hîc ἀφιλοσοφήματα tam densa sunt, ut mirer Volkelium qui incepit ab Aristotelis authoritate, tot absurda, etiam respectu receptioris Philosophiæ, in unum congessisse: Falsum est omne animal habere corpus animale; Falsum est hominem in resurrectione non amplius fore animal; Falsum est omnem animam, cujus interitu perit animal, esse partem illius substantialem; falsum est id quo ablato desinit animal esse, in aliud quidpiam mutari; Falsum est omnem mutationem quæ fit corporis respectu esse substantialem; Falsum est id esse semper substantiale quod ad rei essentiam & τὸ τί ἐστι, ut loquitur Philosophus, pertinet; Falsum est corpus esse unquam id quo sublato animal desinit esse animal; cum corpus sit totum materiale, & sæpè corpus quoad omnes illius partes substantiales, per aliquot dies videatur & remaneat post animalis interitum. Quis ergo admittat inposterum sententiam Volkelii, tot falsis hypothesibus subnixam? Imò quis ejus falsitatem inde non deprehendat quod tot falsis & absurdis assertionibus fulciatur? Et tamen volunt isti homines videri subtilissimi, & qui soli possit cornicum oculos configere.

Præterea Christum ipsum ratione corporis gloriosi, quod adeptus sit, spiritum factum esse asserit. Spiritus autem substantiâ differt à corpore hoc crasso, quod nunc gerimus. Vivificantem autem spiritum evasisse ideo dicit, non quia alios vivificet; sed quia sufficientem vitæ causam, seu perennem quendam vitæ fontem in seipso contineat; secùs quàm in corporibus animalibus accidit, quorum vita aliunde magna ex parte pendet, & alimentis ita eget, ut iis subtractis, naturaliter eam extingui sit necesse.

Præte-

1 *Præterea Christum*] Nihil minus quam hoc asserit Apostolus. Dicit quidem Paulus posteriorem Adamum factum esse *in spiritum vivificantem*, sed eum *spiritum factum esse* non dicit; multo minus factum esse spiritum *ratione corporis gloriosi quod adeptus est*. Nam jam factus erat in spiritum vivificantem ante quã resurgeret ex mortuis; Prout enim prior Adam ab ipso momento quo cœpit existere, factus fuit in animam viventem, ita posterior statim ab exordio suæ incarnationis factus fuit in spiritum vivificantem, per unionem hypostaticam carnis nostræ & suæ Divinitatis: Ideo Gabriel dicebat B. Virgini Luc:I,35. *Spiritus sanctus superveniet in te & virtus altissimi inumbrabit te; propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius altissimi*; & fides Christiana credit Christum conceptum fuisse ex Spiritu Sancto, adeoque etiam vel hoc respectu & corporis sui infirmi factus in Spiritum vivificantem. Itaque potest Paulina collatio institui inter utrumque Adamum bifariàm: Primùm, respectu personarum suarum, deinde respectu ejus quod ab utroque consequimur. Si personæ ipsæ utriusque Adami inter se conferantur, prior factus dicitur in animam viventem, quod per animam sibi divinitùs inspiratam ac vi illius, capax sit operationum omnium animalium, quæ spectant nutritionem ac generationem: sed posterior, factus est in Spiritum vivificantem, quod per æternam suam Divinitatem, quæ carnem nostram sibi hypostaticè & indivulsè conjunxit, habeat penes se fontem perennem & inexhaustum vitæ æternæ: quo sensu se vocat panem *vitæ* & *vivificum*, quo qui vescitur non morietur sed vivet in æternum Joh:VI,48.50.51. Quantum igitur distat Adamus præditus solâ animâ vivente, à Christo θεανθρώπῳ prædito insuper per suam Divinitatem Spiritu vivificante, tantum discrimen debet concipi, inter corpus Adami animale per ejus animam viventem, & Christi corpus spirituale factum per ipsiusmet Spiritum vivificantem: Nam corpus Adami nonnisi animâ vivente sustentabatur ad functiones ψυχικάς; sed corpus Christi sustentatur insuper Spiritu vivificante ad vivificas & spirituales functiones: unde dicitur mortificatus carne sed *vivificatus spiritu* I Pet:III,18. & declaratus Filius Dei potenter *secundum spiritum sanctificationis per resurrectionem ex mortuis* Rom:I,4. Si verò collatio fiat respectu ejus quod ab utroque consequimur, prior quidem factus est nobis in animam viventem, idest in principium & originem vitæ hujus animalis adeoque & corporis animalis, quod per generationem ab ipso ceu originis nostræ fonte naturali traducitur; at secundus factus est in Spiritum vivificantem, idest in originem & principium vitæ spiritualis per regenerationem & gratiam, adeoque & corporis spiritualis quod per eandem in resurrectione consequemur; non quidem prioris abolitâ substantiâ, cùm nec prior substantia nobis pereat quando ex hominum animalium ordine in gradum spiritualium traducimur, sed ejus conditione & qualitate in melius immutatâ.

Spiritus autem substantia] Imò spiritus substantia specificè differt à corpore quocunque; cùm prima & immediata divisio substantiæ sit in spiritum & corpus; Unde est quod in Christo, imò & in nobis, specificè opponuntur caro & spiritus; Sed primò non eadem est oppositio spiritualis & animalis respectu ejusdem corporis, quæ est spiritus & corporis vel carnis ejusdem personæ: Nam eidem personæ Christi convenit & Spiritus per Divinitatem & caro atq; corpus per humanitatem: Imò eidem personæ humanæ convenit habere & corpus & spiritum sive animam: Sed eidem corpori nequit convenire ut sit simul animale & spirituale: cùm animalitas, ex usu Scripturæ, importet negationem spiritualitatis: licet idem corpus possit simul esse animatum & spirituale; non quod

omne corpus animatum spirituale sit, sed quod nullum sit corpus spirituale quod non sit animatum. Hoc enim elogium corporis spiritualis nequit convenire exanimi cadaveri, sed tantum corpori animato & vivo. Secundò, sicut quod de Adamo priori dicitur factum eum fuisse in animam viventem, non importat respectu illius negationem veri & sensibilis corporis, quamvis anima hæc vivens sit quoque *spiritus, substantiâ differens à corpore hoc crasso quod gerimus*, ita sanè quod de posteriori dicitur factum eum in Spiritum vivificantem, nihil deterit de existentia & veritate sui corporis. Siquidem, uti suprà monui, factus jam erat in Spiritum vivificantem, etiam cùm in carne infirma adhuc appareret: Quò maximè facit quod legitur Joh: VI, 51. *Ego sum panis vivificus qui è cœlo descendit; qui ederit ex hoc pane vivet in æternum; panis autem quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro vita mundi.* Debuit enim, etiam in illa carne infirma, jam factus fuisse in Spiritum vivificum, qui eam suam carnem erat daturus pro vita mundi & in illum panem vivificum ex quo qui comedit vivet in æternum.

Vivificantem autem spiritum] Sed primò, non dicitur Christum *evasisse* vivificantem Spiritum, quasi unquam fuerit merè animalis & Spiritu vivificante destitutus; cum è contrario dicatur *factus* in Spiritum vivificantem, sive id respiciat generationem æternam Filii, de qua Prov: VIII, 25. Joh: V, 21. 26. sive id respiciat ejus primam introductionem in hunc mundum & naturæ nostræ assumptionem, quâ Deus fuit manifestatus in carne I Tim: III, 16. & verbum caro factum est Joh: I, 14. Id enim vocabulum *Factus* primam ejus originem respicit, sive divinam sive humanam, ut antitheseôs ratio exigit; siquidem perinde ad primam Adami originem pertinet quod factus sit in animam viventem. Et quamvis non negem Christum per suam resurrectionem gloriosam corpus omninò spirituale fuisse consequutum, nec amplius obnoxium necessitatibus & infirmitatibus hujus vitæ, id tamen evenit virtute & efficaciâ suæ Divinitatis æternæ, cui caro hypostaticè & indivulsè conjuncta cùm esset, corruptionem sentire nequivit, vel detineri vinculis mortis Act: II, 25. 26. 27. Itaque pro eo quod ubi nihil est præter animam viventem ibi mera animalitas est concipienda, in Christo Servatore debet concipi præter animam viventem, quâ ejus caro vivificabatur & animabatur, Spiritus vivificus Divinitatis, cujus vi & efficaciâ factum ut nec caro ejus in ipsa morte senserit corruptionem, & debuerit per gloriosam resurrectionem absorbere omnes illas infirmitates & naturæ necessitudines, quibus seipsum ultrò fecerat obnoxium nostri causâ. Secundò, non dicitur factus in spiritum vivificantem solummodo sui respectu, & quod per suam æternam Divinitatem sibi *sufficientem vitæ causam, seu perennem quendam vitæ fontem in seipso contineat*; sed etiam ac potissimum respectu nostri, & quod ipsius Divina virtute vivificemur ad gloriam; ac quò constet nos ab ipso & per ipsum spirituale corpus in resurrectione consequuturos; Nam *spiritus est qui vivificat* Joh: VI, 63. Huc facit evidenter quod legitur Joh: V, 21. *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, ita Filius vivificat quos vult;* necnon istud I Cor: XV, 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.* Tertiò, non dicitur factus in Spiritum vivificantem solius corporis respectu; absurdè enim corpus præcisè & in suo formali πνεῦμα ζωοποιοῦν, idest *vivificum*, diceretur, quod passivè vivificetur ac in se habeat sufficientem causam & perennem fontem vitæ, *secus quam in corporibus animalibus accidit, quorum vita aliunde* (& ab extra) *magna ex parte pendet, & alimentis ita eget ut iis subtractis naturaliter extingui sit necesse*; Sed dicitur de Christo totius sui suppositi respectu, & quod

& quod ad ipsius personam pertineat Spiritus vivificus Divinitatis æternæ, cujus vi ut ipsius corpus sine alimentorum subsidio perenni ac fœlicissimâ vitâ gaudet, nostra similiter corpora post resurrectionem ita vivificabuntur ut in æternum sint duratura & victura, neque fami nec siti sint ulterius futura obnoxia; Nam dabitur illis *edere ex arbore illa vitæ quæ est in medio paradisi Dei* Apoc: II, 7. Quapropter *non esuriet amplius, neq; sitient amplius, nec in eos cadet sol, neque ullus æstus, quoniam agnus qui in medio throni est pascet eos, & ducet ipsos ad vivos fontes aquarum* Apoc: VII, 16. 17. Interea, dum ait Volkelius vitam animalem sic pendere ex alimentis, ut iis subtractis *naturaliter* eam extingui sit necesse, videtur tacitè agnoscere quod saltem *supernaturaliter* possit vita hæc perennare absque alimentorum subsidio, & cessantibus à suis functionibus illis organis & partibus corporis, quæ alimentis excipiendis & digerendis inserviunt. Quare ergo non vult concedere posse easdem partes remanere in corpore glorioso & viventе vitam merè spiritualem, etsi cessent ab illis suis functionibus, quibus ex ordine naturæ in vita animali destinantur? Quanto satius fuisset carnis resurrectionem ex fide Catholica admittere, nec dememinisse illius quod dixit Hieronymus, hunc ipsum Socinianorum errorem in Origenianis & Johanne Hierosolymitano confutans; *In symbolo fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis & unitatem Ecclesiæ omne Christiani dogmatis Sacramentum, carnis resurrectione includitur.*

Accedit huc differentia corporum istorum ratione materiæ, ex qua desumta sunt. Hæc enim nostra corpora ex terra sunt, adeoque terrestria: futura verò illa ex cœlo erunt, adeoque cœlestia. Id quod Apostolus his verbis exprimit: (*1 Cor:15. 47. 48.*) *Primus homo ex terra terrenus: secundus homo, Dominus, ex cœlo* (scil: est.) *qualis terrenus, tales etiam terreni: & qualis cœlestis, tales etiam cœlestes. & quemadmodum portavimus imaginem terreni, portabimus etiam imaginem cœlestis.* Et in secunda ad eosdem Corinthios Epistola in eandem sententiam ita scribit: (*2 Cor: 3.*) *Scimus, quòd cùm terrena nostra domus tabernaculi dissolvetur, ædificium ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam, in cœles. Etenim in hoc suspiramus, habitaculo nostro, quod ex cœlo, indui cupientes.* Quemadmodum enim in priori loco dicitur, secundum hominem, nempe Dominum Jesum Christum, ex cœlo esse, intellige ratione corporis sui gloriosi, cujus imaginem aliquando gesturi sumus: (opponitur enim illud *ex cœlo*, isti, quod de primo homine dictum fuerat, *ex terra*, & utrobique de materia corporis agitur:) ita in posteriori etiam loco de corpore nostro, quo aliquando induemur, dicitur, id ex cœlo esse seu fore, idque terrenæ domui, seu corpori huic nostro ex terra sumto, opponitur. Unde quivis cernere potest, substantiam 140.
corporum istorum longè fore diversam; cum tam diversa sit materia.

‡ *Accedit huc differentia*] Hæc differentia non constituitur à Paulo 1 Cor: xv, 47. 48. inter corpus quod nunc gestamus & illud quod obtinebimus in resurrectione, sed inter Adamum primum, à quo est corpus animale, & secundum, idest Christum, à quo est corpus spirituale. Et qui posset differentia constitui inter hæc

corpora *ratione materiæ*, cùm nulla differentia corporum à materia, quæ omnibus communis est, arcessatur? Quinimò vel pueri norunt, differentias rerum ex forma esse petendas, si essentiales fuerint, non verò ex materia, & genus materiæ ac differentiam formæ compositi in definitione respondere. Haud gravatè quidem largior hæc nostra corpora *terrestria* esse qualitate, & olim qualitate itidem futura *cœlestia*; Sed pernego hæc talia futura insuper origine & materiâ: Huic enim somnio vel sola vox resurrectionis repugnat: Resurgent enim corpora hæc in die judicij, imò ex terra in quam ceciderant resurgent & prodibunt ex suis monumentis Es:XXVI,19. Joh:V,28. 29. At novum illud corpus quod repente ex materia cœlesti fieret, nullo jure resurgere aut ex terra & sepulchro prodire censeretur. Tum si corpora præsentia & futura in aliquo, utique in materia ipsa debent convenire; qui ergo possunt totâ materia inter se differre? Imò hîc apertè se prodit impietas Volkeliana, ex qua sequitur non nos resurrecturos, aut reportaturos coronam justitiæ, sed alios aliquos loco nostro, qui nihil nostri planè habebunt; Non corpus: siquidem illud corpus totâ materiâ & essentiâ differet à nostro; Non animam: Nostra enim anima per mortem semel extincta, juxta Socinianorum placita, non magis eadem numero quam ipsum corpus potest reproduci. Quid autem mea refert aliquem novum hominem olim à Deo derepente creatum iri & donatum fœlicitate æternâ, si ipse interea ad eam fœlicitatem nunquam sim perventurus, vel quoad animam, quæ me moriente extincta fuerit, nec poterit eadem numero reproduci; vel quoad corpus, cui postquam in terra computruerit, aliud planè & materiâ & formâ, veniet substituendum?

Et in secunda ad eosdem] Multo minus favet Volkelio hic alter locus 2 Cor:V,1. 2. Nam *terrena domus tabernaculi*, ἡ ἐπίγειος οἰκία τοῦ σκήνους, hoc corpus denotat, ut liquet etiam ex 2 Pet: I,14. quod per mortem deponentes, consequemur ædificium cœleste in quod animę nostrę illicò recipientur, quemadmodum constat ex Luc:XVI,9. ubi dicimur recipi *in tabernacula æterna* quùm deficimus: Ideo Paulus qui hoc non nesciebat, cupiebat ἀναλῦσαι, idest in suam *domum remigrare*, ut etiam loquitur Cicero *Tuscul.* I. & esse cum Christo; ac 2 Cor:V,6.8. dicebat pios, qui ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι, peregrinantur à Domino, malle *migrare* ex corpore, ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον, *& ire habitatum apud Dominum.* Igitur loco quem citat Volkelius οἰκοδομὴν ἐκ θεοῦ, & οἰκία ἀχειροποίητος, & οἰκητήριον τὸ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, quo indui cupimus, significat gloriã cœlestem, non verò corpus gloriosum huic mortali substantivè subrogandum; siquidem etiam cùm peregrinamur à corpore, adeoque solius animæ separatæ respectu, illo cœlesti ęternoq; tabernaculo fœlicitatis supremæ quod Deus fixit & non homo, statim ubi defecerimus, venimus induendi apud Dominum. Confer Heb: XI, 14.16. ubi etiam cœlum potior patria piis à Deo parata appellatur.

Quemadmodum enim] Secundus homo nempe Christus dicitur ex cœlo esse, non *ratione corporis sui*, nedum *corporis sui gloriosi*, (nam corpus suum gloriosum ex sepulchro suscitatum intulit in cælum per suam ascensionem gloriosam, non demum in cœlo est consequutus) sed ratione suæ personæ, quo sensu non semel dicitur cœlestis, oppositè etiam ad terrenum, & ex cœlo descendisse Joh:III,13.31.VI, 32,33. etiam dum in terris vestitus suo corpore mortali versabatur. Nec obstat quod etiam corporis Christi gloriosi *imaginem aliquando gesturi sumus*; Id enim sic requirit nostra cum Christo Domino è cœlo conformatio, juxta Pauli dictum Phil: III,23. ut tamen non sit ipse censendus

sendus *ex cœlo*, ratione sui corporis, ac si origine & materiâ cœleste foret; utut nunc sit cœleste habitatione & gloriâ. *Opponitur* quidem illud *ex cœlo* isti *ex terra* quod de primo homine dictum fuerat; sed oppositio est personarum non corporum, idque per Synecdochen utrobique partis pro toto. Nam primus Adam dicitur *terrenus*, quod corpus ex terra habuerit, licet ei Deus inspiraverit animam rationalem, conditionis & originis cœlestis: quam tamen aggravavit corpus quod corrumpitur; Secundus verò dicitur *cœlestis*, quod licet carnem in terra assumpserit, cùm descendit in infimas partes terræ Eph: IV, 9. attamen Divinitatis suæ respectu ex cœlo est, ac illius virtute carnem in terra assumptam, suscitavit ex sepulchro, & gloriâ ac fœlicitate summâ donavit in cœlo. Quare falsum est & Marcioniticum ac Manichæum quod asserit Volkelius, agi *utrobique de materia corporis*; eò quod non comparet Apostolus corpora Adami & Christi secundum materiam, sed eorum personas quoad originem.

Ita in posteriori] Id falsum esse modò demonstravi: Nec enim ex cœlo erit materiâ vel origine corpus quod consequemur in resurrectione, sed prodibit ac resurget ex sepulchro; nec *terrenæ domui seu corpori huic nostro ex terra sumpto* opponitur isthîc *corpus quo aliquando induemur*, sed tabernaculum cœleste, quod aliàs paradisus appellatur Luc: XXIII, 43. quo recipimur & superinduimur animæ respectu statim ac deficimus, si modò deprehendamur induit veste nuptiali & Christi merito ac justitiâ Gal: III, 27.

Unde quivis cernere] Imò cum hoc corruptibile debeat incorruptibilitatem induere, eadem materia omninò remanere debet, quæ sola tantæ mutationis subjectum esse potest.

Denique id totum, quod hucusque docuimus, clarissimè Apostolus in priori illo loco comprobat, cùm ita hanc de corporibus nostris, quæ aliquando habituri simus, tractationem concludit: (1 Cor: 15. 50.) *Hoc autem dico, fratres, quia* (vel *quòd*) *caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt; neque corruptio incorruptibilitatem hæreditat.* Si caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt, quomodo corpora hæc nostra, quorum substantia carne & sanguine constat, eadem erunt ratione substantiæ cum illis, in quibus regni illius hæreditatem sumus adituri? Quòd verò nonnulli per *carnem & sanguinem* homines carni deditos ac cupiditatibus corporis mancipatos intelligi hoc loco putant, in eo mirum quantopere fallantur. cùm hoc loco Paulo nequaquam propositum sit explicare, quibus moribus eos esse præditos oporteat, qui regni divini hæreditatem sint adituri; sed quibus corporibus eos cingi oporteat, ut ipsa Apostoli verba cum superioribus, quibus ea annectit, collata apertissimè docent. Docent idem ea ipsa verba, quæ præcedentium explicandorum, & aliqua ratione confirmandorum gratiâ adjecit: *neque corruptio incorruptibilitatem hæreditat*: q. d. ideo affirmavi, carnem & sanguinem non posse hæreditare regnum Dei, quia suâ naturâ corruptibilia sunt: (*corruptio* enim pro re corruptibili ponitur, abstractum nempe pro concreto, ut alibi sæpissimè accidit) at regnum Dei in incorruptibilitate consistit, seu mavis, eam in se complectitur. Quare caro & sanguis regnum illud hæreditare ne-

quaquam possunt. Carnem autem & sanguinem, totumque adeò corpus nostrum naturâ corruptibile esse, quamquam per se cernere quivis potest, docuimus tamen suprà, (*sup.cap.11.*) cum de primi hominis statu ante lapsum disseruimus; ex quo ipso etiam patere potest, materiam substantiamque corporis nostri, si incorruptibile fieri debeat, mutandam esse.

‡ *Denique id totum*] Quamvis isto Pauli testimonio ex 1 Cor:xv,50. abutantur Sociniani ad negandam Resurrectionem carnis, ad instar veterum Hæreticorum quorum insistunt vestigiis, nihil tamen præsidij in eo possunt reperire: Nam *caro & sanguis* hîc loci non debent sumi substantivè, sed qualitativè, de humana natura per peccatum vitiata & corruptioni mancipata; quo sensu Paulus profitetur Gal:1,16. se non contulisse consilia sua *cum carne & sanguine*, & Christus Matt:xvi,17. dicebat Petro *Caro & sanguis hæc tibi non retexit, sed Pater meus qui est in cœlis.* Sæpè etiam vel solo carnis nomine in Scripturis intelligitur natura humana vitiosa, infirma & corruptioni obnoxia; Loca sunt obvia Es:xl,6. Joh:iii, 6. & alibi sæpiùs. Non intelligi à Paulo ipsam carnis & sanguinis substantiam, vel inde patet, quod juxta eum hoc corruptibile debeat induere incorruptibilitatem; quod quisque in suo corpore debeat referre eorum quæ fecerit pœnam vel præmium; quod omnis caro sit visura Dei salutare; quod pii & sancti in sua carne Deum sint visuri Job:xix,25. quod Christus ex sepulchro suscitatus ad gloriam, retinuerit tamen carnem & sanguinem; quod hujus carnis resurrectionem, juxta Symbolum fidei Christianæ, præstolemur: Nec dubium quin Paulo idem sit caro & sanguis quod corpus animale: illud verò spirituale evasurum non substantiâ sed qualitate suprà visum est. Quid quod ipsemet Apostolus sufficienter se explicat? Nam postquam dixit, *Caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt*, statim subdit, *Neque corruptio incorruptibilitatem hæreditare.* Ex quo additamento liquet Paulo synonyma esse *carnem & sanguinem* ac *corruptionem*: Cùm autem corruptio sit qualitas & accidens hominis sub peccato, facilè inde percipitur, carnem & sanguinem non hic sumi absolutè pro ipsamet substantia, sed tantum secundum quid & prout naturam notant corruptioni adhuc obnoxiam, à qua corruptione liberabitur per resurrectionem gloriosam. Igitur caro & sanguis, ut sunt hac qualitate corruptionis vestita, non hæreditabunt regnum Dei; sed ab illa repurgabuntur gloriosâ resurrectione, ut substantivè illud adeant.

Quod vero nonnulli] Agnosco non hîc intelligi carnem & sanguinem in sua qualitate morali, ut sonat *homines carni deditos ac cupiditatibus corporis mancipatos*, nec Paulum hîc agere de *moribus* hominum, sed de conditione *corporum* quibus cingi debemus in regno cœlorum; sed satis est mihi hæc intelligi in sua qualitate physica, eaque corruptibilitate quam invexit peccatum, & à qua debent caro & sanguis repurgari, incorruptibilitate in illius locum succedente, manente eadem substantiâ eodemque subjecto, ut regnum Dei possidere possint: Atque, ut benè monuit Tertullianus *de Resurr. cap.51. ut dictum de carne* (quoad illius substantiam) *intelligas, dicit istud corruptivum, & istud mortale, cutem ipsam tenens.* Et Hieronymus; *Tamdiu regnum Dei non possidebunt, quamdiu caro tantum sanguisque permanserint; Cùm autem corruptum induerit incorruptionem, & mortale induerit immortalitatem, & lutum carnis in testam fuerit excoctum, is qui prius gravi pondere premebatur in terram, acceptis Spiritus pennis & immutationis non aboli-*

tionis

tionis novâ gloriâ, volabit ad cœlum, & tunc implebitur illud quod scriptum est, Ubi est mors contentio tua? Ubi est mors aculeus tuus?

Docent idem ea ipsa] Agnosco hæc verba docere carnem & sanguinem hîc sumi respectu suæ qualitatis, non moralis sed physicæ, ac prout sunt obnoxia corruptioni. Sed cum grano salis debet sumi quod Volkelius ea facit *suâ naturâ corruptibilia*: Id enim est verum de natura qualis nunc evasit sub peccato, sed non talia fuissent si homo non peccasset; & suprà *ad cap.* II. quò provocat Adversarius, ostensum fuit à nobis hominem nec moriturum nec corruptionem sensurum fuisse, si permansisset in officio.

Ex quo ipso etiam patere] Hoc nullo modo sequitur: Nam materia substantiaque corporis nostri, ceu subjectum capax contrariorum successivè & per vices, depositâ corruptibilitate, incorruptibilitatem induet. Non ergo debet mutari materia corporis, *si incorruptibile fieri debeat*, sed debent in eadem substantia & materia aliæ qualitates succedere, per quas formaliter ex corruptibili incorruptibile fiat. Ut aqua ex frigida evadat calida, non debet priorem suam materiam & substantiam deponere, sed tantum deposito frigore, ignis beneficio, calorem in eadem materia & substantia assumere. Mutatio corporum nostrorum erit accidentalis, non substantialis: Imò etsi substantialis foret, non fieret respectu materiæ, sed formæ.

Hinc porrò illud cernere licet, quantopere fallantur illi, qui Dominum Jesum in ipsa resurrectione glorioso corpore circumdatum fuisse asserunt. Nam si per omnes illas differentias ire placeat, quas Apostolus inter hæc nostra, & gloriosa illa corpora constituit; omnium istorum, quæ gloriosis corporibus tribuuntur, contraria, in illo Christi corpore, in quo resurrexit, reperies. Nam, ut ab ultimo incipiamus, corpus illud Christi carne & sanguine, quæ regnum Dei hæreditare non posse dicit Apostolus, constitit. Idem etiam terrenum fuit, seu ex terrea materia concretum, non ex cœlo, neque adeò cœleste. Idem animale fuit, non spirituale: unde ipse Christus, se spiritum esse negavit; quia Spiritus carnem & ossa non habeat, ut ipse habebat; (*Luc:24. 39.*) nec minùs Christus tum temporis anima vivens, seu animal vivum fuit, quàm vel ipse fuerat antea, vel Adamus ab initio. Infirmitatis autem illius, quam Apostolus corporibus his nostris tribuit, itemque indecori, & corruptibilitatis naturalis indicia præbent, tum ea ipsa, quæ hactenus de corpore illo diximus, tum escæ, quibus tunc usus est, tum vulnera, (*Luc: 24. 40, 41. & d. Ioh: 20. 20.27. Act: 10. 41.*) tum denique illa, quæ τὰ ἀτιμότερα & ἀσχήμονα seu indecora corporis vocat Apostolus (*1 Cor:12.23.*) quibus plus honoris decorisvè circumponi ait. 141.

‡ *Hinc porrò illud*] Imò hîc se summopere prodit impudentia Sociniana, ad quam nulli veteres hæretici ausi sunt assurgere; Negare enim *Dominum Iesum in ipsa resurrectione glorioso corpore circundatum fuisse*, est negare ipsum resurrexisse ad gloriam, & ipsius resurrectionem collocare infra nostram, in qua gloriosa corpora consequemur; cùm tamen passim doceat Scriptura nostram resurrectionem eodem modo & ordine processuram cum resurrectione ipsius & vi illius esse peragen-

gendam Rom: VIII, 11. Philipp: III, 21. 1 Thess: IV, 14. Quin Christus resurgendo, ideo reliquit τὰ ὀθόνια quibus pollinctus fuerat in sepulchro Joh: XX, 6. 7. quo significaret se deposuisse resurrectione suâ infirmitates illas quibus circundatus fuerat in hac vita; ut pote qui resurgeret, non ut Lazarus ad vitam animalem, sed ad gloriam & fœlicitatem æternam; Quare mori amplius non potuit, nec mors ultrà in eum dominari Rom: VI, 9. 10.

† *Nam si per omnes*] Id posset concedi de differentiis quas Sociniani somniant more Sabinorum concipiendas *inter hæc nostra & gloriosa illa corpora*; neutiquam de iis quas ipse *Apostolus* inter illa *constituit*.

Nam ut ab ultimo] Constitit *carne & sanguine* sic dictis substantivè, prout & nostra illis non carebunt, non verò constitit carne & sanguine qualitativè, cùm vestitum esset incorruptibilitate & gloriâ, nec possibile fuerit illud sentire corruptionem Act: II, 26. 27. Psal. XVI, 10. Imò ex eo quod Christi corpus postquam prodiit ex sepulchro, carnis & sanguinis substantiam retinuit, meritò colligimus etiam nostra corpora carne & sanguine quoad substantiam prædita fore cùm resurgent ex sepulchris; siquidem Scriptura passim à Christi resurrectione ad nostram argumentatur; nominatim 1 Cor: XV, 20. 22. Sanè non foret Christus *primitiæ eorum qui obdormierunt*, ut loquitur Apostolus, si nostra resurrectio alterius foret ordinis & naturæ quam sua.

Idem etiam terrenum] Ita terrenum fuit materiâ, ut vestitum fuerit cœlesti gloriâ & splendore, cujus specimen exhibuit Dominus in sua transfiguratione Matt: XVII, 2. Neque etiam erunt nostra corpora in resurrectione *ex cœlo* origine, aut *cœlestia* quoad suam substantiam, sed tantum qualitate & gloriâ: siquidem non descendent è cœlo, sed prodibunt ex suis monumentis, atque resurgent ex ipso puluere terræ in quo dormiebant.

Idem animale fuit] Hoc est falsissimum, cùm Christus post resurrectionem suam non amplius fuerit obnoxius necessitatibus hujus vitæ animalis, quoad cibum, potum, somnum & similia.

Unde ipse Christus] Atqui nec corpus spirituale, Spiritus dici debet, cum corpus & spiritus immediatè opponantur. Quod si corpus spirituale Spiritus est, homo post resurrectionem duplici Spiritu constabit, eo scilicet qui erit loco corporis, & animâ suâ rationali, quo absurdo nihil absurdius cogitari potest. Itaque hîc schema invertatur, & ex eo quod Christus post resurrectionem suam corpus spirituale consequutus, nihilominus *se Spiritum esse negavit, quia Spiritus carnem & ossa non habeat, ut ipse habebat* Luc: XXIV, 39. colligamus corpora nostra similiter post resurrectionem spiritualia futura qualitate tantum non substantiâ, adeoque carnem & ossa instar Christi nihilominus habitura.

Nec minus Christus] Sed neque nos non erimus animalia viventia post resurrectionem, cùm homines debeamus adhuc esse animâ & corpore præditi, qualecunque illud corpus sib imaginentur Sociniani; Neque ideo quod resurrexit Christus *animal vivum*, debuit censeri vel animalitatem eam habere respectu sui corporis, quam habebat antea; siquidem desiit post resurrectionem suam obnoxius esse necessitatibus & operationibus importunis vitæ hujusce animalis, ut ante dictum; vel talis demum fuisse qualis *Adamus ab initio*; cùm in Adamo nihil fuerit præter animam viventem quâ regeretur & ex qua operaretur, unde ab illo solam vitam animalem trahimus; sed Christus factus fuit ab initio in Spiritum vivificantem, cujus vi & seipsum suscitavit ex mortuis, & suos omnes vivificaturus est ad gloriam suo tempore.

Infirmitatis autem illius] Horum nulla vestigia vel *indicia* reperiet unquam Adversarius

versarius in corpore Christi post resurrectionem: cùm è contrario non potuerit detineri vinculis mortis, & ita suscitatus fuerit ut mors ulteriùs illi nequiverit dominari: Planè enim aliter resurrexit quam Lazarus, qui resurrexit ad hanc vitam mortalem, ac iterum moriturus. *Quæ hactenus de corpore* Christi dixit Volkelius, vel falsa sunt, vel infirmitatis & corruptibilitatis nihil involuunt. Escis post resurrectionem usus est Luc: XXIV, 40. & seqq. Act: x, 41. non ex necessitate, sed ex sapienti ac liberrima dispensatione, ut suæ resurrectionis veritatem & certitudinem magis adstrueret. nec putarent discipuli phantasma aliquod in Domini apparitionibus sibi illudere, quod tamen Seidelius, intimus Socini, ausus est proponere. Cicatrices vulnerum Joh: XX, 20. 27. eundem in finem retinuit post resurrectionem & ostendit suis discipulis, quo eum ipsum qui crucifixus fuerat resurrexisse indubitantiùs nossent. Et de hoc utroque jam suo loco fusiùs diximus suprà *pag.* 237. & 238. Quod vero spectat τὰ ἀτιμότερα καὶ ἀσχήμονα corporis quorum fit mentio 1 Cor: XII, 23. illa talia non sunt nisi inter homines peccatores, ex peccato & consequenter ad illud; unde primi parentes in statu Innocentiæ erant ambo nudi nec erubescebant Gen: II, 25. & pudibunda nuditas cessabit post resurrectionem, cùm lux & gloria cœlestis nobis erit pro veste honoratiori quam Adamo & Evæ justitia originalis.

Itaque errorem errore cumulant, dum ex eo, quòd Christus glorioso circumdatus corpore resurrexerit, & nihilominus tamen corpore illo carneo fuerit præditus, concludunt, nostra quoque corpora gloriosa fore carnea. Contrà enim fieri debebat, & ex eo, quòd gloriosa illa corpora, in quibus regnum Dei hæreditabimus, carne & sanguine constare nequeant, corpus autem illud Christi, in quo resurrexit, carne & sanguine constiterit, concludendum erat, illud corpus gloriosum non fuisse. Nam corpus istud Christi fuisse gloriosum nusquam dicunt sacræ literæ: at id, unde contrarium nos colligimus, aperte scribitur. Itaque hoc potiùs pro fundamento disputationis hujus collocandum est, non illud: & non ex illo de hoc judicandum, sed ex hoc de illo.

‡ *Itaque errorem errore*] Hanc conclusionem optimè procedere jam suprà ostensum fuit. Debet enim nostra resurrectio ejusdem esse conditionis cum resurrectione Domini, qui primitiæ ideo dormientium appellatur ab Apostolo

Contrà enim fieri debebat] Eadem chordâ oberrat Volkelius, & nititur falsâ hac hypothesi, *quod gloriosa illa corpora in quibus regnum Dei hæreditabimus carne & sanguine*, substantivè loquendo, *constare nequeant*: cùm nihil minus sensu Sociniano dixerit Apostolus, imò eum non esse sensum Apostoli quem volunt Adversarii constat ex corpore Christi *in quo resurrexit*, cujusmodi oportet ea esse in quibus resurgemus.

Nam corpus istud] Argumentum est negativum, quod hîc procedere non debet; cùm nec etiam usquam dicant Sacræ Literæ corpus illud Christi animale fuisse. Et cùm resurrexerit ad gloriam, ita ut mors illi amplius dominari non posset, debuit per suam resurrectionem æquè corpus gloriosum recipere, ac pii tale per illum recipient in die judicii. Nec potuit ascendere in cœlum nisi in corpore glorioso; ascendit autem in cœlum in

illo ipso corpore in quo resurrexerat à mortuis, & post suam resurrectionem suis sæpiùs discipulis apparuerat; quod patet maximè ex Act. 1, 9. 10. 11. Adeoque nec Sacræ Literæ quicquam dicunt quod adstipuletur menti Adversariorum, & *id unde contrarium nos colligimus*, videlicet corpus Christi in quo resurrexit gloriosum fuisse, *apertè scribitur.* Dum ergo Sociniani ad evertendam resurrectionem carnis nostræ, pertendunt de resurrectione nostra ex Christi resurrectione judicandum non esse, & supponunt, ut serviant suæ hypothesi, Christum in corpore glorioso non resurrexisse, Scripturæ evidenter contradicunt & subruunt omne firmamentum resurrectionis nostræ.

Sed instant illi, resurrectionem Christi typum quendam atque exemplar fuisse resurrectionis nostræ. Quare quemadmodum Christus in corpore carneo resurrexit, ita & nos in carneis his corporibus resurrecturos. Verùm animadvertere debebant, resurrectionem quidem Christi esse typum & exemplar nostræ; sed non ratione omnium circumstantiarum, quæ in ea reperiuntur. Exemplar est eatenus, quatenus, ut Christus resurrexit, ita etiam nos resurgemus: &, quemadmodum ille resurrexit non ampliùs moriturus, ita & nos: imò etiam, quemadmodum ille per resurrectionem, seu resurrectione interveniente, incorruptibile corpus est adeptus, ita & nos: sed ratione temporis, quo vel resurrexit, vel immortalis evasit, non exigua est inter nos & illum differentia: quemadmodum & in eo, quòd ipsius corpus tunc adhuc extitit incorruptum; nostra verò corpora, generatim loquendo, non ampliùs extabunt, sed in mille formas interea mutabuntur, poteritque nonnullorum materia, vel ex parte, vel tota, transire in alia vel animantium cæterarum, vel hominum corpora.

‡ *Sed instant illi,*] Quam solida est hæc instantia, tam futilis est responsio Volkelii. Nec enim conformitas resurrectionis nostræ cum resurrectione Christi collocatur juxta Scripturas in *circumstantiis* externis loci vel temporis; sed in ipsa rei essentia & intima natura: Quare ut ad nostræ finalis resurrectionis essentiam & naturam, non meras circumstantias externas pertinet, quod in illa recipiemus corpora gloriosa, ita etiam debuit Christus recepisse corpus gloriosum in sua illa resurrectione quæ est nostræ exemplar & fundamentum. Aliàs non minus foret *exemplar* resurrectionis nostræ resurrectio Lazari per quam corpus animale recepit, quam resurrectio Christi; quod nemo pius dixerit. Quin eo ipso quod Christus *resurrexit non amplius moriturus*, debuit fuisse consequutus corpus immortale, in quod nihil posset vel mors vel corruptio. Imò non potuit Christus *per resurrectionem, seu resurrectione interveniente, incorruptibile corpus* adipisci, ut videtur largiri Volkelius, quin ipsa resurrectio ei hoc corpus incorruptibile contulerit. Suprà *cap.* 19. *pag. nobis* 236. volebat iste homo resurrectionem Christi, generationem appellari; quo jure, non dico; interea tamen si resurrectio Christi altera generatio dici debet, non minus illa secunda generatio terminari debuit immediatè ad corpus spirituale & gloriosum, quam prior terminabatur ad corpus infirmum & animale: quæ observatio sufficit evertendæ illi *differentiæ* inter Christum & nos, quam hîc somniat hæreticus. Si enim Christus non statim obtinuit corpus gloriosum

gloriosum in sua resurrectione, debuerit idem *nudum granum* resurrexisse quod ceciderat, contra quam fiet in resurrectione nostra, teste Paulo 1 Cor: xv, 36. 37. 38. Imò nec poterit dici adeptus corpus gloriosum *per suam resurrectionem*, si animale duntaxat corpus non spirituale in illa obtinuit. Et si ideo possit dici adeptus corpus gloriosum per resurrectionem, quia interveniente suâ resurrectione, quadragesimo post illam die corpus animale quod in ea receperat cum spirituali permutarit, & illa ejus resurrectio suæ ascensioni in cœlum præluserit, pari ratione dici posset adeptus corpus gloriosum per suam nativitatem & mortem, cùm etiam interveniente nativitate & morte ac passione debuerit in gloriam ingredi, Luc: xxiv, 26. 1 Pet: 1, 11. Adhæc debuisset hæreticus pressiùs exponere illam quam somniat differentiam inter Christum & nos *ratione temporis quo vel resurrexit vel immortalis evasit*. Nam primò supponit quod est falsissimum, videlicet aliquid temporis intercessisse inter resurrectionem Christi & immortalitatem illius, cum vi suæ resurrectionis & per illam formaliter, adeoque immediatè, immortalitatem induerit. Deinde ratio *temporis* quod excurrerit à morte ad resurrectionem, nihil omninò facit ad differentiam aliquam in ipsa resurrectione constituendam; Fuit eadem omninò resurrectio, & filiæ Jairi, adhuc ferè calentis post obitũ in suo lectulo, & filii viduæ Nain qui efferebatur in feretro, & Lazari quatriduani, qui jam fœtebat in sepulchro: Idem enim fuit & terminus à quo, nempe mors, cum æquè mortuus sit qui hac horâ exspiravit, ac ille qui nudiustertiùs, & terminus ad quem, nempe revocatio ad vitam animalem. Erit itidem eadem resurrectio Adami & Petri in die judicij, licet ille sub morte fere 4000. annos amplius quam hic detentus fuerit. Quare igitur non erit eadem resurrectio, quoad rem ipsam, Christi & nostri, etsi ille triduo post suum obitum resurrexerit, nos verò nonnisi forte post aliquot sæcula ab ipsa morte, sumus resurrecturi; cùm interea utrobique idem sit terminus à quo, nempe mors, & terminus ad quem, nempe corpus ex animali spirituale, ex inglorio gloriosum.

Quemadmodum & in eo] Neque hoc quicquam adfert differentiæ: Nam primò corpus Christi adhuc quidem *extitit incorruptum* cùm resurrexit, quoad corruptionem incinerationis per ultimam resolutionem, quam nec sensit nec sentire potuit, quia triduo post suam mortem debuit resurgere Psal: xvi, 10. sed tamen incorruptum non erat quoad corruptionem destructionis: Nam erat revera *cadaver* pollinctum & conditum in sepulchro; suntque hîc synonyma *Mors* & *Corruptio*, prout *mortale* & *corruptibile* συνωνυμῶς usurpantur 1 Cor: xv, 53. 54. Deinde potest fieri, ac fiet proculdubio, ut multi in die judicij resurgant ad gloriam & immortalitatem adhuc citiùs quam Christus, & quorum corpora extent per consequens æquè incorrupta: Nam Christus non resurrexit ante diem tertium; at resurgent etiam pii qui pridie quam Christus appareat ad judicium, diem suum obierint. Nihil etiam erit differentiæ inter resurrectionem eorum qui mortui fuerint biduo aut triduo ante diem judicij, & eos qui obierint multis ante sæculis. Et quod dicit Volkelius, *nostra corpora generatim loquendo non amplius extitura* tempore resurrectionis, generatim loquendo falsum est; cùm multorum cadavera sint adhuc æquè extitura integra & æquè recentia futura cùm Christus apparebit ad judicium, ac erat corpus ipsiusmet Christi cùm resurrexit; ut nihil dicam de corporibus quæ aromatis Ægyptiorum condita per multa sæcula fuerint ab omni putredine præservata. Tertiò nihil facit contra illud Gentilium & Atheorum oppositum resurrectioni protritum argumentum, quod hîc utrisque pejores

recoquunt

recoquunt Sociniani. Nam præterea quod non debet negari absolutè ea corpora extitura amplius quorum materia semper remanebit, non difficilius erit Deo cineres nostros recolligere, & quod ex nostra materia abierit *in alia vel animantium cœterarum vel hominum corpora*, nobis quantum opus erit denuo vindicare, quam vel arentia ossa nervis, carne, & pelle vestire ac vitâ donare apud Ezechielem xxxvII,4.5.6 vel corpus Christi triduanum suscitare ad gloriam. Annon quod ex nostro abierit in materiam cæterarum animantium, posset nobis ille restituere, qui reddet cuique quod suum est, & coget mare & elementa reddere suos mortuos, & repetet sanguinem nostrum etiam de manu omnium bestiarum à quibus effusus vel haustus fuerit Gen:Ix,5. Nonne posset ille nostra corpora ex pulvere in quem abierint suo jussu nobis restituere, qui illa primùm ex pulvere terræ fabricatus fuerat? Et cum possint aurifices in ære Corinthiaco pretiosum à vili separare, nonne Deus posset quod fuerit carnis humanæ separare à carne cæterarum animantium, quæ resurrecturæ non sunt? Quin etiamsi *tota* materia alicujus hominis in materiam aliorum hominum abiisse videretur, (cui tamen præveniendo Providentia Dei, per quam ne pilus quidem capitis nostri peribit, satis invigilare poterit,) cùm necesse non sit id omne nobis restitui in resurrectione quod aliquando de materia nostra fuerit, sed duntaxat tantum ex illo quantum ad nostri integram ac fixam constitutionem requiretur (si enim alias aliquis reciperet aliquando, quicquid de sua materia fuerit, cum illa sit in fluxu continuo, fieret plane giganteæ & prodigiosæ molis) poterit quilibet mortuorum satis ex sua materia consequi, ut corpus suum quale gestavit recipiat, vel ad præmium, vel ad pœnam. Denique licet materia nostrorum corporum, *abierit in mille formas* per jugem illum circulum generationis & corruptionis quo res hæ inferiores versantur, an difficile esset Deo potenti suo jussu eam momento ad illam revocare formam sub qua nostra corpora olim constituebat? Quamvis tamen non possemus plenè nos expedire ex istis tricis quas homines ingeniosi in suam perniciem sibi ipsis injiciunt, sufficeret ad Dei Veritatem & Potentiam confugere: quod enim juxta illam prædixit futurum, per hanc proculdubio, supra omne id quod cogitare aut dicere possumus, suo tempore commodissimè exequetur.

142. Diversitatis autem illius hæc est ratio: quia Christus non statim post resurrectionem in cœlum, in quo nemo nisi incorruptibilis habitare potest, ascendit, sed per quadraginta dies in terris commoratus est; (*Act:1.3.*) ideoque nil fuit necesse, ut incorruptibili corpore statim indueretur, & caro ac sanguis esse desineret; imò necesse erat id non fieri, ut à discipulis suis, qui resurrectionis ipsius testes fieri debebant, agnosci certò posset, quemadmodum suprà (*cap. 19.*) de resurectione ipsius disserentes ostendimus. At nos post resurrectionem ad Dominum atque in cœleste illud domicilium statim migrabimus; (*1 Thess: 4. 17.*) nec quicquam erit opus, ut à quopiam interea cognoscatur, nos illos ipsos esse nominatim, qui fuimus antea. Ideoque in ipsa statim resurrectione incorruptibiles evademus. (*1 Cor:15.42 & de & v. 51. 52.*)

‡ *Diversitatis autem illius*] Ubi nulla est diversitas, ibi rationes *diversitatis* non sunt excogitandæ. Interea hîc author primò deserit sua principia: Volunt enim Sociniani Christum vel paullò ante vel illicò post suum Baptismum raptum fuisse in cœlum

cœlum etiam in corpore, ut specialiùs edoceretur de Mysteriis Euangelii, atque eo respectu sæpiùs describi ceu illum qui descenderat è cœlo: At quî potuit eò rapi in anima & corpore adhuc terreno & secundum quid animali, si in cœlo *nemo nisi incorruptibilis habitare* vel commorari potest? Nec poterit se excusare Volkelius in vocula habitandi: Nam si quis adhuc corruptibilis illhîc po[...]t versari per aliquot dies, cur non poterit per aliquot menses ibidem commorari, & si commorari ad aliquot menses, cur non absolutè habitare? Preterea hoc dato, neminem nisi incorruptibilem in cœlo posse habitare, an inde colligetur neminem incorruptibilem in terris ad paucos dies ex speciali dispensatione Divina versari & commorari posse? Annon in Christi transfiguratione Matt: XVII, 2. 3. Moses & Elias, utique in corporibus gloriosis, conspecti sunt realiter cum Christo colloquentes in monte Tabor? Annon Angeli, quos incorruptibiles esse nemo negabit, quotidie commeant in hunc mundum ut ministerio sibi commisso defungantur? Annon sancti illi qui in Christi resurrectione unà surrexerunt, quorũ nempe fit mentio Matt: XXVII, 52. 53. corpora habebant spiritualia non animalia, cùm suscitati fuerint non ad hanc vitam sed ad futuram, futuri quadantenus cum Christo primitiæ dormientium? Et tamen illa eorum corpora & visibilia erant, (siquidem ipsi egressi è suis monumentis, post resurrectionem Christi ingressi sunt sanctam urbem & apparuerunt multis,) & utut spiritualia & gloriosa tamdiu debuerunt *in terris* commorari ac ipse Christus: Hos enim sanctos qui unà cum Christo resurrexerunt, ante illum in cœlos ascendisse nemo sanus dixerit. Nec fingat Socinianus illos tamdiu corruptibilia retinuisse corpora, quamdiu debuerunt versari in terra & videri pluribus in sancta Civitate in testimonium Christi ipsius è mortuis suscitati: Nam præterea quod hoc gratis fingeretur, illi obstat figmento hypothesis Sociniana quod corpus jam in cineres resolutum, & per putrefactionem in mille formas successivè mutatum, carne & sanguine præditum substantivè nequeat resurgere. Tertiò, supponitur à Volkelio τὸ κρινόμενον & quod nunquam probabitur, videlicet eum desinere esse carnem & sanguinem quoad substantiam, qui *incorruptibili corpore* induitur. Nam hæc non debent opponi ceu ἀσύστατα quæ peramicè conspirant inter se. Quartò, tam *fuit necesse* ut Christus *incorruptibili corpore statim* in sua resurrectione *indueretur*, quam necesse erat ipsum resurgere ad immortalitatem & gloriam. Dum verò pertendit Volkelius fuisse *necesse id non fieri, ut à discipulis suis agnosci posset*, iterum supponit quod est falsum, videlicet non potuisse ab illis agnosci Christum nisi indutum corpore corruptibili: cùm Mosem & Eliam agnoverint in monte Tabor, licet non ampliùs circundatos corruptibili corpore, & incorruptibili jam essent vestiti corpore illi sancti qui egressi è suis monumentis post illius resurrectionem ingressi sunt Hierosolymas & apparuerunt multis.

At nos post resurrectionem] Verumenimverò sancti illi de quibus modò dixi, licet non statim post resurrectionem suam in cœlum migrarint, receperunt tamẽ corpora gloriosa ex pulvere reformata: Quare quod statim post suam resurrectionem Christus non ascendit in cœlum, non efficiet ipsum non resurrexisse in corpore glorioso: siquidem resurrexerat ascensurus visibiliter in cœlum, atque in eo ipso corpore quod retulerat ex sepulchro. Nam quicunque resurgit ad gloriam & migraturus in cœlum, ille in sua resurrectione debet adipisci corpus quod illi conditioni conveniat. Et quamvis non foret *opus ut à quopiam interea cognoscatur, nos illos ipsos esse nominatim, qui fuimus antea*, tamen necesse est & nos illos ipsos nominatim qui ante fuimus resurgere, adeo-

que præditos eodem corpore, & ad id tales resurgere, ut tùm nobismet ipsis, tùm cœteris hominibus ad Judicium comparituris, quà bonis & ovibus, quà malis & hœdis, certò innotescat *nos illos ipsos esse nominatim qui fuimus antea*; cui rei non oberit ipsa corporum nostrorũ post resurrectionem incorruptibilitas, prout illa non impedivit quo minus agnoverint Apostoli Mosem & Eliam cum Christo loquentes in ipsius transfiguratione. Hos enim apparuisse in corporibus corruptibilibus, ut nec illos sanctos quorum corpora resurrexerunt in Christi resurrectione, nemo sanæ mentis sibi imaginabitur.

Objicitur nobis tandem, quomodo fieri possit, ut nos, qui hanc nostram vitam cum pietate traducimus, illius sempiternæ vitæ præmium accipiamus; cum his nostris corporibus sublatis, aliisque in illorum locum substitutis, nequaquam iidem futuri simus, sed alii; ideoque quicquid corporibus illis tunc eveniet, nihil ad nos pertinere videatur. Hìc respondemus, ut iidem tunc simus, non necesse esse hoc nostrum manere corpus; sed satis esse, illam humanæ substantiæ partem salvam integramque relinqui, ex qua hominis essentia propriè pendet; quæ certè non corpus est; cùm corpus non id sit, quod nos sumus, sed quoddam potiùs domicilium nostrum, in quo ad breve temporis curriculum commorari nobis necessum est. Illud autem in quo essentia nostra propriè consistit, spiritus noster est, qui ut ex Salomone (*Ecclesʃ: 12. 7.*) suprà docuimus, (*vid sup. c. 12.*) ad Deum revertitur, in cujus manus Dominus Jesus (*Luc: 23. 46.*) spiritum suum commendavit: quo pacto & *Stephanus* (*Act: 7. 59.*) Christo suum tradidit spiritum; idque ideò, ut Deus Christo, Christus verò Stephano, suo tempore eundem spiritum restitueret. Hic inquam, spiritus est id quod nos propriè sumus.

‡ *Objicitur nobis tandem*] Hæc objectio eò est firmior, quod juxta Socinianos, *iidem* nequeamus esse, nec animâ, nec corpore: Non illâ: Cùm enim animæ desitionem & interitum tueantur debent negare eandem numero reproduci posse: Non hoc: quia negant illud idem vel specificè vel numericè nobis restitutum iri.

Hic respondemus] Hic sanè magna est absurdorum congeries: Nam primò, *ut iidem tunc simus* eò magis necesse est *hoc nostrum manere corpus*, quò justitiæ Divinæ convenientius est illud idem corpus ad gloriam æternam evehi in cœlum, quod in terris fuerit Templum Spiritus sancti, & cui stigmata Domini nostri Jesu Christi inusta fuerint. Secundò, repugnat omni saniori Philosophiæ & rationi, statuere hominis essentiam nequidem ex parte pendere ex corpore. Nec enim anima est tota hominis essentia, sed tantum pars illius; & notius est quam ut multis debeat probari, hominem duabus partibus essentialibus absolui, nempe animâ & corpore: adeoque licet corpus non sit id totum quod nos sumus, est tamen ex parte id quo sumus; neque *nostrum domicilium* censeri debet, nisi per synecdochen, quatenus potioris nostræ partis, animæ scilicet, tabernaculum & ὄχημα quoddam est statuendum. Tertiò, si ut *iidem* simus post resurrectionem non necesse est hoc corpus manere, multò minùs necesse erit nos aliud corpus recipere, spirituale & aëreum, quale fingunt Sociniani: illud enim multò minùs ad essen-

tiam

tiam noſtram pertinebit. Quartò, juxta Volkelium nulla corporis noſtri reſurrectio eſt admittenda, ſed tantum reproductio animæ ſive ſpiritus, qui interea tantiſper obdormierit, vel potiùs perierit. Denique, ſi ut iidem omninò ſimus ſufficit *illam humanæ ſubſtantiæ partem ſalvam integramque relinqui ex qua hominis eſſentia propriè pendet*, nempe ſpiritum, neceſſe eſt homines poſt mortem eoſdem remanere qui antea fuerant; ſiquidem, contra quam docet Sociniana impietas, certiſſimum eſt animam ſalvam integramque relinqui diſſoluto etiam hoc corporis ergaſtulo: quod liquet ex illis ipſis Scripturæ teſtimoniis Eccl: XII, 7. Luc: XXIII, 46. Act: VII, 59. quæ hîc à Volkelio citantur. Ut præteream quam abſurdum ſit eoſdem per omnia homines cenſeri, quibus non tota ſubſtantia humana conveniat, ſed pars duntaxat illius.

Illud autem in quo] Eſſentia noſtra non *propriè* in ſpiritu ſolo conſiſtit, ſed tantum ſpiritus eſt pars potior noſtri: Adeoque non id eſt totum *quod* nos ſumus, ſed ſolum id *quo* maximè & potiſſimum ſumus, juxta tritum in ſcholis axioma, Forma dat eſſe rei: Non quod tota rei eſſentia in forma ſita ſit, ſed quod illius ſpecificatio ſit à forma. Itaque cùm pars noſtri altera per mortem recidit in terram, nempe corpus, hæc immaterialis & incorruptibilis permanens, revertitur ad Deum; non per ſui reſolutionem in cauſam primam, ut fingunt Sociniani, ſed per actualem illius repræſentationem ante Dei ſummi judicis thronum, ut ex illius decreto vel coronam gloriæ, vel ſupplicium gehennæ, illicò conſequatur. Hinc Chriſtus ſpiritum *ſuum* Deo Patri, & Stephanus *ſuum* Chriſto tradidit & commendavit; non tanquam ſe totum, ſed duntaxat tanquam ſui partem nobiliorem & potiorem, quâ ſalvâ, debeat & ipſum corpus ſuo tempore reſurgere ad gloriam. Et ſanè ut aliquid ſupererat Chriſti, nempe & perſona λόγȣ, cujus erat hic ſpiritus, & ipſius corpus jacens in ſepulchro cui triduo poſt erat reſtituendus, ita etiã aliquid præter ſpiritum debet ſupereſſe Stephani, cui Chriſtus *ſuo tempore eundem* reſtituat. Si enim nihil omninò eſt Stephani præter illum ſpiritum quem Chriſto tradidit, peto quiſnam ergo fuerit ille Stephanus, qui hunc ſpiritum tanquam *ſuum* poſſidebat & Chriſto tradebat, & cui Chriſtus illum reſtituet in reſurrectione? Vides, Lector, ad quas abſurditatum ſymplegadas iſti homines per ſua λεπτολογήματα reducantur.

Unde Petrus ait, (*2 Pet:1.13.14.*) ſe eſſe in hoc tabernaculo, h. e. corpore, & ſe hoc tabernaculum depoſiturum: & Paulus ſimiliter, (*2 Cor:5.2.4.*) ſeſe unà cum aliis Chriſtianis in hoc tabernaculo, quod illorum corpus eſt, gemere ait, domicilium ſuum cœleſte induere cupientem. Ubi videmus, Paulum non minùs quàm Petrum, manifeſtò inter ſeipſum alioſque Chriſtianos, & tabernaculum, in quo vivant gemantque, diſtinguere: & cum nonniſi ipſorum ſpiritus in corpore habitet, ab eoque diſcriminari hac, quâ diximus, ratione poſſit; ſequitur, Paulum, cùm ſe cæteroſque Chriſtianos in hoc terreſtri tabernaculo degere aſſerit, ſpiritum ſuum ipſorumque innuere; qui cum æternus ſit, & ſic, dum in corpore verſatur, nequaquam ſuæ naturæ conſentaneo domicilio, utpote fragili, & mox interituro, utatur; fit ut gemat, ejuſmodi corpus ſibi dari cupiens, quod perpetuò animare vegetareque poſſit, quodque ab omni dolorum ac cruciatuum perpeſſione ſit immune, quale nonniſi cœ- 143.
leſte eſt ac ſpirituale.

Unde

1 *Unde Petrus ait*] In his Apostolorum testimoniis, 2 Pet: 1, 13. 14. 2 Cor: v, 2. 4. vel pueri ipsi possunt manifestam agnoscere synecdochem, per quam quæ sunt partis potioris de toto enunciantur. Similia extant loca Phil: 1, 23. Luc: XVI, 22. 23. 24. XXIII, 43. Apoc: VI, 10. & alibi passim, in quibus quæ solius sunt animæ de tota persona enunciantur; non quod anima absolvat totam hominis essentiam, sed quod sit pars illius nobilior & potior.

Sequitur Paulum cum se] per eam nempe synecdochem quam dixi hic omninò intervenire.

Qui cum æternus] At quàm non bona fide credant Sociniani spiritus nostri æternitatem, vel inde patet quod eum post mortem & extra corpus vivere ac operari negant, imò unà cum corpore interire pertendunt; unde mortuos nullo modo esse blasphemant, & mortem æternam solâ essendi desitione definiunt. Spiritus autem *æternus* & ad æternitatem regenitus per Dei Spiritum, *gemit* in hoc corpore, quod per peccatum evasit fragile nec satis consentaneum naturæ suæ domicilium, & cupit primò ab hac importuna sarcina liberari & esse cum Christo Rom. VII, 24. Phil: 1, 23. deinde tandem in resurrectione *ejusmodi corpus* consequi, *quod perpetuo animare vegetareque possit*, *quodque ab omni dolorum ac cruciatuum perpessione sit immune*, addo & defæcatum ab omni labe peccati. Hoc verò non diversum erit substantiâ ab eo in quo nunc versamur, sed tantum qualitate, quo respectu concedimus *cœleste ac spirituale fore.* Interea si spiritus noster *ejusmodi corpus* obtineat in cœlo quod perpetuò animet & vegetet, non video quî potuerit antea negare Volkelius beatos in cœlo animalia futura; cum ibi animal propriè dictum debeat esse, ubi sunt hæc duo, spiritus videlicet & corpus, quod ille jugiter animat & vegetat.

CAP. XXXVI.

Cur Christus, omnibus sibi subjectis, regnum hoc suum Patri sit traditurus.

IAm igitur ad judicandum haud difficile fuerit, cur Christus omnibus istis reipsa sibi subjectis, regnum illud, de quo hucusque loquuti sumus, Deo ac Patri sit traditurus. (*vid. sup. c. 23.*) Cum enim is Christi regni scopus terminusque sit, ut fidem spemque nostram foveat, & tandem in sempiterna felicitate nos constituat, utque ad eum scopum consequendum, omnia, quæ salutis nostræ cursum impedire possint, & cohibeat, & tandem prorsus exterminet; veluti sunt impiorum flagitiosissimi conatus; principum eorum, qui Christianos oppugnant, diabolique immanitas; corporum nostrorum summa imbecillitas; mortis denique violentia: consequens certè est, cum sapientissimus ille Pater nihil frustrà faciat atque constituat, ut omnibus his peractis, Christus istam muneris illius functionem deponat. Id quod luculentissimis verbis Apostolus exprimens, (*1 Cor: 15. 24. 25. 26.*) hunc in modum loquitur: *Deinde erit finis, cùm tradiderit regnum Deo ac Patri, cùm aboleverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Nam oportet illum regnare, donec omnes hostes sub pedes ejus* (vel *suos*) *subjecerit. ultimus hostis delebitur mors.* Et paucis interjectis inquit:

inquit: (v. 28) *Cùm autem illi subjecta fuerint omnia, tunc & ipse Filius subjicietur illi, qui ipsi subjicit omnia, ut Deus sit omnia in omnibus.* Quæ omnia Apostoli verba hanc continent sententiam: quando omnia, quibus salutis nostræ continetur ratio, ad exitum perducentur; tunc & Christi regnum, in quo illorum perficiendorum causâ collocatus erat, suo termino concludetur. Illud autem tunc futurum est, cùm Diabolo, morte, omnibusque nobis adversantibus seculi hujus principibus prostratis, fusis atque deletis, in sempiternam nos vitam deduxerit. Tunc enim nec fragilitas nostra, utpote exterminata, nec ullus inimicorum nostrorum nobis impedimento futurus est, quominùs sempiterna felicitate perfruamur. Quapropter meritò Christus regnum suum Patri tunc tradet, ut Deus sit omnia in omnibus, h. e. ipsemet omnia disponat, ac gubernet, nec per alium, ut hactenus, sed per ipsum omnes regat.

‡ *Iam igitur ad*] Suprà *ad cap.* 23. genuinum sensum hujusce loci 1 Cor: XV, 24. 25. 26. reddidimus, adeoque Christum, consummatâ jam suorum Electorum salute & gloriâ, & sic omnibus suis & eorum hostibus debellatis, traditurum regnum Deo ac Patri, non illud deponendo & abdicando; debet enim è contrario manere in æternum 2 Sam: VII, 13. Es: IX, 6. Dan: II, 44. VII, 14. 27. Luc: I, 33. Apoc: VII, 17. XXI, 22. sed illud consummatum, securum & planè pacatum sistendo & exhibendo, ac dicendo suo Patri, *Ecce ego & pueri quos mihi dedisti* Es: VIII, 18. Heb: II, 13. Nec dubium quin alio sensu subjiciantur Filio omnia & omnes illius hostes, quam ipse tandem dicitur Deo subjiciendus: Illa enim prior subjectio est destructiva, hæc verò perfectiva: Nec Filium intelligit respectu suæ personæ, quasi nunc minùs subjiceretur Patri respectu officii sui Mediatorii, quam olim post consummationem sæculi; sed respectu sui corporis Mystici, in quo nihil labis amplius supererit nullaque rebellio quæ Divinæ voluntati ullo modo adversetur. Hoc enim sensu subjici & servire Deo, regnare est. Quare quod Deus tunc dicitur futurus *omnia in omnibus*, non est ita sumendum ac si tum ipsemet esset pios immediatè gubernaturus absque Christo & citra Mediatoris interventum, (quamvis cessatura sit illa Regni Mediatorii administratio per varia media externa quæ nunc obtinet) cum è contrario dicatur quod Agnus ipse pascet eos & ducet ad vivos fontes aquarum Apoc: VII, 17. ac sequentur Agnum quocunque iverit Apoc: XIV, 4. unde idem Agnus est futurus novæ illius Jerusalem & templum & lucerna Apoc: XXI, 22. 23. Sed potiùs quod tunc suos ita replebit & inhabitabit lumine gloriæ, ut fugatis omnibus mali & peccati nubeculis, omnium bonorum cumulum ac plenitudinem in illos sit effusurus, ac, ut loquitur author *serm. de ascens. Dom.* inter opera Cypriani, suâ *præsentiâ omnes animæ & corporis* impleturus *appetitus*. Ita & Augustinus *lib. 83. quæst. quæst. 69. Non absurdè sic intelligimus, Tunc & ipse Filius subjectus erit ei qui ei subjecit omnia; ut Filium non solum caput Ecclesiæ, sed omnes cum eo sanctos intelligamus, qui sunt unum in Christo, unum semen Abrahæ; subjectum autem secundum contemplationem veritatis, ad obtinendam beatitudinem, nullo motu animi, nulla parte corporis resistente, ut in illa vita nemine amante propriam potestatem, sit Deus omnia in omnibus.*

Hîc verò illa Angeli verba objicies, quibus (*Luc: 1. 33.*) Christum super

domum

domum Jacob in æternum regnaturum, & regni ejus nullum finem futurum doceamur. Verùm hæc non tam nobit opponuntur, quàm ipsi Apostolo divini spiritus impulsu sic loquenti. Cum autem Dei Spiritum mendacii aut con-
144. tradictionis insimulare nefas sit; necesse est, ut Angeli verba ad subjectam materiam referantur, Christique regnum, omni excluso successore, tam diu duraturum esse intelligamus, dum domus Jacobi, id est, divinus populus, in terris extiterit, talique rege, qui eum defendat, foveat, seruet, indiguerit.

Hic vero illa Angeli] Hæc sanè non *Apostolo* ipsi, sed Socinianis ejus mentem pervertentibus, jure merito objiciuntur: Et cùm Apostoli verba quo sensu ea dedimus explicata, non inferant ullo modo abdicationem Christi, imò & cessante nostra interpretatione non importent absolutam desitionem regni illius, sed ad summum illius formæ administrationis quæ nunc obtinet in colligenda Ecclesia per Verbum & Sacramenta, eaque variè protegenda contra suorũ hostiuminsultus, non est cur Volkelius vim faciat dicto Angeli, æquè divino ac id quod protulit Apostolus, ut suum commentum de Christo regnum suum deposituro reponat in arce. Equidem in loco Luc: I, 33. *necesse est ut Angeli verba ad subjectam materiam referantur*; Sed cùm subjecta materia sit regnum Messiæ, quod simpliciter & absolutè æternum futurum Prophetæ prædixerant, ut suprà notavimus, non debet ejus duratio restringi ad breve illud tempus quo Ecclesia in his terris colligenda & defendenda venit: Neq; hanc violentiam ferunt verba Angeli, quę omninò sempiternam durationem inferunt. Nam primò videtur Angelus maximè respicere ad Psal: CXXXII, 11. 12. ubi Davidi promittitur pro certo quod ejus posteritas sit *solium* sive thronũ ipsius consequutura, *usque in sempiternum*; ubi textus habet עדי־עד *Gnede-gnad*: observãt autem Lexicographi, nominatim Schindlerus, quod illa vox עד *gned* significet ęternitatem & notet tempus longius quam עולם *Gnolam*. Ita debemus *semper* (non ad tempus tantum) עדי־עד confidere Jehovæ Es: XXVI, 4. & ipse dicitur שכן עד *Schoken gnad*, *inhabitans æternitatem* Es: LVII, 15. Secundò Angelus dicit Christum regnaturum non tantum ἕως τῦ αἰῶνος sed εἰς τὺς αἰῶνας, idest revera לעולם ועד *Legnolam vagned*; quod vulgò interpretes Græci reddunt εἰς αἰῶνα τῦ αἰῶνος, & absolutam æternitatem significare notat Mæmonides *in More Nevoch. p. 2. cap.* 28. Nec est de nihilo quod observant eruditi, Rabbinos ut præverterent effugio Sadducæorum qui לעולם volebant ubique accipi pro longo tempore, non pro duratione æterna, instituisse ut discriminis causâ infinita duratio pluraliter exprimeretur לעולמים *Legnolamim*, atque Angelum locutionem istam pluralem expressisse. Tertiò ne quis putaret Angelum loqui limitatè, non tantum dixit Christum regnaturum εἰς τὺς αἰῶνας, sed statim subjungit, καὶ τῆς βασιλείας αὐτῦ ὐκ ἔςαι τέλος; plane exprimens quod legitur Es: IX, 7. *Amplitudini illius principatus & paci nullus erit finis, in solio Davidis & in regno ejus, stabiliendo illud & fulciendo illud jure & justitiâ ab isto tempore in seculum usque*, ועד־עולם *Vegnad Gnolam*; *zelus Iehovæ exercituum istud faciet*. Ita apud Danielem II, 44. de regno isto dicitur *quod in secula*, לעלמין *Legnalmin*, *non destruetur, sed stabit in sæcula*, idest in æternum: Ubi Jacchiades ita loquitur, *Regnum ultimum est regis Messiæ, qui non humanis viribus, sed divinis regnabit & permanebit in omnem æternitatem.* Etenim ut habetur iterum Dan: VII, 14. *Illius dominatus est perpetuus* (שלטן עלם *Schaltan gna-*

tan gnalam, potestas æterna,) qui non præterit, & regnum ejus, regnum quod non corrumpitur; Ita scilicet imperium hoc Christi ab humanis imperiis distinguitur, quæ omnia caduca esse & temporaria, tum historiæ docent, tum nobilissimorum regnorum exemplis Danieli ostensum est: Ipse Plato, cùm eam quam optimam mente complecti poterat descripsisset rempublicam, subdit, ἐ δ' ἡ τοιαύτη ξύστασις, τὸν ἅπαντα μένει χρόνον, ἀλλὰ λυθήσεται.

Usitatissimum autem esse divinis scriptoribus, æternitatis vocem ad rem de qua agitur restringere, tum ex multis Sanctæ scripturæ locis perspicuum est, tum maximè in Salomonis Davidisque testimoniis intelligitur, quorum ille (Eccles: 1, 4.) terram in æternum stare dicit, nimirum rei in eadem complexione verborum commemoratæ ratione habitâ, dum videlicet nationi seu generationi hominum intereunti alia successura est: hic verò (Psal: 52. 10. 11.) sese Dominum in æternum, id est, cunctis vitæ suæ diebus, laudaturum asserit.

‡ *Usitatissimum autem esse*] Hæc observatio nullius est momenti; nec enim argumentamur simpliciter à voce עולם *Gnolam* aut עד *Gnad*; quam non inficiamur quandoque durationem finitam & limitatam denotare; sed à tota sententia Angeli, qui non tantum dixit regnaturum Christum εἰς αἰῶνας, sed insuper non fore *finem* regni ipsius; prout etiam Prophetæ illud hac parte opponunt regnis firmissimis mundi, quæ tandem finiuntur.

Tum maxime in Salomonis] Primùm cũ Eccl: ,4. sit tantum vox לעולם non esset is locus comparandus cum dicto Angeli, quod non habet tantum εἰς αἰῶνα, sed εἰς τὺς αἰῶνας, & explicatur per alia hæc verba quæ nullam admittunt imò omnem removent restrictionem, ϗ βασιλείας αὐτῦ ὐκ ἔςαι τέλ☉. Deinde, neuter locus favet Adversario: Non prior Salomonis; Sic enim opponit דור *Dor*, sive *generationem* vel *ætatem*, τῷ עולם *Gnolam*, ut hoc posterius debeat perpetuitatem significare; prout etiam R. Moses Ben Mæmon *in More Nev. p. 2. cap.* 28. hoc loco utitur ut probet *Solomonem non credidisse Antiquitatem mundi, sed æternitatem vel perpetuitatem eius*: Et sanè in consummatione sæculi, non tam annihilabitur mundus, quam immutabitur & renovabitur, prout novos cælos & novam terram expectamus in quibus habitet justitia Es. LXV, 17. LXVI, 22. 2 Pet: III, 13. Ideo quod legimus Eccl: I, 4. *Terra stat in æternũ*, ארץ לעולם עמדת, *Eretz legnolam gnomadeth*, expressiùs habetur Psal: CIV, 5. *Terram fundavit super bases suas, non dimovebitur* עולם ועד *Gnolam vagned, in æternum*; ubi Mæmonides observat, quod equidem עולם *Gnolam* non necessariò significet æternitatem, nisi ubi ei עד *gnad* vel ועד *vagned* conjungitur, prout Psal: x, 16. Deus dicitur esse Rex עולם ועד *Gnolam vagned, in sæculum & sempiternum.* Non etiam posterior Davidis Psal: LII, 10. & II. ubi dicit Propheta se confidere benignitati Dei עולם ועד *Gnolam vagned, in sæculum & sempiternum*, & se eum laudaturum לעולם *Legnolam, in sæculum*; Nam præterea quod in priori pericopa illud *Gnolam vagned*, quod absolutam perpetuitatem denotat, posset non tam ad fiduciam Davidis, quam ad ipsam Dei benignitatem, quæ est simpliciter æterna referri, ut solum τὸ *Legnolam* in posteriori parte habeat significationem restrictam ad vitam Davidis, qualem restrictionem illam particulam sæpè obtinere

tinere non inficiamur; quis sanus dubitet & Davidem confidisse Deo in æternum, æterna scilicet bona ab ipso præstolatus, & sibi proposuisse Deum laudare in æternum, cum huic rei maximè, imò unicè, vacent pii in regno cœlorum?

Quid, quod Christus per eandem dicendi figuram, Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedeci, futurus esse perhibetur. (*Psal: 110. 4. Heb: 5. 6. & 6. 20. & 7. 17. 21.*) Quibus verbis, sive ad ipsum Melchisedeci ordinem, sive ad scopum Christi sacerdotii respicias, nequaquam absolutam illam, omnisque sive principii sive finis expertem æternitatem significari comperies. Neque enim Melchisedeci sacerdotium simpliciter æternum fuit. Scopus autem seu finis istius Christi muneris, nonnisi salutis nostræ procuratio est, quâ peractâ & ad exitum perductâ, sacerdotio isti ampliùs locum minimè forè, quis non animadvertit? Manifestum igitur est, eam verborum istorum mentem sententiamque esse, ut Christum perpetuò, dum quidem salutis nostræ ratio id requiret, sacerdotis officio functurum esse intelligatur.

† *Quid quod Christus*] Nempe intererat Achristianæ impietatis Socinianorum non tantum obsistere æternitati Regni Christi, sed Sacerdotii quoque illius æternitatem rejicere, utut conceptis verbis expressam Psal: cx, 4. Heb: v, 6. vi, 20. vii, 16. 17. 21. 24. 28. Nam quod legebatur Psal: cx, 4. Christum futurum Sacerdotem לעולם *Legnolam*, *in æternum*, Apostolus non tantum explicat per esse Sacerdotem εις τὸν αἰῶνα, sed per esse Sacerdotem κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου, *secundum virtutem vitæ insolubilis*, & διὰ τὸ μένειν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα habere quoq; ἀπαράβατον τὴν ἱερωσύνην, adeoq; esse εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένον: quæ omnia tam graphicè absolutam perpetuitatem atque æternitatem Sacerdotii Christi exprimunt, ut talpâ cœcior sit qui id non videat, apertus Christi hostis, & indignus qui per hunc æternum Sacerdotem in æternum repræsentetur Deo, qui id neget. Quamvis autem non fuerit ipsius Melchisedeci Sacerdotium revera æternum sed tantum typicè & figuratè, eo quod fuerit in Mosis silentio ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχων Heb: vii, 3. nec enim aliter per hominem mortalem & in ipso æternitas potuit adumbrari quam hoc mystico silentio Mosis, de ejus prosapia, ortu & interitu nihil planè dicentis; Attamen hoc ipsum Sacerdotium respectu prototypi & rei significatæ verè est æternum, quatenus convenit ipsi Dei Filio, qui μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές, *manet sacerdos in perpetuum*, ibid. Frustrà autem id infert Volkelius hîc nequaquam significari *absolutam illam omnisque sive principii sive finis expertem æternitatem*; Siquidem neque nos hîc aliam intelligimus æternitatem quam quæ talis sit secundum quid, &, ut vulgò loquuntur, *à parte post*, quæve fine careat; non verò quæ talis sit absolutè, & etiam *à parte ante* & quæ careat principio. Ipse quoque *Scopus* Sacerdotii Christi hanc nostram illius æternitatem luculenter adstruit: Cùm enim per hunc Sacerdotem simus repræsentandi Deo eique æternùm conjungendi, quis non videt æternum ad id requiri Sacerdotium illius? Non excident Beati in cœlo illo spirituali Sacerdotio quod per Christum consequuti dicuntur Apoc: 1, 6. v, 10. Quinimò illo defungentur maximè & accuratissimè in regno cœlorum, quò pertinent illæ *citharæ* & *phialæ*

φιάλαι plenæ suffituum, quarum fit mentio Apoc: v,8. Quanto magis igitur suum Sacerdotium retinebit in æternum summus ille noster ἀρχιερεὺς sive Pontifex per quem fuerimus consecrati? Nec satis esset Christum merito suo nostram salutem semel procurasse, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος Heb: IX,12. nisi eandem salutem efficaciter conferret & collatam conservaret in æternum; cùm non sit minor gloria quam quærere parta tueri, & unumquodque eadem virtute debeat conservari quâ partum est. Non erit quidem opus in cœlo novâ vel satisfactione vel intercessione Christi pro beatis; sed tamen debebit in æternum continuari vis & influxus satisfactionis pro illis semel præstitæ in cruce, & intercessionis hactenus continuatæ ad dextram Patris, quamdiu peregrinabantur à Domino, quò in æternum ipsi per Christum Mediatorem adunati maneant. Perperam autem fuerit Volkelius, si putet *salutis* nostræ conservandæ & continuandæ *rationem*, postquam semel nobis acquisita fuerit sanguine Christi, non exigere ut ejus virtus & efficacia usque & usque continuetur & exseratur. Sed jam propiùs accedit Adversarius ad hoc æternum Sacerdotium: Ejus igitur vestigiis inhæreamus.

CAP. XXXVII.

De Christi sacerdotio.

‡ *Respondente ad hoc & seq. caput* JOHANNE NICLENIO, Exacio-Omlando.

IAm ut de Pontificio Christi munere explicemus; primo loco animadvertendum nobis est, illud ab ejusdem officio regio, si in rem ipsam mentem intendas, non multùm differre. Cum divinus spiritus figurato hoc analogicoque dicendi genere, quo pacto Christus regni sui functionem administret, ante oculos nostros constituere potissimùm voluerit, nobisque ostendere, illum non solùm salutem nostram procurare posse, sed etiam nos juvare velle, & porrò id omninò facere, in eoque totum esse, ut peccata nostra penitus expiet, h.e. tum ab ipsis peccatis, tum verò præcipuè ab eorum reatu ac pœna nos liberet. Quod quidem quò pateat apertiùs, tum eas hujus muneris partes, quæ ad nostrum institutum maximè pertinent, tum (idque simul & eâdem operâ) qua ratione partim Christi regno, partim sacrificiis illis legalibus eædem respondeant, perpendamus. Partes igitur hujus muneris nostro instituto ser- 145.
vientes, tres potissimùm sunt, mactatio victimæ, in tabernaculum ad oblationem peragendam ingressio, & ex eodem egressio.

‡ *Iam ut de Pontificio*] Non possunt Sociniani aliter evertere satisfactionem Christi, quam ejus Sacerdotium subruendo, cui rei studet unicè Volkelius hoc toto capite quod aggredimur.

Illud ab ejusdem] Nequaquam confundi debent hæc duo officia, Regium & Sacerdotale in Christo, cùm amicè licet conspirent ad eundem finem commune, nempe salutem nostram, munus tamen & functionibus particularibus planè diversa sint; Nemo est qui nesciat quantum intersit inter thuribulum & sceptrum, infulam & diadema; Aliter David & Salo-

mon Reges, *significarunt* Christum, aliter Aaron & Hur Sacerdotes. Reges à Deo præficiuntur hominibus ad illos regendos, tuendos, in officio continendos; sed Sacerdotes ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίστανται, τὰ πρὸς τὸν θεὸν, ut ei offerant dona & sacrificia pro peccatis Heb: v, 1. Quare agnoscendum est *multum differre* munus Sacerdotale Christi *ab ejusdem officio Regio.*

Figurato hoc analogicoque] At Christus Pontificatum obtinet verum & propriè sic dictum, non tantum *figuratum* & *analogicum*; quamvis ea quæ debuit tanquam Pontifex peragere ad nostram salutem, in Judaico Pontificatu præfigurata & adumbrata fuerint. Nec minus propriè & verè Christus Sacerdos est agnoscendus, quam Rex; Et nemo sanus eum mutabit in Regem figuratum & analogicum, licet regnum ipsius ex hoc mundo non fuerit. Imò tantum abest, ut Christus *figuratè* dicatur Sacerdos, ad significandum *quo pacto regni sui functionem administret*, ut per prius & ordine naturæ, functio ejus Sacerdotalis Regiam præcedat, quia jus nos regendi, protegendi & ad salutis æternæ possessionem deducendi, fundatur in illius Sacrificio, satisfactione & intercessione pro nobis.

In eoque totum esse] Non ampliùs Christus in eo est; Siquidem suâ morte *peccata nostra penitùs expiavit*, satisfaciendo pro illis justitiæ Divinæ, cum eorum *reatum* & *pœnam* à nobis in seipsum transferre dignatus est, & factus fuit peccatum pro nobis ut essemus justitia Dei in ipso 2 Cor:v,19. Sed nunc in eo totus est, ut illius suæ satisfactionis vim & efficaciam nobis applicet, ejusque salutares fructus conferat per nostram justificationem à reatu peccati, sanctificationem ab illius macula, & deductionem ad gloriam.

Partim Christi regno] Absurdè finxeris Sacerdotii Christi ullas partes propriè dictas, ejus *regno* respondere, idest formaliter regias esse: Jam enim præmonuimus distincta esse functionibus particularibus hæc duo officia, ita ut quod formaliter unius est, alterius esse nequeat; cùm & ipse Melchisedec aliud quà Rex, aliud egerit quà Sacerdos, occurrens Abrahamo; *Divisum imperium cum Iove Cæsar habet.*

Partim sacrificiis illis] Debet ergo supponi Sacrificia legalia, maxime ἱλαστικά, Christum præsignificasse & illius mortem adumbrasse.

Partes igitur hujus] At verò absurdè distinguit Volkelius mactationem victimæ ab ejus oblatione, cùm θυσία & προσφορά, victimæ mactatione & immolatione peragatur. Nec Christus est ingressus in sanctuarium cœleste *ad oblationem peragendam*, sed ad oblationis semel factæ in cruce vim & efficaciam jugiter Deo repræsentandam suâ comparitione & intercessione pro nobis; Heb:IX,12.13.14.15.24.26.27.28.

Ac mactatio quidem mortem Christi violentam sanguinisque profusionem continet: quæ quidem ad Christi regnum eâ ratione spectat, quatenus ob causas suprà expositas, (*sup.c.18.*) nonnisi illa interveniente, ad tantam dignitatis altitudinem perductus est. Sacrificio verò legis illi anniversario, de quo solo hoc in loco agimus, ita respondet, ut quemadmodum summus ille Pontifex semel in anno illud conficiens, absque sanguine, & sic absque pecudis jugulatione, tabernaculum illud terrestre minimè ingredi potuit: (*Heb:9.7.*) ita ex singularissimo Dei decreto, nec Christo in cœleste hoc tabernaculum introitus patuisset, nisi priùs, multis antegressis perpessionibus, atrocissimam mor-

mortem subiisset, sanguinemque suum profudisset. Qua tamen in re hic noster ab illo Legis Pontifice eatenus longè distat, quatenus ille per sanguinem alienum, utpote hircorum & vitulorum; (Heb:9.12.) Christus vero per proprii sanguinis fusionem tabernaculum suum ingressus est, & ideo majorem ad peccata nostra expianda vim habet Christi, quàm legalis illius Pontificis oblatio.

Ac mactatio quidem] Quod si mors Christi violenta est *victimæ mactatio* & pars prior Sacerdotii Christi, agnosci omnino debet, primò Christum etiam in sua morte Sacerdotio suo defunctum fuisse, adeoque falsum esse quod docent Sociniani illi demum cœpisse vacare post suam assumptionem in gloriam; secundò eum in illa quoque sua morte victimam fuisse piacularem & succedaneam pro peccatis, & ex consequenti pœnas debitas peccatoribus, in quorum locum subrogabatur, pertulisse ac sustinuisse: quod tamen nolunt Sociniani agnoscere.

Quæ quidem ad Christi] Antecedenter quidem pertinuit mors Christi ad ipsius exaltationem, ut suprà visum suo loco, non tamen vel meritoriè vel formaliter, ut formaliter fuit pars prior & potior Sacerdotij sui.

Sacrificio verò legis illi] Sed primò mors Christi non respondebat tantum illi sacrificio *anniversario*, verum etiam omnibus aliis sacrificiis expiatoriis, in quibus fiebat ad remissionem peccatorum procurandam & conficiendam sanguinis effusio. Deinde convenit mors Christi cum illo sacrificio, non tantum antecedentiæ respectu, quem solum videtur admittere Volkelius, sed potissimum respectu formalitatis & efficaciæ. Nec enim ideo tantum illud mactabatur & immolabatur, vel ut ingrederetur Sacerdos in Sanctuarium, vel ut ejus ingressum præcederet, sed ut per illud formaliter peccata populi expiarentur, expiatione legali, & ita ejus sanguine fretus Sacerdos posset nomine totius populi comparere coram Deo, illique suis precibus obtinere sacrificii mactati & oblati applicationem, in ἄφεσιν peccatorum. Si ergo debeat illa comparatio institui, pariliter mors Christi, ceu Sacrificium propitiatorium pro nostris peccatis, præcessit illius ingressum in Sanctuarium, eò potissimum quoad nos destinatum ut istius sui Sacrificii vim & efficaciam expiatoriam jugiter ibi Deo repræsentet, & inde illam nobis applicet ad salutem; & eò spectat dictum Pauli Heb: 1x,7. & 17.

Qua tamen in re] Hoc discrimen jure merito proponit Apostolus, quo magis constet sacrificia legalia typica & umbratilia fuisse, & vim ἱλαστικὴν soli Sacrificio crucis convenire; cùm hircorum & taurorum sanguis sanctificaret tantum ad carnis puritatem, *sanguis verò Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo*, queat emundare *conscientias* nostras à *mortuis operibus, ad colendum Deum vivum*, Heb: 1x, 13. 14.

Illud quoque inter hunc nostrum, illumque Legis sacerdotem interest, quòd ille etiam antequam pecora mactaret, Sacerdotis summi munus verè perfecteque obtinebat: Christus verò, nonnisi acerbissima illius morte antegressa, sacerdos summus verè ac perfectè fieri potuit. Hinc colligitur, solam Christi mortem, nequaquam illam perfectam absolutamque ipsius oblationem, de qua in Epist. ad Heb. agitur, fuisse, ut multi existimant: sed quemadmodum ad ipsius regnum viam quandam ei aperiebat, ideoque nondum planè regnare

tunc, cùm mortem pateretur, dici potuit: ita cum illius sacerdotium idem ferè reipsa sit, quod ejusdem regnum, eandem mortem principium seu præparationem quandam istius sacerdotii in cœlo demum administrandi extitisse.

† *Illud quoque inter hunc*] Atqui illud est omninò absurdissimum, concipere in morte Christi, tanquam *partem* Sacerdotii sui, *victimæ mactationem*, & tamen negare Christum in illa ipsius victimæ mactatione & Sacerdotii sui parte, Sacerdotem summum *verè & perfectè* fuisse: quasi citra contradictionem statuatur quod in obeunda parte aliqua sui Sacerdotii verè tamen Sacerdos non fuerit; aut aliquis negetur esse *verè & perfectè* Sacerdos eo ipso quod nondum omnia sui officii munia obierit, cùm vel ad illa auspicanda, jam de facto Sacerdos esse debeat. Et cùm Christus antequam pateretur jam Christus esset, idest, unctus à Deo in Sacerdotem, Prophetam & Regem, qui negaverit eum verè & perfectè Sacerdotem fuisse antequam pateretur, is eadem operâ negare debebit eum verè & perfectè Christum fuisse.

Hinc colligitur] Nempe ex isto Canone Logico, quod uno absurdo dato plura alia sequantur. Aut neget Volkelius quod antea asseruerat, mortem Christi violentam fuisse illam Sacerdotii sui partem quæ in mactatione victimæ sita est; aut fingat nobis discrimen novum inter victimæ mactationem sacerdotalem, quæ θυσία dicenda est, & illius oblationem; cum tamen vel pueri norint, quod *mactare victimam*, propriè sit *sacrificare victimis cæsis*, ut observatum Doctissimo Stuckio, *in tract. de Sacrif. fol.* 8. *verso*, ex illo versu Poëtæ, *Et nigram mactabis ovem lucumque revises.* Et quamvis non negem repræsentationem oblationis & immolationis istius semel peractæ in morte Christi, usque & usque continuari in cœlis, ex quo cœlos subiit suâ ascensione, pertendo tamen ejus mortem, *illam perfectam absolutamque ejus oblationem fuisse de qua in Epist. ad Heb. agitur*: quod per saturam facile erit ostendere. Primum argumentum suppeditatur nobis cap. VII, 27. his verbis; *Cui non sit quotidie necesse quemadmodum illis Pontificibus prius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi; Hoc enim semel fecit cum semetipsum obtulit.* Hæc perfecta Christi oblatio quâ semetipsum obtulit, primò correspondet ei quam quotidie faciebant Pontifices legales pro peccatis populi: hæ autem peragebantur victimarum mactatione & immolatione; ergo & ista Christi morte, quæ fuit victimæ mactatio pro peccatis nostris Rom: IV, 25. 1 Pet: II, 24. peragi oportuit. 2. Facta fuit ἐφάπαξ, opposité ad oblationes legales quę fiebant καθ' ἡμέραν; At non posset dici oblatio Christi facta fuisse ἐφάπαξ, nisi in morte ipsius facta fuerit; cùm id quod jugiter & continuò fit usque ad consummationem sæculi, factum fuisse ἐφάπαξ dici non possit. Secundum argumentum haberi potest ex cap: IX, 14. ubi hæc leguntur; *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, emundabit conscientiam vestram à mortuis operibus?* Illa Christi oblatio facta fuit cum *sanguis* ipsius fuit effusus in remissionem peccatorum nostrorum Matt: XXVI, 28. Id vero in ipsius morte factum est; ut in morte & mactatione taurorum & hircorum, sanguis eorum effundebatur *ad emundationem carnis*, quam Paulus Heb: IX, 13. contradistinguit ab emundatione conscientiarum quæ sanguini Christi debetur. Tertium argumentum desumi potest ex cap: IX, 22. ubi dicitur quod *absque sanguinis effusione non fit remissio*: Nam oblatio perfecta Christi ea est quæ nobis parit & conficit remissionem peccatorum; Atqui remissio peccatorum debet fieri per oblationem cruentam

tam & αἱματεκχυσίαν.; Hanc autem quis quæret extra mortem Christi, aut eam in illa non agnoscat, juxta testimonium Pauli Ephes: I,7.? Quartum extat argumentum eodem cap. IX,25. & seqq. *Non ut sæpè offerat semetipsum, sicut Pontifex ingreditur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno; (alioquin oportuisset eum sæpè passum fuisse à jacto mundi fundamento) sed nunc semel in consummatione sæculorum,* εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ, *factus est manifestus: Et sicut illud statutum est hominibus ut semel moriantur, postea vero judicium; ita Christus semel oblatus est* εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, *secundò absque peccato conspicietur iis qui ipsum exspectant ad salutem.* In his sanè verbis tot sunt argumenta pro nostra sententia, quot syllabæ. Nam 1. oblatio Christi non fit πολλάκις, sed ἅπαξ: Verum & illud τὸ ἅπαξ soli ejus morti convenit, & illud πολλάκις conveniret jugi ejus comparitioni in cœlo pro nobis; cùm etiam Sacrificium illud quod *juge* dicebatur sub V. T. Num: XXVIII, 6. 7. Dan: VIII, 13. XI, 31. vel eo ipso magis πολλάκις fieret quod καθ' ἡμέραν & quotidie continuaretur. 2. Si Christus sæpiùs se oblaturus debuisset sæpiùs pati, debuit oblatus fuisse cum passus est; aliàs non procederet Pauli argumentum. 3. Tum semetipsum obtulit *ad peccatum per sui ipsius immolationem è medio tollendum*, cum πεφανέρωται sive *manifestus factus est* in hoc mundo: Sed illa manifestatio & apparitio illius, ea est cujus fit mentio 1 Tim: III, 16. Tit: II, 11. Hæc vero pertinet ad ejus apparitionem in carne, non autem ad ipsius assumptionem in gloriam: Opponitur enim hæc illius manifestatio & φανέρωσις prior, in qua semetipsum obtulit, alteri & secundæ illius apparitioni quâ conspicietur χωρὶς ἁμαρτίας, idest sine hostia piaculari pro peccato, iis qui ipsum exspectant ad salutem. 4. Frustrà diceretur oblatio Christi *semel* facta eodem modo quo omnibus statutum est ut *semel* moriantur, nisi in illa una Christi morte peracta fuisset: Aliàs æquè potuisset dicere Apostolus eodem modo factam semel oblationem Christi, quomodo omnibus ut semel nascantur constitutum est. 5. Christus est *semel* oblatus εἰς τὸ πολλῶν ἀνενέγκειν ἁμαρτίας: Atqui hoc præstitit in sua morte; juxta illud 1 Pet: II.24. τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον: Tunc sanè oblatus est cum ἀνενέγκειν τὰς ἁμαρτίας; siquidem secundum Paulum, eum in finem fuit oblatus: At hoc præstitit cum passus est in cruce: Ergo & illud. Quintum argumentum extat Heb: X, 5. 10. *Sacrificium & oblationem noluisti; corpus autem adaptasti mihi. Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi* ἐφάπαξ. Jam autem illud corpus Christi oblatum est loco hostiæ & Sacrificii, quod ipsi *in mundum* ingredienti adaptatum est à Deo, cum λόγος caro factus est Joh: I, 14. & in quo corpore peccata nostra ἀνήνεγκεν ἐπὶ τὸ ξύλον, ut modò ex Petro monuimus. Sextum addo argumentum ex eod. cap. X, 12. *Hic verò unâ pro peccatis oblatâ victimâ,* μίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσενέγκας θυσίαν, *consedit in perpetuum ad dextram Dei.* Ubi duo veniunt observanda; 1. Quod unius victimæ oblatio opponitur sessioni εἰς τὸ διηνεκὲς ad dextram Dei; quod si oblatio consisteret in jugi comparitione Christi ad dextram Dei pro nobis, non amplius foret μία θυσία, sed θυσία æquè εἰς τὸ διηνεκὲς, ac ipsa ejus sessio ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ. 2. Quod non ante consedit Christus in perpetuum ad dextram Dei, regnaturus scilicet in æternum, quam ubi jam illam unam pro peccatis victimam obtulerat: Quî potuit verò oblatio hujus victimæ præcessisse sessionem Christi ad

dextram Dei, adeoque ejus ascensionem in cœlum cujus illa fuit terminus ad quem, quin facta fuerit in ipsius passione & morte? Sextum deniq; argumentum colligitur ex eod. cap. x, 19.20. ubi dicimur habere libertatem *ingrediendi in sacrarium per sanguinem Iesu, eâ viâ quam dedicavit nobis recentem & vivam per velum, hoc est per carnem suam.* Quis enim dubitabit in eo sitam esse oblationem Christi, in quo habemus εἴσοδον τῶν ἁγίων, adeoque in sanguinis illius effusione? Aut quis negabit carnem illam Christi, per quam, ceu per velum, nobis patet ingressus in sanctuarium cœleste, esse illud ipsum ejus *corpus* cujus μιᾷ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους? Heb: x, 10.15. Hæc paullò fusiùs venerunt proponenda, ut constaret quam perperam & impudenter Volkelius audet negare Christi mortem fuisse illam sui ipsius oblationem de qua agitur in epistola ad Hebræos: Hoc enim ejus everso fundamento, cœtera quæ illi conatur inædificare per se ruunt. Imò pudorem passus, dum ait *solam Christi mortem nequaquam illam perfectam absolutamque ipsius oblationem fuisse*, videtur saltem fateri, quod mors Christi ad illam oblationem, non solum antecedenter, verum etiam essentialiter & formaliter pertineat: quod tamen cum Socinianorum hypothesibus est ἀσύγκλωστον.

Sed quemadmodum ad] Nititur illâ falsâ suppositione, quam jam ante refutavimus, Regnum & Sacerdotium Christi idem esse; Id enim tam absurdum est, ut Volkelius cogatur particulam *ferè* hîc interserere, ad quam ceu anchoram sacram confugiat, ubi de discrimine evidenti & essentiali utriusq; muneris convictus fuerit. Itaque simpliciter negari potest hæc illius consequentia, Mors Christi nonnisi præparatoriè & antecedenter se habuit ad illius Regnum; Ergo non aliter se habuit ad illius Sacerdotium: Cùm enim fuerit pars hujus sui muneris, ut ante agnoscebat hæreticus, (qui nunc sui immemor, ex ea facit meram *præparationem* illius officii) & in ea formaliter constiterit ejus oblatio, ut modo demonstratum est, non potest hæc argumentatio procedere, etiam si antecedens pro concesso sumeretur. Sed nec illud absolutè & per omnia verum est: Nam etiam se Regem Christus profitebatur coram Pilato, & hoc erat illius elogium in Cruce, in qua & triumphum agebat de hostibus nostris spiritualibus Col: II, 15. & coronas cœlestes distribuebat Luc: XXIII, 43. Quare dici quidem potest de Christo quod nondum gloriosè regnaret cùm mortem pateretur, non verò quod *nondum planè regnaret.* Nec præteriri debet ἀκολαστασία Volkeliana; Nam antea mors Christi erat illi pars Sacerdotii ipsius; Nunc verò est illi duntaxat sive *principiũ*, sive *præparatio quædam* illius: *At præparatio* ad Sacerdotium, neque pars, neque principium illius dici debet; maximè si prout *nondum planè* Christus Rex erat cum pateretur, etiam *nondum planè* Sacerdos fuerit; nec magis pertinuerit ad ejus Pontificatum illius Mors & Passio, quam Conceptio, Nativitas, Circumcisio, reliquaque vita, quæ similiter dici potest præparatoriè se ad illud munus Sacerdotale habuisse; imò revera pars quædam illius fuerit ex Joh: XVII, 19. *Eorum causâ ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Quod si istud Sacerdotium *in cœlo demum* debuit administrari, ejus neque pars neque principium in terris quæri debet: quod tamen non audet Volkelius rotundè profiteri.

Id quod ita se habere multis aliis argumentis, ex divinissimo illo autore petitis demonstrari potest. De quibus nos ista in medium attulisse satis habebimus: Primò hujusmodi nobis sacerdote opus fuisse Autor ille docet, (*Heb: 2.17. & 4.15.*)

4. 15.) qui fidelis, qui misericors, qui in ferendis malis atque ærumnis exercitatus, & porrò qui ipsam quoque mortem expertus esset; ut cùm eadem perpetiendo illius vestigiis insistendum nobis fuerit, nostris calamitatibus tangi, nobisque auxiliari posset. Unde apparet, Christo, ut sacerdos fieret, omnia ista prægustanda fuisse: & sic antequam prægustaret, eum in Pontificem verè ac perfectè non evasisse. 146.

‡ *Id quod ita se habere*] Primum hoc quod profert argumentum Volkelius, nullâ ratione adstruit ejus sententiam. Primus locus Heb: 11, 17. 18. ita habet; *Debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset, & fidelis Pontifex in iis quæ apud Deum agenda forent ad expiandum peccata populi: Nam ex eo quod perpessus fuit cùm tentatus est, potest & iis qui tentantur succurrere.* Ex his verbis id solum colligere est, in Christo requisitum fuisse, quò noster Pontifex censeretur, ut nobis esset per omnia similis excepto peccato, tùm ne deesset illi victima conveniens εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ; in eum verò finem non assumpsit Angelos, sed semen Abrahæ, uti dicitur Heb: 11, 16. tùm ut post degustatas nostras infirmitates & miserias, etiam ἐν ᾧ πέπονθεν, cum seipsum dedit ἱλασμὸν pro peccatis nostris, nobis opitulari faciliùs posset; instar ejus quæ dicebat apud Poëtam, *Haud ignara mali miseris succurrere disco.* Igitur juxta Apostolum hîc loci, similitudo quæ Christo nobiscum intercessit, duplex est; Prima essentia & naturæ; prout παραπλησίως μετέσχε carnis & sanguinis ibid. 14. Et hæc similitudo nobiscũ eò spectavit, ut esse posset πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν θεόν, ad expianda nostra peccata; prout dicitur Heb: x, 5. *Sacrificium & oblationem noluisti*, ordinis scilicet Levitici, *sed corpus adaptisti mihi*, semel offerendum in cruce ad expiationem peccati. Altera est infirmitatum, tentationum & miseriarum, quas subire & experiri debuit, ἵνα ἐλεήμων γένηται, & posset τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι; prout quotidie præsens ejus auxilium, post peractam in sua morte propitationem peccatorum nostrorum, experimur: Nemo sanus tamen ex his colliget Christum de facto Pontificem nostrum non fuisse, priusquam assumeretur in gloriam; Cùm etiã in eo quod passus est pro nobis, seipsum præstiterit misericordem & fidelem Pontificem ad pianda nostra peccata. Alter locus Heb: IV, 15. ita habet; *Non enim habemus Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, absque tamen peccato.* At his verbis ostenditur quidem qualem etiamnum Pontificem habeamus in cœlis; sed nec in illis, nec in textu pręcedenti, dicitur non ante Christum cœpisse Pontificatu suo fungi, quam *omnia ista prægustasset* & assumeretur in cœlum. Aliud est dicere cum Apostolo, hæc omnia & ipsam mortem degustare debuisse summum nostrum Sacerdotem, quod verissimum est; Aliud verò dicere cum Volkelio, Sacerdotem eum non priùs fuisse quam hæc omnia *prægustasset*, quod est falsissimum. Loquitur ergo Apostolus de iis quæ sunt veri & perfecti Pontificis in facto esse; non verò de iis quæ essent Sacerdotis adhuc in fieri, ut fingit Hæreticus.

Deinde ut hoc sacerdotis officio ritè præponeretur Christus, non satis erat eum in homines esse misericordem, nisi insuper tanta illius esset potestas, quanta ad homines miseriis oppressos, divinissima ope sublevandos, pestemque

que æternam ab illorum capitibus propulsandam opus est; cumque omnis ad hanc rem in cœlo terraque potestas requiratur, consequens est, Christum, antequam in cœlum ascenderet, tantumque rerum omnium dominatum consequeretur, summum sacerdotem nostrum nondum perfectè fuisse: cum, ut rectissimè ab eodem Autore dicitur, (*Heb:8.1.*) is pontifex noster sit, qui consedit ad dexteram throni majestatis illius cœlestis, id est, qui in cœlis existens, omnia tum cœlestia, tum terrestria, summo post Deum imperio complectitur.

‡ *Deinde ut hoc Sacerdotis*] Putem pro *hoc* legendum esse *huic* in textu Volkelii, qui secundum illius argumentum videtur continere. Sed prout largior non potuisse Christum præponi huic officio, nisi potis fuisset *homines miseriis oppressos* sublevare, *pestemque æternam*, idest peccatum & maledictionem, sua satisfactione & morte *ab illorum capitibus* propulsare, ita pertendo eum quà θεάνθρωπον & Immanuelem nostrum, sufficientibus viribus ad id instructum fuisse, etiam diebus carnis & infirmitatis suæ; etsi ipsius caro non venerit in communionem augustioris exercitii potestatis istius in cœlo & in terra, nisi post suam resurrectionem. Nec sanè quæ sunt potestatis Regiæ augustioris in Christo, ullâ ratione debent confundi, cum viribus requisitis ad eam Sacerdotii sui partem quæ in victimæ mactatione & immolatione, adeoque per illam peccatorum nostrorum expiatione, sita est.

Consequens est Christum] Imò hoc est omninò inconsequens; Cùm enim non minus distincta sint formaliter inter se hæc duo Christi officia Sacerdotale & Regium, quam Propheticum ab utroque formaliter distinguitur, tam absurdè colligitur Christum non fuisse Sacerdotem nostrum, priusquam ad splendorem & gloriam Regiæ dignitatis eveheretur per suam Ascensionem in cœlum, quam si quis ideo negaret ipsum fuisse verum, summum, & perfectum Prophetam suæ Ecclesiæ, dum in terris versabatur, eo quod Spiritum suum, à quo in omnem veritatem deducimur, non nisi post suam Ascensionem liberalissimè in suos effuderit. Ut taceam quod de jure, summum illum *omnium rerum dominatum* jam obtinuerit in terris quà θεάνθρωπος, unde meritò se Regem esse profitetur coram Pilato, licet de facto non cœperit ejus gloriosa administratio, nisi postquam assumptus est in gloriam; cùm ille dominatus omnium rerum pertineat ad officium Regium, satis esto negasse eum prærequiri ad munus Sacerdotale, siquidem non prærequisitus fuerit ad passionem & mortem Christi, in qua prior pars Sacerdotii sui sita est. Et sicut non negem nondum perfecta & absoluta fuisse quæcunque pertinebant ad exercitium istius Sacerdotii, priusquam in sacrarium cœleste ingrederetur, ita perineptè colliget inde Volkelius Christum igitur *summum Sacerdotem nostrum nondum perfectè fuisse*. Aaron enim erat *perfectè* Sacerdos, etiam dum adhuc subsisteret in Atrio, ad offerendum pro peccatis suis & totius populi, & sortiendum inter duos hircos, quorum alter foret pro Hazazel, alter pro Jehova, & necdum esset ingressus in Sanctuarium, ad peragenda quæ istius solemnitatis erant. Imò qui dicit Christum *nondum* tunc fuisse *perfectè* Sacerdotem, agnoscit tamen eum jam aliquo modo Sacerdotem fuisse, adeoque actum aliquem formaliter Sacerdotalem præstitisse, qui proculdubio extra illius passionem & mortem atque antecedaneam sanctificationem pro nobis, nec quæri nec collocari debet.

Cum ut rectissimè] Hic locus Heb. VIII, 1. 2. de-

1. 2. demonstrat quidem nos habere eum *Pontificem qui* ceu Rex *consedit ad dextram throni majestatis illius in cœlis*, & tanquam Pontifex *sanctuarii minister est ac veri Tabernaculi quod fixit Dominus & non homo*, Sed non probat eum non ante Pontificem fuisse quam ad dextram Dei consideret ut *intercedat pro nobis* Rom: VIII, 34. Aliud est dicere cum Apostolo quid evenerit nostro Pontifici postquam pro nobis passus & oblatus est & exposuit *semel sacrificium pro reatu* Es: LIII, 10. Aliud fingere cum Volkelio, tum demum cœpisse eum Pontificem fieri cum hæc gloria ei obvenit. Quale vero sit hoc *summum* Christi *imperium*, non tam *post Deum*, ut loquitur Volkelius, quam cum Deo Patre, siquidem ipse & Pater *unum* sunt Joh: x, 30. ut essentiâ & naturâ sic authoritate & potentiâ, & quid addat imperium Christi œconomicum, quod ei convenit quà Mediator est, ad essentiale & naturale quod ejus est præcisè quà λόγος & Filius, alias dedimus explicatum.

Adde, quòd corpus mortale, quo Christus ante mortem, imò ante suum in cœlum ascensum præditus erat, ad hoc sacerdotium obeundum, & sacrificium penitus absolvendum, aptum non fuit; ideoque tunc demum corpus huic rei accommodatum perfectum esse, ubi, ut divinus autor indicat, (*Heb: 10. 5.*) cùm in mundum, nempe futurum illum, qui cœlum est, ingrederetur.

Adde quod corpus] Hæc tertia Volkelii ratio est longe absurdior, & palam in ejus crusa recidit. Nam primo falsissimum est Christi *corpus* quo præditus erat post suam resurrectionem & *ante suum in cœlum ascensum* mortale fuisse, resurrexit enim ad immortalitatem & gloriam, ut suo loco probatum est. Secundò falsissimum est Christum post suam resurrectionem & ascensionem in cœlos, aliud corpus obtinuisse quam illud in quo resurrexerat; Nam in illo ipso corpore, & visus est in cœlum ascendere, & redibit ad judicium universi, ut liquet disertè ex Act: I, 9. 10. 11. & Apoc: I, 7. Tertiò falsissimum est Christi corpus mortale quod assumpsit ex B. Virgine non fuisse aptum ad hoc Sacerdotium, cùm è contrario illud fuerit Christo pro victima & hostia quam offerret in propitiationem peccatorum nostrorum; Atque eò potissimum facit ipse locus Heb: x, 5. quem conatur Volkelius in sequiorem sensum stolidissimâ suâ interpretatione detorquere. Sanè illud ipsum Christi corpus oblatum est pro nobis Heb: x, 10. quod sibi profitetur fuisse adaptatum cum in mundum ingrederetur Heb: x, 5. At id fuit corpus illud mortale in quo *peccata nostra tulit super lignum* judice Petro 1 Pet: II, 24. Agit enim Paulus de eo Christi corpore quod ipsi in mundum ingredienti fuit adaptatum; non verò de nescio quo alio imaginario, quod ipsi de mundo egredienti & revertenti ad Patrem, concessum fuerit. Nusquam in Scripturis per ingressum vel *adventum* Christi *in mundum*, aliud intelligitur quam ejus incarnatio & nativitas; tùm ex usu communi loquendi; Nam ita dicit mulierem puerperam brevi suorum dolorum oblivisci ὅτι ἐγεννήθη ἄνθρωπος εἰς τὸν κόσμον Joh: XVI, 21. tùm ex phrasi Scripturæ de ipso familiarissima & usitatissima Joh: III, 17. 19. VI, 14. IX, 39. XII, 46. XVI, 28. XVII, 18. XVIII, 37. 1 Tim: I, 15. maximè vero Heb: 1, 6. ubi Christo mundum subeunti Angeli ad Ministerium & Cultum subjiciuntur: & hunc cultum ipsi detulerunt statim à sua nativitate, ut Historia Euangelica docet. Quin ascensio Christi non ingressus in mundum dicitur, sed discessus ex mundo ejusque derelictio Joh: XIII, 1. XIV, 19. XVI, 28. Et nusquam mundus *futurus*, simpliciter mundus appellatur: Imò quoties *mundus* absolutè, ut hic, ponitur, præsens

præsens oppositè ad futurum intelligitur. Adhæc cùm verba quæ Paulus tribuit Christo Heb: x, 5. desumpta sint ex Psal: xl, 7. præterea quod suo sensu debeant convenisse ipsi Davidi, cui corpus simile huic nostro competebat, non aliud possunt denotare respectu Christi quam illud quod assūpsit ex Virgine: Illud enim significant in quo Christus apparuit ut faceret *voluntatem* Dei Heb:x,7. Nam post adaptatum illi hoc corpus, subjungit apud Psaltem, *Ecce venio; in volumine libri scriptum est de me. Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector & lex tua est in visceribus meis*: vel ut Apostolus reddidit; θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. Ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ εὐδόκησας. Τότε εἶπον, ἰδοὺ ἥκω, ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ τοῦ ποιῆσαι, ὁ θεὸς, τὸ θέλημά σου. Atqui voluntatem Dei executus est Christus & obedientiam, cujus gratiâ venerat in mundum, præstitit, in hoc corpore mortali, ut tota docet Scriptura, nominatim Phil: ii, 8. ubi dicitur *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Hac autem *voluntate*, sive voluntatis Divinæ executione per Christum, dicimur *sanctificati* Heb: x, 10. eodem modo quo dicuntur multi constituti justi per *obedientiam unius* Rom:v,19. Denique illud Pauli juxta versionem lxx. Interpretum, *σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι*, correspondet illi Davidico in textu originali, אזנים כרית לי, *Oznajim caritha li, aures excauasti* vel *perforasti mihi*; Non potest autem intelligi quomodo hoc Hebraicum per illud Græcum benè reddatur, aut quî hoc illi respondeat, nisi statuamus esse synecdochem partis pro toto in textu Originali, quam interpretes elucidationis majoris gratiâ voluerūt supplere. Tum enim Deus nobis aures forat & excavat, quo modo & statuarii solent facere, cum nobis adaptat corpus, sive, ut Job loquitur, cum nos *cute & carne* induit, & vestit *pelle ac ossibus* Job: x, 11. Hæc autem aurium excavatio cadit duntaxat in corpus sensibile & organicum; Ergo etiam organicum & sensibile est corpus illud cujus adaptatio synecdochicè per aurium perfossionem & excavationem exprimitur. Cùm itaque textus utriusque circumstantiæ omnes, & *stylus* constans Scripturæ, & omnium interpretum veterum & recentiorum consensum, conspirent adversus ridiculam hanc Volkelii interpretationem, illa merito ad Apinas & Tricas est releganda.

Huc etiam illud spectat, quòd idem Autor (*Heb:8.4.5.*) apertissimè hunc nostrum Pontificem ab illis, qui in terris eo munere fungebantur, distinguit; ut nimirum eum cœlestem, exque terrenorum sacerdotum numero exemptum Sacerdotem esse doceat; planeque confirmet, ad ipsius sacerdotium constituendum necesse fuisse, ut in cœlis existeret, alioqui sacerdos non futurus.

2. *Huc etiam illud spectat*] Neque est in hoc altero testimonio Heb: viii,4.5. unde quartum nectit argumentum Volkelius, quicquam præsidii pro ipsius causa: Ibi enim ita loquitur Apostolus; *Si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset, manentibus illis Sacerdotibus qui secundum legem offerunt dona, ut qui exemplari & umbræ deserviant rerum cœlestium.* His vero verbis non negatur absolutè Christum Sacerdotem fuisse dum versaretur in terris: Sed tantum, primò non potuisse Christum Sacerdotem in terra fuisse ejusdem ordinis cum Sacerdotibus Leviticis qui, typici & umbratici, exemplari duntaxat ac umbræ rerum cœlestium deserviebant; Et quî potuisset Christus esse Sacerdos in terra ordinis Aaronici, cum ex illo stemmate ortus non fuisset? *Palam est enim*, inquit Apostolus Heb: vii, 14. *è Iuda exortum*

ortum esse Dominum nostrum, cui tribui nihil de Sacerdotio loquutus est Moses: Secundò, non potuisse obtinere, vigere, exerceri, novum illlud Sacerdotium Christi, adhuc manente & vigente Sacerdotio Levitico & legali; quare debuerunt umbræ cedere corpori, figuræ veritati, terrena cœlestibus: idest Christo exhibito illa legalia evanescere debuerunt, juxta id quod dicitur itidem Heb: VII, 12. *Mutato Sacerdotio, necessariò quoque mutatio Legis fit.* Igitur quia sunt ἀσύςατα Sacerdotium Leviticum & Sacerdotium Christi, ut umbræ & corpus, illud per hoc tolli & abrogari debuit. Hæc est mens Apostoli in verbis ad quæ respicit Volkelius, quæ ejus commento ne hilum quidem favent. Nec enim valet hęc consequutio, Christus fuit *ex Sacerdotum terrenorũ numero exemptus*, idest non fuit ex Sacerdotum Leviticorum ordine; ergo nihil Sacerdotale absolutè peregit in terris: nam licet nihil Sacerdotale typicum & umbraticum peregerit, peregit tamen multa ex iis quæ quod per illa typica significarentur cœlestia dici possunt, non situ & sede, sed origine, fine & naturâ: Sic non valet Christus fuit Sacerdos *cœlestis*, non situ, sed naturâ, & quo sensu cœlestes dici possunt res adumbratæ ac significatæ per Legem, quæ habebat *umbram duntaxat bonorum futurorum, non ipsam expressam formam rerum* Heb: X, I. ergo *ad ipsius Sacerdotium constituendum necesse fuit ut in cœlis existeret, alioqui Sacerdos non futurus.* Nam etiam cœlestia, terrenis opposita, idest spiritualia & mystica typicis, in terra, licet non terreno & Levitico more, peragi à Christo potuerunt. Largior quoque Volkelio quod Christus ad Sacerdotium suum continuandum, debuerit tandem cœlos subire; ut Sacerdotes terreni, continuaturi suum Sacerdotium debebant ex Atrio in Sanctuarium transire; Sed quæ pertinent ad Sacerdotium continuandum, ad illud *constituendum* non spectant. Et tantum abest ut Christus Sacerdos non fuisset futurus, nisi in cœlis existeret, ut è contrario in cœlum non fuisset ascensurus nisi jam Sacerdos constitutus fuisset. Sic enim sub Lege non eo ipso Aaronicus Sacerdos constituebatur Pontifex, quod ingrediebatur Sacrarium, sed è contrario non habuisset jus illud subeundi, nisi jam Pontifex fuisset constitutus, & ea formaliter Pontificalia peregisset, quæ illum suum in Sanctuarium ingressum ex Lege Dei præcedere debebant. Verum Sociniani Sabinorum more somniant quod volunt.

Illud etiam haud leve argumentum hujus rei est, quòd, ut Autor est Spiritus Sanctus, (*Heb:5.5.6.*) Christus sibi nequaquam vindicavit eum honorem, ut fieret Pontifex, sed is, qui eum in tam alto dignitatis gradu collocavit, qui sic eum allocutus est: *Tu meus es filius, ego hodie genui te.* Hoc autem tum demum factum fuisse, cùm eum Deus à mortuis excitatum, Dominum & Christum constituit, Paulus Apostolus luculentissimè testatur. (*Act:13.33.34. Rom:1.4.*) Manifestissimum igitur est, Christi sacrificium expiatorium non in crucis morte peractum fuisse, sed in cœlesti tabernaculo administrari.

‡ *Illud etiam haud leve*] Primò is quidem constituit Christum Pontificem qui ei dixit *Tu meus es filius, hodie genui te* Heb:V,5.6. sed non necessariò quà ei hoc dixit: Cùm hęc verba per se non videantur ordinativa ad munus Sacerdotale. Deinde etsi continerent hæc verba aliquid formaliter spectans ad Pontificatum Christi, illis duntaxat exprimeretur ratio hujus dignitatis ipsi collatæ; videlicet quòd prout in familiis Patriarcharum Sacerdotalis dignitas erat appendix primogenitu-

 ræ,

cat, ita etiam Deus illum ideo Pontificem constituerit quod sit Filius suus unigenitus, solus idoneus qui tam sublimi munere defungatur. Quare hæc declaratio Patris de Christo quod sit Filius suus, contineret causam delati ipsi Pontificatus, sed tempus illius Pontificatus instituti non exprimeret. Tertiò *tum demum* vel id dictum Christo, vel eum Sacerdotem institutum fuisse, *cum eum Deus à mortuis* excitavit, falsissimum est: Nam quoad prius jam antea in Christi Baptismo Matt. III, 17. & transfiguratione Matt. XVII, 5. hæc vox bis cœlitùs audita fuerat; *Hic est Filius ille meus dilectus in quo acquiesco*; Et cum Pater eum ab æterno genuerit Mich. V, 2. & toto vitæ suæ decursu tam constanter se Dei Filium, Christum, Dominum, asseruerit, ineptè statueris eum tum demum Filium, Christum, Dominum & Sacerdotem factum, cum suscitatus fuit à mortuis. Quapropter ut benè distinguitur in Scholis inter causam essendi & causam cognoscendi, ita resurrectio Christi, non fuit illi causa essendi Dei Filium, Christum, Dominum, Sacerdotem, sed duntaxat eum talem cognoscendi, quatenus revera eum talem esse ipsius resurrectione plenissimè innotuit. Nec aliud probant loca Act. XIII, 33. 34. Rom. I, 4. citata Adversario. Non enim ideo genitus est Christus in Dei Filium quod suscitatus fuit à mortuis, sed ideo suscitatus fuit à mortuis, quod cum is esset de quo dictum fuerat, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, debuit necessariò suscitari à mortuis, quod impossibile esset hunc Dei sanctum sentire corruptionem, aut detineri vinculis mortis. Igitur profert Apostolus in priori loco ad probandam Christi resurrectionem testimonium hoc de illius Filiatione & Generatione, non quod suâ resurrectione Filius evaserit, sed quod cum Filius esset resurgere debuerit, & ipsius resurrectione constiterit reverá eum Filium esse unigenitum Patris: Atque illud ipsum est quod in altero loco dicit Apostolus, cum *declaratum* fuisse *Filium Dei potenter secundum Spiritum Sanctificationis per resurrectionem ex mortuis*. Et quamvis vox illa *Hodie* referatur ad diem resurrectionis, non tamen comprobat eo demum die genitum fuisse; cùm tam sæpè antea Filius Dei *μονογενὴς* dictus, agnitus, & renunciatus fuerit, sed tantum eo die novâ & luculenti ratione constitisse, eum esse Dei verum & proprium Filium illum quem genuit ab æterno: Notius enim est quam ut multis sit probandum, sæpè in Scripturis id tum dici factum, quod innotescit & manifestatur factum jam ante fuisse. *Manifestissimum* igitur est, non tum demum vel Filium vel Sacerdotem factum fuisse Christum cum resurrexit ex mortuis, sed illius suâ resurrectione, declaratum & manifestatum luculentius quam antea, cum nihil sibi falsò tribuisse cum se Dei Filium, Messiam, Dominum, professus est.

Quod verò Paulus asserit, (*Ephes. 5. 2.*) *Christum seipsum tradidisse pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis*, id huic veritati nihil quicquam repugnat: cùm nos hoc in loco de eo sacrificiorum genere orationem habeamus, quod ad hominum scelera expianda adhibetur, ideoque expiatorium vulgò nominatur. Paulus verò ad sacrificia pacifica voluntariaque respicit, at non de oblatione corporis Christi Deo facta, sed de oblatione præclari facinoris loquitur. Victima nempe fuit & oblatio Deo suavissima, quòd Christus ingenti amore nostri impulsus, mortem truculentissimam salutis nostræ sempiternæ causâ oppetere non dubitavit.

Quod

‡ *Quod vero Paulus*] At negare Paulum Ephes. v, 2. tribuere Christo sacrificium *expiatorium*, est illi in os contradicere; Nam Christus in eo Sacrificio quod obtulit Deo, juxta ipsummet Adversariū, *seipsum tradidit pro nobis*; Ubi vero traditus est Christus pro nobis, ibi quoque ex stylo Scripturæ traditus est pro peccatis nostris Rom: IV, 25. & ubi traditus pro peccatis nostris, ibi traditus est in remissionem peccatorum nostrorum, ac constitutus ἱλαςήριον sive propitiatorium in sanguine suo Rom: III, 25. Quare ubi traditus est in sacrificium pro nobis, ibi quoque factus est propitiatio pro peccatis nostris 1 Joh: II, 2. Igitur Paulus eo loci non tam respicit *ad sacrificia pacifica*, quam ad propitiatoria, dum Christo tribuit, quod seipsum tradiderit προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, quatenus videlicet Pater in ipsius sacrificio, ut quondam in sacrificio Noæ Gen: VIII, 21. odoratus gratum odorem placamenti, generi humano ipsius sanguine & satisfactione placatus ac reconciliatus fuit. Adhæc cum sacrificia *pacifica* essent impetratoria, uti notum, Christi sacrificio tribui potest commodissimè quod simul fuerit & propitiatorium, *ad scelera nostra expianda*, & *pacificum* sive impetratorium, ad omnia illa beneficia nobis consequenda, quæ ex remissione peccatorum nostrorum efflorescunt & enascuntur. Ut ut sit, cùm Apostolus tam conceptis verbis dicat de Christo quod *seipsum* tradidit pro nobis oblationem & hostiam Deo, perperam dicitur Paulus loqui *non de oblatione corporis Christi Deo facta, sed de oblatione præclari facinoris.* Nam sanè ubi *seipsum tradidit* Christus *oblationem* pro nobis, ibi *seipsum* obtulit Deo: Sed ubi seipsum obtulisse Deo dicitur, ibi necessariò intelligitur oblatio corporis sui Deo facta. Tum ut perperam opponit Volkelius sacrificium pacificum expiatorio; ubi agitur de sacrificio Christi seipsum offerentis pro nobis; cùm illud utrumque fuerit, nempe & expiatorium & pacificum sive impetratorium simul, ita vitiosam instituit oppositionem, inter *oblationem corporis Christi* & *oblationem præclari facinoris*, cùm præclarum illud facinus in oblatione sui corporis præstiterit. Nec video quî potuerit fuisse *Victima & oblatio Deo suavissima, quod Christum ingenti amore nostri impulsus mortem truculentissimam salutis nostræ sempiternæ caussâ oppetere non dubitavit*, quin ipsa mors Christi & sui in illa προσφορᾷ & θυσίᾳ Sacrificium statuatur Deo suavissimum & gratissimum. Nec si placuit impensè Deo amor ille summus Christi erga nos, quo impulsus mortem pro nobis subiit, ideo non est odoratus in hac ipsius oblatione odorem suavem placamenti, quod Christus in illa sua morte pœnas peccatis nostris debitas sustinuerit & exhauserit. Hoc est quod vulgo ajunt, subordinata non pugnare.

Neque verò, ut nonnulli videntur existimasse, Apostolus dicit, Christum seipsum tradidisse pro nobis Deo: sed traditionem hanc sui ipsius, nempe in mortem, fuisse oblationem atque hostiam Deo; quæ verba superioribus, ad facti hujus præstantiam amplificandam, adjecta sunt. Simili modo idem Apostolus de beneficentia atque eleemosyna Philippensium loquitur, (*Phil:* 4. 18.) *Habeo*, inquit, *omnia*, & *repletus sum*, *accepi ab Epaphrodito*, *quæ misistis*, *in odorem suavitatis*, *hostiam acceptam*, *placentem Deo.*

‡ *Neque verò, ut nonnulli*] Os impudens! An negas id dicere Apostolum, quod habet conceptis verbis, Christum tradidisse seipsum pro nobis προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ? Annon Apostolus disertè dicit Christum seipsū Deo exhibuisse oblationem &

hostiam? Quâ conscientiâ aliam hic θυσίαν κὴ προσφορὰν fingas Deo factam quam suiipsius, adeoque eam ipsam cujus fit mentio Heb. x, 5. 6. 7. 8. 9. 10.? Quid opus erat tribuere ellipticam orationem Paulo, supplendam per hæc verba, *nempe in mortem*, cum sermo Paulinus sit planus & apertus, quod Christus ἑαυτὸν, *seipsum*, sive ut habet Syrus interpres, *suam animam*, quasi respiciens ad Es: LIII, 10. παρέδωκεν *tradidit*, stitit, exhibuit, προσφορὰν κὴ θυσίαν τῷ θεῷ, *oblationem & victimam Deo*? Quis non ebrius aliam hic somniet προσφορὰν & θυσίαν Deo factam à Christo quam suiipsius, pro ut dicitur Heb: IX, 14. per Spiritum æternum *seipsum* obtulisse inculpatum Deo, & Heb: VII, 27. *semetipsum* obtulisse semel pro peccatis populi? Igitur non ipsa traditio Christi in mortem dicitur fuisse oblatio atque hostia, sic enim debuisset προσφορὰ κὴ θυσία poni in casu recto & nominativo, ut vulgò loquuntur, sed ipsemet Christus hæc fuit προσφορὰ καὶ θυσία, siquidem παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν κὴ θυσίαν τῷ θεῷ; ut ἑαυτὸς hęc sit προσφορὰ κὴ θυσία, non verò ἡ ἑαυτῦ παράδοσις ὑπὲρ ἡμῶν. Hæc itaque verba, *oblationem atque hostiam*, superioribus adjiciuntur, non, ut somniat Volkelius, *ad facti hujus præstantiam amplificandam*, sed ad orationis sensum perficiendum, quo constaret non solum pro quibus seipsum Christus παρέδωκεν, nempe pro nobis, sed etiam ad quid, scilicet oblationem & hostiam, & cui, nempe Deo, & quem in finem & usum, nempe in odorem bonæ fragrantiæ. Hæc tam plana sunt & obvia, ut Soli tenebras offundere, vel in meridie palpare velit, qui ea non videt.

Simili modo idem] Nihil simile cum dicto Ephes: v, 2. huic alteri loco Phil: IV, 18. ad quem confugit Volkelius. Nam *beneficentia atque eleemosyna Philippensium*, dicitur Paulo, ὀσμὴ εὐωδίας, θυσία δεκτὴ, εὐάρεστος τῷ θεῷ; sed non dicuntur Philippenses *seipsos* dedisse ὀσμὴν εὐωδίας, & θυσίαν δεκτὴν, ut Christus dicitur seipsum dedisse, tradidisse, stitisse προσφορὰν κὴ θυσίαν. Adhęc ita habet locus posterior; πεπλήρωμαι δεξάμενος παρὰ Ἐπαφροδίτου τὰ παρ᾽ ὑμῶν, ὀσμὴν εὐωδίας, θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεστον τῷ θεῷ: Sic vero prior, Christus παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν κὴ θυσίαν τῷ θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας: Quod si ipsa traditio Christi dicatur hîc oblatio & hostia, non ipse Christus, etiam ibi ipsa repletio & acceptatio Pauli, erit dicenda hostia accepta, non verò eleemosyna Philippensium; aut si in posteriori loco ὀσμὴ εὐωδίας pertinet ad τὰ παρ᾽ ὑμῶν, non ad δεξάμενος, vel πεπλήρωμαι, etiam in priori pertinebit ad ἑαυτὸν, ἡ προσφορὰ κὴ θυσία, non verò ad τὴν ἑαυτῦ παράδοσιν, ut nugatur Volkelius. Uno verbo nihil iniquius potest concipi hac collatione Volkelianâ; cùm beneficentia & eleemosynæ Sacrificia metaphoricè dicantur, propriè verò tribuatur Christo passim sui ipsius προσφορὰ κὴ θυσία pro nobis.

CAP: XXXVIII.

De Ingressu Christi in tabernaculum.

VEniamus nunc ad alteram hujus muneris partem, nempe ingressionem in tabernaculum, oblationis perficiendę caussâ factam. Id autem tabernaculum, quatenus de Christi agimus sacerdotio, cœlum illud est, in quo ipse

ipse Deus habitat. Quæ quidem res Christi regno ita respondet, ut per hanc ingressionem, perque omnia, quæ à Christo in cœlesti tabernaculo geruntur, nihil aliud propriè loquendo declaretur, quam Christum in cœlum ascendisse, ibique omni potestate summoque in omnes res imperio donatum, populum suum moderari, tueri, divinis assiduò muneribus afficere, omniaque facere, quæ ad illos in cœlesti hæreditate collocandos valent; & sic ab omnibus tum temporariis, tum æternis malis liberare, quibus in homines, quos scelerum minimè pœnitet, vindicatur. Quæ omnia, quatenus ad vetusta illa sacrificia accommodantur, in tabernaculum ingressio, sui ipsius oblatio, coram Deo apparitio, peccatorum expiatio, purgatio, portatio, denique interpellatio pro nobis appellantur.

‡ *Oblationis perficiendæ*] Non *perficiendæ*, sed Deo repræsentandæ causâ.

Quæ quidem res Christi] Ut templum Hierosolymitanum modò Basilica dicitur, quod Deus illud inhabitaret, modo Templum, quod ibi Deo sacra fierent, ita Cœlum quod Christus subiit, duplicem usum atque respectum obtinet ad Ascensionem illius, nempe 1. Basilicæ & palatii, ubi Regiam suam explicat Majestatem, 2. Sanctuarii, quod tanquam summus Sacerdos, non sine sanguine ingressus est, coram Deo compariturus & apud ipsum intercessurus pro nobis. Quæ autē hic enarrantur à Volkelio, pertinent quidem maximam partem ad ea quę Christo in suā Basilicam recepto & ad dextrā Dei considenti atq; regnanti, conveniunt; sed non explicant ea omnia quæ illi competunt ceu Sacerdoti nostro summo, qui in Sacrarium ingressus est post hostiæ & victimæ oblationem ac immolationem in sua morte peractam, ut illius vim & efficaciam Deo repræsentaret, & consequenter ad illam ejusque virtute, omnia illa perageret, quæ Volkelius enumerat.

Quæ omnia quatenus] Sanè hac omnia, nempe, *populum suum moderari, tueri, divinis assiduò afficere muneribus, omniaq; facere quæ ad suos in cœlesti hæreditate collocandos valent, & sic ab omnibus tum temporariis, tum æternis malis liberare, quibus in homines quos scelerum minimè pœnitet vindicatur*, debemus Christo tribuere: Sed nec omnia illa pertinent ad illius *in tabernaculum ingressionem*, cum multa ex iis quæ requirebantur ad nos ab omnibus malis liberandos, præstiterit priusquam Tabernaculum cœleste subiret, non solum quà Propheta, annunciatione Euangelii, sed etiam quà Sacerdos, sui Sanctificatione, Obedientiâ & Morte pro nobis; nec ejusdem ordinis sunt, iisdem-ve actibus constant ejus *in tabernaculum ingressio, oblatio, coram Deo apparitio, peccatorum expiatio, purgatio, portatio, denique interpellatio pro nobis.* Nam oblatio Christi pro nobis facta fuit in cruce, ubi portavit nostras iniquitates in corpore suo super lignum; & sic peccatorum nostrorum expiatio & purgatio, constanter illius sanguini & morti deputatur 1 Joh:1,7. Ephes:1,7. Sed interpellatio pro nobis ejusque apparitio coram Deo, subsequuta est ejus ingressionem in Tabernaculum, prout in vetustis illis sacrificiis obtinebat, ut Pontifex non subiret Sacrarium nisi post immolationem plurium victimarum & hirci Hazazel dimissionem in desertum, ad expiationem & purificationem suorū & totius populi peccatorum Heb: VII, 27. IX, 6. 7. 12. 13. Sed voluit Volkelius datâ operâ hæc omnia confundere, quo faciliùs queat obscurari verum Sacerdotium Christi ejusque Meritum & Satisfactio pro nobis, cui bellum ἄσπονδον indixerunt hæretici, ne videantur sibi nimis obstricti nostro Servatori.

Quod

Quod ut rectiùs intelligatur, animadvertendum est, hunc nostrum Pontificem cum legalibus illis Pontificibus, eorumque oblationibus ita comparari, ut non solùm magna rerum paulò antè enumeratarum inter illos sit similitudo; sed etiam ut illi ab hoc nostro iisdem actionibus longè multumque superentur. ‡ Quorum utrumque tum in tabernaculi ingressione, tum in muneris ibidem administratione perspicuè cernitur. Ac in tabernaculi quidem ingressione dupliciter hoc apparet. Primò enim utrique quidem tabernaculum ingressi sunt, hacque re inter se sunt similes: hoc tamen antiqui pontifices à nostro vincuntur, quòd illi in terrestre manuque factum tabernaculum intrabant; hic verò in tabernaculum cœleste, nullâ quâpiam humanâ ope, sed ab ipso Deo ædificatum introivit. Quocirca hoc & verum, & perfectius majus-
148. que tabernaculum, à divino autore (*Heb: 8. 1, 2, 3, 4. & 9. 11, 24.*) dicitur, ut illud umbratile, parvum, atque imperfectum fuisse & hic Christum, ut omnibus illis sacerdotibus multò præstantior absolutiorque pontifex est, ita non terrestrium atque temporariorum, sed cœlestium atque sempiternorum bonorum procuratorem esse, intelligamus. Deinde hæc in utrisque convenientia est, quòd tam Christus summus Pontifex noster, quàm ille antiquus, semel in tabernaculum ingressus est. (*Heb: 9. 7, 25, 26, 28.*) Quanquam rursum hac in re Christus legali pontifici antecellit: cùm hic semel in anno istud fecerit, quod ab eodem autore, (*Heb: 7. 27. & 10, 11.*) per quandam dicendi figuram, quotidie, id est, certo *quotannis* die, factum dicitur, respectu nimirum habito ad unicam Christi oblationem. Christus quippe ita semel tabernaculum cœleste ingressus est, ut ibi perpetuò usque ad mundi conflagrationem futurus sit. Quæ quidem res tum illum antiquum pontificem, tum ejusdem sacrificium, magnæ coarguit imperfectionis: cùm ideo tabernaculum sæpius ingredi cogeretur, quòd non nisi unius anni præcedentis delicta anniversario illo sacrificio expiarentur, nec homines ejus vi à delictis in posterum avocarentur. Quare ut ii nihilominus à peccatorum pœnis liberarentur, Pontificem quotannis tabernaculum ingredi, & sacrificium repetere necesse fuit. At Christus unica oblatione omnes, qui unquam expiandi sunt, homines, omniaque eorum peccata ita purgavit, ut eos simul à peccatis abstraheret, & ad pietatem in posterum summo studio colendam adduceret, ut idem divinus autor literis prodidit, & nos paulò inferiùs ostendemus.

‡ *Tum in tabernaculi ingressione*] Potuisset addi, tum in victimarum, ad expiationem peragendam antecedentem mactationem, comparatione ac diversitate. In cœteris quæ hic addit author, nihil ultrà desidero: nisi quod illud *quotidie* Heb. VII, 27. X, 11 non videtur restringendum ad annuam propitiationem festi Kippurim, sed extendendum ad quotidianum & ordinarium munus Sacerdotum Leviticorum.

quam

quamvis in eo parum sitũ est quod ad summam rei faciat. Id potius meminisse debuisset Volkelius, quod iteratis illis quotidie oblationibus Leviticis, in quibus *sæpiùs* eædem offerebantur hostiæ, quæ nunquam poterant *auferre peccata*, opponat Apostolus unam pro peccatis Christi *victimam*, quâ demum *in perpetuum* oblatâ, *consedit ad dextram Dei* & tabernaculum cœleste subiit Heb:x,11.12. Iteratis autem illis Sacrificiis Leviticis, potest per nos & anniversaria propitiatio festi Kippurim annumerari: siquidem & in hac *Pontificem quotannis tabernaculum ingredi, & sacrificium*, cujus vi eò ingrederetur, *repetere* necesse fuit; cùm è contrario Christus *unicâ* sui *oblatione* per sanguinis sui effusionem peractâ, *omnes qui unquam expiandi sunt homines*, quos videlicet Pater illi commisit expiandos & redimendos, *omniaque eorum peccata ita expiavit*, factus ipse peccatum pro illis ut essent justitia Dei in ipso 2 Cor:v,20 *ut eos simul* per Spiritum sanctificationis *à peccatis abstraheret, & ad pietatem in posterum summo studio colendam adduceret.*

Ut porrò ea, quæ in tabernaculo Christus salutis nostræ constituendæ causâ perficiat, animadvertamus; primò illud occurrit, quòd seipsum pro nobis in cœlo offert, vel quod idem reipsa est, pro nobis coram Deo astat, seu apparet, atque interpellat, cœlestisque sacrarii est administrator. (*Heb:7.27. & 9. 24. Rom:8.34. 1 Ioh:2.1. Heb:7.25. & 8. v.1.*) Quæ omnia verba ad Christi regnum translata sunt per similitudinem, ab illorum pontificum officio ductam, quod erat, omnia modò enumerata in terrestri illo sanctuario propriè vereque perficere. Ad Christum verò figurato orationis genere ista omnia transferri ex eo perspicitur, quòd qui verè proprieque interpellat, eumque in finem coram quopiam astat, is hoc ipso indicat, se susceptæ rei perficiendæ potestatem minimè habere: sed necesse esse, ut eam ab illo, qui largiri potest, impetret. ut quidem in legalibus pontificibus cernere licet, qui ut populi caussam apud Deum feliciter peragere possent, Deo supplices comparebant. Hoc autem in Christum minimè convenire hinc colligitur, quod is, simul ac cœlum ingressus est, omnem nostri juvandi potestatem perpetuò sibi inhærentem adeptus est, & ideò nequaquam habere necesse, quoties in nos aliquod beneficium conferre constituit, rei ejus facultatem exorare. 149.

† *Ut porro ea quæ*] Christus *in cœlo* quidem *pro nobis coram Deo astat, seu apparet atque interpellat*, Rom:VIII,34. Heb:VII,25. IX,24. 1 Joh:II,1. quo respectu *sanctuarii minister ac veri illius Tabernaculi quod fixit Deus & non homo* meritò dicitur Heb:VIII,2. Sed neque hæc comparitio & intercessio Christi pro nobis, totum ejus Pontificatum comparatè ad Legalem exhaurit, cùm eam tantum partem illius spectet quæ post mactatas victimas in festo Kippurim peragebatur in loco Sanctissimo; Neque statui potest sui ipsius pro nobis *oblatio*: cùm hæc non *in cœlo* demum fiat, sed præcesserit ingressum ejus in Tabernaculum & facta in cruce fuerit; in qua *semel* seipsum obtulit, uti liquet ex Heb:VII, 27. IX,25.26.27.28. quod etiam à nobis antea fusè fuit demonstratum.

Quæ omnia verba] Agnosco hæc transferri ad Christum, *per similitudinem ab illorum Pontificum officio ductam*; sed pertinent non tam ad illius *regnum*, ut fingit

Volkelius, quam ad illius Pontificatum & Sacerdotium explicandum. Cùm enim Pontificatus & Regnum Christi distincta sint inter se munia, si quæ adhibentur circa Christum similitudines à Pontificibus Legalibus desumptæ, respicere illæ debent ejus Pontificatum non Regnum.

Ad Christum verò] Imo hæc *propriè vereque* conveniunt Christo, sed sensu longè eminentiori & perfectiori quam Sacerdoti Legali. Nam ut Sacerdos Legalis post hostias immolatas ingrediebatur Sanctuarium intercessurus apud Deum vi illius sanguinis pro toto populo, unde 12. tribuum nomina & in humeris & in pectore gestabat, ita Christus post sui oblationem in cruce pro expiandis peccatis nostris, ingressus est in Sanctuariũ cœleste efficacissimè intercessurus pro nobis, id est impetraturus nobis remissionem peccatorum in suo sanguine cœteraque salutaria beneficia omnia quæ illam infallibiliter consequuntur. Qui autem veritatem intercessionis Christi pro nobis negaverit, is evidenter adversabitur sacræ Scripturæ, nominatim Rom: VIII, 34. 1 Tim: II, 5. Heb: IX, 24. 1 Joh: II, 1.2. Hinc describitur Apoc: VIII, 4. per Angelum stantem apud aram cum thuribulo aureo, *cui dati sunt suffitus multi ut offerat cum precibus sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum.*

Qui verè proprieque] Sanè duplex Intercessio apud Deum pro peccatoribus concipi potest; altera per modum *suffragii*, supplicatoria & deprecatoria, altera vero authoritativa per modum *jurisdictionis* ex officio Mediatorio, qualis nunc est Intercessio Christi in cœlo pro nobis, cum prioris ordinis fuerit intercessio Pontificis pro populo: Hanc enim longè infra illam subsidere libenter concedimus; licet inde non sequatur, Christum reverâ non intercedere pro nobis, eo quod ejus intercessio procedat majori cum authoritate & efficacia, quam intercessio Legalis Pontificis: Nam prout Matt: VII, 29. *docebat Christus ut habens authoritatem, non autem ut Scribæ*, ita intercedit ac interpellat ut habens authoritatem, non ut Pontifices Legales. Qui interpellat pro aliis per modum suffragii, *eumque in finem coram quopiam astat, is hoc ipso indicat se susceptæ rei perficiendæ potestatem minime habere*; At Christus interpellans pro nobis apud Deum authoritativè & per modum jurisdictionis, comparendo pro nobis in Dei conspectu cum proprio sanguine qui potiora loquitur quam sanguis Abel Heb: XII, 24. nihil eo ipso derogat suæ potestati Regiæ; sed duntaxat perstat in œconomia officii sui Mediatorii, juxta quam etiam illa omnia beneficia quæ pro plenitudine suæ potestatis in nos confert, debent accepta ferri Patri suo, apud quem hac Legatione & Mediatione pro nobis defungitur. Hac suppositâ distinctione interpellationis duplicis apud Deum, facile intelligitur & Christi intercessionem in cœlo, ut pote potius *realem quam verbalem*, sublimioris & perfectioris esse ordinis, quam intercessionem Pontificis Levitici, & nihil de ipsius potestate, sive naturali, sive œconomica derogare. Sed non tamen inde sequitur veram & propriam dici non debere interpellationem Christi.

Hoc autem in Christum] Frustrà opponit Volkelius quæ sunt componenda; siquidem optimè conveniat ejus potestati Regiæ cum Sacerdotali intercessione, quâ jus obtinet illam potestatem exercendi & explicandi ad nostram salutem. Ad illam autem realem, potentem & efficacem, suoque merito armatam intercessionem, *nequaquam habet necesse quoties in nos aliquod beneficium conferre constituit, rei ejus facultatem exorare*, cum jugis ejus comparitio, apud Patrem & sanguinis sui pro nobis fusi repræsentatio, ad id omne abundè sufficiat.

Ex quò

Ex quo consequitur, istam interpellationem minimè Christo propriè assignari, nisi veracissimum Dei spiritum sibi ipsi turpissimè contradicere volumus, idque tum in diversis sanctarum literarum locis, tum in eodem verborum contextu: ut quidem apud Paulum evenire necesse foret, (*Rom: 8.34.*) qui & sessionem à dextris Dei, id est, plenissimum in omnes res imperium, & pro nobis interpellationem, eadem oratione comprehendit. Ex quo fit, ut aut in omni potestate Christo data atque concessa figuratus loquendi modus sit cogitandus, aut in interpellationis supplicaionisque munere. Atque illud fieri nequaquam potest, cùm sic nec Iesus ille Christus, seu populi divini rex, nec porrò adorandus esset, nec invocari posset. Itaque consequens est, hoc posterius, nimirum interpellationem, nequaquam propriè, sed per translationem quandam Christo tribui, nihilque revera aliud ejusmodi loquendi formis significari, quàm Christum divinitùs sibi concessâ potentiâ, omnia quæ ad salutis nostræ rationem pertinent, summo studio perficere. Qua quidem in re cum ex Patre totus pendeat, & ideo hac ex parte legali pontifici similis sit, effectum est, ut ad hanc inter illos similitudinem indicandam, hæ legalium sacerdotum functiones, à divinis autoribus argutè admodum atque eleganter ei accommodarentur, & ita summa Dei Patris autoritas atque prærogativa salva intactaque maneret, Christumque nostri gubernandi, ac salutis nostræ procurandæ potestatem, nequaquam à seipso, sed à Patre habere, clarissimè pateret.

‡ *Ex quo consequitur*] Inde quidem id sequitur, Intercessionem Christi in cœlis, non esse verbalem, supplicem ac per modum suffragii, ut vulgò loquuntur, qualis est Viatorum & hominum peccatorum pro se mutuo precantium, imò & ipsorum cœlitum, pro Ecclesia militante in communi, cujus etsi singulos eorumque statum non noverint, necessitates Deo commendant, *generaliter orantes pro indigentia supplicantium*, ut Augustinus loquitur *de cura pro mort. cap.* 8. Sed inde tamen nemo sanus colliget cum Volkelio, realem & efficacem interpellationem per modum Jurisdictionis, consequenter ad ipsius Satisfactionem pro nobis ac vi illius, *propriè* Christo assignari non posse; nisi datâ operâ Scripturæ studeat contradicere. Et quæ hîc ruspatur adversarius contradictiones, facilè ex nostra distinctione evanescent.

Ut quidem apud Paulum] Cum ergo utramque Christo vindicet Paulus Rom: VIII,24. *sessionem* inquam à dextris Dei & *interpellationem* pro nobis, utraque illi propriè est tribuenda: Illa quidem ceu Regi, cum & τὸ sedere à dextris Dei, per βασιλεύειν interpretetur Apostolus 1 Cor: XV,25. hæc vero ceu Sacerdoti; qui post sui oblationem in cruce, Sacrarium cœleste subiit cum suo sanguine, jugiter Deo Patri vim illius repræsentaturus, & ea propter usurus ad nostram salutem illo imperio œconomico quod tanquam Mediator consequutus est.

Ex quo fit ut aut] Neutrum sequitur: nam & verè dicta Potestas ei competit, eaque summa & divina, cui meritò innititur ejus invocatio & adoratio, nulli deferenda qui naturâ Deus non fuerit Matt: IV,10. Gal: IV,8. & *propriè* dicta Intercessio Sacerdotalis, ejus ordinis & naturæ quam ante descripsimus. Ut enim illius Humanitas non obest, quo minus ceu Rex

summus & omnipotens invocetur & adoretur à nobis, quia non est merus homo, sed unà Deus æternus ejusdem essentiæ & naturæ cum Patre, ita ejus Divina potestas & natura non obstat quo minus ceu Sacerdos interpellet pro nobis, quia videlicet est θεάνθρωπος, & quà talis Mediator Dei & hominum.

Itaque consequens est] Hoc *consequens* esse inconsequens, ex præmissis satis intelligitur; & mira foret illa *translatio*, quâ interpellatio Christi nihil aliud denotaret quam eum *divinitùs sibi concessâ potentiâ omnia quæ ad salutis nostræ rationem pertinent*, *summo studio perficere*: quasi verò quæ sunt regii Christi muneris debeant describi per loquutiones Sacerdotales, aut non æquè verè & propriè Christus sit agnoscendus Sacerdos, ac Rex. Tanti scilicet interest Socinianorum causę everti Sacerdotium Christi, ne ejus Sacrificium pro nobis oblatum agnoscatur.

Qua quidem in re cum] Ineptæ translationis à Volkelio excogitatæ ineptissima hæc est ratio: Eccur enim *hac ex parte* potius *legali Pontifici similis sit* Christus, quam vel Regi Israelitico, vel cuilibet alteri mortalium, qui in ea potestate quam est consequutus æquè totus pendet à Deo Rom: XIII, 1. 2. 4. 6. ac ipse legalis Pontifex sub V. T.? Urit Socinianos illa comparatio Christi frequentissima cum Sacerdotibus legalibus, ex qua quid pro nobis obtulerit & præstiterit in atrio, quid pergat præstare in cœlo apud Patrem, liquidò percipitur; Ideo dum per suas ineptas argutias student illi veritati tenebras offundere, hæc omnia μυστηριώδη, per frigidissimam accommodationem, restringunt ad unam dependentiam Christi à Patre, in potestate *nostri gubernandi & salutis nostræ procurandæ*, quam *argutè & eleganter*, scilicet, divinos authores intendisse, non tam in suo Parnasso somniant, quam vigilando delirantes aliis vellent persuadere, non aliâ nixi ratione, quam quod ita lubet.

Quæ quidem rei istius explicatio eò etiam confirmatior est, quòd cum omnibus Apostolis nihil antiquius fuerit, quàm summam Christi præstantiam, summa cum fidelitate summâque diligentiâ describere, unus Epistolæ ad Hebræus autor Sacerdotis illi titulum assignat, sacerdotumque more eum salutis nostræ procurationem habere asserit. Neque enim credibile est, eos, si Christus propriè sacerdotis personam sustineret, tantam rem tanto silentio involuturos fuisse. Quare manifestum est, apud hunc autorem, qui figurato orationis genere valde delectatur, sacerdotis officio fungi illud esse, quod alii divini scriptores, Christum nobis adesse, *(Matt: 18. 20. & 28. 20.)* locum nobis in cœlo parare, *(Ioh: 14. 2.)* Ecclesiam suam alere ac fovere, *(Ephes: 5. 29)* ab ira denique nos defendere dicunt, *(Rom: 5. 9. 1 Thess: 1. 10.)*

‡ *Quæ quidem rei istius*] Atqui nihil futilius potuit adferri hac ratione. Nam primò dato non concesso unicum scriptorem epistolæ ad Hebræos, *Sacerdotis titulum* Christo assignare, an inde sequetur ergo illum titulum nonnisi catachresticè, figuratè, & impropriè ei convenire, per frigidam illam accommodationem, quam hic commentus est Volkelius? Secundò *credibile* non est Paulum ad Hebræos tam fusè, tam accuratè, prosequuturum fuisse illam appellationem Christo jam assignatam Psal: CX, 4. propositis variis membris convenientiæ & discrepantiæ illius cum Sacerdotibus legalibus, nisi *Christus propriè Sacerdotis perso-*

personam sustineret. Tertiò etsi alii Apostoli omnino siluissent de hoc Christi munere, dici posset ideo Paulum ad Hebræos scribendo eò accuratiùs & magis pensiculatè ac sigillatim id voluisse per partes explicare, quod Hebræis major rerum Sacerdotalium peritia ex suis sacris domesticis competeret, & facilius illis esset, quam Gentilibus ad fidem Christianam conversis, quibus aliæ epistolæ Apostolicæ inscribuntur, typos suos cum prototypo conferre. Quartò, si quod author aliquis N. T. de Christo dicit, non obiter, nec perfunctoriè, sed fusè, accuratè, ex professo, debet nihilominus intelligi impropriè & catachresticè, eo quod alii Scriptores minus expresè ejusdem rei meminerint, fas nobis erit omnia in allegorias transformare. Unus Matthæus meminit, ut cœtera sexcenta alia mittam, fugæ Christi in Ægyptum & lanienæ Bethlemiticæ per Herodem; Unus Lucas, descriptionis mandatæ per Augustum, puerperii Mariæ in stabulo, disputationis Christi duodecennis in Templo; Unus Johannes, nuptiarum Canæ & vini in illis ex aqua facti. An verò in his & similibus, quæ in uno duntaxat leguntur vel Euangelista, vel Apostolo, fas erit ab historico & proprio sensu, ad figuratum, improprium, allegoricum, confugere, eo quod horum non meminerint cœteri Scriptores sacri, quibus tamen *nihil antiquius fuit quam summam Christi præstantiam, summa cum fidelitate summaque cum diligentia describere?* Quintò ut Christus propriè & verè fuit Propheta, sublimiori tamen modo quam omnes Prophetæ V.T. licet hoc elogium nusquam illi tribuatur in Apostolorum Epistolis, cùm sufficiat eum Prophetam vocari in quibusdam locis Euangeliorum, eique applicari vaticinium Mosis Act: III, 22. VII, 37. Ita verè & propriè Sacerdos est agnoscendus, licet non alibi quam apud Davidem & in epistola ad Hebræos is titulus ei deferatur. Sextò, non secum consentit Volkelius: Nam si *unus Epistolæ ad Hebræos author, Sacerdotis titulum* Christo *assignat, sacerdotumque more eum salutis nostræ procurationem habere asserit,* (quod tamen cùm hic author sit θεόπνευστος, jure omni sufficeret) cur ergo paullò ante dicebat quod *Legalium Sacerdotum functiones à divinis autoribus*, non igitur ab uno scriptore epistolæ ad Hebræos, *argutè admodum atque eleganter* Christo accommodentur? Mendacem oportet esse memorem. Quis enim negabit Sacerdotium Christo tribui, adeoque & ipsum Sacerdotem designari, ab iis scriptoribus qui *Legalium Sacerdotum functiones* ei adaptant, ejusque actiones tanquam Sacerdotales describunt? Septimò, libenter id petierim à Volkelio, num crediturus esset propriè Christum *Sacerdotis personam* sustinere, si paria illi tribuerentur ab aliis sacris authoribus, cum iis quæ ea de re leguntur in epistola ad Hebræos: Si nequidem tum id esset admissurus, frustrà hic se recipit ad aliorum silentium: Sin vero tum bonâ fide id vellet admittere, si alius aliquis Apostolus tantundem dixisset ac author hujus epistolæ, cur audet nunc refragari, cum hic author sit revera Divinus & θεόπνευστος, & nemo aliorum Apostolorûm quicquam habeat quod vel in speciem ei adversetur. Denique, ut nihil dicam quod miserum sit refugium in argumento merè negativo, contra tam evidentem assertionem integræ Epistolæ Canonicæ, falsum est Sacerdotium Christi *tanto silentio* involui apud alios Apostolos ac fingit adversarius. Nam I. ipse Christus non uno modo Sacerdotalia sibi tribuit, dum sibi applicat Matt: XXII, 43. 44. quæ extant Psal: CX, ubi com. 4. dicitur futurus *sacerdos in æternum*; dum animam suam dicit se ponere in λύτρον ἀντὶ πολλῶν Matt: XX, 28. Marc: X, 45. quod est victimam piacularem se pro illis offerre; dum sanguinem suum vocat sanguinem Novi Testamenti effusum in remissionem peccatorum

Matt:

Matt: xxvi, 28. per respectum ad sanguinem hostiarum sub V. T. mactari solitarum ad expianda peccata, & præsertim earum quibus ipsum fœdus sancitum fuit Exod: xxiv, 8. Heb: ix, 19. 20. dum vult à nobis omnia peti in suo nomine Joh: xiv, 13. 14. xv, 16. xvi, 23. 24 idest fiduciâ sui meriti & intercessionis pro nobis. 2. Præterea quod nomen *Christi*, sive *Messiæ*, quo frequentissimè insignitur in Scripturis, etiam ejus Sacerdotium spectet, (fuit enim unctus non in Regem tantum & Prophetam, sed etiam in Sacerdotem, prout ipse Pontifex Leviticus *sacerdos unctus* κατ' ἐξαίρετον dicebatur Levit. iv, 3. 16. xxi, 10.) sæpissimè Sacerdotalia & Sacrificalia illi tribuuntur in Scripturis N. T. Ita dicitur *agnus Dei* qui tollit peccata mundi Joh: i, 29. *Pascha* nostrum quod pro nobis sacrificatum est 1 Cor: v, 7. factus *peccatum* pro nobis idest victima pro peccato 2 Cor: v, 21. *propitiatorium* & *propitiatio* pro peccatis nostris Rom: iii, 25. 1 Joh: ii, 2 iv, 10. Ita dicitur dilexisse nos & tradidisse semetipsum pro nobis *oblationem & victimam Deo* in odorem bonæ fragrantiæ Eph: v, 2. & peccata nostra sursum tulisse in corpore suo super lignum illud 1 Pet: ii, 24. Ubi id tribuitur Christo de seipso, quod Sacerdos faciebat de victimis quas sursum attollebat altari eas impositurus & in holocaustum Deo oblaturus. Ita dicitur Christus nos fecisse *Sacerdotes* Deo Patri suo Apoc: i, 6. v, 10. prout nempe Sacerdotes inferiores à Pontifice summo debebant sub Lege consecrari. Ita ipsemet Apoc: viii, 3. 4. describitur habitu Sacerdotali, fungens intercessione efficaci apud Deum pro nobis. *Tum alius Angelus venit & stetit apud aram habens thuribulum aureum, & dati sunt ei suffitus multi, ut offerret cum precibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum: Ascendit autem fumus suffituum cum precibus Sanctorum è manu Angeli in conspectum Dei.* An hoc non est Sacerdotis personam & munus apertè Christo imponere? Hîc enim agi de Christo, ita fusè ostensum fuit à Viega *in 8. Apoc. comm. 1. sect. 2.* ut probatione ulteriori non egeat. Hæc pauca è multis sufficiunt demonstrando, non solum authorem Epistolæ ad Hebræos, sed omnes scriptores sacros N. T. talem Sacerdotem Christum agnoscere, cui Sacerdotes V. T. jam ante ex instituto Divino præluserint, quamvis Sacerdotium obtineat multo augustius & splendidius.

Quare manifestum est] Sanè nec *Sacerdotis officio fungi*, per se idem est quod nobis adesse Matt: xviii, 20. xxviii, 20. locum nobis in cœlo parare Joh: xiv, 2. Ecclesiam alere ac fovere Eph: v, 29. & ab ira nos defendere Rom: v, 9. 1 Thess: i, 10. cùm formaliter nihil horum uspiam tribuatur Sacerdotibus Leviticis: Neque hæc præcisè sic considerata exhauriunt totam rationem Sacerdotii quod Christo tribuitur: cùm nihil contineant de sui ipsius oblatione ad promerendam & consequendam nobis peccatorum nostrorum remissionem apud Deum; imo ex iis sunt nonnulla in quibus nequidem vel per somnium posset reperiri ulla analogiæ ratio cum Sacerdotio Legali, propter quam debuerint, explicari in Epistola ad Hebræos per metaphoram ab illo Sacerdotio desumptam. Nam quod Christus nobis jugiter adsit suâ divinitate & gratiâ Matt: xviii, 20. xxviii, 20. quod item Ecclesiam suam foveat ac nutriat Eph: v, 29. nihil habet analogiæ cum Sacerdotis Legalis officio, cujus respectu potuerit per metaphoram inde desumptam intelligi. Nec enim Sacerdos Legalis populo jugiter aderat, sed manebat ab illo separatus & moraliter & physicè: Et tantum abest ut nutriret ac foveret populum, ut è contrario ab ipso nutriretur & foveretur: Vivebant enim Sacerdotes ex oblatis & decimis populi. Pertinet quidem ad Sacerdotis ingressum in Sanctuarium, quod Christus præiverit nobis paratum locum in cœ-

in cœlo Joh: XIV, 2. unde dicitur tanquam πρόδρομος pro nobis ingressus intra velum Heb: VI, 19. 20 Sed in epistola ad Hebræos similitudo Christi cum Pontifice Legali, ad multo plura quam hunc ingressum in Sanctuarium extenditur. Ad effecta quoque suæ Intercessionis pertinet quod nos ab ira ventura defendat Rom: V, 9. 1 Thes: 1, 10. Sed quod id queat præstare, suspenditur ab ejus sacrificio cruento & propitiatorio pro nobis: Sic enim loquitur Paulus Rom: V, 9. *Iustificati nunc ejus sanguine, servabimur multo magis per eum ab ira illa.*

In hoc genere & illud est quòd Christus à Johanne advocatus noster apud Patrem appellatur; (*1 Ioh: 2. 1. 2.*) quia nimirum in causa nostra apud Patrem tuenda atque promovenda, id est, in nobis ea potestate, quam à Patre accepit, à divino supplicio liberandis, summam diligentiam fidemque præstat. 150.
Ut enim advocato, ne reus causâ cadat, aut crimine condemnetur, propositum est: ita Christus id unicè agit, ut nos ab omnibus suppliciis, quæ Deus de hominibus sceleratis & jam sumit, & olim sumpturus est, quæ nos ipsi quoque meritò perferremus, tutos liberosque reddat. Atque in eandem sententiam mox idem Apostolus subjungens asserit, Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, hoc est, peccata nostra expiare, eorumque reatum delere, ac potestate, quam à Patre accepit, perficere, ut nos peccatorum nostrorum pœnas effugiamus.

‡ *In hoc genere & illud*] Spectat equidem hoc *advocati* elogium Christo datum, ad illam ejus Intercessionem pro nobis efficacem & realem, in qua alteram partem Sacerdotii ipsius constituimus; Sed ita ut priorem supponat, nempe Satisfactionem pro nostris peccatis; Siquidem ita habet Johannes I. II, 1. 2. *Quod si quis peccarit habemus advocatum apud Patrem Iesum Christum justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*; adeoque talis est advocatus quales reperire est difficile, qui non solum verba facit pro suis clientibus, sed ipsam suam vitam fundit pro eorum salute; qui non solum agit eorum causam; sed ipsorum quoq; debita dispungit ad ultimum usque quadrantem. Porrò est paullò coactior interpretatio Volkelii, cui hæc duo sunt synonyma; *Causam nostram apud Patrem tueri ac promovere*, & *Nos eâ potestate quam à Patre accepit à divino supplicio liberare*: Quamvis etiam hæc *potestas* Christo conveniat quà Regi & Judici, non tamen ei competit quà *Advocato* & Intercessori. Qui *advocatiam* à *potestate* distinguere nescivent, tam parum peritus erit fori humani, quam infœlix interpres verbi Divini. Agit *advocatus* apud Magistratum cujus est potestas; sed ipse quà advocatus, nec Potestatem habet nec Magistratum exercet.

Ut enim advocato, ne] Id quidem *unicè agit* Christus quod hîc illi tribuitur, sed id non agit *unicè* quà Advocatus noster apud Patrem. Nam hoc agit quà Propheta, veram viam salutis præmonstrando quâ fugiamus ab ira futura; Hoc agit quà Sponsor & vas noster, illa ipsa supplicia quæ nos meritò perferre deberemus in se derivando, atque suo sanguine expiando nostra peccata, & *reatum* eorum penitùs delendo, ut nobis ad condemnationem non imputentur; Hoc agit quà Rex, nos eruendo ab omnibus malis, & traducendo potenti suâ manu ad fœlicitatem & gloriam; Hoc agit quoque quà Advocatus sive intercessor noster apud Deum, nobis impetrando illam peccatorum-

rum nostrorum remissionem quam nobis acquisivit & meritus est suo sanguine; idest jugi illius sanguinis piacularis pro nobis effusi repræsentatione apud Patrem suum efficiendo ut revera nullam peccatorum pœnam amplius sustineamus. Quare non satis accuratè in unam Christi advocatiam sive intercessionem pro nobis, nostra indemnitas à Volkelio refunditur, ut sic obscuretur doctrina Satisfactionis suæ.

Atque in eandem sententiam] Hoc verò pertinet quidem ad descriptionem nostri advocati, & explicat fundamentum quo nititur efficacia suæ advocatiæ & intercessionis pro nobis; sed tamen ipsam formalem advocatiæ istius rationem non constituit; nam uti jam dixi, spectat id priorem partem Sacerdotii Christi, nempe ejus satisfactionem pro peccatis nostris. Sic enim Sacerdos legalis peccata populi expiabat eorumque reatum, saltem typicè, delebat victimarum & hostiarum quas immolabat sanguine, priusquam cum hoc sanguine subiret Sacrarium intercessurus pro populo apud Dominum.

Hoc est peccata nostra) Hæc minimùm ambiguè dicuntur; nam propitiationem esse pro peccatis, non est tantum activè condonare peccata, & *pro ea potestate quam* Christus *à Patre accepit, perficere ut nos peccatorum nostrorum pœnas effugiamus*, sed est passivè constitui victimam piacularem pro peccatis, & pœnas illis debitas luere ac sustinere. Sacerdotes enim Levitici aliquando dicuntur peccata & peccatores expiare, ut Levit: v, 13. xvi, 33. nunquam esse vel fieri ἱλασμοὶ sive propitiatio pro peccatis; cùm in hanc rem victimarum sanguis esset speciatim destinatus Levit: xvii, 11. Christus itaque factus est propitiatio pro peccatis nostris, cùm simul Sacerdos & hostia, seipsum obtulit in victimam piacularem peccatorum nostrorum & fudit suum sanguinem in remissionem eorum, sive cum factus est *peccatum* pro nobis ut efficeremur justitia Dei in ipso 1 Cor: v, 21. Est itaque Christus per prius in signo rationis propitiatio suo merito suaq; satisfactione, antequam potestatem illam exerceat per quam suâ efficaciâ perficit ut nos peccatorum nostrorũ pœnas effugiamus. Sed hæc studio confundit & implicat Volkelius, *quo saltem* obliquè & ex indirecto fucum lectori faciat & evertat veritatem Satisfactionis Christi.

His ita constitutis, non magno negotio reliqua vocabula, quibus muneris hujus functio explicatur, intelligi poterunt; veluti sunt, Peccata expiare, purgare, atque portare. Non alienum tamen fuerit, rem istam paulò diligentiùs enodare, & simul ostendere, quo pacto Christus in his perficiendis antiquis illis sacerdotibus aut sacrificiis respondeat. Primò igitur expiare, mundare, atque portare peccata, significat peccata eorumque reatum ac pœnam tollere, aut, ut tollatur, curare atque efficere. Id autem fit, cum peccata quodammodò teguntur atque occultantur, quemadmodum indicat verbum Caphar, quo expiatio apud Hebræos exprimitur. Ejus enim prima maximeque propria significatio est Tegere & Operire, vel Oblinere seu oblinendo obturare. unde per translationem expiandi reatumque peccatorum auferendi significationem adeptum est; nempe quia eatenus peccata expiari atque auferri solent, quatenus quodammodo teguntur. Unde David eos in beatis numerat, quorum sunt tectæ iniquitates. (*Psal: 32. 1.*)

8 *His ita constitutis*] Nunc cominùs Volkelius aggreditur arcem causæ, cui per superiores ambages pręludere voluit. Ex iis autem quæ dixit, intelligi non potest accuratè quid sit respectu Christi *peccata expiare, purgare atque portare.* Neque hic erat locus explicandi *quo pacto Christus in his perficiendis, antiquis illis Sacerdotibus aut sacrificiis respondeat*: siquidem hæc non fiebant a Sacerdotibus post suum ingressum in Sanctuarium, sed peragebantur per victimas & sacrificia prius immolata quam Pontifex suo in sacrarium ingressu obtineret ut sanguinis illius propitiatorii vis & efficacia toti populo applicaretur. Sed de his accuratiùs venit nunc dicendum, & tollendæ eruint ambiguitates quibus se involuit Adversarius.

Primò igitur expiare] Primùm hæc tria non sunt simpliciter synonyma, nec æquè latè patent: Nam etiam Deo tribuitur quod deleat & mundet peccata nostra; nunquam vero quod illa portet; Hoc enim est Christi patientis ex Es: LIII, 4. 1 Pet: II, 24. Deinde expiare peccatum & reatum ac pœnam illius tollere, multifariàm dicitur; nam hoc convenit, Victimæ, Sacerdoti, Deo, vario respectu Victimæ, quatenus reatum illum illamque pœnam sustinet, substituta ad id in locum peccatoris; Sacerdoti, quatenus illam victimam immolat & offert eum in finem, ejusque efficaciam petit illi applicari pro quo fuit oblata; Deo verò, quatenus piacularis illius victimæ sanguine placatus, condonat peccatori quod peccaverat, eumque recipit in gratiam. Hæc tria conveniunt Christo vario illo respectu: adeoque nec confundi inter se, nec illi denegari debent. Efficit enim & curat ut reatus ac pœna tollatur, 1. Meritoriè & satisfactoriè, ut habet rationem victimæ pro nobis in cruce immolatæ; 2. Intercessoriè, ut habet rationem Sacerdotis hanc suiipsius victimam offerentis & vim illius jugiter in cœlo repræsentantis Deo; 3. Authoritativè & Judicialiter, in quantum ipse nos respergit hoc suo sanguine & vi illius nos pronunciat insontes & justificat à nostris peccatis.

Id autem fit cum peccata] Atqui *teguntur atque occultantur* illo triplici quo dixi modo, quorum primus & secundus in tertio prærequiruntur & supponuntur. Sed quia de verbo כפר *Caphar* agit Volkelius paullò accuratiùs de illo dicendum est: Significat primævâ suâ significatione *picare* vel *pice obducere*: Eo enim verbo usus est Deus ad Noam Gen: VI, 14. cùm illi præcepit ut extrinsecùs & intrinsecùs arcam picaret pice sive bitumine: Nam ibid additur quoque nomen כפר *Copher* quod *picem* & *bitumen* significat, ex quo nonnulli putant *camphoram*, quæ gummi, ut pix, species est, suum nomen obtinuisse: Ideo mandatum factum ad Noam Græci interpretes sic reddiderunt, ἀσφαλτώσεις τῇ ἀσφάλτῳ In Pihel כפר *Cipper* significat *placavit, expiavit, expiationem fecit*; & sæpissimè adhibetur cùm de peccatorum nostrorum expiatione, expurgatione & remissione apud Deum agitur. Inde fit nomen כפר *Copher* quod significat *Redempturam*, *Redemptionis pretium*, λύτρον, ἄποινον, & quicquid datur vel Judici ad animum ejus placandum & expugnandum, vel hosti irato & potentiori ad vitam redimendam: quod nostrâ Linguâ *rançon* dicitur Hinc sæpè id nominis Græci interpretes per λύτρον reddiderunt, ut Exod: XXI, 30. XXX, 12 Num: XXXV, 31. 32. Prov: VI, 35. XIII, 8. quandoque per ἄλλαγμα ut Es: XLIII, 3. Amos V, 12. aliquando per ἐξίλασμα ut 1 Sam: XII, 3. Psal: XLIX, 7. Hinc factum festum כפורים *Cippurim* sive *propitiationum*, quo Deus placabatur sanguine victimarum & propitius fiebat Israeli ejusque peccata expiabantur. Hinc denique כפרת *Capporeth*, ἱλαστήριον, illud arcæ tegementum & operculum ex quo Deus placatum se exhibebat populo per victi-

marum sanguinem cujus aspersio fiebat in Sanctuario. Verbum autem hoc כפר *Cipper*, ut significat *expiare*, vel *placare*, & quod ei respondet Græcè ἱλάσκεσθαι, ἐξιλάσκεσθαι, modò passivam habet significationem, modò activam: Nunquam Deo tribuitur aliter quam in significatione passiva; ut dicatur ἱλάσκεσθαι tum peccatis tum peccatoribus, cum placatur & propitius fit per ejusmodi כפר *Copher*, λύτρον, ἱλασμὸν, pretium, placamen & piaculum, quod Voluntati & Justitiæ suæ conveniat, ut ideo condonet hominibus suas culpas, easque ita inducat & tegat, ut pœnas earum nolit ultrà ab ipsis sontibus exigere: Ita id tribuitur Deo Psal: LXV, 4. LXXVIII, 38. LXXIX, 9. 2 Paral: XXX, 19. Ezech: XVI, 63. Luc: XVIII, 13. Sacerdoti verò semper tribuitur in significatione activa, ut dicatur placare Deum, iram ejus sedare, & peccata expiare, oblato ejusmodi ἱλασμῷ atque ἱλαστηρίῳ cujus vi & intuitu peccata ipsa tegantur ne veniant amplius in conspectum Dei, sitque anima peccatoris, instar arcæ Noæ, ita pice & bitumine oblita, ut iræ divinæ fluctus eam subire aut demergere non possint. Quod si in utroque eo significatu, tam activo quam passivo, aliqua ratio sit quærenda primævæ illius significationis, quod est *tegere*, vel potiùs *pice obducere*, erit petenda ab effectu quem obtinet λύτρον sive כפר *Copher* ac placamen Deo oblatum, cùm illius intuitu placatus & propitius factus, condonat peccatori quicquid deliquerat, nec vult amplius delictorum ipsius meminisse; Est itaque tectio peccatorum, consequens & effectus proximus propitiationis, tum activæ tum passivæ, quomodo & Propitiatorio, quod operculum erat Arcæ fœderis, contegebantur tabulæ Legis, ad significandum quod merito & satisfactione Christi, cujus intuitu Deus factus est nobis placatus & propitius, sic contegantur peccata nostra quæcunque in Legem Dei, ut nunquam amplius veniant in ipsius conspectum ad nos condemnandos & maledictioni æternæ per Legem eandem denunciatæ peccatoribus subjiciendos: At cùm sit mentio Psal: XXXII, 2. tectionis peccatorum, illa non exprimitur per verbum כפר *Cipper*, ut frustrà huc redeat Volkelius, dum studet à propriissima & usitatissima hujus vocabuli significatione nos abducere; sed per verbum כסה *Casa* quod est *texit*, *operuit*; quæ vox non est sacra & Sacerdotalis, ut prior, nec potest Deo tribui respectu peccatorum alio sensu quam activo, cùm τὸ כפר *Cipper* & ἱλάσκεσθαι, nunquam ipsi Deo aliter quam passivè tribuatur. Hinc autem liquet quam præpostera sit interpretatio Volkelii, *eatenus peccata expiari atque auferri* (in quo conjungit duo vocabula non confundenda, כפר *Caphar*, & נשא *Nasa*, quorum illud expiationem & ἱλασμὸν denotat, hoc vero sublationem & ἄρσιν) *quatenus quodammodo teguntur*; cum è contrario ideo tegantur quod admissâ victimâ piaculari, Deoque per illam placato, expiata censeantur, ut remissio & tectio peccati ipsam propitiationem consequatur; quò spectat illud Augustini *in Psal:32. Si texit peccata Deus, noluit advertere: si noluit advertere, noluit animadvertere: si noluit animadvertere, noluit punire: noluit agnoscere, maluit ignoscere.*

Quemadmodum autem in aliis verbis, apud Hebræos præsertim, accidit, ut licèt propriè ipsam rei effectionem significent, nonnunquam tamen rei declarationem tantùm designent: ita etiam in verbis Expiandi, Mundandi Portandi peccata, cùm ad sacerdotem accommodantur, accidit. Quare peccatorum expiatio, mundatio, aut portatio seu ablatio, nunc declarationem tantùm

tantùm expiationis atque ablationis significat; nunc expiationem atque ablationem, quæ reipsa fiat. Prioris significationis verborum istorum, (nam de posteriori nemo dubitat) exempla habes in Levitico, ubi id non semel à Vatablo notatum animadvertes. (*Lev:5.6.10. & 16.c.6.6. (7.) 15.15.29. (30.) 16.30. cap. 12.7. 13.6. 13. & d. 14. 2. & d. cap. 10. 17.*)

‡ *Quemadmodum autem*] Hunc hebraismum in genere admittimus frequenter in Scripturis agnoscendum; adeoque cum ad resurrectionem Christi accommodatur Act:XIII, 33. dictum Psal:II, 7. *Tu es meus filius dilectus, hodie genui te*, non tam ipsa rei effectio, ut vellent Sociniani, quasi tum demum factus sit Christus Filius Dei & à Patre genitus cùm resurrexit ex mortuis, quam ejus rei declaratio significatur, ut liquet ex Rom:1,4. Etiam haud gravatè largior quod cùm sacrificia legalia nonnisi typica fuerint, potiùs significarunt & declararunt expiationem peragendam nobiliori & excellentiori sanguine, quam ipsam propriè effecerunt. Sed in hac observatione Volkeliana, duo vitia committuntur: Nam primò ambiguè dicitur quod verba *Mundandi, Expiandi, Portandi peccata, cum ad Sacerdotem accommodantur,* quandoque *propriè ipsam rei effectionem* significent, adeoque *expiationem atque oblationem quæ reipsa fiat.* Si enim intelligatur expiatio atque oblatio typica, externa, legalis, quoad sordes carnis, verum est; si interna, vera, quoad conscientiam, ex vi ipsorum Sacrificiorum legalium, falsum est, judice Paulo Heb:IX,13.14 X,4. Sed de eo postea distinctiùs paullò erit agendum. Secundò falsum est hæc verba sæpiùs in Levitico nonnisi *declarationem expiationis*, ut illius effectioni opponitur, significare. Levit:IV,20.26.31.35. V,6.10. 16.18. VI,7.30. X,11. XII,7.XV,15.29.30. XVI,30.32. usurpatur verbum כפר *Cipper* & Græcum ἐξιλάσκεσθαι, de Sacerdote expiante peccatorem, id est offerente juxta Legem victimam piacularē pro ipso, adeoque efficiente ac procurante apud Deum expiationem ejus legalem. Nec video quid in hac farragine locorum ex Levitico citatorum facere possit ad mentem adversarii. An quod Levit:V,13. dicitur Sacerdos expiare pauperem, qui nequidem possit offerre duos turtures aut duos pullos columbarum pro suo peccato, si modò obtulerit decimam Ephæ similæ in peccatum, ibid.com.11.? At verò quamvis ibi non obtulerit pauper sacrificium cruentum & ex Lege propitiatorium, quia tamen hæc simila erat cæteroquin appendix ordinaria & adjunctum necessarium Sacrificiorum propitiatoriorum, hactenus Sacerdos quantum in se erat procurabat & peragebat hujus pauperis expiationem, ea peragendo circa hanc similam quæ Lege præscripta erant, & quam ex parte sua Deus admittebat vice propitiatorii Sacrificii integri & pleni, per dispensationem à Lege ordinaria in casu extremæ paupertatis: quia necessitas legem non habet, ut vulgò dicimus. An quod Levit: VIII,15. ipsum altare expiari dicatur? Verùm neque ille ritus erat tantum declarativus, sed effectivus puritatis legalis, & remotivus omnis immunditiei cæremonialis, per quam altare pollutum, non fuisset aptum ad sacrificia pro aliis Deo offerenda. An quod etiam mulieres puerperæ Levit: XII,7. & leprosi Levit: XIV, 19. expiari dicuntur? At verò etiam illæ sordes cæremoniales veniebant expiandæ; nec sacrificia quæ ibi commemorantur, erant simpliciter declarativa puritatis, sed formaliter expiatoria & purgativa: Neque debet confundi actus Sacerdotalis quo lepræ suspectum *mundum pronunciat* vel *immundum*, Levit:XIII, 6. 15,15. & seq. (etiam adhi-

bito ritu quodam non minus declarativo istius munditiei consequutæ & pristinæ valetudinis physicè restitutæ Levit: XIV, 7. quam munditiei moralis operativo maximè cum hîc eum mundum non pronunciet legaliter & moraliter, licet jam agnitum talem physicè, nisi ubi de facto sacrificium purgativum circa eum adhibuerit;) cum actu Sacerdotali ejusdem leprosi expiatorio, cujus fit mentio Levit: XIV, 18. Uno verbo nullus est locus toto Levitico in quo verbum כפר *Cipper* de Sacerdote dicatur merè declarativè, non etiam effectivè, adeoque hæc illius vocis acceptio, cui multi errores Sociniani inædificantur, inter iniqua Adversariorum postulata debet recenseri. Quod attinet Vatablum ad cujus authoritatem confugit Volkelius, evidens fit illi injuria; Nusquam enim dixit quod *expiare* significet interdum *declarationem tantùm expiationis atque ablationis*; Sed cùm Levit: XII, 7. de puerpera diceretur juxta Tigurinam versionem, *Qui adducto illo in conspectum Domini, expiabit pro ea, mundabiturque à fonte sanguinis sui*, putavit Vatablus posterius sumi declarativè cùm prius sumeretur effectivè: Ita enim habet; *Expiabit illam, id est reddet ei Deum propitium* (ubi ea est significatio vocis כפר *Cipper* quam urgemus) *Mundabiturque, id est munda declarabitur*; *Hebraismus*. Si tamen dicendum quod res est, nequidem posterius istud declarativè est sumendum: Nam illa duo, *expiabit & mundabitur*, possunt sumi effectivè, ut per prius constituatur in Dei favore, per posterius munda fiat viro suo, eique apta ad cohabitationem.

In utraque autem re inter Christum ejusque sacrificium, & inter pontificem legalem ejusque sacrificia, intercedit similitudo. Nam ad priorem expiationis significationem quod attinet; ea illorum sacrificiorum erat ratio, ut iis ritè peractis, populo de peccatorum condonatione persuasissimum esset: non
151. **quòd sacrificia illa in se tantæ rei perficiendæ vim continerent; sed quòd singulari Dei decreto fiebat, ut sacrificiorum cerimoniâ ex illius præscriptione confectâ, nullus de supplicii remissione dubitandi locus relinqueretur.**

In utraque autem re] Christus equidem non solum conficit nobis nostram expiationem, placando Patrem eumque nobis propitium reddendo suo sanguine, verùm etiam id beneficii se præstare & à se expectandum declarat & annunciari curat suo nomine; Sed tamen in hac apodosi erratur non uno modo à Volkelio. Nam si uspiam verbum *expiandi*, *mundandi*, *portandi peccata*, cum ad *Sacerdotem* accommodatur, ipsam rei *effectionem* significat, adeoque *expiationem atque ablationem quæ reipsa fiat*, utique eum usum tum debet obtinére cùm Sacerdos eos adhibet ritus, eas victimas piaculares, per quas Deus peccatori redditur propitius, ut modò ipsum Vatablum, Volkelio laudatum testem, id verbi interpretari audivimus; ut demum post hæc peracta & consequenter ad illa declarativè agat Sacerdos & peccatori dicat, Jam Deus est tibi placatus, jam mundus es à tuo peccato. At invertit hoc schema Volkelius, & id quod formaliter est expiatorium (sensu saltem legali) tale vult esse duntaxat declarativè; ut nihil insuper dari possit à Sacerdote præstitum, cui ipsa rei effectio & actualis expiatio formaliter veniat tribuenda.

Nam ad priorem expiationis] Hîc paullò accuratius venit explicandum quid Sacrificia legalia præstarent ad expiationem peccati. Si veniant consideranda in suo esse relativo & significativo, & prout vim quan-

quandam moralem mutuabant ex Sacrificio futuro Christi, cui præfigurando erant ordinata Col: II, 17. Heb: IX, 23. X, I. Apoc: XIII, 8. dubium non est quin illorum ea fuerit ratio *ut iis ritè peractis populo de peccatorum condonatione persuasissimum esset; non quod sacrificia illa in se tantæ rei perficiendæ vim continerent*, ut benè monet Volkelius; nec simpliciter, ut malè idem fingit, *quod singulari decreto fieret ut Sacrificiorum cerimoniâ ex illius præscriptione confectâ*, quasi ex opere operato, *nullus de supplicii remissione dubitandi locus relinqueretur*; Sed quod in eorum usurpatione & celebratione veri fideles ad Christum illis significatum respicerent, & veri Sacrificii olim ab ipso offerendi, quod in illis typicis fide contemplabantur & apprehendebant, ut Mathematici solent ex umbra terræ metiri Syderum magnitudinem, vim & efficaciam sibi ad certissimam supplicii remissionem applicarent. Ut enim quotquot veterum Christum in manna intellexerunt, Christum quoque in manna manducarunt, ex I Cor: X, 3.4. ita quotquot ex illis Christum in Sacrificiis legalibus conceperunt & apprehenderunt, Christi quoque sanguine & Sacrificio in illis respersi & redempti fuerunt: Ut non immeritò Christus, qui est idem heri & hodie Heb: XIII, 8. verus ille agnus Dei qui tollit peccata mundi Joh: I, 29. dicatur mactatus, non solum in Dei decreto, sed etiam typicè & significativè in omnibus Sacrificiis Veterum, ab origine mundi Apoc: XIII, 8. Quare in illis Sacrificiis non litabant, nec illa grata erant & accepta Deo nisi prout sale fidei condiebantur, & ex fide in Christum venturum offerebantur: Ideo enim Abel *per fidem* majoris pretii sacrificium dicitur obtulisse quam Cain Heb: XI, 4. Nec dubium quin ad illam Sacrificiorum legalium σχέσιν Euangelicam & sanguinis Christi significativam respexerit David Psal: LI, 9. cùm dixit, *Expiato me hyssopo, ut mundus sim*: Considerabat enim ῥαντισμὸν sanguinis Christi nos purgantis ab omni peccato significatum illâ aspersione ex hyssopo quæ fiebat super leproso Lev: XIV, 6.7. aliisq; immundis Num: XIX, 18. ad eos expiandos & purgandos. At verò si illa Sacrificia legalia considerentur in suo esse absoluto, & sepositâ illâ eorum σχέσει Euangelicâ ad Christum, falsum est quod statuit Volkelius, ex illis *ritè peractis*, sive efficienter sive consequenter potuisse populo enasci certam & indubitatam persuasionem de peccatorum suorum condonatione coram Deo. Nam I. ut subserviebant rigori Legis, potiùs ordinabantur ad hominem peccatorem sui reatus convincendum, quam ad illum eluendum: ideo debuerunt aboleri, *deleto quod adversum nos erat rituum chirographo*, ut loquitur Paulus Col: II, 14. Peccatores enim in victimis quæ pro se moriebantur, se mortis reos videbant, & in earum mactatione chirographum dabant Deo illarum sanguine conscriptum quo se maledictioni obnoxios & pœnæ debitores agnoscebant. II Si *singulari Dei decreto fiebat, ut sacrificiorum cerimoniâ ex illius præscriptione confectâ nullus de supplicii remissione dubitandi locus relinqueretur*, fœliciùs & molliùs actum fuisset cum populo veteri quam nobiscum, quorum certa supplicii remissio ex nuda Ceremoniarum aliquot externarum observatione neutiquam suspenditur. III. Obstat huic Volkelianæ assertioni, Quod disertè Paulus negat illis Sacrificiis legalibus partam fuisse peccatorum remissionem coram Deo, cùm eorum efficacia ultra carnis sordes non extenderetur Heb: IX, 9. 10. 13. X, 1. 2. 4. Quod etiam sub V. T. omnis efficacia ad tranquillandam conscientiam abrogaretur iis sacrificiis, eorum respectu qui illis niti & suam expiationem ab illis ex opere operato exspectare voluissent Psal: L, 8. 9. LI, 18. Eccl: V, I. Es: I, 11. 12. 13. LXVI, 3. Micæ VI, 6.7. Quod talium Sacrificiorum

respectu dixerit Syracides Eccles:v,5. *De propitiato peccato noli esse sine metu*, cùm etiam ex illis nemo dicere possit, *Purificavi animum meum, mundus sum à peccato meo* Prov:xx,9. tantũ abest ut ex illis oblatis nullus de supplicii remissione dubitandi locus relinqueretur; Quod omnis remissio peccatorum ab origine mundi pependerit ab unius Christi sanguine, nec sit vel fuerit unquam aliud nomen datum sub cœlo per quod nos servari oporteat Act:iv,12. ideo cùm ad remissionem peccatorum nobis conficiendam, legales victimæ non prodessent, nec holocautomata & hostiam pro peccatis Deus approbaret, debuit Filio Dei per incarnationem illius corpus adaptari, in quo peccata nostra portaret super lignum crucis Heb:x, 5.6.7.8.9. 10. 1 Pet:ii,24. Denique quod sanguis bestiarum non possit esse λύτρον sufficiens pro redimendis hominum animabus à peccato, & quale Justitia Dei omninò prærequirit ad remissionem peccatorum. Sed & in paucis hisce lineis alius error Volkelii latet, non prætereundus. Etenim quod conferebant Sacrificia Levitica ad sordium legalium expiationem, illis non debebatur tantum consequenter, sed etiam efficienter & meritoriè: Ut enim sordes legales quas auferebant, erant simulachra peccatorum & vitiorum, ita etiam in victimarum pro illis eluendis mactatione, visebatur simulachrum Justitiæ Divinæ pœnas exigentis eorum quæ contra se commissa fuerint, & sibi satisfacientis pro primariis debitoribus; unde ex Judæorum monumentis notarunt eruditi, in victimis legalibus imaginem fuisse omnium illorum quatuor suppliciorum, quibus ex Lege Forensi publica crimina puniebantur. Ligabatur victima, ad pœnam strangulationis significandam; humi prosternebatur, instar eorum qui veniebant lapidandi; jugulabatur, ad illorum similitudinem qui plectebantur gladio; & denique vel ex toto vel ex parte igni absumebatur, ne deesset idea pœnæ illius gravioris quæ per ignem inferebatur. Ut reverà non aliter reatum abstulerint victimæ legales quam prout eum loco sontis sustinebant, & ejus loco moriebantur. Quo respectu pertinebant ad ipsam expiationis effectionem, non ad nudam illius sequuturæ conditionem antecedentem & declarationem. Aliàs citra sanguinis effusionem & victimarum interitum, & qualibet aliâ ceremoniolâ externâ adhibitâ, potuisset æquè fieri remissio, contra quam docet Paulus Heb:ix,22. nisi in illis Sacrificiis jus Dei venisset asserendum, & Satisfactio exigenda pro primario debitore. Igitur sacrificia legalia ἱλαστικὰ, de his enim nunc disserimus, si considerentur genericè quà talia, non solo arbitrario Dei decreto nituntur, sed etiam ipsius Justitiâ vindicativâ, quæ ἀντάλλαγμα exigit pro homine reo, ut indemnis evadat. Atque hoc sensu est verissimum quod χωρὶς αἱματεκχυσίας, nec sit nec fieri possit ἄφεσις, ut loquitur loco citato Apostolus. Sed haud gravatim largiemur eadem sacrificia specificè considerata, ut hoc vel illo modo, in hac vel in illa victima, ad hoc vel illud peccatum, veniebant peragenda, unico Dei arbitrio, cujus tamen in singulis ferè sapientissimæ possunt referri rationes, venisse adscribenda; Ut fuerit juris naturalis ac necessarii quod sanguinis fusio, mors & destructio victimæ intercederet in sacrificiis expiatoriis; juris vero arbitrarii ac positivi, quod hæ vel illæ hostiæ, isto vel hoc modo mactandæ, ad hæc vel ista peccata, offerri debuerint.

Similis, vel potiùs longè major Dei clementia, in Christi elucet sacrificio, quod à truculenta illius morte principium ducens, nunc in cœlesti tabernaculo ritè peragitur, nosque in scelerum nostrorum remissionis, & porrò cœlestis

lestis patrimonii consequendi exploratissimam spem adducit. In Christi enim morte, quæ, ut dixi, hujus sacrificii initium est, incredibilem Dei, ut & Christi ipsius, erga nos amorem perspicimus: in hoc Pontifice nostro summam misericordiam, ex tot perpessionibus ipsaque mortis atrocitate contractam, & summum ejus in nobis servandis studium videmus: in ejusdem gloriæ amplitudine, non modò ejus, quod speramus, boni specimen cernimus, sed etiam summam nostri in æternum conservandi potestatem intuemur. Fierine igitur potest, ut de absolutissima peccatorum nostrorum expiatione dubitare nobis in mentem veniat?

‡ *Similis vel potiùs longè*] Nempe juxta mentem Volkelii, Sacrificium Christi non se habet efficienter & meritoriè ad remissionem peccatorum, sed tantum antecedenter & declarativè, nec alio modo quam vult ad idem beneficium se habuisse Sacrificia legalia pecudum & hircorum; quâ impietate non video quid magis impium & Achristianum potuisset Diabolus mundo obtrudere: Dico igitur quod in Christi Sacrificio SIMILIS sit ratio cum legalibus sacrificiis, (servatâ disproportione inter typum & prototypum) non modò *Clementiæ* Divinæ, quod sicut ibi reatus immunditiei legalis in foro externo dimittebatur, ita hic in foro interno conscientiæ & apud Deum dimittitur reatus immunditiei moralis, per & propter sanguinem Christi *potiora loquentem quam sanguis Abelis* Heb: XII, 24. (ille enim vindictam inclamabat, hic vero gratiam & misericordiam impetrat;) verum etiam Justitiæ & Sapientiæ Divinæ; ut quemadmodum illic victima veniebat mactanda loco peccatoris, cujus reatus in illã transferebatur, quò illâ pro ipso luente, satisfieret Justitiæ Dei, & hic interea ejus morte vicariâ immunis indemnisque à pœna præstaretur; ita hîc Christus, ceu hostia pura & immaculata, substitutus fuerit in locum hominum peccatorum, reatum eorum sustinendo, quò per suam mortem pro illis jus Dei impleretur, & hac persolutione præstitâ ipsi remanerent extra omne periculum condemnationis; cùm bona fides non patiatur ut idem debitum bis exigatur, imò persoluisse is censeatur cujus loco & nomine persolutũ fuerit ab idoneo illius fidejussore. Itaque in Sacrificio Christi non solum elucet Dei summa ergo nos *Clementia*, quòd cùm juxta Legis ἀκριβοδίκαιον ipsimet luere teneremur, moriente eâ animâ quæ peccaverat, *cùm sis ipse nocens moritur cur victima pro te?* per specialem ἐπιείκειαν voluerit locum dare substitutioni victimæ loco nostro mactandæ & immolandæ, atque derivaturæ in se pœnas nobis cæteroquin debitas & infligendas; verùm etiam ejus Justitia & Severitas adversus peccatum, quod maluit in proprio suo Filio, cui ideo non pepercit, punire & vindicare, quam illi omnimodam impunitatem concedere. Hanc Dei Justitiam in morte Christi pro nobis contemplandam proponit passim Scriptura, nominatim Rom: III, 25. Quod si remissio peccatorum foret opus meræ Clementiæ Divinæ, non videmus quî ad id opus fuisset Christi sacrificio, aut quî statueretur hoc Sacrificium Christi, *nos in scelerum nostrorum remissionis & porrò cœlestis patrimonii consequendi exploratissimam spem adducere*. Nisi enim hoc sacrificium fuerit verè & propriè ἱλαστικὸν sive propitiatorium pro peccatis nostris, nihil amplius ad id contulerit, ex sententia Adversariorum, quam cæremoniæ legales, quæ, ut antea dixit Volkelius, ex præscriptione Dei confectæ nullum de supplicii remissione dubitandi locum relinquebant.

Quod

Quod à truculenta] Primùm non potuit Sacrificium Christi *à truculenta illius morte principium ducere*, si Christus non est constitutus Sacerdos, ut volunt Sociniani, nisi post quam resurrectionem ex mortuis; Sacrificium enim & Sacerdos sunt correlata, quæ se mutuò ponunt & tollunt: Imò per prius intelligitur quis jam esse Sacerdos, antequam Sacrificium suum aggrediatur. Deinde falsum est Sacrificium Christi nonnisi inchoatum fuisse in ipsius morte, & *nunc in cœlesti tabernaculo ritè peragi*: Suo enim loco demonstravimus in tabernaculo cœlesti nihil aliud fieri, quam Sacrificii semel oblati, immolati & consummati in cruce, jugem repræsentationem, ad illius efficaciam & vim electis & credentibus applicandam: Non potest censeri id *nunc* usque & usque peragi, quod ἅπαξ & ἐφάπαξ factum fuisse, imò non potuisse nisi semel fieri & peragi, tam sæpè asserit Scriptura.

In Christi enim morte] Malè mors Christi statuitur hujus sui Sacrificii duntaxat *initium*, ut modò dixi: In illa verò non tantum debemus Dei & Christi erga nos *amorem* perspicere, sed etiam atrocitatem peccati & jus Dei in illo puniendo & vindicando; unde emergit certa indemnitatis nostræ fiducia, quod Christi livore sanemur, & factus sit peccatum pro nobis ut essemus justitia Dei in ipso.

In hoc Pontifice] At verò nihil ineptius quam ea quæ sunt Sacrificii in suo formali, confundere cum conditionibus Sacerdotis: Adhæc accessorium non tollit principale: Nec ideo desinunt esse passiones Christi, ceu victimæ pro nobis oblatæ, satisfactoriæ & meritoriæ salutis, eo quod ex illis certum quoque colligamus argumentum de ipsius erga nos indubitata misericordia; imitati illius quæ dicebat apud Poetam, *Haud ignara mali miseris succurrere disco.*

In ejusdem gloriæ] Sed amplitudo hæc gloriæ non est de formali conceptu Sacrificii Christi, nec alium habet ad illud respectum quam necessariæ consequentiæ. Tum ex illa Christi gloria id colligimus, & plenè satisfactum fuisse Sacrificio mortis suæ Justitiæ Divinæ pro nobis, à qua per consequens nihil amplius habeamus metuendum; (nisi enim perlitasset in illo Sacrificio suo, non potuisset ex morte se proripere;) & illum haud gravatim hac nunc fruentem potentiâ & gloriâ, nobis applicaturum sui Sacrificii efficaciam, eaque collaturum de facto beneficia salutaria, quæ merito & pretio suæ mortis nobis sufficienter impetrare dignatus est.

Fieri-ne igitur potest] Imò fieri-ne posset *ut de absolutissima peccatorum nostrorum expiatione dubitare nobis in mentem veniat*, quam Christum suo sanguine nobis confecisse est certissimum; ut hic non nuda tantum rei declaratio, sed certa & indubitata illius effectio per mortem Domini veniat consideranda.

Vt enim jam ad alterum expiationis significatum, nimirum ad expiationem, quę reipsa fiat, veniamus; quis non animadvertat, magnam etiam hac in re, inter hunc nostrum illumque veterem pontificem, similitudinem esse, quòd quemadmodum omnibus, quæ ad sacra illa conficienda pertinebant, ex divino instituto peractis, peccatorum expiatio, i. e. à peccatorum pœnis liberatio, omninò consequebatur: ita Christus, postquam ex mortuis excitatus in cœlum ingressus est, statim & ipse in vitæ æternæ possessione collocatus, & nos à mortis vinculis emittendi, sempiternaque felicitate donandi, summam potestatem adeptus est. Vnde consequitur, mortem, quæ peccati pœna est, nullum in nobis habere dominatum, sed nos à morte in

vitam beatasque illas sedes migraturos: ut rectissimè ab Apostolo dicatur, (*Ephes: 2. 4.*) nos unà cum Christo in cœlesti domicilio esse collocatos.

‡ *Ut enim jam ad*] Quin, si hæc duo significata venissent hîc consideranda, schema fuisset invertendum. Nam ad effectionem expiationis, pertinuit mors Christi; ad illius declarationem & confirmationem, gloria quæ sequuta est. Sed malunt Sociniani omnem naturalem rerũ ordinem evertere, quam non subruere Sacrificium propitiatorium mortis Christi & Satisfactionem in illo pro nobis. Ad hæc perpetuò confundit Volkelius Sacrificium cum Sacerdote; cùm tamen aliter expiaret Sacrificium, aliter Sacerdos, ut suo loco observavi. Præterea non amplius hîc tribuitur Sacrificiis & Sacerdotibus quoad ipsam expiationem & ejus effectionem, quam quod illis modò tribuebatur quoad meram expiationis declarationem. Nam suprà quoad expiationis declarationem dixerat Volkelius, quod *ea illorum Sacrificiorum erat ratio, ut iis ritè peractis populo de peccatorum condonatione persuasissimum esset*, &c. Nunc vero quoad illius effectionem, statuit *quod omnibus quæ ad sacra illa conficienda pertinebant ex Divino instituto peractis, peccatorum expiatio, idest à peccatorum pœnis liberatio, omninò consequebatur.* Quæ duo sanè quomodo inter se differant, nequidem Epidaurius serpens perspicere posset. Deinde cum ordine naturæ & temporis expiatio in facto esse præcedere debeat persuasionem populi de illa peracta, ordinem tamen invertit Volkelius, atque aratrum ponit ante boves; siquidem prius agit de expiatione declarativè, quam de illa effectivè; imò fingit illam hanc præcedere, quod est absurdissimum: Nam talis declaratio falsa foret, nisi per prius conciperetur peracta jam esse res declaranda. Taceo quod peractis Sacrificiis legalibus nonnisi typica aut cæremonialis expiatio sequeretur; cùm nequeat sanguis taurorum & hircorum auferre peccata Heb: x, 4. & quod ad illam expiationem typicam non se haberent tantum antecedenter & declarativè, sed etiam formaliter & effectivè.

Peccatorum expiatio, idest] Propitiato & placato Deo ratione peccatorum, sequitur *à peccatorum pœnis liberatio*; sed causa cum effectu, antecedens cum consequente, confundi non debet. Tum ipsa liberatio à peccatorum pœnis, potest considerari, vel ut est à victima, suâ morte placante Deum, & eam liberationem conficiente atque promerente; vel ut est à Sacerdote, eam victimam in illum finem mactante & offerente, ejusque efficaciam & vim determinante & applicante ad hunc vel illum peccatorem, Deumq; rogante ut hanc applicationem ac determinationem ratam & gratam habeat; vel ut est ab ipso Deo, admittente illam victimam in odorem placamenti, & illius vim juxta mentem & preces Sacerdotis extendente ad hos & illos peccatores pro quibus oblata fuit, ut in posterum justificati coram se nulli ampliùs pœnæ supersint obnoxii. Hæc necessariò distinguenda, studio confundit Volkelius, ut Soli ipsi tenebras offundat, & rem per se facilem & perspicuam, quod sibi adversetur, difficiliorem & intricatiorẽ reddat.

Ita Christus postquam) Distinguendum esse inter jus ipsum & exercitium illius, res est notior quam quæ multis debeat explicari. Rex puer habet jus regnandi vi natalium suorum in Regno successivo; sed exercitium illius juris non ante indipiscitur quam majorennis fuerit renunciatus, & solemni ritu plerumque inauguratus & coronatus. Jus sacri Ministerii exercendi, confertur Ordinato per χειροθεσίαν, sive μετ' ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου, ut loquitur Paulus 1 Tim: iv, 14. Sed determinatum exercitium

tium illius juris obtingit Ordinato per χειροτονίαν Ecclesię alicujus, sive per illius electionem & vocationē ad gregem aliquem specialem. Ita Christus suâ morte, sive suipsius sacrificio piaculari pro nobis, jus sibi obtinuit *nos à mortis vinculis emittendi, sempiternaq; fœlicitate donandi*, cùm *per mortem suam aboleverit eum qui habet imperium mortis nempe diabolum*, ut docet Paulus Heb:II, 14. Sed juris illius exercitium plenum, suâ demum exaltatione & assumptione in gloriam est consequutus: Quamvis jam aliquando illud etiam tempore infirmitatis suæ exeruisset, & præsenti confirmasset miraculo, quo voluit constare *potestatem habere Filium hominis in terra remittendi peccata* Matt:IX, 2.6. Jus ipsum remittendi peccata, fundatur in Christi Sacrificio cruento, propitiatorio & satisfactorio pro peccatis, & sic impetratorio remissionis peccatorum; Sed jus illud nunc glorificatus exercet Christus, illius suæ Satisfactionis & propitiationis vim atque efficaciam electis suis convenienter & potenter applicando.

Unde consequitur] Id verò consequitur ex morte Christi pro nobis: unde tam sæpè dicimur ejus sanguine redempti, sive ut loquitur Apostolus Eph: I, 7. *in eo habere redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem lapsuum, ex divite ipsius gratia.*

Ut rectissimè ab Apostolo] Bifariàm sumus *unà collocati in cœlis in Christo Iesu*, ut habet Paulus Eph:II, 6. Primò meritoriè, in quantum nobis hanc secum exaltationem meritus est suâ morte: Ideo dicebat Dominus Joh: XII, 32. significans quâ morte erat moriturus, ut Euangelista interpretatur, *Ego si sublatus fuero è terra, omnes traham ad meipsum.* Quia enim mortem oppetiit pro nobis & loco nostro, adeo ut illo uno pro omnibus nobis moriente, nos omnes mortui censeamur 2 Cor:V, 15.19. ita eo resurgente & ascendente in cœlos, nos unà resurrexisse & ascendisse in cœlos dicimur, quia suâ pro nobis morte nobis reverâ meritus est resurrectionem gloriosam & fœlicitatem æternam, quam adibimus suo tempore: Hinc Paulus, loco quem Volkelius citat, sic habet: *Deus nos cum in offensis mortui essemus, unà vivificavit cum Christo, cujus gratiâ estis servati, unàque suscitavit, unàque collocavit in cœlis in Christo Iesu.* Secundò præparatoriè, quatenus tanquam *præcursor pro nobis ingressus est intra velum* Heb: VI, 19. 20. quò profectus est *paraturus nobis locum* Joh: XIV, 3. ut jam in ipso & per ipsum simus quodammodo in possessione fœlicitatis supernæ, tanquam membra in capite, quæ suo ordine & tempore eodem traducentur.

Ex dictis autem haud difficile fuerit colligere, Christi sacrificium illis legalibus ita respondere, ut insuper ea longissimè superet: idque tum expiationis declaratione, tum ejusdem effectu. Illæ namque oblationes utrumque quidem præstabant, sed non propriâ vi, ut suprà monuimus; verùm solâ Dei constitutione. Quid enim vel mactatio, vel oblatio victimæ, suâ naturâ cum remissione peccatorum commune habet? At Christi oblatio, præter divinum institutum, magnam in utroque efficacitatem habet. Ipse enim cœlos penetravit, & sese Deo pro nobis obtulit ab omni macula purissimum, atque in dextra throni Dei consedit. (*Heb: 9. 14. 7. 26. 8. 1.*) Quare non solùm ipse in
152. cœlesti domicilio habitans, ab omni infirmitatis & mortalitatis contagione segregatus est, sed etiam aliis ejusdem felicitatis largiendæ potestatem habet: adeoque non tantum spem nobis facit tanti boni, in quo remissio peccatorum

catorum nostrorum continetur, adipiscendi; verùm etiam id reipsâ nobis daturus est.

1 *Ex dictis autem haud*] Ex superioribus duo hic reteguntur errores: Nam Sacrificia legalia non erant simpliciter *declarativa*, sed suo sensu *effectiva* ipsius expiationis, quia erant typicè & quoad maculas carnis formaliter piacularia & propitiatoria. Deinde non propriè erant effectiva expiationis in foro poli, nec ad id reverà constituta, sed in sua σχέσει Legali ordinabantur ad convictionem peccati, & τοῦ δικαιώματος Dei assertionem; in sua σχέσει Euangelica ad Sacrificii perfectioris, à Christo suo tempore offerendi in unicum & perpetuum omnium servandorum ἱλαστήριον, adumbrationem & significationem. Veniebant enim sub illo duplici vultu & usu ex sua Institutione consideranda, ut cæteroquin cederent eorum exitio qui ab illis in suo esse absoluto, & tanquam ex opere operato, ut loquuntur Scholæ, suam expiationem coram Deo præstolari voluissent. Tanto igitur superat Sacrificium Christi Sacrificia legalia, quantò umbras corpus ipsum, expiationes typicas & sordium legalium, sive carnis, realis expiatio peccatorum in foro conscientiæ & plena Dei irati propitiatio & reconciliatio, quam reverà efficit Sacrificium Christi, idest mors illius, in qua voluit esse victima piacularis peccatorum nostrorum 2 Cor: v, 19. 20. 21. Etenim mors Domini non declarabat tantum nobis olim remissum iri nostra peccata, sed ipsum Deum placabat, eumque nobis reddebat propitium, ut jam ἱλασκόμενος & factus propitius per satisfactionem præstitam Justitiæ suæ morte Christi, nullas amplius pœnas pro peccatis nostris velit exigere, ut pote quas sufficienter & plenè penderit Christus pro nobis; ac ideo istud debeamus audire cum lætitia & fiducia quod exstat Es: xl, 1. 2. *Consolamini, Consolamini populum meum, dicit Deus vester: Loquimini quæ sunt cordi urbi Ieruschalaimorum; & prædicate ei completum esse tempus præfinitum ejus, exsolutam esse iniquitatem ejus, eam accepisse è manu Iehovæ* (in Christo scilicet sponso & sponsore suo, attrito ab iniquitatibus nostris Es: liii, 5.) *duplum pro omnibus peccatis suis.*

Quid enim vel mactatio] Ita est, si victima ἄλογος intelligatur: adeoq; legalia Sacrificia ad id nihil omninò proderant & conferebant, ut visum suo loco. Hic autē latet fraus triplex Volkelii: Prima quod victimę mactationē ab illius oblatione distinguit: cùm victimæ mactatio, immolatio, oblatio, nomine differant, re conveniant, ut acinacis & gladius: Nam Latinis mactare est *sacrificare victimis cæsis*; ac sicut *offerimenta*, inquit Sextus, *dicebant quæ offerebantur*, ita non minus oblatio quam mactatio actum ipsum sacrificandi denotat: Nec video quid posset concipi discriminis, ex usu Scripturæ, inter θυσίαν, idest mactationem sacram, & προσφοράν idest oblationem: Offerebatur victima cum adducebatur ad altare; Hinc קורבן *Korban*, est *oblatio*, à radice קרב *Karab*, *appropinquavit*, & in Pihel *appropinquare fecit, adduxit*: Quod si distinguendum foret inter mactationem & oblationem, juxta usum Scripturæ, oblatio præcederet mactationem; quia victima ante adducebatur ad aram & per consequens offerebatur, quam mactaretur in ara aut absumenda illi imponeretur. Θυσία καὶ προσφορά synonyma sunt Eph: v, 2. Heb: x, 5. Non omnium victimarum sanguis inferebatur in Sanctuarium, omnium tamen oblatio fiebat, quam ab earum mactatione & immolatione distinctā, nescio ubi repererit Volkelius, vel in quo alio actu constituere potuerit. Secunda fraus Volkeliana hic est, quod victimarum lega-

 lium

lium mactationi & oblationi, opponit Christi non mactationem, sed tantum oblationem. Nam ex falsa suppositione quod hæc duo sint distinguenda, posterioris tantum meminit respectu Christi, ne ejus mactationem sive mortem Sacrificalem faciat. At verò si victimarum legalium oblatio significabat Sacrificium Christi, cur non etiam eò pertinuerit earundem mactatio, quæ sacra & sacrificalis erat? Aut si hæc duo, mactatio & oblatio, tanquam duæ partes diversæ, debebant distingui in Sacrificiis legalibus, cur unicâ oblatione Sacrificium Christi constare statuetur? Tertia fraus Volkelii in eo sita est, quod oblationem Christi non constituat in illius αἱματεκχυσίᾳ & cruenta morte pro nobis, semel facta in cruce, ut factum oportuisset cum universa Scriptura, Heb: v, 5. ix, 14. 28. x, 8. 10. 12. 14. Eph: v, 2. 1 Pet: ii, 24. Es: liii, 10. 12. sed in illius θυσίας, προσφορᾶς & oblationis semel factæ in cruce, jugi repræsentatione apud Deum, quæ tamen nec ex usu Scripturæ, nec ex rei veritate, ipsiusmet Christi oblatio statuenda est.

At Christi oblatio] Primò si datur *institutum divinum* in Christi oblatione quod respondeat instituto Divino in Sacrificiis legalibus, debet ergo agnosci multo magis ex instituto Divino Christum mortem pro nobis oppetientem, loco nostro substitutum & subrogatum fuisse, ut aries substitutus fuit in locum Isaaci & immolatus loco ipsius. Secundò, non tantum ex instituto Divino, sed ex rei natura, oblatio Christi summæ fuit efficaciæ, non modò ad declarandam, sed revera ad perficiendam nostram expiationem, Deumque nobis reddendum propitium; sive spectemus personæ suæ dignitatem infinitam; sive ultroneam ejus submissionem ad pœnas, quæ nobis cæteroquin debebantur, sustinendas; sive illarum pœnarum acerbissimarum & dirissimarum, in quibus non modò *peccatum* sed etiam *maledictio* factus fuit pro nobis, adæquationem cum nostris demeritis. Verùm ista dissimulant adversarii ex internecino quo flagrant odio adversus mortem Christi, & jugi studio evacuandæ crucis illius.

Ipse enim cœlos] Sed oblatio Christi quâ sese pro nobis obtulit Deo ab omni macula purissimum, præcessit ejus Ascensionem in cœlos & Sessionem ad dextram Dei. Heb: ix, 14. oblatio quâ Christus *per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo*, conceptis verbis constituitur in sanguinis sui effusione pro nobis: Opponitur enim ibi hîc sanguini hircorum & taurorum *sanguis Christi*, qui per Spiritum ęternum seipsum obtulit inculpatum Deo, & illi sanguini tribuitur quod *emundet conscientiam nostram à mortuis operibus, ad colendum Deum vivum.* Heb: vii, 26. 27. non dicitur quod cœlos penetrando semetipsum obtulerit pro nobis; Sed tantum 1. describitur quoad dignitatem & sanctitatem personæ suæ, qualis sit noster Pontifex, videlicet *sanctus, ab omni malo alienus, sine labe, separatus à peccatoribus & sublimior cœlis factus; & cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Pontificibus* Leviticis, *priùs pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi.* 2. Proponitur quantum ad officii sui executionem, quod id ipsum quod faciebant quotidie Pontifices Levitici, θυσίας ἀναφέροντες, fecerit Christus ἐφάπαξ ἑαυτὸν ἀνενέγκας: Id autem factum esse in illius morte (prout constitutum est omnibus hominibus ἅπαξ ἀποθανεῖν, Heb: ix, 28.) & res ipsa loquitur, & agnovit Syrus interpres, qui ita hunc locum reddidit; *Hoc enim fecit uno tempore, per animam suam quam obtulit.* Heb: viii, 1. dicitur qualis sit noster Pontifex, & ubi nunc agit; sed non quod demum postquam consedit ad dextram throni majestatis illius in cœlis, oblationi suipsius vacare incœperit: Addo quod Christi oblatio pro nobis, fuit actio transiens & semel facta; ipsius comparitio pro nobis in cœlis ac Sessio ad dextram Dei, est actio perma-

permanens & successiva, quæ continuat à multis sæculis & continuabit in æternum.

Quare non solum ipse] Hæc illius potestas ad nos beandos fundatur in mortis suæ merito, & satisfactionis quam in illa pro nobis præstitit inexhausto pretio: Nec opus est ut hîc repetam distinctionem quam ante proposui inter jus ad aliquid faciendum & exercitium illius juris: satis est, quod illa Christi potestas, ejus Sacrificio & morte pro nobis omninò nitatur, nostraque spes omnis & fiducia ex plenissima & absolutè necessaria ad remissionem peccatorum apud justissimum Deum consequendam, Satisfactione ejus dependeat.

Ex quo consequitur, etiam hac re Christi sacrificium priscis illis antecellere, quòd, cùm illa à scelerum reatu seu supplicio tutos redderent homines; ab ipsis tamen sceleribus eos revocare nequaquam poterant: Christi autem oblatio & hoc & illud perficit. Cùm enim per hanc suimetipsius oblationem spem sempiternæ felicitatis certissimam nobis faciat, hac tamen lege, ut à vitæ pravitate ad pietatis studium convertamur: nonne manifestum est, eum ita etiam peccata nostra expiare, ut nos ex illorum laqueis prorsus expediat, nosque tanti boni spe ac desiderio adigat, ut pietati nos penitus addicamus? Hanc autem vim piscas illas oblationes minimè habuisse, inde facilè constat, quòd sæpè, id est, quotannis repetebantur; quod fieri neutiquam opus fuisset, si eos, pro quibus offerebantur, à peccatis abducere potuissent.

‡ *Ex quo consequitur etiam*] Quo sensu Sacrificia legalia *à scelerum reatu seu supplicio tutos redderent homines*, hactenus explicavi. Sed hoc in nemine præstabant quẽ eodem modo *à sceleribus* non revocarent: Nec enim habebant annexam remissionis peccatorum promissionem, nisi sub conditione resipiscentiæ & conversionis. Ideo dies propitiationis erat simul dies pœnitentialis & humiliationis coram Deo Levit: XVI, 29. XXIII, 27. Imò Judæi etiamnum hodie volunt se videri per varios actus pœnitentiæ præparare ad festum *Cippurim*, sic ut totos dies decem qui illud præcedunt, vocent עשרת ימי תשובה *Gnasereth Ieme teschuvah*, *decem dies conversionis* sive *pœnitentiæ*, de quibus videatur Buxtorfius *Synag. Iud. cap.* 19. 20. 21. Quin eo nexu indivulso cohærent hæc duo beneficia remissionis peccatorum sive Justificationis, & Sanctificationis, ut separari nequeant. Nemini remittuntur à Deo sua peccata, nisi resipuerit & crediderit. Habet autem omnis vera & seria pœnitentia annexum propositum emendationis vitæ & pietatis studiũ; quod si in aliquo olim deerat, ejus Sacrificia omnia illi in crimina & sacrilegia abibant. Imò cum non alia fuerit remissio peccatorum quæ obtingebat piis, etiam mediantibus Sacrificiis illis typicis, ab ea quæ directè per Christum nobis nunc annunciatur, (nam extra Christum ab orbe condito ullum justificatum & remissionem peccatorum consequutum fuisse, tam falsum est & impossibile, quam absurdum & impossibile, vel ullum justificatum coram Deo apud ipsum non glorificatum iri, vel aliquem esse glorificandum & vitâ donandum extra Christum, in quo solo omnes vivificantur 1 Cor: XV, 22.) absurdè opponitur remissio peccatorum quæ in Sacrificiis legalibus obtinebatur, remissioni peccatorum quam per Christum consequimur; cùm illa quoque per Christum suo tempore exhibendum, ceu illis Sacrificiis significatum & adumbratum, & verâ fide in illis amplectendum, procederet.

Christi autem oblatio] Sed quod hęc physicè ac reverâ præstat, legales præstabant typicè & significativè: cùm non aliter *à scelerũ reatu seu supplicio tutos redderent homines*, quã etiam *hac lege ut à vitæ pravitate ad pietatis studium* converterentur: Imò Justitiæ Dei repugnat homini impœnitenti & obfirmato in suis sceleribus, si talis permanserit, scelera sua remittere & impunitatem promittere ac concedere. Porrò oblatio quidem Christi, sive mors illius, non solùm nobis parit remissionem peccatorum, ablato à nobis eorum reatu, ut propter illa non veniamus plectendi, sed etiam nobis ingenerat pravitatis odium & studium pietatis; Verùm id non fit duntaxat eo quod Christus *spem sempiternæ fœlicitatis certissimam nobis faciat, hac* demum *lege ut à vitæ pravitate ad pietatis studium convertamur*; Nam ea est nativa nostra corruptio, cœcitas & perversitas, ut parum illa conditionali promissione permoveremur, nisi ad externam hanc legem ei appositam alia graviora accederent; Ipsa Lex, quæ nihil ad perfectionem adduxit, nihilominus *spem sempiternæ fœlicitatis certissimam* faciebat, sub conditione obedientiæ & pietatis, *Hoc fac & vives*: Non illicò homines ab ipsis sceleribus revocantur actu, quod *à vitæ pravitate ad pietatis studium*, sub promissione vitæ æternæ extrinsecè inuitantur: Ad tales & inuitationes & promissiones obsurdescunt plurimi: majoris faciunt plerique momentaneas delicias peccati, quam promissam remunerationem: Præsentibus evanidis bonis magis inhærentes, quam futuris æternis, instar illius qui regulum mavult in cavea, quam aquilam in nubibus, arbitrantur se spem pretio grandiori emere, si propter illam faciant jacturam voluptatum suarum. Sed Christi morte abducimur à peccatis, quod Lex præstare non poterat, quia illâ sui oblatione nobis meritus est non solum indemnitatem apud Deum & beneficium Justificationis, sed etiam ei necessariò annexam Sanctificationis gratiam per Spiritum Sanctum, qui occultiori penicillo imaginem Dei restauret in mentibus nostris: Hinc est quod Christus nobis dicitur factus non solùm Justitia & Sapientia, sed etiam Sanctificatio & Redemptio 1 Cor: 1,30. Quin ea est vis mortis & crucis Christi per fidem susceptæ & implantatæ cordibus nostris, in ἀντίλυτρον nostrum coram Deo, ut non solum exemplariter sed etiam efficaciter veteris hominis mortificationẽ & crucifixionem operetur, ac corruptionis inhabitantis expugnet reliquias Rom: VI, 4. Gal: II, 20. VI, 14. Col: III, 1. 2. 3. 5. Tim: II, 14. Absit ut abeat gratuita remissio peccati, in peccandi permissionem & licentiam: Et cum fides, quâ remissio peccatorum suscipitur, & resipiscentia quâ vitæ pravitate rejectâ studetur pietati, pari passu ambulent, non potest hæc non reperiri ad Sanctificationem ubi illa ad Justificationem præstò est.

Ita etiam peccata] Interea cavendum ne expeditio illa ex laqueis *peccatorum* quæ aliàs committerentur, confundatur cum expiatione eorum quæ commissa fuerint. Per hanc enim tollitur reatus qui actu est; at per illam is tantum prævenitur qui aliàs esse posset.

Ac desiderio adigat] Benè est quod aliquam *adactionem* & coactionem hic agnoscat Volkelius, quam tamen non dixerit adversari libero arbitrio; unde debuisset agnoscere, nostræ illi in agendo libertati, quam omnes confitentur, omnem necessitatem non adversari. Illa verò tanti *boni spes ac desiderium* tam efficax, non externo duntaxat præconio Euangelii, sed interno & potenti per illud afflatu Spiritus Sancti & inhabitantis gratiæ in nobis excitatur.

Hanc autem vim] Nec sanus quisquam parem vim tribuet ad alterutrum Sacrificiis legalibus, quæ est vindicanda Sacrificio Christi; cùm neutrius respectu quicquam effecerint nisi per hoc, & in quantum

tum in illis significabatur & repræsentabatur. Verùm annua illa eorum repetitio, de qua Paulus disserit Heb: x, 1. 2. 3. non eò facit ut probetur per illa homines præstitos fuisse tutos à supplicio, non tamen à sceleribus revocatos, idest inserviisse quidem ad remissionem peccatorum conficiendam, non verò ad promovendam conversionem & pietatem; sed è contrario, ut demonstretur quod in se & ex se nullius essent virtutis ad ipsam propitiationem & peccatorum remissionem obtinendam: unde dicuntur non potuisse τελειῶσαι, vocabulo à Sacris eorumque effectu mutuato, qui illa offerebant, ita ut semel purgati à suis delictis, nullam amplius haberent συνείδησιν ἁμαρτιῶν, idest nullâ tenerentur sollicitudine & anxietate conscientiæ de suis peccatis, ceu jam per talia expiatis & remissis; cùm è contrario per talem istorum Sacrificiorum renovationem, solemnis eorum fieret commemoratio, quæ infandum misero peccatori jubebat renovare dolorem: quod Apostolus illi axiomati generali inædificat com. 4. *Impossibile enim ut sanguis taurorum & hircorum auferat peccata.* Igitur hoc sibi vult Apostolus, illa Sacrificia legalia nullius virtutis & efficaciæ fuisse, oppositè scilicet ad oblationem Christi & absque illa, ad expiationem & expurgationem peccati; idque argumento duplici, quorum posterius desumitur ab ipsa materiæ oblatæ vilitate & inadæquatione ad nostras animas; vilior enim est anima bestiæ, quæ in illius sanguine sita est, quam ut animæ humanæ λύτρον sit apud Deum; prius vero ab eorum quotidiana repetitione, quæ satis prodebat aliud quærendum Sacrificium propitiatorium quo omnia nostra peccata simul & semel inducerentur & tollerentur. Corpus quidem nostrum per partes alitur & sanatur: Etiam mentis nostræ tenebræ paulatim dispelluntur, & cordis nostri durities sensim emollitur; erga Deum quoq; tenemur quotidie ad duplicem Confessionem, *fraudis* scilicet in peccatorum nostrorum commemoratione & agnitione, & *laudis* in gratiarum ob beneficia accepta actione: Sed non satisfit Deo per partes, neque per partes quisquam apud Deum absoluitur. Itaque nihil obstat quo minus iterentur cibi, emplastra, potiones Medicorum, Eucharistica Sacrificia: Satisfactio vero propitiatio-ve pro peccatis, aut nulla prorsus est apud Deum, aut est valoris infiniti eoque non iteranda.

Vnde apparet, Christi oblationem Legis victimas eò etiam antecedere, quòd per illam parta expiatio æterna sit; harum vis temporaria tantùm. Inde enim ista, quam explicuimus, legalium victimarum imbecillitas proficiscebatur, quòd non æternas, sed temporarias tantùm; nec quorumvis, ut postea dicemus, sed certorum tantùm delictorum unius anni præcedentis, pœnas tollerent. Quare cum futuræ vitæ spem hominum animis inserere non possent; efficere etiam non poterant, ut homines à delictis in posterum abstinerent, & sic curarent. ne eadem expiatione denuo egerent.

‡ *Unde apparet Christi*] Imò potiùs *harum vi* nulla. Ubi enim est ulla expiatio peccati apud Deum, ea æterna est. Non patitur ejus bonitas ut reviviscat apud se reatus semel ablatus, & peccatorum semel dimissorum pœnas de novo exigat.

Inde enim ista quam] Potiori jure dixeris ex illa imbecillitate factum fuisse quod effectum salutarem consequi non possent: ipsa verò hæc imbecillitas & ineptitudo ad nobiliores effectus, venit adscribenda eorum conditioni, quod merè

merè umbraticæ essent, magis destinatæ ad refricandam memoriam peccatorum, quam ad eorum reatum abolendum, vel ideo quod *impossibile* sit, juxta Paulum, sanguine hircorum & taurorum auferri & aboleri peccata. Tam profunda vulnera aliâ egent panaceâ, & nobiliori smegmata debent tam infames sordes elui.

Quod non æternas sed temporarias] Sed primò nullus Socinianus poterit unquam explicare, quænam fuerint illæ temporariæ pœnæ, quæ per victimas legales tollebantur; cùm nec minus quam cœteri homines morti temporali aliisque hujus vitæ communibus ærumnis fuerint obnoxii Judæi sacrificantes Deo; quod & notatum Salomoni Eccl: IX, 2. eundem esse eventum quoad externa *justo & improbo, tam sacrificanti quam ei qui non sacrificat*; & Israelitæ tum quandoque gravioribus ærumnis & persecutionibus fuerint obnoxii, cum diligentiùs vacabant cultui Levitico; quod non solum comprobant tempora Antiochi Epiphanis, sed colligitur evidenter ex Psal: XLIV, 18. 19. 20. 21. 22. 23. ubi profitentur quod in suis calamitatibus non fuerint obliti Dei, neque declinaverint ab illius fœdere & semitis; sed propter ipsummet Deum occiderentur quotidie, & instar pecudum mactandarum haberentur. Secundò bonitati Divinæ repugnat ut dimidiatam indulgeat remissionem peccatorum, ita ut vel pœnas æternas dimittat, reservatis temporariis, vel solas temporarias, reservatis æternis:

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit,
Vel nihil vel totum te lachrymante dabit.

Tertiò mirum est Volkelium hac uti pœnarum distinctione, cùm revera Sociniani nullas pœnas æternas agnoscant: Statuunt enim nullos dolores nullosque cruciatus post mortem hanc temporariam esse impiis expectandos vel metuendos. Quartò statui oporteret omnes Israelitas pœnis æternis fuisse adjucandos, si temporariarum duntaxat relaxationem omni suo cultu tam operoso consequebantur. Itaque statuendum est victimas legales, vel in suo esse absoluto, vel in suo esse relativo legali, nullas omninò pœnas abstulisse; cùm è contrario pœnas intenderent eorum qui illis priori sensu considerátis ullam sui expiationem tribuissent; & posteriori nihil aliud quam reatum suum & pœnæ meritum peccatori sacrificanti ostenderent. Sed in suo esse relativo Euangelico, prout ad Christum ducebant, illumque significabant, tollebant significativè omnes pœnas fidelium, idest significabant ipsis omnis sui reatus extinctionem per agnum Dei tollentem peccata mundi in illis ipsis victimis legalibus adumbratum, significatum & fide apprehendendum.

Nec quorumvis, ut postea] Quo pacto vel tollerent vel non omnes pœnas, modò dictum: In Sacrificio annuo, debemus distinguere ipsummet Sacrificium quà ἱλαστικὸν, & ejus repetitionem. Quà Sacrificium erat propitiatorium universale, & ad omnia peccata *& ad omnes* pœnas extendebatur: Sed annua illius repetitio, duplici usui inserviebat; Primò ad erudiendos Israelitas non esse quod ex istiusmodi ritibus & victimis in suo esse absoluto, veram τελείωσιν exspectarent; cùm juxta Pauli argumentum Heb: X, 1. 2. 3. eo ipso illorũ imbecillitas & ineptitudo poneretur ob oculos; Deinde ad magis urgendam, (prout illa duriora tempora exigebant) χρῆσιν legalem istorum omnium rituũ, quod ita solemnior fieret ἀνάμνησις peccatorum, & reatus suus peccatoribus ipsis magis inculcaretur, quo ardentiori animo, mente, fide, propitiationem suam in Dei misericordia per Messiam promissum & exhibendum quærerent: Ita enim legem fuisse *pædagogum* ad Christum docemur Gal: III, 24.

Quare cum futuræ] Imò illi spei excitandæ firmandæque inserviebant per suam χρῆσιν Euangelicam, & prout Christum

Christum adumbrabant atque significabant; & tantum abducebant homines ab aliis peccatis committendis, quantum expiabant peccata jam commissa: Unà enim homines obligasse ad Mortificationem & Resipiscentiam, absq; cujus studio nulla fit delicti ullius remissio apud Deum, nequidem ipsi Judæi in dubium revocaverint: Errat itaque Volkelius toto cœto in assignanda causa istius annuæ repetitionis; quam modò veram eamque duplicem ex Apostolo deprompsimus.

At alia sacrificij Christi ratio est. Redemptio enim, seu expiatio per Christum inventa, æterna à divino spiritu (*Heb:9.12, 10.14.*) perhibetur; & unica eum oblatione in perpetuum perfecisse sanctificandos seu expiandos, asseritur. Nempe quia oblatione suâ omnes, non temporarias tantùm, sed & æternas peccatorum omnium pœnas, ab omnibus iis aufert, qui in ipsum vel unquam crediderunt, vel porrò credituri sunt: siquidem hujus ipsius rei potestatem oblationis suæ interventu est adeptus: & cum futuræ felicitatis spem certam eorum qui expiantur animis inserat, ita eos à peccatis abstrahit, ut alio sacrificio, quo expientur, non indigeant. Ex quo intelligitur, expiationem, quam Christus perficit, ad intimos hominum sensus penetrare, & conscientias eorum, ut itidem divinus spiritus testatur (*Heb:9.14.*) purgare. Quod cum non præstiterint legales illæ oblationes, utpote in corporis tantùm maculis expurgandis propriè occupatæ; meritò à divino illo autore (*ib:10.*) ad tempus correctionis, quod novi Fœderis tempus est, duraturas fuisse dicitur. 153.

‡ *At alia Sacrificii*] Hanc diversitatem jure agnoscimus, ut pote quæ necessariò venit constituenda inter typos & prototypum, umbras & corpus, figuras & veritatem. Dicatur itaque *Redemptio* quam Christus nactus est *æterna* Heb:IX, 12. per oppositionem ad λύτρωσιν illam legalium victimarum, quæ erat σαρκικὴν, umbratica & evanida. Dicatur *unicâ eum oblatione in perpetuum perfecisse*, sive consecrasse, τοὺς ἁγιαζομένους (idest non *sanctificandos seu expiandos*, ut minus commodè reddit Volkelius, sed *eos qui sanctificantur*, sive *sanctificatos*, ut omnes habent interpretes Heb: x, 14.) quo tantò magis declaretur hujus suæ oblationis ὑπεροχὴν præ omnibus Sacrificiis legalibus, quod hac simul & semel peractâ id plenissimè & in perpetuum sit effectum, quod illa tam multiplicia, & iterum iterumque repetita, ut rediret labor actus in orbem, nunquam præstare potuerunt. Æternum tamen Sacrificium Christi non est dicendum, quod *non temporarias tantum sed & æternas peccatorum omnium pœnas* auferat, ac si priores tantum propriâ suâ vi legalia abstulissent: Quin hoc sensu ratio oppositionis perfectæ postularet, ut oblatio Christi æternas tantum pœnas removeret, non item temporarias; siquidem ex falsa hypothesi Volkeliana, temporarias tantum, non etiam æternas, legales victimæ auferebant. Sed statuatur æternum, tum quia est irreiterabile, tum quia virtutis est & efficaciæ æternæ, quæ omnia tempora, imò & sæcula complectitur, tum quia bona nobis illo parta sunt permanentia & æterna: ut verè Christus illud offerens, multo magis quam Zeuxis suas elaborans operas, pingeret æternitati. Quin accuratè loquendo, non ideo æternum est Sacrificium Christi quod à capitibus no-

ſtris arceat pœnas æternas, noſque ſuâ lauro præſtet tutos à fulmine Maledictionis Divinæ; ſed ideo potiùs aufert pœnas æternas, quod ſit virtutis æternæ & pretii ac valoris immenſi & infiniti.

Qui in ipſum vel unquam] Cùm autem etiam in ipſum crediderint fideles & pii V.T. neceſſe eſt ut quoque per ipſum redempti & ſervati ab utriſque pœnis, non verò formaliter per ſua Sacrificia typica, ſtatuantur Act:xv,11.

Siquidē hujus ipſius rei] Interuentu quidem ſuæ oblationis Chriſtus eſt adeptus poteſtatem remittendi nobis noſtra peccata, & nos Deo ſiſtendi tanquā juſtificatos ac extra omnem reatum jam conſtitutos; Sed tamē non ſatis fideliter docet Volkelius quomodo ad hanc *poteſtatem* Chriſto acquirendam ejus oblatio intervenerit: Cogeretur enim fateri hanc interventionem in eo ſitam eſſe, quod in illa ſui oblatione pœnas omnes nobis debitas ſuſtinuerit & exhauſerit; ut vi illius Satisfactionis pleniſſimę, nos jure queat immunes ab ejuſmodi pœnis in poſterum præſtare.

Et cum futuræ] Neque hæc eſt vera ratio cur pii & fideles, jam expiati & juſtificati per Chriſtum, *alio Sacrificio quo expientur non indigeant*, quod videlicet per *futuræ felicitatis ſpem certam*, eorum *animis* inſertam, *à peccatis* abſtrahantur: Nemo enim eſt ita perfectè regenitus in hac vita ut ſubinde non cæſpitet & labatur; nemo ita per Spiritum à peccatis abſtrahitur, quin per carnem contra Spiritum concupiſcentem, ſubinde ad peccata retrahatur: quæ niſi expientur apud Deum, in ſe habent reatum mortis temporalis & æternæ; Sed ideo fideles ſemel expiati & juſtificati per Chriſtum, novâ oblatione quâ expientur non egent, (etſi ſubinde labantur & procul ſint ab ea ἀναμαρτησίᾳ quam Pelagiani ita ſtultè poſſibilem fingebant ut nullum illius exemplum poſſent oſtendere,) quod Sacrificium Chriſti æternæ cùm ſit efficaciæ & virtutis, nemini per fidem unquam applicetur quin ejus vis ſe extendat non modò ad peccata præterita & jam commiſſa, ſed etiam ad ea quæ ex infirmitate humana porrò ſunt ſequutura; prout ſanior Theologia docet baptiſari nos in remiſſionem peccatorum non præteritorum modò ſed etiam futurorum. Ut enim dicunt quidam Iſraelitarum veſtes unà creviſſe per miraculum prout eorum corpora creſcebant per naturam, quod volunt colligere ex Deut:xxix,5. ita poteſt ſtatui vim expiatorii Sacrificii Chriſti coextendi ad peccata fidelium, prout ea numero creſcunt & multiplicantur, quò ubi amplificatur peccatum ibi etiam ſuperabundet gratia, Rom:v,20.

Quod cum non præſtiterint] Sanè cum dicit Apoſtolus Heb:ix,13. ſanguinem taurorum & hircorum & cinerem juvencæ aſpergentem inquinatos *ſanctificare ad carnis puritatem*, eâ voce non intelligit *corporis* maculas & ſordes quæ aquâ ſolent elui, quo ſenſu negatur 1 Pet:iii, 21. nos ſervari Baptiſmo qui ſit σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου; ſed intelligit eas maculas cæremoniales per quas juxta Legem σαρκικὴν, homines excludebantur à cæterorum ſocietate & commercio, potiſſimum in ſacris; quâ merè exteriori impuritate deterſâ per ritus legales, reſtituebantur in integrum, & jus recuperabant ad communem cum reliquis ſocietatem & frequentationem ſacrorum publicorum ac communium.

Meritò à divino illo] Nempe quia vis eorū erat in ſe merè cæremonialis & externa, adeo ut puritatis quidem neceſſitatem & conditiones ſignificarent, eam vero præſtare non poſſent, debuerunt durare *uſque ad correctionis tempus*, quo veritas erat ſucceſſura figuris, umbris corpus, ſignis obſcurioribus & imperfectioribus res ipſa ſignificata. Sic tabulata & pegmata per quæ architecti promovent ſua ędificia non debent ulteriùs manere quam uſquedum operi ſuo Colophonem impoſuerint, & muros firmos ac ſolidos illis ſubſtituerint.

‡ *Hinc*

Hinc concluditur, eadem legis sacrificia, si ad Christi sacrificium respectus habeatur, levia admodum existimanda esse, tum proter alias causas, tum propterea etiam, quia non illa expiabant flagitia, quæ verè ac propriè peccata sunt appellanda; sed, ut diximus, externas quasdam corporis labes, & lapsus ex ignorantia imbecillitateque profectos. Ad ea enim peccata, quæ gravia nefandaque facinora erant, quibus sese homines per superbiam, vel contumacis animi pervicaciam, contra divinam legem astringebant, delenda, nullam vim habebant.

1 *Hinc concluditur eadem*] Levia admodum fuisse Sacrificia legalia comparatè ad Sacrificium Christi, ultrò lagimur; siquidem in augustiori etiam sua consideratione, nihil aliud erant quam typi, umbræ & imagines istius: Quod tamen hîc dicitur illa non expiasse *quæ verè & propriè peccata sunt appellanda*, & concedi & negari potest sub vario respectu: Si considerentur in suo esse absoluto, ipsum peccatum ejus-ve reatum conscientiæ respectu & coram Deo minimè auferebant; sed solam impuritatem cæremonialem in foro externo Politiæ Ecclesiasticæ, ut eâ remotâ aptior foret peccator qui & sacris interesset cœtibus & reliquorum convictu frueretur. Si considerentur in suo usu respectivo legali, quatenus subserviebant rigori Legis urgendo & inculcando, magis faciebant ad peccati demeritum explicandum, quam ad illud auferendum: Etenim Deus ostensurus suum jus in peccatum & peccatores, non tantum atrocioribus criminibus pœnas Capitales in foro Civili decreverat, sed etiam delictis quotidianæ incursionis, quæ ut plurimum vel negliguntur, vel dissimulantur ab aliis Legislatoribus, imposuerat quædam pœnarum Capitalium simulachra in destructione victimarum quæ offerendæ veniebant. At si considerentur in usu suo Euangelico, dubium non est quin typicè & significativè, verè & propriè dicta peccata expiarent, idest verorum & propriè dictorum peccatorum expiationem per Christum obventuram significarent & adumbrarent. Sed hîc insuper non uno modo peccatur à Volkelio; Nam primò carnis impuritates quæ tollebantur per cultus Leviticos, non erant *corporis labes* physicæ; sed, uti suo loco monui, externæ duntaxat impuritates morales (internarum typicæ & significativæ) per quas homines Lege Dei positivâ & cęremoniali, ab aliorum convictu & societate religiosa removebantur. Deinde etsi nulla particularia Sacrificia fuerint instituta pro criminum atrociorũ expiatione, quia per leges forenses pœnæ capitales & personales erant illis constitutæ, quod interfit Reip. ne delicta talia impunita maneant; attamen alia erat ratio Sacrificiorum Universalium, quę & pro toto populo & pro omnibus peccatis quorum quisque sibi conscius esset offerebantur. Adhæc, etsi non negem distingui posse inter delicta & crimina, ac rejiciendus sit error Stoicorum quibus omnia peccata erant æqualia, attamen si cæremoniales exceperimus impuritates, quæ vel ex morbo, vel ex naturali constitutione, vel ex contactu morticinii aut leprosi, oriebantur, easque in se demum consideratas, non verò in sua typica significatione, falsissimum est *verè ac propriè peccata* non fuisse illa delicta pro quibus Sacrificia legalia constituta fuerant. Multo enim latiùs patet ratio verè ac propriè dicti peccati in foro poli & apud Deum, quam ut ad ea sola quæ *flagitia* dicuntur in foro soli & inter homines restringi debeat; cùm vel ipsa Concupiscentia, judice Paulo Rom. VII, 7. peccatum sit Lege Dei damnatum & ex illius sanctione morti & maledictioni

æternæ obnoxium. Etiam verè & propriè delicta & peccata sunt coram Deo, quæ ex errore, ignorantia, aut infirmitate committuntur: Paulus agnoscit gravissimè peccasse Christum blasphemando & persequendo Ecclesiam, licet non ex destinata malitia, sed ex ignorantia & errore id fecerit 1 Tim: 1, 13. 14. 15, 16. Sanè alterius blasphemiam dissimulare, temerè jurare, res sacras intercipere, pejerare de deposito, & similia pro quibus præcipiuntur Sacrificia particularia Levit: v, & vi, *verè & propriè peccata* sunt, quæ Deus impunita non relinquet: Imò quæcunque in Legem Dei positivam qualemcunque committuntur, quamdiu illa viget, peccatis propriè dictis debent annumerari: ita qui carnem suillam edisset sub V. T. aut morticinium contrectasset studio, peccati propriè dicti reatum contrahebat.

Ad ea enim peccata] Id pertinebat ad severitatem & simul imperfectionem legalem, & quod Sacrificia exigerentur pro iis etiam delictis quorum pleraque vulgus hominum vix habet eo loco, & quod atrociora crimina, nullo Sacrificio particulari venirent expianda; Sed primò, dabantur Sacrificia universalia, quotidiana, hebdomadalia, menstrua, annua, quæ extendebantur ad omnia omninò peccata, ita ut quilibet peccator ex populo sibi conscius alicujus occulti flagitii, si modò resipisceret, & in illis Sacrificiis attenderet verâ fide non tam quid essent quam quid significarent, ea sibi applicare ad tranquillandam suam conscientiam, & remissionis certam fiduciam concipiendam, optimo jure potuerit. Præterea non magis hodie per Christum quam olim obtinetur expiatio gravium nefandorumque facinorum, *quibus sese homines per superbiam vel contumacis animi pervicaciam contra divinam legem astringunt*, si nempe in illa superbia & contumacia per cor ἀμετανόητον continuetur; cùm nec hodie ullus impœnitens & contumax debeat suorum facinorum veniam sibi à Deo polliceri, & olim resipiscentibus quælibet crimina æquè ac nunc remitterentur, eaque remissio in Sacrificiis universalibus obsignaretur, ceu concessa vi & *intuitu Sacrificii illius verè propitiatorii* quod Christus oblaturus erat suo tempore.

Eam ob rem David, *(Psal: 51, 18.)* cùm adulterium homicidio cumulatum commisisset, ingenuè fatebatur, Deum illis victimis sacrificiisq; nequaquam delectari, ita nimirum, ut ad dirissimum scelus eluendum valerent. Quòd tamen nihilominus, tum idem Davidis flagitium, tum quorundam aliorum scelera olim expiabantur, id neutiquam aut oblationum illarum, aut fœderis illius vi atque efficacitate factum fuisse existimandum est; sed singulari Dei benevolentiâ, quâ nulla legis illius ratione habita, certis quibusdam hominibus præstare voluit.

† *Eam ob rem David*] Id verò dictum à Davide de *illis victimis sacrificiisque* in se & absolutè consideratis, ex quibus nemo sanus sub V. T. debuit peccati sui expiationem suspendere, quod multis aliis Scripturæ testimoniis comprobatur, nominatim Psal: xl, 7. & l, 8. 9. Sed ipse tamen David etiam in expetenda & expectanda duplicis istius sui criminis remissione, respexisse ad sacrificia legalia, in suo esse relativo & significativo, constat ex ipso Psal: li, 9. ubi ita loquitur, *Expiato me hyssopo ut mundus sim, abluito me ut præ nive albescam*: adeo ut in aspersione legali & typica per Sacerdotem peragi solitâ cum fasciculo hyssopi, symbolum & pignus quæsiverit remissionis sui peccati in foro poli per aspersionem sanguinis Christi olim pro se effundendi, & potiora loquuturi quam sanguis Abelis Heb: xii, 24. Hinc *illis* quoque *victimis* & *Sacrificiis* se vacaturum profitetur David ibi-

vid ibidem com. ult. Nec promitteret Eucharistica, si Propitiatoria omninò frustranea neque persoluenda reputasset: Vide etiam 2 Sam:xxiv,18.25.

Ut ad dirissimum scelus] At non magis valebant ad minores culpas eluendas, si videlicet in suo esse absoluto spectarentur. Sed in suo esse respectivo ac significativo sanguinis Christi, ad omnium peccatorum expiationem significandam & suo sensu obsignandam valebant, universalia maximè, imò & particularia quæ quisq; pro suis delictis offerenda curasset.

Quod tamen nihilominus] Concedo id non factum *aut oblationum illarum aut fœderis illius vi atque efficacitate*, si videlicet vel oblationes istæ in suo esse absoluto, vel ipsũ fœdus Mosaicum in sua duntaxat χέσει legali considerentur; at nego de fœdere illo considerato ut habebat χέσιν Euangelicam, idest ductabat ad Christum, ejusque Sacrificium in cruce peragendum per oblationes varias præsignificabat & adumbrabat. Quod si *singulari Dei benevolentiâ* factum sit ut *flagitium* Davidis & aliorum quorundam *scelera* olim expiarentur absque ullo respectu ad sanguinem Christi, ut in victimis Leviticis significabatur, inde duo absurdissima sequentur; Primò, Christi redemptionem non pertinuisse ad veteres, contra expressa Scripturę testimonia Act:iv,12.xv,11. 1 Cor:x,4. Heb:xiii,8. Apoc:xiii,8. Secundò, non fuisse necessarium intervenire mortem Christi ut remissionem peccatorum consequeremur, siquidem ea poterat nobis obtingere illâ *singulari Dei benevolentiâ*, quâ olim absque ullo Sacrificio, remittebantur gravissima flagitia. Nihil enim obstat quominus id pluries fiat, quod vel semel factum fuerit; & alias frustrà fieri per plura, quod æquè certò, commodè & breviori manu fit per pauciora, ipsa ratio naturalis sufficienter dictat.

Ex quo fit, ut Christi sacrificium hac etiam re illis legalibus, anteeat, quòd vi ipsius novi Fœderis, atque adeò etiam sacrificii Christi, quo interveniente Fœderis illius promissa obtinemus, omnia prorsus peccata expiantur, quæ vel fidem in Christum ac resipiscentiam antecesserunt, licet plurima ac gravissima; vel eam non tollunt, quales sunt lapsus ex imbecillitate aliqua aut ignorantia profecti. Unde divinus Epistolæ ad Hebræos auctor, (*Heb:9.15.*) Christi mortem intervenisse ait, ad redemptionem sive expiationem earum transgressionum, quæ in primo fœdere erant, idest, quæ sub prisco fœdere omni expiatione excludebantur, ratione nimirum ipsius fœderis habitâ. Quid, quòd & Paulus (*Act:13.38.39.*) disertissimè dicit, per fidem in Christum omnibus peccatis, quibus olim Lex veniam denegabat, condonationem liberalissimè deferri.

‡ *Ex quo fit ut Christi*] Largior id omninò præstari Christi Sacrificio, quod nec satis plenè significabatur Sacrificiis Leviticis; Sed primò ambigua est oppositio novi fœderis ad vetus: Differunt enim essentialiter, si hoc consideretur tanquam legale: at nonnisi accidentaliter, si consideretur cum sua χέσει & significatione Euangelica, quæ ei passim tribuitur in Scripturis. Secundò, nimis generaliter dicitur quod *interveniente* Sacrificio Christi Novi fœderis *promissa* obtineamus; cum illud ad hoc interveniat, non duntaxat antecedenter, vel declarativè & obsignativè, sed satisfactoriè, meritoriè, & impetratoriè. Tertiò, falsò supponitur nonnisi ea peccata *gravissima* condonari sub N. T. quæ *fidem in Christum ac resi-*

 piscen-

piscentiam antecesserunt, quia fideles post fidem Christo datam & primos resipiscentiæ salutaris actus, non solùm in leviores quosdam *lapsus ex imbecillitate aliqua aut ignorantia profectos*, sed etiam quandoque in valde gravia peccata, ipsam conscientiam altè vulnerantia, incidunt, ut liquet exemplo Petri Christum abnegantis, & eorum *lapsorum* in persecutione quorum causam egit prudens Antiquitas contra Novatianos; Ut nihil dicam de aliis gravioribus flagitiis, pro quibus per veteres *Canones pœnitentiales* determinata & specifica pœnitentia publica, fidelibus in illa incidentibus præscribebatur. Horum tamen omnium remissionem à Deo obtinere ipsos fideles resipiscentes *vi ipsius novi fœderis atque adeo etiam Sacrificii Christi*, nemo sanæ mentis inficias ibit. Quartò, quamvis differant atrocitate & gradu grandia *flagitia* ex destinato consilio contra propriam conscientiam perpetrata, à lapsibus *quotidianæ incursionis*, qui *ex imbecillitate aliqua aut ignorantia* proficiscuntur, hi tamen non minus quam illa, utpote cum juxta Legis sanctionem etiam mortis æternæ pœnam mereantur, *vi ipsius novi Fœderis, atque adeo etiam Sacrificii Christi, quo interveniente Fœderis illius promissa obtinemus*, debent expiari.

Unde divinus] Hic locus Heb: IX, 15. ostendit quod volumus, videlicet præstari reverâ Sacrificio Christi expiationem eorum peccatorum, quæ per Legem retegebantur & nonnisi typicè & figuratè per legalia Sacrificia expiari videbantur; quo nihil disertiùs potuisset dici ad comprobandum vim Sacrificii Christi etiam extendi ad tempora & personas V.T. Eodem pertinet expressissimè locus Act. XIII, 38.39. Quod si utriusque testimonii mens ea esset quam fingit Volkelius, videlicet nunc nos per Christum obtinere *expiationem earum transgressionum quæ in primo fœdere erant, id est quæ sub prisco fœdere omni expiatione excludebantur*, & *quibus olim Lex veniam denegabat*, inde duo grandia absurda sequerentur: Primum, nemini olim concessam fuisse remissionem graviorum illarum transgressionum pro quibus nulla erant assignata specialia Sacrificia, quod falsum esse deprehenditur exemplo Davidis & omnium sanctorum sub V.T. quibus Deum & promisisse suorum delictorum omnium remissionem & de facto condonasse omnia sua peccata, juxta ipsiusmet Davidis confessionem Psal: CIII, 3. dubitari non debet. Secundum, nos sub N.F. graviorum duntaxat illorum criminum *quæ sub prisco fœdere omni expiatione excludebantur*, remissionem consequi in sanguine *Christi*, siquidem is demum fusus est *ad redemptionem sive expiationem earum transgressionum quæ in primo fœdere erant*: adeoque, juxta mentem & hypotheses Adversarii, si sibi constare debeat, leviores illas culpas, quæ per Sacrificia legalia extinguebantur, non tolli vi novi Fœderis & Sacrificii Christi; sed vel nullo modo expiari sub N. F. vel nostrum esse pro illis satisfacere, ut peccantium erat sub primo fœdere pro illis expiandis victimas legales offerre, expectando *à singulari Dei benevolentia* remissionem graviorum.

Hanc autem peccatorum expiationem novæ pactionis propriam futuram fuisse, ex illa, de eadem nobiscum facienda, Dei promissione manifestissimum est: (*Ier:31.34. Heb:8 12.*) Ero, inquit, *propitius peccatis eorum; peccatorum atque iniquitatum eorum non recordabor ampliùs*. Ubi Iniquitatum peccatorumque nomine nequaquam ignorantias, aut humanæ naturæ fragilitates intelligit; cum hæ antiquis illis sacris expiarentur; & Iniquitatis vocabuli vis ea minimè sit, ut peccata ab infirmitate aut ignorantia mera profluentes designet; sed illa tantùm

tùm, quæ à sciente prudente, datâque operâ committuntur, vel saltem ab humana imbecillitate ignorantiaque ita oriuntur, ut tamen ultroneum quiddam admixtum sibi habeant, ideoque puræ ignorantiæ nequa- 154.
quam sint.

‡ *Hanc autem peccatorum*] Omnium scilicet, tam leviorum quam graviorum: Cùm sub priori fœdere neutrorum vera esset expiatio, sed tantum typica & significativa, horum quidem generaliùs & obscuriùs, illorum vero specialiùs & expressiùs; adeoque novæ pactionis fuit præstare de facto, juxta loca hîc citata Jer:xxxi,34. Heb:viii,12. id quod duntaxat præsignificabatur & adumbrabatur in veteri Heb:x,1.

Ubi iniquitatum] Primò si hîc intellexerit Volkelius eorum iniquitates & peccata, quorum *ignorantiæ aut humanæ naturæ fragilitates* jam *antiquis illis Sacrificiis* erant expiatæ, eo ipso extendet contra sua & suorum placita vim & efficaciam novæ pactionis ad ea numericè peccata atrociora, quæ fuerint commissa sub veteri fœdere, adeoque ad illas personas quæ sub illo vixerint. Secundò, si ab iniquitatibus & peccatis propitiandis sub N. F. excludantur *ignorantiæ aut humanæ naturæ fragilitates* ejusdem ordinis & speciei cum iis quæ *antiquis illis sacris* nominatim & per expressa ad id Sacrificia expiabantur, nihil aliud potest nobis superesse, quam ut de horum leviorum culparum remissione desperemus: cùm pro illis expiandis non supersint antiqua illa Sacrificia, & ad graviora duntaxat Sacrificium Christi & vis *novæ pactionis* extendatur. Tertiò, conjunctione duorum illorum vocabulorum apud Prophetam, videlicet *peccatorum & iniquitatum*, omnes omninò culpæ tam minores & leviores quam graviores intelliguntur; quas Jeremias per עונם *Gnavonam* & חטאתם *Chatatham*, *iniquitates & peccata eorum*, Paulus per ἀδικίας, ἁμαρτίας & ἀνομίας, expressit. Et quamvis *iniquitatis vocabuli vis*, ubi specificè sumitur, *ea minimè sit ut peccata ab infirmitate aut ignorantia mera profluentes designet*; etenim עון *Gnavon* aliquid atrocius & majus denotat quam חטא *Chate*, si sumatur specificè & oppositè ad illud: attamen sub hoc posteriori comprehendi etiam illa quæ ex ignorantia aut infirmitate perperam fiunt, & pro quibus speciatim Sacrificia quædam sub Lege fuerunt instituta, nemo sanæ mentis, qui vel primoribus labris degustaverit sacras literas, poterit negare.

Ut tamen ultroneum] At juxta Adversarios, quæ nihil habent admixti ultronei, sed sunt *puræ ignorantiæ*, nullo modo *peccata* sunt; cùm tamen peccata illa essent sub priori fœdere, non minus quam nunc quæ ex errore committebantur. Quin peccari etiam graviter ex ignorantia, maximè juris, ita ut ea non excuset à toto, licet utcunque à tanto inter homines, liquet evidenter ex 1 Tim:1,13. Adhæc non offerebantur olim Sacrificia tantũ pro iis quæ *puræ ignorantiæ* fuissent, imò pro talibus vix oblatione opus fuisset ex hypothesi Adversariorum, (nam emplastro non est opus ubi vulnus non fuerit;) sed pro commissis tum ex errore, tum etiam ex infirmitate, in quibus, ut in rei alienæ contrectatione invito domino, rerum Deo sacrarum imminutione, depositi abnegatione, *ultroneum quiddam admixtum* fuisse, res ipsa loquitur. Quid si igitur *iniquitatis* tollendæ per novum Fœdus nomine, id omne intelligitur quod ultroneum quiddam admixtum sibi habet, utique id nomen iniquitatis extendetur etiam ad plurima ex iis pro quibus specialia Sacrificia sub Lege constituta fuerant. Denique tota hæc antithesis inter

inter *peccata* commemorata Jer: XXXI, 34. & Heb. VIII, 12. & ea quæ *ab infirmitate aut ignorantia* profluunt, facilè subruitur, vel hac sola observatione quod peccata quælibet ἀγνοήματα dicuntur in Scripturis, Psal: XIX, 13. Heb: V, 2. IX, 7. & ex illo Salomonis Prov: XIV, 22. *Errant qui operantur malum*, Scholastici hoc axioma exstruxerunt, *Omnis peccans ignorat*; quò facit etiam illud Socratis, *Præsente scientiâ non peccatur*; imò & istud Aristotelis *lib. 3. Eth. cap. 1.* ἀγνοεῖ μὲν πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἃ δεῖ πράττειν καὶ ὧν ἀφεκτέον, καὶ διὰ τὴν τοιαύτην ἁμαρτίαν, ἄδικοι καὶ ὅλως κακοὶ γίνονται. *Ignorat quidem improbus omnis, quænam sint agenda & à quibus abstinendum, injustique & omninò mali ex eo errore nascuntur.*

CAP. XXXIX.

De egressu Christi ex tabernaculo.

† *Resp. ad hoc & sequens caput* ALEXANDRO TILIKINGIO, Groningano.

SEquitur tandem, ut de Christi ex cœlesti illo tabernaculo egressu sermonem instituamus, idque hoc pacto, ut primò nostrum tenentes institutum, rei istius rationem, tum ad legalem illum pontificem, tum ad Christi regnum accommodemus. Deinde, ut quo tempore hic Pontifex noster ad nos egressurus sit, mente animoque consideremus. Ac de prisco illo pontifice quidem sic habendum est, illum omnibus in terrestri illo tabernaculo ad peccatorum expiationem necessariis ritè confectis, populo expectante, egressum fuisse, hocque ipso ostendisse, omnia, quibus sese idem populus obstrinxerat peccata condonata deletaque ita esse, ut pro temporis illius spatio, nullum ei extimescendum foret supplicium. Eodem planè modo & Christus, cum cœlitùs reversus fuerit, ut est apud divinum illum scriptorem, (*Heb. 8. 28.*) sine peccato ad salutem illis comparebit, qui eum anxiè expectant: (*Tit. 2. 12.*) id est, reipsa declarabit, non solùm nullam peccati pœnam ampliùs imminere, sed æternam etiam salutem à se paratam esse illis, qui omni impietate mundanisque cupiditatibus abnegatis, sobriè, justè, pièque vivunt in hoc præsenti seculo, hocque pacto ipsius adventum expectant.

‡ *Ac de prisco illo*] Non video cur magis egressus Pontificis ex Sanctuario in festo propitiationis mysticus fuerit, quam cujuslibet Sacerdotis ordinarii ex loco sancto post oblatum thymiama, aut ex atrio post victimas legales immolatas: Sanè in diurno illo thymiamatis officio, expectabatur quoque Sacerdos à populo Luc: I, 21. & quilibet Sacerdos cœtus sacros tenebatur dimittere cum ea benedictionis formula quæ præscribitur Num: VI, 24. 25. 26. Id verò falsum est, illo suo egressu ex tabernaculo Pontificem *ostendisse omnia quibus sese populus obstrinxerat peccata, condonata deletaque ita esse, ut pro temporis illius spatio nullum ei extimescendum foret supplicium.* Nam expiationem factam fuisse, non tam egressus Pontificis ex Tabernaculo, quam quod eum præcedebat signum datum ex deserto per cornici-

cornicines ad id dispositos, tum hirci emissarii è Zuch jam præcipitati adeoque mortui, tum linguæ coccineæ quæ ejus cornibus fuerat alligata per miraculum albescentis: Hac enim subitaneâ coloris mutatione, portendebatur propitiatio facta, quia dicitur, inquit Traditio addita ad calcem *cap.6. lib. Ioma, si fuerint peccata vestra sicut coccinum, sicut nix albescent*: Non diffiteor quod ejus libri Thalmudici *cap.5.* refertur Pontificem *exiisse retrorsum, & brevem orationem in domo exteriori recitasse, nec diu orationi institisse, ne Israëli metum incuteret*: Sed ejut mora fuisset in materiam metus Israëli, non quod suo exitu litatum fuisse ostenderet, sed quod moram trahendo, suspicionem injecisset populo se obiisse in Sanctuario; prout etiam alii Sacerdotes in officio quotidiano thymiamatis maturabant exitum ad populum, ne ipsos in loco Sancto mortuos esse suspicarentur, & inde percellerentur metu: Hinc populus expectans Zachariam tempore suffitus, *mirabatur quod is tardaret in templo* Luc:1,21. Multi enim, ut ait Mæmonides, referente Sheringhamo *ad Cod. Ioma pag.* 102. morte multati sunt quod modo indebito adolevissent.

Eodem planè modo] Dicitur sanè Christus Heb:IX,28. secundò *conspiciendus sine peccato* iis qui eum expectant ad salutem; & parum refert utrum dicatur appariturus εἰς σωτηρίαν suis expectatoribus, quorum videlicet tunc actu perficiet ac complebit salutem æternam quam illis suâ morte acquirere dignatus est, prout τελειωθεὶς ἐγένετο τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ πᾶσιν αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου Heb:v,9. an dicatur appariturus iis qui eum ad salutem suam ultimò complendam expectant, ut pote positi εἰς περιποίησιν σωτηρίας 1 Thess:v,9. & custoditi virtute Dei per fidem εἰς σωτηρίαν ἑτοίμην ἀποκαλυφθῆναι ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ 1 Pet:1,5. Verum quod dicitur tunc Christus appariturus χωρὶς ἁμαρτίας, non aliud denotat quam ipsum non appariturum ut primâ vice ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας Rom:VIII,3. cùm Deus τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν 2 Cor:v,21. idest reverâ appariturum sine Sacrificio novo pro peccato, ut pote qui *semel oblatus*, ut habet Paulus eod. com. 28, IX, Heb: εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, illius suæ unius & perfectissimæ oblationis semel peractæ in cruce, fructus æternos sit actu iis collaturus in sua ultima apparitione, *qui omni impietate mundanisque cupiditatibus abnegatis, sobriè, justè, pieque vivunt in hoc præsenti sæculo, hocque pacto ipsius adventum expectant* Tit:II,12. Igitur si quæ sit analogia reditus ultimi Christi quem præstolamur, cum egressu Pontificis ex tabernaculo, in eo debet collocari, quod sicut Pontifex postquam oblatis victimis expiatoriis pro peccato, cum illarum sanguine ingressus esset in Sanctuarium & vi earum comparuisset nomine totius populi coram Domino, paullò post egrediebatur è Sanctuario, & solemni ritu toti populo benedicebat ex formula quæ extat Num: VI,23.24.25. ita Christus postquam seipsum obtulit in sua morte pro peccatis nostris, nec sine sanguine ingressus fuit per suam ascensionem Sacrarium cœleste, compariturus coram Deo & intercessurus ad dextram illius pro nobis, tandem inde egredietur & ad nos in atrio hujus mundi ipsum præstolantes revertetur, finalem suam benedictionem nobis imperititurus, eâ ipsâ formulâ quam ipse proponit Matt: XXV, 34. *Adeste benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum à jacto mundi fundamento.*

Quæ quidem res ad Christi regnum applicata luculentissimè docet, Christum omnibus, quæ ad regnum suum in cœlis administrandum pertinent,

absolutis atque perfectis, h. e. omnium hostium spiritualium vi, quam ad salutem nostram impediendam habebant, morte tantùm exceptâ, in nobis extincta, ad nos ex ipsa etiam morte, quæ inter hostes nostros ultima est, vindicandos, & sic nos à supplicio sempiterno liberandos venturum esse. Atque hoc illud est, quod Apostolus dicit, (*Phil:3.20.21.*) *nos servatorem de cælo expectare Iesum Christum, qui corpus nostrum humile* (seu vile atque abjectum) *sic transfiguraturus sit, ut eandem cum ejus glorioso corpore formam habeat, pro ea vi, quâ ipse sibi subjicere potest omnia.* Quemadmodum autem ex Paulo suprà docuimus, (*cap. 36.*) Christum tam diu regnaturum, donec omnes hostes suos, quorum postrema est mors, sibi penitus subjecerit: ita etiam de duratione Sacerdotii ipsius statuendum est. Quemadmodum enim is regni Christi scopus est, ut fideles suos ex hostium servitute penitus exemptos, in æternam asserat libertatem: ita etiam Sacerdotii ipsius is est scopus, ut fidelium suorum peccata expiet, eosque ab omnibus scelerum pœnis liberet. quem muneris
155. istius finem tum penitus assequetur, cum nos ex mortis faucibus ereptos immortalite donabit. Tunc enim nulla amplius peccatorum pœna nobis erit metuenda. Quare cum Deus nihil frustra faciat, res indicat, Christum ab eo tempore sacerdotis munere non ampliùs functurum.

‡ *Quæ quidem res*] Sed nec egressus Christi ex tabernaculo sub illo formali pertinet ad Regiam Christi dignitatem, sed potius ad munus ejus Sacerdotale, nec verum est Christum tunc egressurum è cœlo, postquam omnia ea *quæ ad regnum suum in cœlis administrandum pertinent* absoluerit; quasi non esset amplius post diem judicii regnaturus in cœlo: cùm regnum ejus in gloria, simpliciter æternum sit futurum: & id solum demum ex regno Christi absolutum censebitur quod spectabat ad eam illius administrandi rationem quæ in regenda & colligenda Ecclesia militante ac complendo fratrum nostrorum numero Apoc:VI,11. sita est.

Ex ipsa etiam morte] Ex illa jam nos liberavit merito suæ mortis; ut vel nunc usurpare fas sit Christianis canticum illud Paulinum quod extat 1 Cor:XV,55.56.57. Sed illius meriti effectum plenum & completum, demum in carnis nostræ resurrectione gloriosa consequemur. Quare ad actualem transfigurationem illam corporum nostrorum, cujus meminit Paulus Phil:III,20.21. sic adhibebit eam vim *quâ ipse sibi subjicere potest omnia*, ut vis illa non sit exserenda nisi in iis quibus suâ satisfactione & morte meritus est Redemptionem à peccato & omni pœna peccati.

Quemadmodum autem ex Paulo] At nos ibi demonstravimus, minimè tunc finiendum Christi Regnum quod est simpliciter æternum, licet ea quæ nunc obtinet illius administratio specialis, in colligenda & tuenda Ecclesia militante, sit cessatura. Imò tum demum Christus plenè & pacatè regnabit, cum omnes suos hostes *sibi penitùs subjecerit.*

Ita etiam de duratione] Nempe non eodem modo perget intercedere Christus pro suis in terra militantibus, cùm omnes illi hoc labore defuncti erunt: Sed interea tamen manebit in æternum vis & efficacia Sacerdotii Christi, per quam glorificati Agnum sequentur quocunque iverit, ab ipso regentur & pascentur, & in ipso ac per ipsum Patre fruentur illique adhærebunt.

Ut fideles suos ex] Adde ut & *exemptos* regat

regat & beet in æternum, eosque ducat ad vivos fontes aquarum Apoc:VII,17.

Eosque ab omnibus scelerum] Adde & liberatos æternùm Deo conjungat, quod demum plenè, personarum nostrarum integrarũ respectu, obtinebit post nostram resurrectionem ex mortuis: Ut enim *tunc nulla amplius peccatorum pœna nobis erit metuenda*, ita etiam plenariæ istius liberationis à peccato & pœna peccati fructus, per eundem nostrum summum Sacerdotem & Regem referre debebimus.

Quare cum Deus] Imò eo ipso Christi Sacerdotium, quoad suam vim & efficaciam actualemque nostri cum Deo conjunctionem, debet in æternum continuari, quod Deo conjungi & adhærere non possimus nisi interventu Mediatoris; unde etiam beati circumstant cum Dei thronum in cujus medio visitur Agnus mactatus, coram quo coronas suas abjiciunt Apoc: IV, 10. ut eo ipso testentur se illâ suâ gloriâ in cœlo frui per Christum Servatorem.

CAP. XL.

De tempore adventus Christi

RElìquum est, ut quo tempore ex tabernaculo suo hic Pontifex noster egressurus sit, inquiramus. Tametsi etiam Deus, ne languoris socordiæque causam nobis præberet, egressus illius diem secretum à nobis haberi voluit, adeò ut non modò certum annorum, mensium, aut dierum numerum, sed ne centurias quidem annorum, intra quas Christus omninò sit venturus, definire nequeamus: eatenus tamen de tempore illo judicare nonnihil possumus, quatenus nonnulla in sacris literis prædicta esse videmus, adventum illum Christi antecessura, quæ nisi exitu completa fuerint, Christum nondum venturum; ubi extiterint omnia, venturum esse statuendum est. Ac ne de iis quicquam nunc dicamus, quæ ita sunt cum adventu Christi conjuncta, ut non magis constare nobis possit, quando illa sint extitura, quàm quando Christus sit venturus; quæ recensentur Matt: 24. 29. & d. & Luc: 21. 25. & d. tria hoc loco considerabimus, quæ haud paulò ante Christi adventum, partim penitus complebuntur, partim fieri incipient, ita ut initii saltem ratione ab eo sint sejuncta. Eorum primum, atque ab adventu Christi remotissimum est Antichristi adventus: duo reliqua eidem adventui propiora sunt, Judæorum conversio, & Euangelicæ disciplinæ repetita in universo terrarum orbe promulgatio. Nam quod ad primum attinet, perspicuis verbis docet Paulus, (*2 Thess:2.2.3.*) Christi diem priùs non venturum, quàm veniat apostasia, seu defectio, & patefiat homo peccati, & filius perditionis; per quem Antichristum designari, nemo est qui non fateatur.

Quæ recensentur Matt:24.] In eo tamen videtur falli Volkelius quod ea quæ ibi recensentur, malit litteraliter sumi quam figuratè, de multimoda corruptione & obscuratione veritatis, quæ eventura erat tempore Antichristi; confer Apoc:VIII, 12. IX,2.

Et Euangelicæ disciplinæ] Melius tamen statueres, ut ipse Volkelius mox faciet, quod Matth: XXIV, 14. prædicatio

catio Euangelii in toto terrarum orbe ministerio Apostolorum, dicatur præcessura finem Jerosolymorum & excidium gentis Judaicæ per Romanos, quam finem universi. Sed de eo postea. De Antichristo verò pauca sunt in quibus Volkelius dissentiat à Protestantibus & Reformatis, ut his diu immorari non debeam; hancque materiam jam olim fusè tractavi, tum in *Dissertatione de Antichristo*, tum in *Antichristo revelato*, contra Grotium, qui causam Pontificis Romani, in Ecclesiæ Patriæ odium & dum in nulla Communione Christianorum dissidentium reperit in quo acquiescat, voluerat suscipere.

Hoc autem tractationis nostræ caput quò rectiùs percipiatur, operæ pretium est, & Antichristi vocabulum remque eo designatam, ac quo tempore is venturus fuerit. & quàm diu duraturus, considerare. Et Antichristi quidem vocabulum, vi particulæ Græcæ ἀντὶ, ex qua componitur, duo significare potest, nempe & eum, qui Christo sit contrarius, & eum, qui Christi sit vice aut loco. Particula enim ista & *contra* significat, & *vice* seu *loco*. Priorem significationem hîc omnino esse amplectendam, cum omnes fatentur, tum ea quæ de Antichristo in sacris literis scribuntur, satis docent. Johannes certè,
156. (*1 Ioh: 2.18. 4.3.*) qui solus inter scriptores sacros hoc Antichristi nomine utitur, magnum illum atque insignem Antichristum cum iis Antichristis, qui tum multi fuerant exorti, ita comparat ac conjungit, ut generalem illius nominis rationem eandem esse facilè appareat, saltem eatenus, ut quam ob causam isti seductores hoc nomine sunt appellati, ob eandem etiam ille nomine eodem designetur: licet interim alia quoque causa esse possit, ob quam hic *Antichristus* dicatur, quæ in illos non conveniat. At verò seductores illi propterea Antichristi sunt dicti, quia Christo adversarentur, eum Christum esse pernegando. Quare etiam ille magnus Antichristus ideò hoc nomine insignitur, quòd Christo adversetur, & Jesum esse Christum, utut verbis fateatur, re tamen atque opere ipso, ut postmodum dicemus, negat. Verumenim verò nihil videtur obstare, quominus etiam altera, quam diximus, nomini illi subsit vis ac significatio, cùm ad insignem illum Antichristum designandum adhibetur, atque ita eum significet, qui Christi sit vice, quique sese in Christi locum callidè supponat atque intrudat. Neque enim absurdum est statuere, divinum spiritum sub eodem vocabulo, præsertim in sermonibus Propheticis, quales sunt ii qui de magno illo Antichristo in sacris literis extant, duplicem sensum recondere voluisse, qui inter se egregiè conspiret, & simul junctus Antichristum nobis propiùs designet; nempe ut intelligamus, eum esse magnum illum Antichristum, qui, cùm Christo ejusque sanctissimæ disciplinæ adversetur, sese in ejus locum substituerit, & imperium in universam Ecclesiam, cujus caput Christus nominatim est à Deo constitutus, & cui, quatenus Christus est propriè præsidet, (*Ephes: 1.22. Col: 1.18.*) in sese transtulerit, *seu*, quantum in se fuit, transferre fuerit conatus. Certè quicquid aliàs de altera

hac vo-

hac vocis Antichristi significatione statuas, illud negari haud quaquam potest, eum qui talis sit, qualem nunc descripsimus, magnum & insignem quendam Antichristum esse, ac dignum, qui nominatim à divino spiritu designaretur, præsertim si longè latèque imperium doctrinamq; suam fuerit propagaturus, & per multa secula tyrannidem in Ecclesiam Christi, hominumque conscientias exerciturus. Animadvertendum autem est hoc loco, etiamsi sacræ literæ de Antichristo ita loqui solent, ac si unus tantùm singularisque homo esset, nempe ut res ipsa hoc sermonis involucro, quemadmodum in Prophetis fieri videmus, aliquo modo tegatur: eum tamen non esse unum tantùm aliquem seu singularem hominem, sed plures, quorum alii in eodem instituto, eademque tyrannide ita succedant aliis, ut pro uno quodam homine censeri queant. Sic apud Danielem (*Dan:7.17.*) quatuor reges significant quatuor distinctos ordines regum, quorum alii aliis continuâ minimequè interruptâ serie in eodem 157.
regno succedant: & alibi apud eundem Prophetam (*cap:8.21.& d.*) Rex Græciæ sumitur pro ordine quodam regum Græciæ, quorum primus imperium solus tenuit, cæteri ita illi successerunt, ut singuli partem tantùm imperii istius occuparent. Similes loquendi modi etiam vulgò, cum de aliis rebus sermo est, sunt usitati. Ita autem omninò de Antichristo statuendum esse ex iis intelligetur, quæ infrà de tempore durationeque tyrannidis Antichristianæ dicentur. Addi potest hoc loco etiam illud, quemadmodum nonnunquam Christi nomen non tantùm Ecclesiæ caput, sed etiam corpus denotat, (*Cor:12.12. Gal:3.16.*) sic Antichristum quoque in sacris literis ita interdum considerari, ut non tantùm caput designet Ecclesiæ suæ, sed etiam ipsum Ecclesiæ illius corruptæ corpus.

‡ *Particula enim ista*] Cùm ergo Christus dicitur seipsum dedisse ἀντίλυτρον pro nobis 1 Tim:11, 6. illa particula ἀντὶ, quæ *contra* significare hîc non potest, necessariò significat id factum fuisse *vice seu loco* nostro.

Eum Christum esse] Quia videlicet eum in carnem venisse negabant, ut faciunt etiam hodierni Sociniani qui ejus Incarnationi adversantur.

Sed jam tempus est, ut rem ipsam cernamus, quam utraque vocis illius significatio à nobis suprà indicata in se comprehendit. Quod ad priorem attinet; satis ex Paulo & Johanne constat, quantopere Antichristus Christo fuerit adversaturus, & sanctissimam ejus disciplinam reipsa, licèt verbis aliud profiteatur, oppugnaturus. Hanc enim ob causam Paulus, (*2 Thess:2.4.*) eum adversarium, nempe Dei & Christi, κατ' ἐξοχὴν, seu excellenti quadam ratione vocat, & eidem apostasiam, seu defectionem à salutari veritate acceptam refert. (*ib.v.3.*) Apostasiæ autem nomen non quivis error, sed is demum qui universam Christi religionem convellat, meretur. Quia verò non ita pro-

num erat religionem Christianam, tot modis à Deo confirmatam ac stabilitam, in animis hominum, qui eam amplexi fuerant, labefactare ac convellere; ideo ait Apostolus, (*v.9. & d.*) *scelerati istius hominis adventum fore secundùm efficaciam Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, in iis qui pereant; propterea quòd amorem veritatis non receperint: eamque ob causam missurum illis Deum efficaciam erroris, ut credant mendacio, ut judicentur* (seu *damnentur*) *omnes, qui non crediderunt veritati, sed injustitiâ fuerunt delectati.* Johannes etiam, (1 *Ioh*: 4. 3.) ut suprà jam indicavimus, hunc esse ait spiritum illius Antichristi, *qui neget Iesum illum, qui in carne venit*, h. e. corpore fragili, variisque afflictionibus ac morti denique violentæ obnoxio circumdatus, legatione inter homines functus est, hunc, inquam, Jesum *esse Christum.*

‡ *Iohannes etiam*] Atqui primò minorum gentium Antichristi qui jam extabant tempore Johannis, nunquam negarunt Christum *in carne* venisse hoc sensu, idest fuisse *corpore fragili variisque afflictionibus ac morti denique obnoxio circumdatum*; nec disputabatur tunc nũ ille qui *in carne* venisset, Christus esset; sed negabant Jesum Christum in carne venisse alio sensu, idest fuisse Deum manifestatum in carne, ut loquitur Paulus 1 Tim: III, 16. adeoque duabus eum constitisse naturis, divinâ & humanâ: Ideo V.V. pro eo quod Græcus textus habet, Πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἔστι, (idest verbo ad verbum, *Omnis Spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse*; non ut corrumpit textum Volkelius, *Omnis Spiritus qui non confitetur Iesum esse Christum qui in carne venit, ex Deo non est*;) reposuit, *Omnis Spiritus qui solvit Iesum ex Deo non est*, quia is Christum θεάνθρωπον *solvere* censendus est, qui eum ψιλὸν ἄνθρωπον, ut Ebion & Cerinthus tempore Johannis, prodromi hodiernorum Socinianorum, statuerit. Igitur falsarium Scripturæ hîc loci se palam perhibet Volkelius, & Johannis mentem sacrilegè evertit, ne suæ *impietatis* condemnationem cogatur in illius verbis agnoscere. Nam non erat quæstio an Jesus qui in carne venerat Christus esset; sed an ille Jesus Christus quem suscipiebant Christiani reverâ *in carne venisset*, per illam carnis nostræ assumptionem per quam verbum *carnem* factum fuisse dicit ipse Johannes & accuratè explicat Joh: 1, 14.

Hoc autem quò rectiùs adhuc intelligatur, ad alteram vocabuli hujus significationem pergendum nobis est, ut quo pacto Antichristus, vero Christo unà
158. cum ipsius disciplina expulso, seipsum suasque nugas illaturus atque intrusurus fuerit, animadvertamus. Intelligendum igitur est, eum nequaquam hoc apertè, sed tectè atque callidè facturum fuisse, ita nimirum, ut sub ipsius Christi titulo veritatisque specie, varia funestissimorum errorum semina spargeret, & ita Servatori nostro titulum quidem Christi integrum relinqueret; rem ipsam verò Christi nomine comprehensam, imperium nimirum ac potestatem in Ecclesiam, admirabili quodam artificio sibi vendicaret, & hoc pacto religionem Deique cultum Christi disciplinæ contrarium induceret ac stabiliret.

ret. De tanta autem, quam sibi Antichristus arrogaturus esset, potestate hunc in modum scribit Apostolus: (*2 Thess: 2.4.*) *Extollet se*, inquit, *supra omne, quod Deus aut numen dicitur, adeò ut in Dei templo tanquam Deus sedeat, Deum se esse ostendens.* Quibus Apostoli verbis hæc continetur sententia: Antichristus, de quo orationem habemus, tantam sibi in Ecclesia, quæ Dei templum est, assumet potestatem atque dominatum, ut non solùm cum universis singulisque illius membris, pro suo arbitrio sese agere posse existimet, sed etiam antepositâ autoritate suâ ipsius Dei Christique majestati, sese in eorum locum, ut divinum principem, & Christum, & Deum, qui nutu suo omnia moderetur, callidè supponat. Cœteris autem technis, quibus homines circumventurum fuisse Antichristum ex sacris literis discimus, annumeranda est imprimis simulata pietatis species, quâ fucatus, mendacia sua omnium pistilentissima pro veritate subjecturus erat, quæ quosdam admissuros, à fideque discessuros Apostolus ait. (*1 Tim.4.1.2.*) Eam autem probitatis speciem inter alia, in ficta continentiæ pietatisque similitudine, in matrimonii ciborumque interdictione constitutam esse, Apostolus ibidem testatur. Quæ omnia an & in quo evenerint, piorum cordatorumque hominum judicium esto.

Jam verò ut de tempore, quo Antichristus fuerit venturus, agamus, animadvertendum est, eum non subitò in Ecclesiam irrupisse, & tyrannidem in ea occupasse; sed pedetentim in eam irrepsisse, & per quosdam veluti gradus ad tyrannidem illam fuisse progressum, donec ad summum fastigium perveniret, & caput penitus extolleret. Initium autem ejus rei ad ipsorum adhuc Apostolorum tempora referendum est, quibus semina pestiferi hujus erroris fuêre sparsa. Ait enim Johannes, (*1 Ioh:2.18.*) *Filioli, ultima hora est: & quemadmodum audistis, quòd Antichristus ille venit, & nunc Antichristi multi facti sunt. unde* 159.
cognoscimus, quòd ultima sit hora. & infrà: (*cap.4.3.*) *Omnis spiritus qui non confitetur Iesum (esse) Christum, qui in carne venit, ex Deo non est: & est* (scilicet spiritus) *illius Antichristi, quem* (nempe spiritum, ut græca verba docent) *audistis, quòd venit, & nunc in mundo jam est.* Quibus verbis satis apertè docet, Antichristum illum magnum in iis, qui tunc erant, Antichristis venire quodammodo cœpisse, tanquam in prodromis quibusdam suis, qui spiritu ipsius essent præditi, id est, eodem, quo ille, ducti afflatu, Jesum esse Christum negarent.

‡ *Et infra,* Omnis] De hoc loco modò dixi: Non tam disputat ibi Johannes, an Jesus esset Christus, quam num in carne venisset, ut verba ipsius disertè sonant: Quamvis autem Antichristi illi minores directè Personam Christi impugnarent, nonnisi indirectè illius Officium, potuerunt tamen viam aliquam præstruere Antichristo majori, qui alio modo aliaque arte & Personam ac beneficium Christi erat impugnaturus, & Officium ejus ad se rapturus.

Quin etiam Paulus de Antichristo disserens ait, (*2 Thess: 2.7.*) mysterium iniqui-

iniquitatis jam tum in opere fuisse: quod tamen non solùm de illorum, quos Johannes notat, sed etiam de aliorum quorundam scelestis machinationibus, quæ ad doctrinam Christi corrumpendam, & solidæ pietatis studium ex animis hominum evellendam, fictam autem pietatis speciem iisdem commendandam pertinebant, intelligendum videtur: de quo hominum genere non pauca scribit Petrus cap. 2. posterioris Epistolæ, & ex eo Judas repetit. Hic enim, ut ex utriusque illius divini scriptoris dictis facile constare potest, vel inprimis magno illi Antichristo, & impietati per eum in Ecclesiam invehendæ viam muniisse censendi sunt. Etsi verò Apostoli homines illos, qui Christi ductum sequebantur, tum per literas, tum coràm admonere non destiterunt, ut à fraudulentis seductorum istorum susurrationibus sibi caverent: nihilominus tamen tanta paulatim ad illorum vires facta est accessio, ut post Apostolorum obitum caput attollerent, & errores suos absque metu ac pudore defenderent. Nam, ut scripsit Egesippus, vir Apostolicis temporibus proximus, referente Eusebio: (*vide Euseb. lib. 3. Hist. Eccles: cap. 32.*) *Postquam sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præteriit, quæ divinam sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio, per seductionem eorum, qui aliam doctrinam tradebant, initium cepit, qui etiam quoniam nemo superstes ampliùs erat ex Apostolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem, falsi nominis scientiam ex adverso prædicare conati sunt.* Prævidit hoc Apostolus; eaque de causa ita seniores Ecclesiæ Ephesinæ allocquutus est: (*Act: 20.29.30.*) Ego, inquit, *novi fore, ut vos post discessum meum truces invadant lupi, qui gregi non parcant: atque ex vobis ipsis existant homines, qui perversa loquantur, quò discipulos ad se sequendos abducant.* In loco autem paulò antè commemorato 2. ad Thess: (*2 Thess: 2.6.7.*) cùm dixisset, *Mysterium iniquitatis*, h. e. impium Antichristi dominatum, seu
160. apostasiam in Ecclesiam per eum introducendam, *jam operari*, h. e. sese jam exerere, addit; *Id tantùm superest, ut qui nunc retinet, è medio tollatur: tum demum existet ille scelerosus.* Ex quibus verbis apparet, jam tum Satanam Antichristianæ impietatis ac dominatus fundamenta molitum esse, & nisi quidam obstitisset, eum protinus emersurum atque in lucem proditurum fuisse. Rem ergo illam dilatam iri Apostolus significat, donec is, qui Antichristo jam jam nascituro, atque in apertum prodituro impedimentum objiciat, è medio tollatur. Quinam verò is fuerit, jure quæritur. Plærique Imperatorem Romanum fuisse volunt. Hunc enim impediisse, quominus tyrannidem invadere Antichristus posset. Eum autem tunc è medio sublatum seu amotum non pauci censent, cùm Româ cessit, & Imperii sui sedem aliò transtulit. eo enim ipso locum imperio Antichristi fecisse, qui eo præsente rerum planè potiri & solium tam sublime invadere non potuerit. Sed cum Antichristi ortus altiùs repetendus esse videatur, possis per eum qui tunc retinuerit, Apostolos eorum-

que

que ſocios intelligere, quos Antichriſtianæ impietati ſeſe jam exerenti obſtitiſſe quis dubitet? Unde iis viventibus, munerisque ſui officium adminiſtrantibus, non ita auſi fuêre ii, qui Antichriſti ſpiritu atque afflatu ducebantur, caput attollere; iis verò morte deletis, ſtatim, ut vidimus, ſeſe erigere cœperunt, quotidieque plus roboris aſſecuti ſunt, donec tandem unus aliquis emerſit, qui cæterorum caput eſſet. Cui ſententiæ illud magis, quàm priori, favere videtur, primùm, quòd Apoſtoli eorumque ſocii conſilio, ſtudio ac conatu, naſcenti Antichriſtianæ impietati obſtiterint: Imperator Romanus non niſi ex eventu; nec tam Antichriſti ortui, quàm incrementis: deinde quòd cùm aliquem è medio tolli dicimus, mortem ejus atque interitum ſignificare ſoleamus. At cùm Imperatores ſedem aliò tranſtulerunt, non interiêre. Apoſtoli autem per mortem extincti ſunt, & poſt eorum obitum, ut ipſimet prædixerunt, defectio à ſincera Chriſti doctrina cœpit, & latiùs ſubinde ſerpſit. Neque verò huic ſententiæ id videtur obſtare, quòd Apoſtolus, eum qui retineat, commemoret, veluti de uno, non de pluribus loquens. Quorum enim idem munus eſt, idem ſenſus ac conſilium, idem actionum ſcopus, inſtar unius conſiderari poſſunt. Neque verò qui Imperatorem Romanum intelligunt, unum aliquem nominatim deſignari putant, ſed plures, quorum alii aliis in eodem munere ſucceſſerint.

Plerique Imperatorem] Et meliùs Imperatorem & Imperium Romanum hîc intelligas cum Antiquitate cana, Tertulliano *Apolog. cap.* 32. *de Reſur. cap.* 24. Auguſtino 20. *de Civit. Dei, cap.* 15. Hieronymo *ad Algaſiam*, Chryſoſtomo & Theophylacto *ad* 2. *Theſſ.* 2. quam Apoſtolos cum Volkelio; Loquitur enim Paulus de aliquo uno qui tunc tenebat, & debebat tolli è medio 2 Theſſ. II, 7. quod in Apoſtolorum chorum minus commodè referas. Imo ſic nobiſcum interpretatus eſt ante decennium quidam partium Socinianarum qui ſibi nomine facto *Iohannis Simplicii*, paullò poſt nos *notas* ſuas emiſit in Grotii *Commentationem ad ſecundum caput poſterioris ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ.*

Sed cum Antichriſti ortus] Ejus tamen apertum imperium ex ruinis imperii Romani emerſit & illis inædificari debuit.

Cui ſententiæ illud] Attamen jam tempore Apoſtolorum oriri incipiebat; jam per Antichriſtos minorum gentium & Diotrephas φιλοπρωτεύοντας, myſterium iniquitatis incipiebat ſubnaſci; verum ejus ἀποκαλύψει & plenariæ revelationi, eo magis obſtabat Imperator Romanus, quod filius perditionis ejus ſedem & locum erat occupaturus.

Quicquid ſit, illud ex dictis ſatis conſtat, Antichriſtum jam dudum in lucem prodiiſſe. Quò magis repudianda illorum eſt opinio, qui Antichriſtum veniſſe negant, venturum autem ſub mundi finem aſſerunt. Si enim ipſorum jam Apoſtolorum tempore Antichriſtiana iniquitas fuit in opere, & nihil aliud reſtitit, quàm ut is, qui ejus incrementis tunc obſtabat, è medio tolleretur; quis 161.
non videt, neceſſe eſſe, ut per tot ſecula tandem aliquando emerſerit? præſertim

sertim cum Pauli verba satis indicent, eum, qui tunc detinuerit, non adeò diu duraturum. Particula enim *nunc* de eo bis usurpata, & sequuturo tempori opposita, illa, quæ tunc fluebant, ac vicina illis tempora denotat, non verò tam longè ab iis remota secula. Ut taceamus, satis conspicuum esse eum, in quo ea extant quæ Antichristi propria esse suprà docuimus. Quare frustrà illi laborant, qui Romanum imperium, quod hodieque duret, ejus, qui tunc tenuerit, nomine intelligendum esse contendunt, eoque cessante demùm Antichristum regnaturum ajunt. Quamvis enim ad causam suam constituendam, multa proferant Patrum testimonia: quid tamen, quæso, ad veritatem manifestam, omniumque oculis expositam evertendam valent ista omnia? cùm ne ipsi quidem Patres plus sibi fidei haberi velint, quàm divinis voluminibus; imò ex his omnia sua dicta scriptaque ponderari postulent. Non negamus quidem fore, ut Romanum aliquando imperium evertatur: verùm tum demùm Antichristum in hanc lucem proditurum esse, nulla ratio suadet; cùm potiùs eo tempore extinguendum illum esse inde constet, quòd iis ipsi etiam, adversus quos disputamus, fatentur, illam statuam, quæ Nabuchodonosori secundùm quietem visa fuit, (*Dan:2.*) præcipuorum regnorum descriptionem continere, ultimumque Romanum imperium esse cujus eversionem, ut ipsi etiam statuunt, mox totius mundi interitus consecuturus est. Quod cum ita sit, quando, quæso, Antichristus in Dei Ecclesia dominatum habebit?

‡ *Quod hodieque duret*] Etiamnum durare imperium illud Romanum vetus quod obstabat emersuro Antichristo, tam falsò dicitur, quam procul est hodiernum Imperium Germanicum, sede, regimine, jurisdictione, potestate, ab illo Romano imperio quod obtinebat tempore Pauli, & in Augustulo desiisse apud omnes in confesso est.

Non negamus, quidem] Imò negari non debet illud quod obtinebat Pauli tempore, jam diu eversum fuisse, quod probatum dedi *Dissert. de Antichristo, pag* 69. ac *Antich. revelati, lib.2. cap.* 3. §. 10. Erycius Puteanus Barbaricæ historiæ *Epitomen* libris sex complexurus, profitetur in operis titulo se imperii Romani *occasum* & ruinam eâ occasione relaturum. Machiavellus Florentinæ Historiæ Clementi VII. inscriptæ *lib.* 1. disertè asserit Imperium penitus eversum esse, & ex illius imminutione ac cladibus Pontificum dignitatem excrevisse. Et Baronius conceptis verbis *anno* 475. *Epit. Spond. N.* 1. sic loquitur; *Ita verò planè secundum illud vulgatum OMNE QUOD ORITUR OCCIDIT, Romanum imperium cœptum ab Augusto defecit in Augusto.*

Fatentur illam statuam] Nec certum, Imperium Romanum intelligi per quartum regnum in statua Nebucadnetzaris Dan: II, 4. cùm multi interpretes ibi regnum Seleucidarum & Lagidarum malint intelligere, quod colligunt ex Dan: VIII, 22. nec ibi agitur de ultimo Christi adventu, sed de regni Christi Spiritualis propagatione per totum orbem, præconio Euangelii.

Non quiescentes tamen, Johannis verba (1 *Ioh:*2.18.) proferent in medium: *Filioli, novissima hora est, & sicut audivistis, quòd Antichristus venit, & nunc Anti-*

christi

christi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est. Atqui his verbis Apostolus nequaquam asserit, Antichristum sub finem mundi venturum esse; cum jam tum ultimam horam esse dicat, quamvis mundi finis longè tunc abesset. Verùm illi hoc artificio elabi conantur, ut Joannem dicant totum illud temporis curriculum intelligere, quod à Christo nato exordium capiens, ad mundi usque conflagrationem duraturum est. Verùm & satis audacter hunc sensum Johannis verbis affingunt, & hac interpretatione vim argumenti sui prorsus enervant. Audacter illos facere inde constat, quòd non modò nullum istius sententitiæ in Johannis verbis extet vestigium, sed contrarium etiam ex iis haud difficulter colligi queat. Etenim si totum illud tempus, quod à Christo nato usque ad mundi interitum fluet, ultimæ horæ nomine complexus est Johannes, idque eos, ad quos scripsit, intelligere voluit; cur ex eo quòd Antichristi multi exorti fuerint, colligi vult, ultimam horam esse? An enim quosquam eorum, ad quos scribebat, ignorabat, se in eo versari tempore, quod à Christi nativitate ad mundi finem sit duraturum? aut cur id ex Antichristi potiùs, quàm ex ipsius Christi ortu omnibus noto, concludendum erat? Præterea quorsum pertinebat scire, ultimam jam horam esse, si nihilominus hora illa, tot seculorum, quot ab eo tempore effluxerunt, tractum erat in se comprehensura? Quare statuendum est, Johannem ultimam illam horam non tam latè extendisse, ut etiam hæc nostra secula ejus ambitu complecteretur; nec respectu mundi hujus eam vocasse ultimam, sed respectu alterius cujuspiam rei, finem mox habituræ. Consentaneum autem est, eum ultimam horam opponere *principio* illi cujus aliquoties in eodem capite mentionem facit. id verò est initium prædicati per orbem Evangelii, ut ex v. 7. & 28. clarum est: cui tempori Paulus quoque tempus Antichristi ad Thessal: (*2 Thess 2. 11. conf. c. præc.*) scribens, dicto sæpiùs loco opponit. Itaque per ultimam horam illud tempus videtur intelligere, quo prædicationis Euangelicæ cursus veluti consummandus esset, & simul Reipub. Judaicæ finis imponendus, atque urbs Hierosolymitana delenda. Concurrunt enim istarum rerum tempora. siquidem Christus apud Matthæum (*Matth: 24. 14.*) de signis eam vastationem antegressuris disserens, ita inter cœtera inquit: *& prædicabitur hoc Euangelium regni in universa terra, in testimonium gentibus: & tunc veniet finis.* Per finem autem illum, Hierosolymæ vastationem ac Reipubl. Judaicæ interitum propriè intelligi, sequentia verba manifestè docent. Jam verò in eadem vaticinatione (*v. 11. 23. 24.*) prædixerat Christus, multos circa illa tempora seductores extituros esse. Hoc ergo Johannes memoriâ repetens, jam ultimam horam adesse, quâ istos apparituros fuisse Christus prædixerit, affirmat. q. d. non est cur miremini, tot falsos vates Christianæque disciplinæ sese opponentes nunc existere; sed hoc potiùs nobis in mentem veniat, horam illam ultimam, quâ hæc futura

162.

futura esse Christus prædixerat, jam venisse. Mirandum verò minimè vobis id, quod nunc fieri videtis, eam ob causam accidere debet, quòd etiam magnum illum Antichristum aliquando venturum esse audivistis. Verùm esto, intellexerit Johannes per ultimam horam Christi tempus; num inde colligi rectè poterit, Antichristum sub mundi demum finem venturum esse? Nequaquam: cùm interpretatione illa admissa, satis ultimâ horâ venisse existimandus sit, si post Christum natum extitit; etiamsi longè ante mundi interitum, & quidem statim post Apostolorum obitum advenerit.

† *Verum illi hoc artificio*] Meminit Johannes *novissimæ horæ*, non tam ut significet Antichristum novissimâ horâ venturum, quam ut fideles admoneat vigilantię pręstandę contra pericula imminentia: Nec dubium quin per horam novissimam ex stylo ordinario Scripturæ intelligat totum tempus Euangelicæ dispensationis usque ad consummationem sæculi; quod patet ex Gen:XLIX,1. Deut:IV,30. Act: II,17. 1 Cor:X,11. 1 Tim:IV,1. 2 Tim: III,1. 1 Pet:1,20. Apoc: 1.3. Hinc Augustinus *lib.3 de Doct: Christ.cap.36.* citato hoc Johannis loco subjicit, *Tempus ergo ipsum quo Euangelium prædicatur, quo usque Dominus reveletur, hora est in qua oportet ista servari, quia & ipsa revelatio Domini ad eandem horam pertinet quæ die judicii terminabitur.* Ex ea autem sententia nihil minus sequi potest quam Antichristum non appariturum nisi sub finem mundi & quarto demum anno ante Christi reditum ad judicium: siquidem hæc *novissima hora* jam tum erat Apostoli tempore, qui excussurus suorum veternum videtur eos sic alloqui; Audivistis Antichristum venturum, & putatis forte, quia illius revelationi multa adhuc obsistere intellexistis, esse quod securi in utramque aurem dormiatis; verum videte ne decipiamini: Nam jam est hora novissima, jam sunt ultima tempora; jam incipit sævire Diabolus, quod ipsius tempus prope sit: jam mysterium iniquitatis ἐνεργεῖται, & incipit germinare Antichristianismus, in suis prodromis & prolusoribus Hæresiarchis, contra quos vos fortes & instructos stare oportet.

Audacter illos facere] Imò hanc esse mentem Johannis est evidens; & nos olim contra Grotium, qui hanc Socinianam interpretationem adoptaverat, idipsum fusè comprobavimus.

Cur ex eo quod] At non vult colligi Johannes ultimam *horam* esse, ex eo quod Antichristi multi exorti fuerint: sed tantum ex eo quod ultima sit hora, vult fideles ad quos scribit ad vigilantiam excitare, vel metu turbidorum temporum sub Antichristo futurorum, cui jam tot minorum gentium Antichristi incipiebant præludere.

An enim quisquam eorum] Sed intererat id ipsis in memoriam revocari, revera nunc plenitudinem temporum decurrere Gal:IV,4. illaque ultima tempora prędicta per Prophetas, quæ cùm essent futura difficillima, eo majorem vigilantiam à nobis exigunt; non solum contra majorem illum Antichristum, sub illis revelandum, sed etiam contra alios hæresiarchas per quos Satan illi viam sternere jam tum conabatur.

Aut cur id ex Antichristi] Hoc non concludebat Johannes ex Antichristi ortu; sed volebat pios armare contra difficultates hujus temporis, quæ non solum ex Antichristi ortu, sed etiam ex illius prodromis erant enascituræ.

Præterea quorsum pertinebat] Jam dixi; ut pii ad animum revocantes eas difficultates quæ huic novissimæ horæ annecti debe-

debebant, ad vigilantiam & sollicitas excubias excitarentur.

Quare statuendum est] Id ut statuatur contra stylum Scripturæ, nulla ratio suadet.

Consentaneum autem est] Inepta est hæc conjectura, multis de causis: Primò enim *principium* illud cujus meminit Johannes I. 11, 7. 28. non notat simpliciter *initium prædicati per orbem Euangelii*, sed tempus duntaxat conversorum ad Christum & adductorum ad illius cognitionem fidelium illorum ad quos scribit Apostolus; Loquitur enim de mandato & verbo quod illi jam ἀπ᾽ ἀρχῆς acceperant & audiverant: Nec aliter sumitur 1 Joh: II, 24. 1 Joh: III, 46. 2 Joh: 5. 6. Deinde falsum est Paulum 2 Thess: II, 1. illi *tempori*, *tempus Antichristi* opponere; nam nostra ἐπισυναγωγὴ sive *recollectio* in Christum, cujus ibi meminit Paulus, pertinet ad nostram resurrectionem quæ futura est ἐν τῇ παρουσίᾳ κυρίου, ut liquet ex Matt: XXIV, 31. Mar: XIII, 27. Fit quidem mentio 1 Thess: II, 13. electionis Thessalonicensium ἀπ᾽ ἀρχῆς; sed si ille locus non agit de eorum electione æterna, pertinebit non simpliciter ad principium prædicati Euangelii in orbe, sed ad principium Euangelii prædicati in Macedonia, ipsaque Thessalonicensium urbe: quò etiam revocat Paulus Thessalonicenses, cùm ait ibid. com. 5. *Annon meministis quod cum adhuc essem apud vos hæc dicebam vobis?* Præterea valdè absurdum foret oppositè ad illud principium ultimam horam appellare tempus quo scribebat Apostolus; cùm quamdiu vixerunt Apostoli nonnisi fuerit principium Euangelicæ prædicationis in orbe, per multa adhuc sæcula, ut eventus docuit, continuandæ post eorum obitum.

Itaque per ultimam] Ita quidem forte *videtur* Volkelio, sed perperam judicanti: Nam revera cum scripsit hanc Epistolam Johannes non instabat ruina Hierosolymorum, sed jam aliquot annis præcesserat: Etenim Baronius in Christi annum 99. Nervæ I. 25. ab excidio Hierosolymitano, conjicit hujus epistolæ scriptionem: Ea olim Parthorum nomen in sua inscriptione ferebat, ad quos suo ministerio ante diu conversos, ex Asia jam ætate provectior scripsit, unde & *Senioris* nomen in duabus posterioribus suis Epistolis assumpsit: Illum sanè Apostolorum ultimum vixisse, ac testem fuisse oculatum excidij Judæorum, certissimum est, & colligitur à nonnullis ex Joh: XXI, 22. Omnes quoque asserunt eum nonnisi in ultima senecta scripsisse; Ambrosius *in Psal.* 36. dicit illum jam *senem* cœpisse scribere Euangelium & Epistolas: Epiphanius *hær.* 24 arbitratur hanc Epistolam contra Basilidianos potissimum scriptam fuisse; illi autem non emerserunt ante excidium Hierosolymorum. Glossa ordinaria asserit eum tum Euangelium tum Epistolas scripsisse, postquam rediisset ex suo exilio: cùm verò ipsum exulare coegerit Domitianus, Titi successor, necesse est omnem hanc scriptionẽ excidio Hierosolymitano, per Vespasianum facto, posteriorem esse. Quin præfatio præfixa expositioni Augustini in Johannem, disertè dicit eum *à tempore Dominicæ ascensionis per annos sexaginta quinq; verbum Dei absque adminiculo scribendi, usque ad ultima Domitiani prædicasse tempora.* Et cum scripserit ad Parthos, tam procul à Judæa dissitos, & jam olim & diu ante hanc scriptionem conversos ad Christum, nec erat cur ad ipsos commemoraret instans excidium Urbis quod eos minimè spectabat; nec est cur suspicemur nondum jam cum scriberet Hierosolymas eversas fuisse. Fateor quidem finem commemoratum Matt: XXIV, 14. *Hierosolymæ vastationem ac Reip. Iudaicæ interitum* spectare; sed nego tum *prædicationis Euangelicæ* cursum *veluti consummandum* & quasi finiendum fuisse, cùm tantum id sibi velit Christus prædicatione Euangelii ministerio Apostolorum suorum Gentes plurimas adducendas

 cendas

cendas priùs ad cognitionem Euangelii, quam illa gens miserè periret quam Deus ob suam proterviam jure abdicabat: adeo ut non dicat Christus finem prædicationis Euangelii conjunctum fore cum fine Urbis, ac si novissima hora Hierosolymorum esset item novissima hora prædicationis Euangelicæ inter Gentiles; cùm è contrario sublatâ oppositione Judæorum fœliciùs continuaverit; Sed tantum insinuet quid præcedere debeat excidium Hierosolymorum, non verò quid cum illo excidio finiri & terminari debeat. Imò tantum abest ut rejectio Judæorum & Urbis excidium sistere debuerit cursum Euangelicæ prædicationis, ut è contrario dicat Apostolus Rom. XI, 25. πωρώσιν evenisse Israeli *usque quo plenitudo gentium intraret*, & Judæorum abjectionem esse reconciliationem mundi, ibidem 15. Ideo mox ipse Volkelius statuet conversionem Judæorum, de qua Paulus ibi, demum futuram *postquam omnes gentium oræ, divinæ veritatis lumine illustratæ fuerint*.

Iam vero in eadem] Sed nec Christus prædixerat hos seductores & Pseudochristos, quorum fit mentio Matt. XXIV, 11. 23. 24. venturos ante Hierosolymorum excidium, nec tempus quo erant apparituri, novissimam horam appellaverat: & certum est prædictionem Christi Matt. XXIV, 23. 24. spectare totum illud tempus quod erat fluxurum ab Urbis excidio ad excidium Orbis & consummationem sæculi: nec vellet, credo, statuere Volkelius ad sola tempora Johannis pertinere debuisse eos qui dicturi essẽt, Christum vel hîc vel illic esse. Quare si *Johannes memoriâ repetens* quod prædixerat Christus, *jam ultimam horam adesse affirmat*, ultimæ horæ nomine, intellexit ut voluimus totum tempus quod effluere debet usque ad consummationem sæculi; siquidem tempus quo *istos apparituros fuisse Christus prædixerat*, non debet restringi ad tempus excidii Hierosolymitani, cujus nominatim fit mentio Matt. XXIV, 14. sed extendi post illud ad insequutura omnia sæcula usque ad diem judicii.

Verum esto, intellexerit] Cum itaque hac ratione sufficienter solvatur ἔνστασις eorum qui volunt ad finem duntaxat mundi appariturum Antichristum, quid opus erat tam longâ circuitione & tam præposterâ ac coactâ interpretatione *novissimæ horæ* apud Johannem commemorare?

163. At enim illa Pauli verba contrarium suadere inquiunt, quibus gloriosissimo Christi aduentu demum Antichristum interimendum docet (2 *Thess*. 2. 8.) Cùm enim Antichristum tres tantùm annos cum dimidio duraturum esse acceperimus, inquiunt, consequens omninò esse videtur, ut non multò ante ultimum illud judicium regni sui administrationem suscipiat. Hæc verò objectio partim ambigua, partim falsissima est. Ambiguam esse inde perspicitur, quòd Christi adventus non solùm ad ultimum illum ejus ad nos reditum potest referri, sed etiam de alia quadam adventus ratione intelligi, eâ nimirum, quâ Christus sese orbi terrarum denuo patefacturus, & porrò adversarium illum suum exterminaturus est. Quandoquidem Christus, ut & ipse Deus, tunc etiam venire dicitur, cùm magnum quippiam memoriâque dignum inter homines designat. Ac de Deo quidem hi observentur loci: Es. 3. 14. & 13. 9. & 35. 4. & 40. 10. & 66. 5. Ad Christum verò quod attinet, illa potissimùm sanctarum literarum testimonia ponderanda sunt, quibus vel ideò venisse perhibetur, ut pacem annunciaret, tam illis qui longè, hoc est, Ethnicis, quàm qui

qui propè erant, hoc est, Judæis: (*Ephes:2.17.*) vel aliquando venturus dicitur, ut iniquitatem auferat à Jacob, (*Rom.11.26.*) id est, Israelitis propter inobedientiam excœcatis amplissimum fidei ostium, ad Deumque sese convertendi viam aperiat. Verum demus, ultimum illum Domini adventum, eumque Antichristi interitum, quem tunc demum Christus illi sit allaturus, hoc loco significari: nondum tamen rem suam conficient aduersarii, nisi demonstraverint, Antichristum tres tantùm cum dimidio annos regnaturum. Cujus rei disquisitio ad tertium caput pertinet eorum, quæ de Antichristo nos explicaturos diximus, ad quod nunc accedimus. Afferunt igitur illi ad id probandum, primo loco illud Danielis Prophetæ testimonium: (*Dan: 7.25.*) *Tradentur*, inquit, *in manus ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Deinde illud Johannis: (*Apoc:12.6.14.*) *Mulier fugit in desertum, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis & sexaginta.* Item illud: *Data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum,* (*Apoc:13.5.*) *ubi alitur per tempus, tempora, & dimidium temporis.* Et illud: *Data est ei potestas agendi menses quadraginta duos.* His omnibus testimoniis adversarii confici putant, trium cum dimidio annorum curriculo Antichristi regnum circumscribendum esse. Quæ opinio juncta cum eo, quòd Antichristus ultimo demum Christi adventu sit perimendus, evinceret, hominibus sub Antichristo viventibus, & sic adventui Christi vicinis, exactè constare posse de ultimo illo die, atque adventus Christi tempore; id quod non paucis sacrarum literarum testimoniis 164.
apertè adversatur, ex quibus liquet, ne illis quidem hominibus, qui in adventu Domini victuri sunt, de tempore ac die illo quicquam certi constitutum; ut ita pii quidem semper vigilent, semperque in adventum illum sint erecti, impii verò subitò atque inopinatò ab eo opprimantur. Quòd verò ad loca illa attinet, in illis dies singuli, pro singulis annis mystico propheticoque sensu sunt accipiendi, quemadmodum fit in septuaginta illis septimanis, quæ apud Danielem, (*cap.9.24*) ex quo primus locus est citatus, usque ad Christi tempora duraturæ dicuntur. Itaque singuli menses mystici triginta annis propriè sic dictis; singula verò tempora, h.e. anni mystici, constabunt annis nostris trecentis sexaginta. Ne illud nunc commemorem, non deesse inter eos, cum quibus hîc disputamus, viros doctissimos atque acutissimos, qui arbitrentur, apud Danielem capite ult. tempus, tempora, & dimidium temporis, ac dies, quæ illum annorum numerum compleant, posse totum Euangelii tempus significare: (*vide Joh: Maldonat.*) id quod amplius adhuc est, quàm id quod nos volumus. Et hæc de primo ex iis, quæ adventum Christi antegressura sint, dicta sufficiant.

† *Ad Christum verò quod*] Nulla ratio suadet ut 2.Thess: II, 8. per ἐπιφανείαν τῆς παρουσίας Christi, aliud intelligamus quam ejus egressum ex sanctuario cœlesti & præ-

& præfulgentem illum reditum cujus fit mentio Heb:1x,28. Tit:11,13. 2 Theſſ:1, 9.10. Quoad loca Volkelio citata de Deo adventante, huc non faciunt; Chriſtum quod attinet, Eph:11,17. commemoratur ipſius primus adventus in carne; & Rom: x1,26. proponitur continuatio fructuum ejuſdem primi adventus, eorumque extenſio ad Judæos poſtliminiò revocandos; ſed neutrobique fit mentio ἐπιφανείας τῆς παρουσίας αὐτοῦ. In cœteris quæ hîc dicuntur faciles acquieſcimus.

Alterum iſtorum conſtituimus Judaicæ gentis ad Chriſtum converſionem, & ſic finem infelicitatis ejus quâ natio iſta hactenus premitur. Hanc enim aliquando ceſſaturam indicavit apud Lucam Chriſtus. Nam cum multa tum de ſignis, pœnam illius populi urbiſque Hieroſolymitanæ excidium anteceſſuris, tum de illa ipſa afflictione diſſeruiſſet, addit; (*Luc:21.24.*) *Hieroſolyma conculcabitur à Gentibus, donec tempora Gentium impleantur*: ut facilè appareat, venturum aliquando diem illum, quo Judæi à Gentibus non conculcentur ampliùs, nempe earundem temporibus abſolutis ad finemque perductis. Qua de re Paulus ad Rom. ſcribens (*Rom:11.21.26.*) docet, Deum aliquando Judaicæ nationi ampliſſimam viam aperturum eſſe, quâ ſalutem amiſſam recuperare poſſit, poſtquam nimirum omnes gentium oræ divinæ veritatis lumine illuſtratæ fuerint; aſſeritque futurum, ut totus Iſraël ſervetur; non quidem quòd Deus Iſraëlitis vim ſit illaturus, ſed quòd tam clarè cœleſtis diſciplinæ veritatē illis propoſiturus ſit, ut per ipſum minimè ſtare manifeſtiſſimè appareat, quominus omnes eam amplectantur, & ſic æternæ vitæ patrimonium conſequantur; & porrò illud penitus compleatur, quod olim prædictum erat: (*Eſa: 27. 9.39.20.*) venturum ſcilicet liberatorem ex Sion, qui iniquitatem, quantum quidem in ipſo ſitum fuerit, auferat à Jacobo. Quæ quidem prædictio in ipſo ſtatim Euangelii primordio non fuit perfectè completa, cum ſummâ Dei ſa-
165. pientiâ atque juſtitiâ tunc factum fuerit, ut multi gentis illius homines in ſceleribus, quibus ſeſe ſponte ſua alligaverant, obſtinatè perſiſterent: cumque ſalutis humanæ ratio poſtulaverit, ut Chriſtus magnis antegreſſis afflictionibus truculentiſſimâ morte, idque ab illo ipſo populo, quemadmodum prædictum fuerat, afficeretur: cum denique voluntas Dei ita tulerit, ut in ſceleratiſſimam illam nationem, quæ divinam ipſius gratiam, quæque Chriſtum omnia facientem, ut eorum ſalutem conſtitueret, per ſummam ſuperbiam contempſit, rejecit, conculcavit, tantum juſtiſſimæ ſeveritatis exemplum ederetur, quanto omnes à ſimili flagitiorum genere abſterreri poſſent. Contrà autem ſeſe res habebit, cùm ille dies illuxerit, de quo hîc orationem habemus. Tunc enim, omnium illorum ſcelerum memoriâ depoſitâ, nullâque ratione habitâ, quali quis ad illud uſque tempus fuerit animo, aut quibus præditus moribus, omnibus, pro ſingulari atque inaudita quadam clementia, fidei oſtium tam latè aperiet, utſi vel veritatis diſciplinam non percipiant, vel perceptam minimè ample-

amplectantur, vel eam amplexi non retineant, & ideò sempiterna felicitate excludantur, nonnisi extremâ ipsorum contumaciâ atque improbitate fieri hoc promtissimum sit. Quamvis enim, si hodiernum tempus spectes, inimici sint Dei: cùm nec dictis illius assentiantur, nec ad ipsius sese arbitrium accommodent, neque adeò singularem illius clementiam experiantur: tamen si ad electionem illius populi singularem respectum habeas, comperies, hanc nationem Deo charam esse; idque eam maximè ob caussam, quòd illorum majores propter singulare pietatis studium charissimos habuit, & illis eorumque posteris promissio ejusmodi se obstrinxit, quo confirmavit, se eorum Deum perpetuis fore temporibus: adeò ut, etiamsi populum illum universum ad tempus possit à gratia sua, si eâ se indignum præstet, repellere, & sic æternum contumacibus supplicium infligere; non possit tamen ita totam illorum progeniem rejicere, quin ei tandem aliquando aditum ad gratiam suam patefaciat. Quare dubitandum non est, Deum huic genti ostium fidei suo tempore aperturum. Id autem non multò ante ultimum diem esse futurum, ex illis Christi apud Mattheum, *(cap.24.19.)* verbis colligitur, quibus asserit, mox post afflictionem illorum dierum (loquitur autem de afflictione populi Judaici) solem obscurandum, lunam suum lumen minimè emissuram, & stellas de cœlo casuras, cœlique robur concutiendum esse; & tunc appariturum signum filii hominis in cœlo, h.e. tale quippiam humanis oculis subjiciendum esse, quod admoneat, Christum jam adesse, ut universo mundo eversionem afferat. Animadvertendum enim est, afflictionem illam, de qua loquitur Christus, tam latè extendi, ut etiam eam gentis illius calamitatem ac servitutem complectatur, quæ primam illam afflictionem sequuta est, & ad hoc usque tempus durat. Intelligitur id ex collatione istorum verborum cum iis quæ apud Lucam cap. 21. extant: *& captivi,* inquit Christus, *ducentur* (Judæi) *in omnes gentes, & Hierosolyma calcabitur à gentibus, donec tempora gentium impleantur: & erunt signa in sole, in luna, & stellis,* & quæ sequuntur. 166.

‡ *Non quidem quod Deus*] Isti non putant posse homines infallibiliter adduci ad Christum & servari à Deo nisi *vim* illis inferat: quod est perabsurdum: Nec enim cogit nolentes, sed ex nolentibus reddit volentes potentissimâ illâ tractione cujus fit mentio Joh: VI, 37. 44. 45. Aliàs enim non agitur apud Paulum Rom: XI, 25. 26. ex Es: XXVII, 9. LIX, 20. de sola ivnitatione externa Judæorum ad salutem; cùm hoc sensu nequeat clariùs cœlestis disciplinæ veritas illis proponi, quam factum fuit ab initio per Christum & Apostolos; sed de reali ipsorum adductione ad Christi fidem, ut cum Christianis è Gentilibus fiant sub uno Pastore Grex unus. Dicit enim Apostolus eos iterum *reconciliandos* Rom. XI, 15. & *oleæ inserendos* com. 24. & totum Israëlem servatum iri com. 26. Quæ omnia actualem conversionem istius gentis infallibiliter eventuram arguunt.

Quæ quidem prædictio] At nec magis compleretur sub finem sæculi, nisi de facto essent Judæi omnes qui ad *electionem* divinam pertinent Rom: XI, 28. satis ma-

tatis magno numero ad Christum tunc adducendi. Imò non debuit, judice Apostolo, ante compleri quam sub finem; siquidem prædictum erat *in ipso statim Euangelii primordio* Judæos rejecturos Euangelium & Christum *truculentissimâ morte* affecturos: Ut autem hæ prædictiones de Christo à Judæis rejiciendo & trucidando in ipso statim Euangelii primordio debuerunt infallibiliter compleri, ita hæc de eorum actuali conversione infallibilem habebit eventum suo tempore.

Ut si vel veritatis] At certum est etiamnum hodie & à temporibus Apostolorum, esse Judæos inexcusabiles, quod *vel veritatis disciplinam non percipiant, vel perceptam minimè amplectantur*: Quare hæc prædictio, non relinquit in incerto eorum conversionem, nec eam suspendit ex liberi arbitrii dubia determinatione; sed certò eam futuram potenti Dei tractione & gratiâ significat. Cur enim magis neges infallibilem conversionem Judæorum ex hoc Vaticinio, quam ex aliis infallibilis erat futura tum Christi crucifixio, tum Antichristi revelatio? An magis in his capitibus quam in illo perspicax Dei scientia, aut minus liberum hominum arbitrium?

Si ad electionem illius] At qui olim electus fuerat populus ad Dei fœdus, postea rejectus fuit; ut inde constet *electionem* commemoratam Paulo Rom: XI, 28. potius esse singularum personarum, quas plurimas in illo populo vult Deus habere, à se electas ad salutem propter fœdus cum Patribus initum, quod ipsos & eorum semen spectabat.

Quod illorum majores] Equidem vera est assertio Volkelii, si intelligatur amor ille Dei qui *Complacentiæ* dicitur, quo Deus complexus est Patriarchas postquam jam pietati se devovissent; sed falsa est, si intelligatur amor *Benevolentiæ*, quo dum illos prosequitur ex mero beneplacito, eos avocavit ab idolorum cultu & eorum mentibus studium pietatis instillavit, à quo tam alieni erant quam cæteri homines, Ezech: XVI, 3. Jos: XXIV, 15.

Quin ei tandem aliquando aditum] At si spectemus præconium externum Euangelii & doctrinam ipsam Socinianorum quâ statuunt cum Pelagianis semper præstò esse hominibus quibuslibet gratiam sufficientem ad conversionem & salutem, semper patuit patetque Judæis *aditus ad gratiam* Dei: Verùm multo amplius illis promittitur à Deo; nempe efficax eorum conversio & actualis traductio ad fidem Christi.

Id autem non multo] Quamvis credibile sit reditum Judæorum ad Christum *non multo ante ultimum diem futurum*, attamen neutiquam eò faciunt verba Christi, quæ respicit Volkelius, Matt: XXIV, 29. tùm quia *afflictio illorum dierum* pertinet speciatim ad clades & calamitates Judæis illatas per Vespasianum & Titum, in ipsamet Judæa, ut liquet ex com. 16. & seq. tùm quia Solis & Lunæ obscuratio aut Syderum casus, debent consequi afflictionem illorum dierum, Christo *subnectente* cladibus Judæorum calamitates eventuras Ecclesiæ suæ per obscurationem Euangelicæ lucis & Antichristi tyrannidem, non verò Judæorum conversionem: Et quamvis hæc afflictio Judæorum deberet extendi ex Luc: XXI, 24. usque ad ea feralia tempora, quibus Sol & Luna cœteraq; sydera plurimùm erant immutanda, inde tamen non sequeretur ante ad Christum Judæos esse revocandos, quam obscurationes istæ mysticæ eveniant. Si eas tamen intellexeris ad literam, de signis & portentis in Sole & syderibus, imo tota rerum natura eventuris, *ad signum filii hominis in cœlo* constituendum, *quod admoneat Christum jam adesse ut universo mundo eversionem afferat*, fateor debere necessariò illas præcedi à conversione Judæorum; sed quanto intervallo, neque ex Luca neque ex Matthæo vel Paulo, colligi potest; nisi fortè ex hoc protuleris quod extat Rom: XI, 15. 25.

Ut

Ut autem hæc Judæorum conversio perficiatur, illud priùs evenire necesse
est, quod inter propinquiora adventus Christi signa superiùs recensuimus,
nimirum Euangelicæ disciplinæ inter omnes gentes prædicationem: ut ita iis
ad fidem perductis, earum exemplo Judæi ad æmulationem provocentur.
Plurimum enim ea res, ut ex Paulo constat, (*Rom: 10. 8. 9. confer. cum c. 11.11.
& d.*) habitura est momenti ad eos ad Christum pertrahendos. Illam autem
Euangelii prædicationem toto passim orbe repetitam, propinquum esse ad-
ventus Christi signum, ex illis apparet Johannis verbis, quæ in Apocalypsi
extant (*cap.14.6.7.*) ubi hunc in modum loquitur: *Et vidi alterum Angelum vo-
lantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, ut euangelizaret sedentibus
super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicens ma-
gna voce: Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.* Quibus
verbis docemur, futurum esse, ut ii emittantur in terrarum orbem ministri,
qui non cunctanter, non languidè, non titubanter, aut timidè, non in angu-
lis tantùm de rebus divinis disputent; sed qui divino quodam afflatu impulsi,
omni abjectâ morâ, audacter atque apertè Euangelium Christi ubique
enuncient, omnibusque illam judicii horam instare confirment. Nequaquam
enim consentaneum est, ut Christus priùs ad hominum scelera judicanda de-
scendat, quàm divina voluntas omnibus terræ nationibus ipsius jussu denun-
cietur; cùm sic Deus institutum suum non solùm minimè teneret; sed parùm
etiam de justitia sua, quâ in pœnis ultimo illo die infligendis usurum se præ-
dixit, omnibus manifestanda laborare videretur. Ac illud quidem ideò, quòd
nec, verbi causâ, antè primo illi hominum generi diluvium invexit, quàm ad
illud denunciandum Noam justitiæ præconem (*2 Pet:2.5.*) mitteret, cujus
monitis ad frugem redirent: nec, ut alia nunc mittam, in Babylonicam ser-
vitutem Israëlitas dedit, nisi priùs manibus suis pansis ad contumacem con-
tradicentemque populum, perque vates suos quotidie illis ad meliorem viven-
di rationem incitatis. (*Esa:65.2. 2 Paral:36.15.16.*) Quid verò de ultimo illroum
excidio dicam? Nequaquam certè illis Deus tam miserandum casum inferen- 167.
dum existimavit, quin priùs Johannem Baptistam, Christum ipsũ, ejusq; disci-
pulos, cum inaudita divini spiritus virtute, cum nova quadam promissionum
amplitudine, cum summa miraculorum magnificentia, ad illos sibi arctissimo
charitatis vinculo devinciendos, legaret. Hoc verò nimirum, quòd parùm justa
viderentur divina supplicia, nisi omnes per Euangelii disciplinam, de impen-
dente æternę damnationis periculo pręmoneret. Eorum enim causa illi assigna-
ri posse videretur; propterea quòd non exigua generis humani pars, non tam
contumacis animi protervitate, quàm divinæ voluntatis ignorantiâ peccat.

‡ *Ut autem hæc Iudæorum*] At superiùs illum locum Matt:XXIV, 14. cui concinit Apostolus Rom:x, 18. Col:1,6. ipse Volkelius benè interpretabatur de ea

Euangelicæ disciplinæ inter omnes gentes prædicatione quæ præcessura erat Jerosolymorum eversionem & finem Reipublicæ Judaicæ; quâ etiam Paulus, jam suo tempore, studebat populares suos *ad æmulationem* provocare Rom:xi,11. 12. 13. 14. Cur ergo nunc mutat sententiam & transfert aliò Christi dictum?

Illam autem Euangelii] Euangelicæ prædicationis repetitio si quæ erat futura celebrior in orbe Christiano, ea est per quam retegi & oppugnari vehementiùs debuit Antichristus ex 2 Thess: 11, 8. Apoc:xi,11. xiv, 6.7. quam videmus Dei beneficio non infœliciter hactenus processisse; licet eam plurimum retardarint inter alios impuri Sociniani, veritati Christianæ obstrependo in plurimis, & Christi Euangelium quantum in se est pervertendo: Quanquam non dubitem quin velint iis accenseri ministris, qui Euangelium æternum erant ubique circumlaturi: etsi tam procul ab illis sint, quam distant à genuinis Euangelii Ministris fœdissimi & impii hæretici, Christiano nomine penitùs indigni. Si quid igitur remoratur adhuc conversionem Judæorum, non tam est defectus idoneæ prædicationis, quam scandalum quod illis objicitur ex idololatria multiplici vigente adhuc inter plurimos, qui potissimum Christiani & Catholici volunt haberi, uti fusè & accuratè docet Edwinus Sandis eques Anglus, *Relat. de Relig. cap* 41.

Nequaquam enim consentaneum] At id jam olim factum fuit per ipsos Apostolos, & licet quadantenus interruptum operâ Antichristi, his ultimis temporibus palàm resumi cœpit cum salute & consolatione plurium myriadum: Ad id tamen Deum necessariò teneri ex ordine suæ justitiæ, cùm nemini quicquam debeat, faciliùs dixerit Volkelius quam probaverit. Et cùm multifariàm Deus homines ab ævo & monuerit & moneat quotidie sui officii Act:xiv,17. xvii,30. Rom: i, 18. ii, 4. prout olim primi mundi accolas per Noam 1 Pet:iii,19. 2 Pet:ii,5. Israëlitas ante captivitatem Babylonicam per Prophetas Es: lxv, 2. 2 Par:xxxvi,15. 16. Judæos per Johannem Baptistam, Christum & Apostolos, exitii imminentis præmonuit, non est cur novos Prophetas expectemus in mundum submittendos ante reditum Christi, ne Deus videatur vel *institutum suum* non tenere, vel ab Helice suæ justitiæ deflectere: Qui peccaverint sine lege, etiam sine lege peribunt; & qui in lege peccaverint, ex illa judicabuntur Rom: ii, 12. Quare non necessariò postulat Justitia Divina ut denuò *omnes per Euangelii disciplinam de impendente damnationis æternæ periculo præmoneantur*. Cur enim non æquè semper & ubique hæc præmonitio ad omnes fieret, ac ad eos futura dicitur qui brevi tempore reditum Christi sunt præcessuri? Si ad illos hæc denunciatio debet tum fieri, *propterea quod non exigua generis humani pars, non tam contumacis animi protervitate, quam divinæ voluntatis ignorantiâ peccat*, cur non etiam hodie & ab ævo *fit aut* facta fuit tot myriadibus hominum in profundissimas tenebras ignorantię demersorum & in illis miserè pereuntium? Nullum sanè potest dari tempus quo peccatores non sint sufficienter ἀναπολόγητοι coram Domino, licet quandoque eorum inexcusabilitatem novæ lucis ostentatione intendere velle videatur. Hæ igitur inanes Volkelii conjecturæ missę fiant; ac rejiciatur quod statuit insuper plures mortalium *non tam contumacis animi animi, protervitate, quam divinæ voluntatis ignorantiâ* peccare: Nam præterea quod ignorantia juris neminem excusat, cùm ipsamet sit graviter culpabilis coram Deo, nuspiam reperitur ignorantia voluntatis divinæ absque protervitate contumacis animi; cùm hæc duo, obscurationem sive ignorantiam & cordis duritiem, idest contumacem proterviam, in iis qui non credunt, conjungat conceptis verbis Apostolus Eph: iv,18.

D E

DE VERA RELIGIONE LIBER QUARTUS,

De officio nostro in Novo Fœdere præscripto; *seu* *De præceptis Christi.*

CAP. I.

De probitate & improbitate.

‡ *Respondente ad hoc & duo sequentia capita* IOHANNE MYLLERO, *Helvetio-Tigurino.*

SAtis, ut videmur, eam novi Fœderis partem explicavimus, quæ ad ipsum
Deum respicit. Nam & promissorum Christi amplitudinem & verita-
tem, & expressam in ipso effigiem, & denique præstandorum faculta-
tem & modum, oratione complexi sumus. Sequitur tandem, ut & hanc
ejus partem mente animoque consideremus, quâ officii nostri ratio contine-
tur. Intelligendum enim est, eâ conditione ac lege, tum temporaria, tum
æterna bona nobis pacta esse, & ideò tum demùm fœdus istud ex nostra etiam
parte ratum firmumque fore, si ex Christi mandatis vitæ nostræ statum com-
posuerimus. Ex quo fit, ut quæ Christus de officio nostro præcepta tradidit,
ea omnia examinanda, suisque momentis ponderanda hoc loco nobis sint.
Qua quidem re haud satis rectè perfungemur, nisi illud in mentibus nostris
hæreat, sine quo nihil quicquam nobis prosunt omnia, quæ à Deo salutis hu-
manæ constituendæ causâ per Christum facta dictaque sunt. Nihil autem id
aliud est, quàm animus in virtutem pronus. Hoc enim quia multi de Israëli- 168.
tis caruerunt, idcirco, quamvis Christum viderint, voces illius auribus usur-
paverint, admiranda illius opera aspexerint, à mortuis eum excitatum, idque
altissimo Regiæ majestatis solio collocatum esse, ex manifestis signis, ex in-
crebibili Apostolorum constantia perspicere potuerint: tamen nec illius disci-
plinam amplecti, nec illius ductum sequi voluerunt. Consequens igitur est, ut
antequam Christi præceptorum explicationem ingrediamur, de ista animi pro-
bitate, deque huic opposita improbitate atque malitia, ea præmittamus, qui-
bus quid utraque sit, & quot in genera distribui possit, dicamus.

 ‡ *Nam*

‡ *Nam & promissorum*] Quam benè id præstiterit, ex præcedentibus liquet.

Intelligendum enim est] Ita est; Sed hanc conditionem Deus potenter & misericorditer simul in suis exsequitur, ipsius hujus fœderis vi efficiendo ut in suis mandatis ambulent, & Legem suam cordibus eorum inscribendo.

Nihil autem id aliud] At ille animus non est in nobis à natura, sed à gratia: naturâ enim nostrâ sumus proclives ad omne malum & inepti ad omne bonum. Quare non prærequiritur talis animus ad hoc ut in Dei fœdus adsciscamur; sed Deus per suum fœdus, eum format in nobis, nosque traducit ex potentia tenebrarum in regnum admirabilis suæ lucis.

Hoc enim quia multi] Sed manet adhuc scrupulus altiùs repetendus, quî factum quod Deus hanc animi probitatem illis non indiderit, corde eorum lapideo in carneum mutato?

Consequens igitur] De ordine agendi parum sumus solliciti: modò salutis & conversionis cujusque initium, contra Scripturam 1 Cor: IV, 7. in ipso homine sese ab alio quovis suâ probitate secernente non collocetur.

Est autem probitas isti nihil aliud, quàm rectè agendi studium, à recto rationis judicio profectum. Intelligendum quippe est, Deum probitatis hujus in ipsa hominis natura fundamenta jecisse, cui insevit rationem, voluntatem, & appetitum: inter quæ voluntas media eaque libera existens, jam ad rationem sese applicat, & sic nascitur probitas ista, quam oratione persequimur; jam appetitui obtemperat, & hinc improbitas emergit; ut facilè appareat, in hominis potestate positum esse, vel probitatem colere, vel improbitatem consectari; cùm Deus liberum voluntatis arbitrium homini concesserit: ut quidem ex eo apertissimè constat, quòd qui mentem gerunt à probitatis studio alienam, ideoque ad divinam doctrinam percipiendam planè ineptam, gravissimè de malitia animique contumacis protervitate accusantur: quodque divinitùs admonemur, ut, *si*, Christi (*Heb: 3.7.8.12.*) *vocem audierimus, mentes nostras ne obfirmemus; néve in aliquo nostrûm sit cor pravum.* Huc & illa Christi verba spectant: (*Ioh: 7.17.*) *Si quis voluerit voluntatem ejus* (Patris) *facere, cognoscet de doctrina; utrùm sit ex Deo, an ego à me ipso loquar:* id est, si quis eo animo sit præditus, ut sese totum ad Dei obsequium accommodare velit, is doctrinam meam divinam verissimamque esse, facilè intelliget. Quibus quidem Christi verbis sine dubio tacita continetur admonitio, quâ homines in probitatis studium incitare voluit. Vt autem hæc Christi, ita superior illa divini spiritus hortatio supervacanea foret, si voluntas nostra, aut virtutis studio, aut sceleris turpitudini, ita alligato esset, ut necessariò vel ad justitiæ cultum nos impelleret, vel ad impuritatis amorem raperet. Hinc colligitur improbitatem esse voluntariam quandam animi à pietatis studio aversionem.

‡ *Est autem probitas*]. Quamvis probitas præter *rectè agendi studium*, ipsam praxim continuatam benè rectèque agendi exigat, tamen in hac definitione hactenus acquiescimus: Si modò & id supponamus nullum esse sub peccato rectum rationis judicium, in rebus ad pietatem & salutem spectantibus, nisi ipsa

ratio

ratio rectificetur & Dei verbo ac Spiritu illuminetur & sanctificetur: 1 Cor: 11,14.

Intelligendum quippe est] In his verbis multa sunt quæ cum veritate & saniori etiam Philosophia pugnant. Falsum est primò, quod voluntas ab appetitu distinguatur: Est enim voluntas ὄρεξις νοερά, appetitus intellectivus, sive rationalis, ut ipsemet Aristoteles docet. Secundò, quod voluntas fingitur modo *ad rationem* se applicare, modò *appetitui* obedire: Nam voluntas ita semper subest judicio ultimo rationis,sive rectæ,sive distortæ,ut nunquam discedat ab illius dictamine. Tertiò, quod voluntas contradistinctè ad rationem *libera* pronunciatur, ita ut in ipsa sit sese vel rationi vel appetitui applicare; Nam præterea quod libertas arbitrii inest rationi sive intellectui radicaliter, non voluntati, ea non consistit in indifferentia ad opposita, sed in immunitate à coactione. Quartò, quod dicitur Deus inserendo homini *rationem, voluntatem, & appetitum*, probitatis in ipsa natura fundamenra insevisse; Nam ut non negem probitatem ipsam Deum insevisse naturæ humanæ per justitiam originalem cum qua primi homines conditi fuerant, tamen nego hæc tria post peccatum habenda esse pro fundamentis in natura humana probitatis & pietatis: Si enim considerentur tantum per modum facultatum naturalium, & ut loquimur vulgò, *in genere entis*, non magis inserviunt probitati, quam improbitati exercendæ. Tam in proclivi est hominem his tribus abuti ad peccandum, quam uti ad benè agendum: Si verò considerentur in *genere moris* & cujusmodi evaserunt sub peccato, cùm ratio sit distorta & cœca, voluntas corrupta, appetitus perversus, ut nec iste rationem, nec illa Deum audiat, nequeunt haberi pro fundamentis probitatis, sed è contrario pro fundamentis & scaturiginibus connexis omnis improbitatis & nequitiæ Gen: VI,5. VIII,21. Ierm: XVII, 9. Si ratio in homine, sive facultas ratiocinandi & discurrendi, esset sufficiens fundamentum probitatis, sana utique & integra deberet esse, ac iis insitis notionibus & luminibus instructa quæ ad sapientiam & pietatem sufficerent. At quam id statui nequeat, vel inde liquet quod tam dissimilis sit ratio in singulis, ut verè inter homines id obtineat, *Quot capita tot sensus.* Ac ut taceam omnia loca Scripturæ ex quibus evidentissimè colligitur rationem humanam multifariàm laborare, ac penitùs esse cœcam in iis quæ ad pietatem & Dei cultum spectant, ipsimet Ethnici ejus vitium & imbecillitatem senserunt & deplorarunt: adeo ut Aristoteles quoque dixerit se habere intellectum humanum ad veritatem ut oculum vespertilionis ad lucem solis. Sed nec illud sicco pede prætereundum quod ex hac Volkelii doctrina sequatur Deum tam verè improbitatis fundamenta in ipsa natura humana insevisse, quam probitatis & sanctitatis. Nam juxta ipsius philosophemata, voluntas media est inter appetitum & rationem, ut Virgo in Zodiaco inter Leonem & Libram; ita ut si se applicuerit ad appetitum, homo fiet improbus, si ad rationem, studebit probitati. Quod si id Deus naturæ nostræ insevit quod ita vitiosum est ut si ad illud se applicet voluntas, ex se indifferens, germinabit ipsa improbitas, annon censendus erit semina improbitatis & nequitiæ naturæ nostræ insevisse? Nam ipse appetitus debet esse totâ suâ naturâ malus & perversus, siquidem voluntas ei se applicando nihil profert præter improbitatem meram: Eò nempe redeunt isti homines, dum nolunt nativam corruptionem per peccatum introductam in seipsis agnoscere, suæq; fortunæ ac salutis æternæ fabri haberi quo jure quâ injuriâ omninò volunt.

Ut facile appareat] Egregiam sanè probationem; In hominis potestate situm est *vel probitatem colere, vel improbitatem conse-*

consectari, quia penes ipsius voluntatem est, vel appetitui obtemperare, vel sequi rationem: An hoc non est idem probare per idem, & τὸ ἐν ἀρχῇ petere? Qui id positum esset in hominis potestate, cùm sub peccato sit omnibus viribus ad bonum destitutus Rom: v, 6. cùm φρόνημα τῆς σαρκὸς nec velit nec possit se subjicere legi Dei Rom: VIII, 7. cùm arbor mala, cujusmodi ille est, nequeat bonos proferre fructus Matt: VII, 18. cùm non possit cognoscere ea quæ sunt Spiritus Dei 1 Cor: II, 14. aut seorsim à Christo quicquam boni facere Joh: XV, 5. imò ne cogitare quidem 2 Cor: III, 5. multo minus ad Christum venire nisi Pater traxerit eum Joh: VI, 44. cùm donec Deus cœperit in ipso operari & velle & perficere Phil: II, 13. ac resplenduerit in corde illius ad præbendum lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Jesu Christi 2 Cor: IV, 6. amovendo cor lapideum à carne ejus & indendo cor carneum Ezech: XI, 19. XXXVI, 26. imò dando illi mentem ad cognoscendum & oculos ad videndum & aures ad audiendum Deut: XXIX, 4. ea solùm faciat quæ carni & cogitationibus ejus libent Eph: II, 3. ambulans in vanitate mentis suæ, tenebris obscuratam mentem habens, & alienatus à vita Dei propter ignorantiam quæ est in eo & obdurationem cordis sui Eph: IV, 17. 18. Igitur duo hîc notanda: Primum, quod non sit *in potestate* hominis irregeniti & speciali Dei gratiâ destituti, rectam sequi rationem & appetitui suo vitioso non obsequi: quoniam innata corruptio, juxta quam carnalis est & venditus sub peccato, ejusmodi compedes illi injicit, eumque, gravi pondere ad lancem illam voluntatis suæ superaddito, sic trahit deorsum, ut tam parum possit ex se relicta improbitate studere probitati, quam parum potest ex se mortuus quatriduanus & jam fœtens, ut Lazarus, relicto sepulchro prodire foràs & ambulare. Secundum, quod ea sit rationis ipsius humanæ per peccatum, cœcitas, corruptio, depravatio, ut illius unius ductui se permittere nequeat homo, quin à recto tramite officii sui longè abducatur, ac per avia monstrosarum suarum opinionum in perditionem certam deducatur. Pudere deberet Socinianos tam crassi Pelagianismi, cui passim se opponit sacra Scriptura, & qui vel ex solius Cebetis Philosophi Ethnici tabula possit refutari: Monet enim quomodo homines in hujus vitæ introitu ex Erroris & Ignorantiæ poculo bibunt, quo poto Cupiditatum illecebris pro diversitate Opinionum suarum sese dedunt.

Cum Deus liberum] Quod in statu integritatis liberum erat non solum à coactione, sed etiam à servitute peccati, nunc ita peccato est mancipatum Joh: VIII, 34. 2 Pet: II, 19. ut omnis ejus libertas in eo sita sit, quod ultrò & citra ullam coactionem, libenter & liberaliter admodum, impotenti illi suo domino inserviat.

Ut quidem ex eo apertissimum] Ex tali accusatione colligere est quidem quid homo debeat, non vero quid possit. *Ita est* spontanea ac libera hæc eorum *malitia animique contumacis protervitas*, ut tamen suo sensu sit in illis necessaria, nec aliter auferenda vel auferibilis, quam potenti irradiatione gratiæ cœlestis.

Quodque divinitùs admonemur] Istæ admonitiones quæ extant Heb: III, 7. 8. 12. & alibi sæpiùs, sunt norma officii nostri, non virium nostrarum mensura. Præterea diriguntur ad sanctos & fideles, jam gratiâ Dei præditos & conversos, adeoque nihil concludunt respectu irregenitorum & infidelium. Adhæc cùm gratiæ divinæ speciali auxilio vox Dei imperativa fiat quoque operativa in suis, ejusmodi admonitionibus Deus utitur ad emolliendam nativam cordium nostrorum duritiem, ejusque pravitatem sanandam, quo se alacriùs subjiciant Euangelio Christi.

Huc & illa Christi] Neque in hoc Christi dicto Joh: VII, 17. quicquam est præsidii

præsidii pro hac causa. Nam ut quis velit facere Dei voluntatem, *idest eo animo sit præditus ut sese totum ad Dei obsequium accommodare velit*, eum animum debet à Deo per regenerationis gratiam fuisse consequutus.

Quibus quidem verbis] Sed jam dictum admonitiones divinas esse normam officii nostri, non mensuram virium nostrarum. Nec tamen ideo sunt *supervacaneæ*, quod homo corruptus illis ex sese submittere nec possit nec velit: Nam 1. inserviunt ad eum convincendum & inexcusabilem reddendum; 2. per illas Deus exerit vim & efficaciam Spiritus sui in cordibus suorum, ad ea flectenda in obsequium, & idipsum in illis intus efficiendum ad quos eos externè adhortabatur.

Si voluntas nostra] Hæc necessitas nihil tollit de voluntario; Est enim ita sub peccato *sceleris turpitudini alligata*, ut *necessariò*, spontè tamen & ultrò, ad impuritatis amorem rapiat: prout in cœlo, ita erit virtutis studio illigata, ut *necessariò*, spontè tamen & ultrò, Deo sit adhæsura. Omnis necessitas non tollit liberum arbitrium, sed ea demum quæ est coactionis: Non ideo carent dæmones voluntate liberâ, quod nequeant boni quicquam agere. Non ideo Deus non est liberum agens, quod nequeat mentiri & agat necessariò quod justum est.

Hinc colligitur] Ita est *voluntaria* in homine peccatore, ut donec regeneretur à Deo, sit etiam necessaria, nec possit suopte Marte ac propriis viribus, nisi Deus illum converterit, seipsum ad pietatis studium applicare.

Quod ut meliùs possit intelligi, necesse est, ut quemadmodum utramque definiendo explicavimus: utramque in eam, quæ naturalis quodammodo dici potest, & acquisitam distribuamus. Naturalis illa animi probitas vocari 169.
potest, quâ hominis voluntas, quantumvis libera, naturali quadam inductione magis ad virtutis, quàm vitii studium propendet. Quo pacto & naturalis improbitas est, quâ hominis voluntas naturali quadam inclinatione ad flagitia suscipienda, quàm ad pietatis sanctimoniæque officia præstanda, paratior promptiorque est, etiamsi interea, ut ille in vitium, ita hic in virtutem animum flectere queat.

‡ *Ita utramque in eam*] Probitatem *naturalem* aliquam fingere nemo poterit, qui didicerit ab Apostolo Eph: II,3. nos esse naturâ filios iræ & mortuos in nostris peccatis. Et mirum est Volkelium, naturalem fingere tum probitatem, tum improbitatem in hominibus, cùm alterutra nequeat esse naturalis, quin altera adventitia & accidentalis statuatur. Tum aut naturalis erit quibusdam tantum individuis, aut toti speciei: Si toti speciei naturalis sit improbitas, nulli individuo conveniet probitas naturalis, aut viceversâ. Si verò probitas sit naturalis quibusdam tantum individuis, *queis meliori de luto Titan præcordia finxit*, illius privilegii ratio extra Deum vix assignari poterit; Ast unde erit improbitas naturalis, nisi ex natiua corruptione per peccatum, quam Sociniani nolunt agnoscere? Adhæc cum possit tam facilè Volkelius *naturale* conciliare cum *voluntario*, cur omnem necessitatem putat ita cum voluntate pugnare, ut nequeat voluntarium statui, quod ullo modo necessarium fuerit, siquidem & quod naturale est aliquam habet necessitatem adjunctam? Præterea hîc evertit Vokelius quod antea finxerat de ejusmodi medietate & libertate voluntatis inter rationem & appetitum, ut in ipsa

 esset

esset se alterutri applicare; Nam si naturaliter magis huc quam illuc propendet & inclinat, nec libera simpliciter erit, nec media inter utrumque. Agnoscimus tamen & in primo homine naturalem fuisse probitatem, sed mutabilem ab intra, ut vulgò loquuntur, idest per insitam ejus voluntati libertatem, quâ potuit in vitium animum flectere & à Deo deflectere, & in omnibus hominibus post peccatum naturalem improbitatem, sed mutabilem tantum ab extra, per supervenientem gratiam medicinalem, quâ ab improbitatis tramite ad probitatis studium traducantur. Est autem ratio diversitatis istius in eo collocanda quod habet Augustinus *Enchiridii cap.* 30. *Quid boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit. Nam libero arbitrio malè utens homo & se perdidit & ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit; sed se occidendo non vivit, nec seipsum resuscitare potest cum occiderit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est; Petri certè Apostoli est ista sententia. Quæ cum vera sit, qualis quæso potest esse servi addicti libertas, nisi quando peccare eum delectat? Liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati servus est. Unde ad justè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti lætitiam, simul & pia servitus propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad benè faciendum, unde erit homini addicto & vendito, nisi redimat ille, cujus illa vox est, Si vos Filius liberaverit tunc verè liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio, in bono gloriatur opere, qui nondum liber est ad operandum benè? Nisi se vanâ superbiâ inflatus extollat, quam prohibet Apostolus dicens, Gratiâ salvati estis per fidem.* Igitur potuit homo probitatem suam naturalem suâ culpâ amittere; sed non potest quisquam ab improbitate naturali ad probitatem traduci, nisi speciali Dei ipsius auxilio & gratiâ, cui ipsa voluntas suboperetur, jam rectificata & in veram asserta libertatem.

Iam acquisita probitas est, quâ fit, ut hominis voluntas, etiamsi fortè naturaliter ad flagitia sit propensa, assvetudine tamen quadam ad virtutis studium traducatur. Qua quidem in re magnam vim habet præclara educatio, & cum illis, qui in sanctimoniæ studio versantur, arctissimum familiaritatis vinculum, ex quo pietatis exercitium magnaque rectè agenti cupiditas emergere solet. Improbitas porrò acquisita est, in quam hominis voluntas ad virtutis exercitium alioqui, si illius naturam spectes, propensior, vel prava institutione, vel sceleratissimorum hominum commercio, ac flagitiorum consuetudine, impellitur.

‡ *Iam acquisita probitas*] Agnosco quidem, quod educatione, institutione, conversatione, consuetudine, ac similibus, plerique vel fiunt improbiores, vel à gravioribus flagitiis, ad quæ aliàs per naturalem & omnibus communem improbitatem propendebant, revocentur: Ut vera tamen adsit probitas, quæ tam placeat Deo in foro poli, quam hominem præstat laudabilem inter sui similes in foro soli, requiritur specialis Dei gratia quæ voluntatem naturaliter ad flagitia propendentem, qualis est in omnibus post peccatum, traducat ad virtutis studium.

Ex quo consequitur, postquam Evangelica doctrina homini innotuit, omnem vim vel officii præstandi, vel divini imperii contumaciter respuendi, in animi probitate aut pravitate constitutam esse: ut meritò religio Christiana Lydius lapis appellari queat, ut pote quo hominis probitas perversitasque exploretur. Habet enim hoc Christi disciplina, ut cùm in eum hominem incidit, qui virtute delectatur, avidissimè soleat arripi; contraque eveniat in homine ad scelus propenso, utpote qui nefaria flagitiorum cupiditate elatus, omnia veræ pietatis præcepta deridet, contemnit atque conculcat. Quod quidem improbi animi crimen, cùm Deus pro summa sua sapientia passim dominari, omniumque ferè animos occupasse videret, interim autem id unicè curaret, ut omnes salutarem Christi disciplinam amplecterentur, & cœlestis patrimonii hæreditatem adirent; Johannem Baptistam ad Judæos, quibus Christus nominatim destinatus erat, cùm pœnitentiæ doctrina præmittere voluit, ut antequam Christus salutiferas leges suas promulgaret, hominum animi à malitia ad virtutis studium traducti, ad nostri hujus ducis præscriptiones amplectendas, summâque diligentiâ conservandas, alacriores essent.

‡ ***Ex quo consequitur***] Fateor *in animi probitate aut pravitate* sitam esse omnem vim *vel officii præstandi* ac obediendi Christo, *vel divini imperii contumaciter respuendi*: ut nemo obediat Christo, cujus animus à nativa improbitate, ad probitatem & sanctitatem per regenerationis gratiam non sit conversus; & nemo respuat Euangelium & jugum Christi, nisi ex innata improbitate & pravitate. Sed fallitur Volkelius supponendo illam probitatem in homine, antecedenter ad auditionem Euangelii & mentis suæ illuminationem per illud: quasi propriâ hac illius probitate fieret ut præ aliis Disciplinam Christi suscipiat. Siquidem hæc animi vera probitas efficitur ac producitur demum in auditoribus Euangelii, vi illius; cùm antea suâ naturâ cœteris nec meliores nec probiores essent; quò scilicet rejecti Euangelii culpa sit penes incredulos, ex sua improbitate agentes: admissi autem penes Dei gratiam corda hominum immutantem, atque iis instillantem verum ac sincerum probitatis studium. Hinc factum sæpè ut ii efficaciter converterentur qui gravioribus flagitiis ex nativa sua improbitate essent immersi, non verò illi qui externâ morum suorum honestate, in Schola Sociniana probitatis naturalis & acquisitæ laudem facilè fuissent reportaturi. Ideo dicuntur publicani ac meretrices præcedere Scribas & Pharisæos, (quos illis minus flagitiosos & improbos fuisse, quoad forum externum haud difficulter Volkelii asseclæ dixerint,) in regno cœlorum Matt: XXI, 31. Et ne quis putet suâ se probitate propriâ consequutum fuisse, ut aliis ceu improbioribus præferretur, sollicitè inculcat Scriptura fidelibus, tùm quales essent & quam improbi, cùm primùm fuerunt vocati, ac ne hilo quidem cœteris meliores Deut: VII, 7.8. Eph: II, 1.2.3.4.5 1 Cor: VI, 10 11. tùm quam non debeant suam vocationem & distinctionem ab aliis ullis suis operibus melioribus, in gratiæ penitùs indebitæ præjudicium, adscribere, 1 Cor: IV, 7. Rom: IX, 16. 2 Tim: I, 9

Ut meritò religio] Nusquam ita loquitur Scriptura; cùm religionis Christianæ sit, non homines jam probos ad se alli-

se allicere, sed potiùs ex improbis & flagitiosis, probos & sanctos efficere. Quod si ullus rei *Lydius lapis* dici debeat, erit potius Prædestinationis divinæ, quam humanæ probitatis: cùm eos demum omnes ad se traducat, efficaciter & cum fructu salutari, quos Deus præelegit ad vitam æternam, occallescentibus reliquis Act: XIII, 48.

Habet enim hoc Christi] Imò in eo ejus excellentia se commendat, quod flagitiosos & peccatores à suis flagitiis revocet, & traducat ad resipiscentiam & pietatem: Ut qui eam primùm avidissimè arripiunt, non ideo eam arripiant avidiùs cœteris, quod illis antea fuerint meliores & probiores, sed quod per ipsam-met vi gratiæ Divinæ in alios homines sint mutati & ad eam probitatem quâ priùs carebant traducti: Vide Act: XIX, 18. ne omnium temporum exempla hîc congerere opus sit.

Quod quidem improbi] Hanc improbitatem nativam omnium animis insidere, quamvis non eodem gradu & modo sese exserat in omnibus, ex Scriptura est certissimum: ut hîc particula illa *ferè* non veniat adhibenda, contra expressam Pauli assertionem Rom: III, 10. 11. 12. ex Psal: XIV, 1. LIII, 4. Neque Deus tantum vidit istud *improbi animi crimen* omnes occupasse, sed etiã illud *pro summa sua sapientia*, imò & patientia, *dominari* permisit, quò illustrior ejus Gratia appareret, ibi superabundans ubi delictum maximè exundavit Rom: V, 15. Adde hic loca Rom: XI, 32. ex quibus constat Deum omnes conclusisse sub peccato, ut misereretur Electorum. Ex improbitatis enim illius universalissimæ vinculis, eos omnes eripit, quos misericorditer ad salutẽ per Christum decrevit adducere, non alios, quos justo suo judicio in illa sua improbitate relinquit, pœnas illius tandem jure reposciturus. Quare & id cum grano salis est sumendum quod ait Volkelius, Deus id *unicè* curare, *ut omnes salutarẽ Christi disciplinam* amplectantur. Eventus enim ipse docet quod Deus id non curet *unicè* de omnibus, si *omnes* de singulis generum intelligantur: aliàs omnes & singuli de facto servarentur, cùm nequeat quod *unicè* Deo curæ est non fieri. Quin fidem non esse omnium expresè dicitur, ut cœtera mittam, 2 Thess: III, 2.

Iohannem Baptistam] Sed primò externum præconium pœnitentiæ parum profuisset in ore Johannis, nisi Deus illi adjecisset Spiritus sui operationem & gratiam ad convertendos peccatores: Secundò cum ad Christi quoque disciplinam & *salutiferas leges* ipsa pœnitentiæ prædicatio pertineat, adeo ut & ipsemet eam inculcaverit Matt: IV, 17. & illam commiserit præconibus sui Euangelii Luc: XXIV, 46. 47. hinc sequitur non reperire Christi disciplinam alios aliis probiores, sed eos ad probitatem traducere quos Deus servandos elegit ad *cœlestis patrimonii hæreditatem*: Siquidem eò inseruit præconium pœnitentiæ, ut *hominum animi à malitia ad virtutis studium* traducantur: Quod si præconium hoc supponit hominum improbitatem & corruptionem summam, estque referendum inter *nostri hujus ducis præscriptiones* quæ sunt amplectendæ ad salutem, fateri oportet præscriptiones illas non supponere antecedaneam hominum probitatem, sed eam potius efficere in iis quos Deus ad salutem adducere decrevit.

Tam verò illi, qui probitate, quàm qui scelere delectantur, describuntur variis elogiis. Primò enim, quod ad virtutis studiosos attinet, ii jam ex Deo esse dicuntur; jam illi quorum Deus cor tangat, atque aperiat; jam
170. Christi populus, quem alicubi habeat; jam ad vitam æternam ordinati; jam ii qui servantur, vel servandi sunt; jam Christi oves; jam denique ii, quos Deus Christo dat, appellantur.

Ac ex

Ac ex Deo quidem esse eam ob causam dicuntur, (*Ioh:8.47.*) quòd iis rebus student, quæ Deo probantur. Hac enim dicendi formâ, esse nimirum ex aliquo, vel ex re aliqua, illos notari, qui cum aliquo faciunt, vel rei alicui student, ex similibus phrasibus intelligitur; veluti sunt esse ex veritate, (*Ioh:18.37.*) ex contentione, (*Rom: 2. 8.*) ex Diabolo, (*Ioh:8.44.*) ex mundo, (*Ioh: 15.19. & 17.14.16.*)

‡ *Primò enim quod ad*] At verò illa omnia plæraque elogia non tam à probitate & virtutis studio desumuntur, quam ab Electione Dei gratuita, omnem in nobis probitatem antecedente, imò eam efficiente; ut ex sequentibus evidentissimè patebit.

Ac ex Deo quidem] Utrumque verum est, & ex Deo eos esse qui *iis rebus student quæ Deo probantur*, & eos qui ex Deo sunt iis rebus libenter studere. Sed tamen oportet nos ex Deo esse, per gratuitam ipsius electionem, per efficacem ejus vocationem, per potentem Spiritus Sancti in nobis operationem, per liberalem adoptionem, priusquam iis studeamus rebus quæ Deo probantur & gratæ sunt: Et revera ex Deo esse Joh: VIII, 47. nihil aliud est propriè quam Deum patrem habere, ac jure in illius censeri familia; de quo falsò gloriabantur ipsimet Judæi ibid. com. 41. Dicebant enim, *Nos ex scortatione non sumus geniti; unum patrem habemus, nempe Deum*: Tum Christus com. 42. & 43. sic respondebat, *Si Deus Pater vester esset, diligeretis me; Ego enim à Deo prodii & adsum; nec enim à meipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam istam meam non agnoscitis? nempe quoniam non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis & cupiditates patris vestri vultis exsequi.* Jam autem prius est Deum Patrem habere, per illius Electionem, Redemptionem, Adoptionem in Christo, quam iis rebus studere quæ Deo probantur: Nec enim propter illud studium fit nobis Pater, sed illud studium in nobis efficit quà Pater benignus & per Spiritum adoptionis. Ita esse *ex veritate* Joh: XVIII, 37. nihil aliud est quam regenitum esse per verbum veritatis Jac: 1, 18. & beneficio illius regenerationis, veritatis amorem recepisse ad salutem 2 Thess: II, 10. contra quam evenit illis rixosis (qui dicuntur in V. V. esse *ex contentione*, Græcè ἐξ ἐριθείας,) & veritati non assentientibus, quorum fit mentio Rom: II, 8. Ita esse *ex Diabolo* Joh: VIII, 44. est patrem habere diabolum, ab ipso agi, regi, incitari; quo sensu *ex maligno illo erat Cain & mactavit fratrem suum* 1 Joh: III, 12. Ita esse *ex mundo*, Joh: XV, 19. XVII, 14. 16. est jacere in mundi cœno ac malitia, & consequenter illius sequi illecebras & vanitates. Probitatis itaque studium non facit nos esse ex Deo, sed nos tales esse prodit & manifestat, ut videre est 1 Joh: III, 10.

Illi verò quorum Deus cor tangat, (*1 Sam: 10.26.*) atque aperiat, (*Act: 16.14.*) ea de causa nominantur, quòd eum gerunt animum, qui facilè tangi, id est, ad obsequium divinæ voluntatis præstandum, ac justitiæ studium amplectendum, nullo negotio commoveri potest.

‡ *Illi verò quorum*] Et hîc quoque schema est invertendum: nam illi demum faciles sunt & alacres in capessendo Dei obsequio & amplectendo justitiæ studio, quorum corda Deus tetigerit & aperuerit ut suæ vocationi obsequantur. Est autem omninò ineptissima hæc Glossa, quâ de aliquo dicatur quod Deus cor ejus tetigerit

tigerit & aperuerit, *quod cum gerat animum qui facilè tangi, ideſt, ad obſequium divinæ voluntatis præſtandum, ac juſtitiæ ſtudium amplectendum, nullo negotio commoveri poteſt.* Nam ſanè aliud eſt cor eſſe tenerum & tactile, & quod facilè commoveri poteſt; aliud corda de facto tangi & aperiri atq; commoveri à Domino. Ita 1 Sam: x,26. Saulem domum comitantur ii *quorum tetigerat Deus animos*, ideſt quos occultâ ſuâ Providentiâ eò inflexerat, ut alacriter & incunctanter Regem ſibi divinitùs deſtinatum admitterent & ſuſciperent. Ita Act: xvi, 14. Deus *adaperuit cor* Lydiæ, ut *attenderet iis quæ dicebantur à Paulo*, ideſt ut placidè auſcultaret & cum fide admitteret doctrinam Euangelii: Hæc apertio autem, ut & ea quâ Chriſtus dicitur aperuiſſe *mentem* ſuorum diſcipulorum *ut intelligerent Scripturas* Luc: xxiv, 45. facta eſt internâ & potenti operatione Spiritus Sancti, abſque qua nec illa credidiſſet, nec iſti unquam intellexiſſent.

* **Populus Chriſti iidem idcirco nominantur, (*Act: 18.10.*) quia ad Chriſtum fide complectendum apti ſunt, & ubi ipſum cognoverint, ipſius ductum libenter ſequuntur.**

‡ *Populus Chriſti idem*] Imò *Populus* Chriſti is eſt qui ad ipſum ſpeciatim pertinet, tùm ex Patris electione, tùm ex ſua redemptione, ut patet ex Matt: 1,21. Tit: ii, 14. Act: xx, 28. Cùm ergo dicit Chriſtus ad Paulum agentem Corinthi Act: xviii, 10. *Ego ſum tecum & nemo te invadet ut malè te accipiat, quoniam populus eſt mihi multus in hac urbe,* non vult dicere quod multi eſſent Corinthi qui ad ſe fide complectendum *apti* eſſent per ſuam probitatem; Quam enim parum probi eſſent priuſquam evocarentur ad Chriſtum & fide in ipſum donarentur, ſatis liquet ex 1 Cor: vi, 9. 10. 11. ubi eos ſcortatores, idololatras, mœchos, pæderaſtas, fures, avaros, ebrioſos, conviciatores, rapaces fuiſſe, Apoſtolus commemorat; Sed vult dicere, multos eſſe in illa urbe, utut corruptiſſima & depravatiſſima inter urbes Græciæ, (unde *Corinthiari* dicebatur qui luſtris & ſcortationibus indulgeret, ut notat etiam Eraſmus *in Adagiis*) qui ex Dei electione ad ſe pertinerent, & quos redemptos *ſuo ſanguine* ex vitiorum illorum cœno ad pietatem & probitatem traducere miniſterio Pauli decreverat. Certum id quidem, quod ad populum Chriſti pertineant qui *ubi ipſum cognoverint ipſius ductum libenter ſequuntur*; Sed id quoque certum, neminem ad hæc aptum eſſe naturâ ſuâ, aut ex tali imaginaria aptitudine populo Chriſti accenſeri debere.

Ad vitam æternam ordinati, (*Act: 13.48.*) aut ſervandi, (*2 Cor: 2. 15.*) ea de cauſſa appellantur, quòd ad eam viam, quæ ad cœleſtis patrimonii poſſeſſionem ducit, ingrediendam expediti ſunt.

‡ *Ad vitam æternam*] Æquè inepta eſt hæc gloſſa ac præcedentes. Nam Act: xiii, 48. dicuntur credidiſſe *quotquot erant ordinati ad vitam æternam*, ideſt quotquot erant à Deo præordinati & prędeſtinati ad eam conſequendam: eſt enim fides, non omnium 2 Theſſ: iii, 2. ſed electorum Dei Tit: i, 1. Ac prout dicitur de poteſtatibus quibus obediendum, quod à Deo τεταγμέναι εἰσὶν, ſic proculdubio illi qui crediderunt Euangelio à Deo τεταγμένοι ἦσαν ad vitam æternam. Et quî potuiſſent antea *expediti* fuiſſe ad eam viam ingrediendam quæ ducit ad poſſeſſionem cœleſtis patrimonii, ſiquidē priuſquam ipſis annunciaretur Euangelium, glebæ huic

bæ huic addicti & nescirent dari cœleste patrimonium, & quâ viâ eundum esset penitus ignorarent? Ita 2 Cor: 11, 15. (non 1 Cor:11, 15. ut malè citabatur in originali Volkelii quod hîc, ut in aliquot suprà locis, correctius dedimus) ii qui servantur, *οἱ σωζόμενοι*, ut 1 Cor:1,18. non sunt ii qui apti sunt ad salutis doctrinam admittendam, si fortè eam audiverint, sed qui revera ex Dei decreto, & per præconium Euangelii, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti Rom:1,16. in viam salutis jam sunt traducti, eam certissimè consequuturi suo tempore: ut ne per speciem quidem id elogii ad antecedaneam aliquam probitatem trahi possit.

Oves præterea Christi ideo dicuntur, (*Ioh:10.16.27.*) quòd à morum feritate immanitateque alieni, mites contrà ac mansueti existentes, Christi disciplinam facilè amplectuntur, ipsique, occasione sese offerente, ut Pastori sese regendos haud inviti tradunt.

‡ *Oves præterea Christi*] Non sanè quod jam tales sint priusquam *Christi disciplinam* amplectantur, sed quod ad hanc ovillam mansuetudinem & obedientiam, ex Dei decreto sint ordinati, adeoque suo tempore à communi & nativa *morum feritate immanitateque* abducendi. Nec enim extra Christi ovile & priusquam ad illud evocentur, illam mansuetudinem induunt, aut discunt obedientiam, ut liquet exemplo Pauli ex lupo rapaci in agnum mitissimum imò in excellentissimum Pastorem, fœlici metamorphosi per vocem Christi transmutati: Ideo Christus Joh: x,16. *oves* etiam suas vocat eos ex Gentilibus quos in suam caulam debebat adducere, & suo pedo subjicere; ac com.27. ovibus suis tribuit, quod vocem suam audiant & sequantur se, idest quod voce suâ efficaci, ab erroribus suis in viam salutis deducantur.

Postremò Christo à Deo dati propterea dicuntur, (*Ioh:6,29. & 17.9,11,12, 24.*) quòd tum propter virtutis amorem, tum maximè propter vitæ æternæ eis promissæ dulcedinem faciles sese promptosque Deo vocanti præbent, eoque pacto ad Christum trahuntur, h. e. ad eum fide complectendum, doctrinamque ejus amplexandam adducuntur, ejusque curæ ac patrocinio à Patre committuntur, ut eos foveat, tueatur, æternumque servet.

‡ *Postremò Christo*] Quin contrarium verum est: Nam *dati* illi sunt Christo à Deo Joh: vi,37.39. xvii,9.11.12.24. quos Pater ei commisit suo sanguine redimendos & adducendos ad gloriam, *ut eos foveat, tueatur, æternumque servet*; Et quia dati sunt Christo, & à Patre tracti & edocti ut ad ipsum veniant Joh:vi,44. 45. virtutem amare incipiunt, & vitæ æternæ sibi promissę dulcedine capiuntur, *ut faciles sese promptosque Deo vocanti* ac trahenti Cant:1,4. præbeant. Non ergo ideo trahuntur quod faciles se præbeant Deo ex insito virtutis amore; sed ideo faciles se præbent & virtutem incipiunt amare, quod à Deo trahantur ad Christum *fide complectendum*, *ejusque curæ ac patrocinio à Patre*, juxta suum æternum decretum, *committuntur*.

Quod verò ad improbos attinet, animadvertendum est eos jam filios Belial, id est, ex diabolo natos, seu ex diabolo, illiusque filios esse dici, (*1 Reg:*

(*1 Reg:10.26. 1 Ioh:3.8.10. Ioh:8.44.*) propterea quòd, ut Christus nominis istius rationem exponit, patris sui diaboli desideria, id est, ea quæ diabolo placent, facere studeant: Jam canes suesque nominari, quia nimirum canes suesque imitantur; dum nullam in mentes suas pietatis cogitationem illabi patiuntur, & quamvis divinis monitis audientes esse possent, contumaciter tamen ea respuunt, illosque qui cum virtute vivunt, ac salutarem illius doctrinam proponunt, quantum possunt, insectantur.

‡ *Quod vero ad improbos*] Filii *Belial* dicuntur, non 1 Reg: x, 26. ut malè citatur hic locus à Volkelio, sed 1 Sam:x,27. *homines nequam*, ut reddit Junius, sive qui nullius jugum ferre volunt; nam vox Hebraica בליעל *Belignal*, propriè significat, frugiperdam, nauci & nullius utilitatis hominem; quasi בלי יועיל *Beli jognil, qui nihil prodest, qui nullius est frugis:* vel quasi בלי עול *Beli gnol, absque jugo*, qui jugum laboris, pietatis, ac legis Dei excussit; sive, ut loquuntur Thalmudici in *Sanhed. Qui rupit jugum Dei à cervice sua*: Videatur Deut:XIII,13. & alibi passim. Si tamen eam vocem Belialis de Diabolo quis velit sumere, poterit niti authoritate Pauli 2 Cor:VI,15. At verò ut filii Diaboli se produnt & præstant qui illius faciunt opera 1 Joh: III, 8. 10. Joh: VIII,44. ita ejus opera faciunt, quoniam ab illo Spiritu aguntur qui ἐνεργεῖται ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας Ephes: II,2.

Et quamvis divinis] Hos posse *divinis monitis audientes esse* tam falsum est, quam posse quem audientem esse Deo, qui ab eo edoctus & ad Christum pertractus non fuerit Joh: VI, 44.45.

Jam præterea iidem ex Christi ovibus minimè esse dicuntur, (*Ioh: 10. 26.*) quia & feri, & ad Pastorem nostrum sequendum, ipsiusque voci auscultandum
171. prorsus inepti sunt. Quid quòd & Plantæ, quas Pater ille cœlestis minimè plantaverit, esse dicuntur, (*Matt:15.13.*) quia non eo sunt animo præditi, qualem Deus hominibus inserere curat; neque ita sunt comparati, ut sese à summo illo patre tractari ad pietatisque studium perduci patiantur. Sunt quippe ex eorum numero, qui in lapidem, nimirum Christum, impingunt, eoque offenduntur, (*1 Pet:2.8.*) quosque incredulos, inobedientes, aut inobedientiæ filios, (*Ephes:2.2.*) deque inferis, (*Ioh:8.23.*) seu de mundo esse (*1 Ioh:4.5.*) Spiritus Sanctus affirmat, quia videlicet rerum terrenarum cupiditate atque amore impediti, nequaquam divino, sed mundano more de Messia judicant: ideoque illum, quem aliquando omni regio apparatu destitutum, contemptum, insuper cruci affixum fuisse nôrunt, nec Christum esse credere, nec illius verbis fidem adhibere, nec illi sese dicto audientes præbere volunt, quales olim plerique Judæi fuerunt. Quanquam enim cœlestis ipsius disciplina, tot tantisque argumentis confirmata erat, tamen cum quæ nobis displicent, ea haud facilè credamus, contrà autem, quæ volumus, fidem apud nos nullo negotio inveniant; evenit, ut quia Christus, quà voce, quà exemplo ad ea homini-
bus

bus autor extitit, quæ libidini, quæ nefariæ voluptati, quæ opum ac vanissimæ gloriæ cupiditati adversantur; homines ad improbitatem propensi, nec illi fidem adjungant, nec obtemperent. Ad extremum isti, quos oratione prosequimur, homines illi, qui pereunt, nominantur; (2 Cor:2.15. cap.4.3.) quòd improbitate sua excæcati, divinam benevolentiam per Christum sibi delatam superbè respuunt; & ideo ad æternum exitium destinati sunt.

‡ *Quia & feri*] Adde, quia nec à Deo electi ad vitam æternam, nec unquam efficaciter ad ovile Christi adducendi.

Quia non sunt eo animo] Adeoque illum animum & Spiritum vitalem illis non inseruit, nec eos Christo.

Qui in lapidem, nimirum] Adde ex verbis Apostoli 1 Pet:11,8. *ad quod etiam positi* vel *constituti fuerant*, occulto sed justo Dei judicio.

Contra autem quæ volumus] Hoc cum grano salis sumi debet: Nam sunt etiam multa quæ maximè vellemus esse, quæ tamen vel esse vel futura esse haud ita certò nobis possumus persuadere.

Quod improbitate sua] Et relicti justo Dei judicio in massa nativæ perditionis, quam Adamus sibi & suis accersiverat.

CAP. II.

De Dei Christique cognitione.

EX his, quæ diximus, perspicuum est, illos, quos probos appellavimus, ad divinæ voluntati morem gerendum aptissimos, hos verò, qui à probitate longè absunt, ineptissimos esse; & ut illi veritatem Evangelii, in quo voluntas divina plenissimè patefacta est, facilè cernunt atque intelligunt: ita hos improbitate sua excœcatos, illam agnoscere non posse. Et quidem eam ipsam ob causam illi, postquam probitatem ducem sequuti ad divinis legibus parendum sese accommodarunt, Deum Christumque nosse: hi verò eundem ignorare in sacris literis dicuntur. Quod ut rectiùs intelligatur, totam hujus rei rationem ita explicabimus, ut primò generatim de Dei Christique agnitione: deinde speciatim de eorundem mandatis agamus. Intelligendum igitur est, agnitionem Dei Christique ex divinarum literarum usu atque consuetudine, in eorundem voluntatis, notitia potissimum consistere; ex qua animo firmiter impressa, quia ejusdem divinæ voluntatis executio proficiscitur, ideo hęc quoque non semel cognitionis istius nomine comprehenditur. 172.
Voluntatis porrò istius cognitio, tum promissorum, tum præceptorum intelligentiâ continetur. Ac de promissionibus eorumque confirmationibus quidem, satis jam, ut videmur, diximus. De mandatis verò postea agemus.

‡ *Ad divinæ voluntati*] Atqui eo ipso quod probi sunt, jam morem gerunt Divinæ voluntati, cùm omnis probitas in ejus observatione sita sit.

Intelligendum igitur est] Primùm hactenus consentio ut *Dei Christique* notitia pari passu ambulent, quatenus & nulla est Dei notitia salutaris extra Christum Matt: XI, 27. Joh: XIV, 6. & Christus ipse ceu Deus naturâ & essentiâ cum Patre, etiam cum ipso constituit objectum salutaris notitiæ Joh: XVII, 3. At non probamus, quod *Dei Christique* cognitionem ita conjungit Volkelius, ut Christum essentiâ & naturâ à Deo distinguat, adeoque æternam ejus divinitatem rejiciat. Deinde etsi cognitio Dei salutaris in divinæ *voluntatis notitia potissimum* consistat, supponit tamen notitiam existentiæ divinæ; distinctionis personarum in Deo, personæ & officii θεανθρώπου.

Interim tamen hoc loco animadvertendum est, in quocunque & notitia divinæ voluntatis, & ejusdem executio reperitur, eum perfectâ, pro seculi hujus ratione, Deum Christumque notitiâ complecti. Imperfecta autem Dei Christique agnitio est, cum quis salutaria Dei præcepta quidem intelligit, summumque bonum illis, qui cum justitia vivunt, promitti audit: propter tamen insignem improbitatem suam, adduci non potest, ut divinis promissis fidem adjungat, & sic præceptis obtemperet. In quo genere illi sunt, de quiqui Paulus (*Rom: 1. 19. & d.*) hunc in modum loquitur; *quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas; ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt &c. propterea tradidit illos Deus &c.* Ex hoc autem loco perspicuum est, istam Dei cognitionem, quantumvis inchoatam atque imperfectam, tantam tamen vim habere, ut qui eâ sunt præditi, illis omnem præcidat excusationem. Nam & divinæ voluntatis non planè ignari sunt, & nonnisi per istos stat, quominus pleniorem illam Dei notitiam consequantur, & sic ei obtemperent.

‡ *Interim tamen hoc loco*] Præstaret distinguere notitiam Dei in merè theoreticam, quæ nihil operatur sanctitatis, & practicam, quæ pietatis studium & exercitium conjunctum sibi habet.

In quo genere illi] At Paulus hoc loco Rom: 1, 19. & seq. agit de notitia Dei naturali partim insita partim acquisita, quæ Christi quà Christi & θεανθρώπου ac Redemptoris cognitionem non importat: Unde suo merito *Imperfecta* dici debet.

Nam & divinæ voluntatis] Hac Dei qualiscunque notitia, utut valde imperfecta, sufficit tamen ad inexcusabilitatem, quatenus nequeunt homines prætexere suæ impietati causam ignorantiæ. Quamvis ea sit partim ipsorum corruptio, voluntaria tamen, adeoque meritò culpabilis, ut nequidem residuo isto lumine benè uti queant; partim ipsiusmet hujus luminis naturalis imperfectio, ut nequeat quenquam deducere ad cognitionem salutis quæ est in Christo; utpote cum hęc nonnisi ex supernaturali revelatione hauriatur.

Perfectâ autem Dei Christique cognitione obedientiam istam contineri, vel saltem cum ea necessariò conjunctam esse, hinc patet, quòd plurima divina-

saltem

rum literarum testimonia, illos Deum aut Christum nosse comprobant, qui ipsi sunt dicto audientes, eosque Deum aut Christum ignorare confirmant, qui ipsius imperium detrectant. Vide inter alia 1 Sam: 2. 12. Esa: 1. 3: 11, 9. Jer: 2.8: 4.22: 9.3, 24: 22.16: 31.34. Dan: 11.32. Ose: 5.4: 6.3: 8.2. Joh: 8.55: 17.3, 25. Tit: 2.19. 1 Joh: 2.3, 4. & 3.6. & 4.7.8: 3 Joh: v, 11. Causa porrò, cur is demum Deum nosse meritò dicatur, qui illius imperium sequitur, est, quòd fieri non potest, quin qui Dei voluntatem, præsertim de vita æterna obtemperantibus donanda, cognitam animoque infixam habet, is totum sese ad ipsius studium amoremque accommodet. Eodem quoque modo de Christi agnitione judicandum est: quippe quâ ipsius Dei notitia planè continéatur.

† *Quod fieri potest*] Si id verum sit, ut verum esse largior, corruit doctrina Sociniano-Pelagiana de libero arbitrio; siquidem voluntas per ejusmodi Gratiæ illuminationem & irradiationem, quâ persuademur de Dei voluntate & promissis, ita determinatur ad obedientiam, citra tamen ullam coactionem, ut non possit fieri quin totam sese ad virtutis & veritatis studium amoremque accommodet.

Quippe quâ ipsius] Hoc verò qui potest statui cum fundamento, quin eo ipso Christus super omnia Deus benedictus agnoscatur?

Voluntas enim Dei perfecta, quæ in salutaribus præceptis atque promissis 173.
consistit, nonnisi per Christum hominum generi patefacta est; tantaque est utriusque non quidem essentiæ, sed voluntatum conjunctio, ut qui unum nôrit, is & alterum nôrit. Qua de re Christus non dubitavit Philippum illum hunc in modum alloqui, (*Joh: 14. 9.*) *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Quid, quòd Deus nonnisi per Christum cognosci potest, ut qui Dei inconspicui imago est, (*2 Cor: 4. 4. Col: 1.15.*) eumque, id est, ejus voluntatem nobis enarravit. (*Joh: 1.18.*) Qua de caussa & splendor gloriæ Dei, & character substantiæ ejus nominatur, (*Heb: 1.3.*) utpote clarissimè perfectissiméque divinam voluntatem nobis explanans.

‡ *Voluntas enim Dei perfecta*] Adeoque illi cognoscendæ non sufficiunt notiones illæ naturales, de quibus agere Paulum Rom: 1, 19. & seq. evidens est. Hæc porrò voluntas *nonnisi per Christum* patefit, vel immediatè per ipsummet in carne manifestatum, vel mediatè olim per Mosem & Prophetas, qui à Spiritu Christi agebantur, postea verò per Ministros N.T.

Tantaque est utriusque] Imò verò nequiret tanta esse voluntatum inter Patrem & Filium conjunctio, nisi una esset utriusq; essentia. Cum enim voluntas sit facultas cœca, nusquam fertur nisi ex dictamine intellectus: Nequit igitur una esse in omnibus Patris & Filii voluntas, quin sit unus utriusq; intellectus. Hoc verò concipi non potest citra consubstantialitatem eorum.

Qua de re Christus] Illa sanè verba Christi ad Philippum Joh: xiv, 9. firmiter adstruunt quod dicimus; Nequiret enim cognosci & videri Pater, cognito & viso Christo, nisi per circumincessionem & consubstantialitatem, Pater esset in Filio & Filius in Patre, ut ibidem subnectit Christus.

Ut qui Dei inconspicui] At verò non est imago Dei inconspicui simpliciter quòd enarret nobis ejus voluntatem, aut per

eum Deus se nobis cognoscendum præbeat. Quis enim sanus dixerit Mosem, Prophetas, Apostolos, quoslibet Ecclesiæ Ministros, Dei legatos ad homines, ideo censendos imagines Dei, ac splendores gloriæ ac characteres personæ suæ? Sed est imago Dei invisibilis 2 Cor: IV, 4. Col: I, 15. & ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ Heb: I, 3. quod sit ejus μονογενὴς & proprius filius, ejusdem cum ipso substantiæ & naturæ, & quem post varios suos famulos submissos ad malos Agricolas, voluit interpretem suæ voluntatis facere, seque in illo præbere conspicuum; prout ipse filius assumptâ nostra carne dicitur *Deus in carne manifestatus* 1 Tim: III, 16. Hinc de Patre quidem dicitur Joh: I, 18. quod Deum nemo viderit unquam, adeoque *unigenitus ille Filius qui est in sinu Patris* enarraverit ejus voluntatem; sed paullò ante com. 14. de Filio ipso dictum fuerat, quod λόγος caro factus sit, ac inter nos fuerit commoratus & nos spectaverimus *gloriam ejus, gloriam inquam ut unigeniti à Patre*. Equidem ei potissimum convenit voluntatem Patris nobis enarrasse, eamque *clarissimè perfectissimèque* explanasse, qui est imago invisibilis Dei, splendor & character personæ vel substantiæ suæ. Interea tamen amplius quid sonat hic titulus *Imaginis* Christo delatus, quam simplicem voluntatis divinæ enarrationem, cùm per prius sit concipiendus imago Dei, non merè specularis, motus & gestus exprimens ut in speculo, qualis in Adamo conspicua fuit; nec multo minus simpliciter linearis, colores & lineas quasdam referens, ut in pictura qualibet, cujusmodi posset observari in qualibet Creatura, prout & *præsentem refert quælibet herba Deum*; sed essentialis & naturalis, ipsam indolem & naturam penitissimam exhibens, prout plerique filii patrum suorum, in natura, temperamento, moribus, imaginem referunt.

Cujus Dei voluntatis, cùm nequaquam minimâ pars in eo consistat, ut noster sit Pater, nosque ipsius filii: sequitur, eam Dei voluntatem, nonnisi Christi operâ cognosci posse. Cùm enim solus Christus novi fœderis pactionem nobiscum fecerit, Deusque nonnisi in novo fœdere sese verè Patrem nobis præstiterit, dum & ardentissimi paternique sui in nos amoris firmissima documenta dedit, & cœlestis patrimonii nobis possessionem detulit: consequens omninò est, cognitionem Dei, quatenus Pater est, nonnisi per Christum ejusque notitiam nobis contingere posse. Et hoc quidem illud est, quod ipse Christus ait, (*Ioh: 14. 6.*) neminem nisi per ipsum ad Patrem venire, id est, neminem Dei Patris cognitionem assequi, ejusque paterno favore potiri, atque adeò ad cœlestis patrimonii hæreditatem aspirare, nisi per ipsum, posse. Et alibi, (*Matth: 11. 23.*) clarissimis verbis asserit, neminem cognoscere Patrem, nisi Filium, & cui Filius voluerit patefacere. Quibus in locis de perfecta ac salutifera Dei cognitione sermonem esse, quivis perspicit. Nam aliàs etiam per Mosen ad Dei cognitionem pervenire licuit.

‡ *Cùm enim solus Christus*] Hæc vera sunt absolutè de *novo fœdere*, oppositè ad fœdus naturæ, sive merè legale, quod & Adamicum & operum dici potest; sed nonnisi secundum quid de *novo fœdere* oppositè ad fœdus Israeliticum, cujus admini-

minister fuit Moses in deserto Sinai: Hujus enim pactio quoad χίσιν Euangelicam, fuit quoque Christi, uti liquet ex variis Scripturæ testimoniis, nominatim ex 1 Cor: x,9. Gal: III,19. Heb: XI,26. Dicitur enim Christi vox tempore Legis latæ terram concussisse, quod Legis ferundæ μεσίτης extiterit, quem in ipso deserto tentarunt Israelitæ; Verùm ut minus clarè interveniebat Christus, ceu Mediator, in illo fœdere Israelitico, quod plurimum retinebat ex rigore legali, sub quo hæres quamvis dominus omnium nihil differebat à servo Gal: IV,1. ita etiam minus licebat Israelitas sub illa Ceremoniarum servitute Deum tanquam Patrem compellare, ex lege apud Judæos recepta quæ servis vetabat herum suum *Abba* sive Patrem nuncupare; & prout in familiis in quibus honori & disciplinæ studetur, filii minorennes, patrem suum non Patris, sed Domini nomine salutare tenentur: Nec enim quispiam ausit dicere simpliciter exclusos fuisse pios Israelitas patrimonio cœlesti, cùm quæsiverint & expectaverint in Patria cœlesti civitatem quæ habet fundamentũ Heb: XI,10.14. aut Deum Patrem non habuisse, contra quam disertè ipsimet loquuntur Es: LXIII,16. adde Psal: CIII, 13. Igitur ex Rom: VIII,15. si fiat oppositio fidelium & regenitorum ad eos qui sunt adhuc sub Legis maledictione, absolutè illis conveniet Spiritus adoptionis, his servitutis; at nonnisi comparatè & secundum quid, si oppositio fiat inter fideles Novi Testamenti & Veteris.

Et hic quidem illud est] At eo loci Joh: XIV, 6. *venire ad Patrem* non tantum significat in Dei notitiam devenire, sed insuper accessum habere ad illius gratiam, favorem & misericordiam, qui nonnisi in Christo & per Christum, unicum illum Mediatorem Dei & hominum, conceditur Ephes: III,12. 1 Tim: II,5.

Nam aliàs etiam per] Verùm Moses non minus quam Paulus subservit Christo in hominibus ad Deum adducendis: adeoque etiam per Mosem Deus cognoscebatur in Christo, qui idem est heri & hodie & in æternum Heb: XIII,8. Apoc: XIII, 8. Quare inepta hic est oppositio Mosis ad Christum: nisi fortè fiat inter Mosem *qui imponebat velamen faciei suæ* 2 Cor: III, 13. nec ita claram subministrabat Dei cognitionem, & Christum in carne manifestatum per se & suos Apostolos, ad longe luculentiorem & clariorem notitiam nos deducentem, sublato velamine *quod in Christo inutile factum est* 2 Cor: III, 14. Neque dubium quin salutaris quoque fuerit Dei cognitio quæ per Mosem sub V. T. habebatur, licet nostrâ longe obscurior, & tantum ab ea differens, quantum nostra differt ab ea quam in cœlo sumus consequuturi 1 Cor: XIII,9.12. Heb: X,1.

Hanc igitur ob causam Christus, *(Ioh: 17.3.)* in Patris suique notitia vitam æternam ponit, ut cognitam perspectamque Patris, & porrò ipsius etiam voluntatem, viam certissimam ad vitam æternam esse doceat; cùm fieri non possit, quin qui eam animo sunt complexi, ii Christo confidant atque obediant. Verissimè enim ac divinissimè à Johanne dicitur, *(1 Ioh: 2.4.)* eum se Christum nosse nequaquam jurè gloriari, imò mendacem esse, qui mandata ipsius minimè conservat. Quid, quòd Petrus *(2 Pet: 2.20.)* Christi agnitioni tantum tribuit, ut fideles per eam mundi inquinamenta, id est, scelera, quorum contagione sese homines mundani polluunt, effugere possint. Nec mirum, cùm, ut idem Apostolus asserit, *(2 Pet: 1.3.)* Deus nobis per eandem Christi cognitionem, omnia, quæ ad vitam, nempe æternam, & pie-

tatem pertinent, largitus sit. Christi enim disciplinâ probè cognitâ, & argumentis, quibus demonstrata est, probè perspectis, necessariò consequitur,
174. ut simul & quàm præstans, & quàm certum illud bonum sit, intelligamus, quod nobis promissum est, quodque vitæ nomine ab Apostolo vocatur. Hanc autem boni istius cognitionem necessariò comitatur pietas, quippe quæ eam sibi annexam habeat conditionem, si Christi mandatis pareamus.

† *Hanc igitur ob causam*] Quin hinc liquet Patris & Filii unam esse ut voluntatem sic essentiam & naturam; cùm nonnisi in summi boni cognitione vita æterna & summa fœlicitas sita sit Joh: XVII, 3.

Cùm fieri non possit] Hîc & in sequentibus videmus necessitatem quampiam benè agendi, agnosci à Volkelio, in iis qui verâ & salutari Dei cognitione fuerint imbuti, quâ tamen necessitatem nollet credo pugnare cum libertate arbitrii: Cùm verò hæc cognitio sit à Dei gratia & Spiritu illuminationis, hinc certò liquet quod citra coactionem, insuperabiliter tamen & infallibiliter, Deus per suam gratiam operetur in nobis & velle & perficere Phil: II, 13.

Quid quod Petrus] At 2 Pet: II, 20. non agitur de iis qui fuerint imbuti verâ & salutari Christi cognitione; quæ talis est, Volkelio judice, ut *fieri non possit quin qui eam animo sunt complexi, ii Christo confidant atque obediant*; imò ut eam *necessariò comitetur pietas.* Nam pari necessitate Christi veram cognitionem sequitur vera & constans perseverantia in illius obsequio. Illi verò quorum meminit Petrus, *qui postquam pollutiones mundi per agnitionem Domini & Servatoris Iesu Christi effugerint, his rursum implicati superantur*, non absolutè & simpliciter effugerant pollutiones mundi, sed tantum κατά τι & secundum quid, quatenus professione externâ & temporariâ veritatis, idolorum cultui valedixerant; siquidem ad eas tam faciles relabuntur. *Qui cecidit, stabili non erat ille gradu:* Adeoque hæc eorum cognitio non potuit esse solida, plena & salutaris, vel eo quod eos ad vitam de facto non deduxit, quam *necessariò* consequitur, qui illam obtinuerit 2 Pet: 1, 3. Sane qui iterum ab inquinamentis mundi superatur, non potest censeri instructus eâ cognitione quam *necessariò comitatur pietas, quippe quæ eam sibi annexam habeat conditionem, si Christi mandatis pareamus*; adeoque vera non sit, si una practica non fuerit, prout fides sine operibus mortua est Jac: II, 17.

Neque verò qui ad hunc divinæ sapientiæ gradum pervenerunt, iis unquam venire in mentem potest, Dei Christique mandatorum difficultatem conqueri. Tantum enim vitæ sempiternæ pondus est, ut qui eam habet exploratam, iis omnia factu sint possibilia atque facilia: maximè autem illis, quos Deus pro incredibili sua benignitate, obsignationis spiritu donavit. Quod Johannes, divino spiritu impulsus, (*1 Ioh: 5. 3.*) attentissimè considerans, hæc verba protulit: *hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus; & mandata ejus non sunt gravia.* Amor quippe Dei ex ejusdem agnitione, indeque manante cœlestis illius hæreditatis spe, oritur, quâ fit ut ex Deo nati meritò dici queamus, & quod consequens, divinis viribus armati, omnia illa vincere possimus, quæ nobis aliquam obediendi difficultatem afferunt: veluti sunt humanarum

narum cupiditatem illecebræ, hominum odia, afflictiones variæ, casus innumeri, fortunarum direptiones, contemptus, & ejus generis alia: quæ omnia à Johanne (*ib.v.4.*) mundi nomine appellantur, isque mundum vincere dicitur, qui omnia, quæ pietatis cursum impediunt, fidei præsidio circumseptus, superat atque amovet, ita ut nulla Deo obtemperandi difficultas ei supersit. Eandem ob rem Christus etiam jugum suum suave, & onus suum leve esse asserit, (*Matt:11.30.*) iis nimirum, qui ad ipsum veniunt, id est, illius disciplinæ operam dantes, ipsum eâ quâ dictum est, ratione cognoscunt. Nam alioqui Christi mandata, quæ eadem & Dei sunt, nequaquam ex se facilia sunt. Alioquin enim nec à Christo rectè jugum onus-vè dicerentur, nec, ut aditus ad illa perficienda esset, mundum vincere necesse haberemus. Voluit enim Deus per Christum ea nobis imponere, quæ per se considerata vires nostras exuperarent, idque tum ut ab ipso toti penderemus, illiusque auxilii assiduò implorandi causam, tum amoris nostri in illum declarandi segetem materiamque haberemus.

‡ *Neque verò qui ad*] Quamvis non conquerantur de difficultate mandatorum divinorum objectivè & ex parte rei, subjectivè tamen & ex parte sui, sæpè conqueruntur de difficultate quam experiuntur in benè agendo, ex carnis infirmitate quæ ad Spiritus alacritatem & promptitudinem restitat. Paulus Apostolus, si ullus in hac vita, *ad hunc divinæ sapientiæ gradum* pervenerat; tamen magnam difficultatem benè agendi & parendi Deo in seipso experiebatur & lamentabatur Rom: VII, 14. & seq. cùm agnoscit se *carnalem & venditum sub peccato*, ita ut nec faceret *bonum* quod vellet, & faceret *malum* quod nollet, propter *malum sibi adjacens* & *legem membrorum belligerantem adversus legem mentis suæ & se captivum reddentem legi peccati*; unde in hanc erumpit querelam, *Ærumnosus ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis?*

Iis omnia factu] Sed hîc duo veniunt observanda: Primò possibilitas præstandi quæ jubentur, adæquatur meritò cognitioni quæ habetur rerum cœlestium & vitæ æternæ: Jam autem nostra cognitio in hac vita manca est, mutila, obscura, imperfecta 1 Cor: XIII, 9. 12. unde sequitur hanc possibilitatem & facilitatem, non absolutam & perfectam posse statui, sed inchoatam duntaxat & imperfectam. Adhæc præstatio mandatorum Dei, vel est Legalis & omnibus numeris absoluta, ut qui in minimo impegerit nihil omninò præstitisse censeatur Jac: II, 10. vel est Euangelica & inchoata, magisque affectiva quam effectiva; Hanc libenter agnoscimus in piis & fidelibus, qui magno studio anhelant perfectionem & ad cœlestia connituntur; Illam vero negamus Pelagianis & Perfectistis possibilem in hac vita, cùm nemo sit qui non peccet, & quotidie vel sanctissimi debeant Deo dicere, *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Maximè autem illis] At verò nihil possibile, nihil facile omninò, iis qui *obsignationis Spiritu* & Dei gratiâ quæ est in Jesu Christo destituuntur Joh: XV, 5. Nec in alios cadere potest explorata cognitio vitæ æternæ in Christo quam in eos qui Sancto Spiritu, à quo omnis nostra illuminatio salutaris, donati fuerint Eph: I, 17.18.

Quod

Quod Iohannes divino] Hic locus 1 Joh: v, 3. non favet Pelagianis & Perfectistis; Nam 1. Mandata Dei non sunt *gravia*, regenitis quà talibus: Sed cū nonnisi ex parte sint regeniti in hac vita, etiam nonnisi ex parte his Dei mandatis delectantur. 2. Mens Apostoli non est ἀναμαρτησίας possibilitatem in hac vita defendere, contra quam ipse docet 1 Joh: 1, 7. 11, 1. 2. sed tantum ostendere mandata Dei non esse molesta piis, sed grata & jucunda, quæ & lubenter admittunt & præstare pro virili conantur: Sic enim Paulus etiam dum luctabatur cum carnis suæ reliquiis, delectabatur tamen lege Dei *quoad hominem interiorem* Rom: VII, 22.

Quâ fit ut ex Deo nati] Tantum abest ut ex Dei *agnitione indeque manante cœlestis hæreditatis spe* fiat *ut ex Deo nati meritò* dicamur; ut è contrario, ex nostra regeneratione spirituali omnis illa cognitio & spes viva cœlestis hæreditatis pendeat, ut disertè testatur Scriptura 1 Pet: 1, 3. 4. Hujus autem regenerationis beneficio *illis divinis viribus* armamur, quibus *omnia illa & vincere possimus* & de facto vincamus, quę nostræ obsunt perseverantiæ; quamvis illam omnem *obediendi difficultatem*, quæ est à carnis reliquiis & lege membrorum, penitùs non auferant.

Isque mundum vincere] Hæc victoria mundi quæ tribuitur fidei nostræ 1 Joh: v, 3. ita certa est, ut tamen quamdiu peregrinamur à Domino adhuc versemur in lucta, in qua usque ad sanguinem quandoque est decertandum, & variæ difficultates sustinendæ & expugnandæ.

Eandem ob rem] Appositè hic locus Matt: XI, 30. conjungitur cum præcedenti Joh: v, 3. Ostendit enim quo sensu gravia non sint Dei mandata piis & fidelibus. Fit autem nobis jugum Christi *suave & leve*, ipsius tum Spiritu, tum merito; & tantum abest ut jugi hujus sui levitas & facilitas Perfectistis faveat, ut è contrario hac ratione jugum suum Christus opponat non solum hominum Constitutionibus, de quibus Matt: XXIII, 24. sed etiam ipsiusmet Legis jugo intolerabili, *quod neque Patres nostri neque nos portare valuimus*, inquit Petrus Act: XV, 13.

Nam alioqui Christi] Sanè hîc refigere videtur Volkelius, quod priùs tam absolutè fixerat, de possibilitate Legis implendæ: Si enim quæ *voluit Deus per Christum nobis imponere* talia sunt ut *vires nostras exuperent*, utique non debent statui *factu possibilia atque facilia*, ut antea loquebatur, etiam citra *obsignationis Spiritum* & Dei gratiam: Tum nec inde exulat omnis difficultas, ubi pugnandum vehementer, & *auxilium Dei* ob virium nostrarum infirmitatem *assiduò implorandum*. Porrò ambiguè dicuntur *Christi mandata, eadem & Dei* esse: Nam præterea quod non ea omnia nobis imponit Christus quæ olim divinitùs populo Israelitico mandata fuerant, certum est etiam à Christo urgeri obsequium Legis moralis, non ut ex illa justificemur, aut ejus subsimus rigori & maledictioni, quam abstulit cruce suâ Gal: III, 13. sed ut omni studio & conatu, quantum licet per carnis infirmitatem, gratitudini studeamus.

Hæc autem Dei Christique agnitio, de qua hucusque loquimur, aliis in locis agnitio divinæ voluntatis, agnitio mysterii Dei Patris & Christi, agnitio denique veritatis nominatur. Ac primæ quidem appellationis hæc causa est, quòd Deum tunc optimè, quoad ejus in hoc vitæ nostræ cursu fieri potest, novimus cum ipsius habemus perspectam mentem & voluntatem, per Christum nobis explicatam atque apertam. Qua de causa & ipsius Christi mentem tenere, primo quidem ac potissimùm Apostoli, sed per ipsos etiam cæteri homines spirituales, dicuntur. (*1 Cor: 2. 16.*) Quod quidem nihil aliud est, quàm
175. quid

quid de nobis Deus ante conditum mundum decreverit, quidque à nobis fieri velit, minimè ignorare. Eandem planè ob causam hæc res, agnitio mysterii Dei & Patris & Christi appellatur: (*Col:2.2.*) cùm, quòd paulò ante (*c.1.9.*) Apostolus voluntatem dixerat, id hoc in loco mysterium nominet; idque propterea, quòd hæc Dei voluntas in ipso antea oculte latuit: his verò ultimis temporibus per Christi disciplinam in apertum prolata est, ideoque & Christi mysterium nuncupatur. Similiter & de agnitione veritatis judicandum est. Veritas quippe salutaris istis in locis commemoratur, quæ in Christi tum præceptis tum promissis constituta est. Vox enim Veritatis in novo Testamento simpliciter collocata, ac pro doctrina usurpata, ut plurimum salutarem veritatem in Evangelio patefactam designat: cum ea veritas sit omnium præstantissima ac divinissima, nec umbras tantùm, sed res omnium solidissimas ac perfectissimas nobis proponat.

‡ *Cum ipsius habemus*] At locus 1 Cor: 11,16. agit non tantum de *mente Domini*, sed etiam de *mente Christi*. Utriusque autem nequit eadem mens esse per omnia, idem νοῦς, quin eadem sit essentia & natura.

Quod quidem nihil] Sed hæc duo pari passu non ambulant; Nec enim statim novimus omne *id quod de nobis Deus ante conditum mundum decrevit*, cùm penitùs non ignoramus *quid à nobis fieri velit*. Is non statim censendus est penetrasse in omnia Dei decreta, qui de ejus mandatis institutus utcunque fuerit, Deut:XXIX,29.

Idque propterea quod] Non tam quod latuerit in Deo, quasi de ea penitùs nihil proposuerit, quam quod 1. latuerit ipsas Gentes Rom:XVI,25.26. 2. nonnisi obscuriùs proposita fuerit & sub ænigmatum multorum involucris, sub V. T.

Vox enim Veritatis] Veritas in N.T. respicit & corpus Umbrarum & executionem Prophetiarum quæ præcesserant in Veteri: Nam utraque in *Euangelio* patefacta est. Nec tamen inde colligendum Veteres nonnisi inanes *umbras* cum Narcisso Poetarum sectatos fuisse: Nam illi Mathematicorum instar ex umbris terræ cœlestia metiebantur, & hæ illorum umbræ corpus ipsum repræsentabant, & suo modo præsens sistebant fidei piorum.

CAP. III.

De Mandatis Christi, ac primùm de Fide, & per occasionem de Justificatione.

Iam ut speciatim Christi præcepta explicemus, ab iis ordiri placet, quæ sunt generalissima, quæque reliqua omnia gremio suo complectuntur. Ea autem duo potissimùm sunt, fides nimirum & pœnitentia: quæ duo nonnunquam ab autoribus divinis in eadem verborum serie distinctè ponuntur, non quòd fides, si in pleniore quadam significatione sumatur, pœnitentiam minimè contineat; sed quòd vel utraque strictiùs sumatur, vel ideò altera alteri

adjungatur, ut utriusque ratio pleniùs explicetur. A fide igitur exordium capientes, illud primò animadvertendum esse statuimus, hoc in loco de fide Christi, ut à Paulo nominatur, (*Rom:3.22,*) id est, quæ per Christum nobis tradita est, atque ad eum respicit, sermonem à nobis institui. Versamur quippe in novi Fœderis explicatione, cujus Christus mediator ac sponsor fuit. Quæ quidem Christi fides, quamvis ad Deum, primum salutis nostræ autorem, non minùs referatur, quàm illa quæ in prisco etiam fœdere vigebat, atque adeò, si fidei essentiam in genere consideres, eadem illa sit: ratione tamen qualitatum, quæ Christo adveniente ad illam accesserunt, ab illa non parùm differt. Quæ caussa inter alias est, ut Christus dux & perfector fidei appelletur, (*Heb:12.2.*)

‡ *Versamur quippe in*] At Christus fuit etiam Mediator sub V.T. & Patres fide in ipsum justificati fuerunt sicuti & nos Act: xv, 11.

Quæ quidem Christi] Non minus Filius quam Pater *primus salutis nostræ author* est statuendus: cùm sit Jesus principalis & ipsamet salus, non instrumentalis & ministerialis tantum; unde æquè sibi ac Patri fidem vult adjungi Joh:xiv,1. Nequit autem fides nostra *eadem* esse quoad *essentiam* cum fide Veterum, quin illi easdem nobiscum habuerint promissiones salutis & justificationis per fidem: quamvis illius fidei salvificæ objectum clariùs & distinctiùs sub N.F. proponatur.

Dux enim fidei ideo dicitur, quia is primus novam Deo confidendi rationem
176. hominum generi aperuit, & ad eam amplectendam auctor extitit; quin etiam fœderi, quod Dei nomine nobiscum pepigit, ita eam inseruit, ut omnibus, qui eâ præditi essent, justificationem promitteret; quod contrà olim fiebat. Etiamsi enim homines fide justificationem tunc assequerentur: nequaquam tamen id vi fœderis antiqui, aut generalis alicujus promissionis à Deo hominibus factæ, sed singulari Dei liberalitate eveniebat. Qua de caussa Paulus, (*Gal:3.2.5.*) tunc fidem venisse asserit, cùm Christus in terrarum orbe comparuit, suamqoe disciplinam hominibus tradidit.

‡ *Dux enim fidei, ideo*] Inepta hæc est interpretatio loci Heb: xii, 2. Nam *ἀρχηγὸς* fidei nostræ dicitur, quo sensu *ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς* Act:iii,15. & *ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας* Heb: ii, 10. imò absolutè *ἀρχηγὸς καὶ σωτὴρ* Act:v,31. appellatur. Nempe primò, quod sit dux & imperator militiæ nostræ, quomodo dicebat quondam ad Josuam, *Ego sum princeps militiæ Iehovæ, modo veni* Jos: v, 14. Deinde quod sit *auctor* & perfector fidei nostræ, ut reddit etiam Vulgata Versio; quo sanè titulo ejus divinitas apprimè comprobatur; Nam *Deus initiorum fidei incrementique largitor est*, inquit sive Ambrosius, sive potius Prosper, *lib. 2. de Voc. Gent. cap. 1.* Tertiò quod sit fidei nostræ objectum unicum, eo quod ad ipsum debeamus respicere jugiter, ut totus exercitus ad suum Imperatorem.

Quin etiam fœderi] Atqui hoc fidei fœdus etiam jam olim viguit inter Patriarchas & Israelitas, licet minus clarè quam nunc per revelationem Christi: Nam ipse Abraham

Abraham fide fuit justificatus & in circumcisione obtinuit signum & sigillum justitiæ fidei Rom: IV, 3.11. Et cum fides nusquam sit nisi ex auditu verbi divini Rom:X, 17. absurdè negat hæreticus ex *promissione à Deo hominibus facta* justificatos olim fuisse, qui *fide justificationem tunc assequebantur.* Imò perperam opponit Dei promissionem, quâ nitebatur fides eorum qui justificabantur olim fide, *singulari Dei liberalitati*; cùm etiamnum hodie singulari Dei liberalitati debeamus acceptum ferre, quod fide in Christum, juxta promissiones Euangelicas, coram ipso justificemur. Cùm autem omnis justificatio fidei, Christi beneficio nitatur, nequiverunt Veteres ulli justificari fide, quin ad Christum fidei ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν respexerint. Nec elogio illo donatur à Paulo duntaxat respectu nostri, sed etiam respectu fidelium Veteris Testamenti, quorum tam prolixum Catalogum toto cap. XI. ejusdem epistolæ ad Heb. pertexuerat.

Qua de causa Paulus] Sed vel pueri norunt distinguendum esse inter fidem quæ creditur, & fidem quâ creditur. Paulus autem Gal: III, 25. *tunc fidem venisse asserit cùm Christus in terrarum orbe comparuit*, quia Christus est res illa quæ creditur & fide apprehenditur. Verba Pauli id evidenter indicant; *Antequam*, inquit, *venisset fides, sub Legis præsidio custodiebamur conclusi in eam fidem quæ futurum erat ut revelaretur. Itaque lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide justificaremur; At postquam venit fides non amplius sub pædagogo sumus.* Hæc series sermonis Apostolici satis ostendit quod *fidei* quæ venit nomine intelligatur ipse Christus, in quem ceu venturum & revelandum ferebatur veterum fides, prout in eundem exhibitum & revelatum nostra fertur hodie.

Ut igitur discrimen intelligatur fidei illius, quam Christus nobis præscripsit, à fide illa, per quam prisci illi Dei cultores gratiam ejus & quæsiverunt, & assecuti sunt; animadvertendum est, id triplex potissimùm esse. Primùm enim fides Christi postulat, ut spem vitæ sempiternæ, per ipsum nobis apertissimè promissæ, animo concipias: id quod ad fidem illam antiquorum constituendam non erat necessarium; cùm ejusmodi promisso carerent. Hanc enim Novi fœderis propriam esse suo loco docuimus. (*lib. 3. c. 11.*) Deinde fides Jesu Christi postulat, ut ea præstes omnia, quæ Christus perfectis suis mandatis, de quibus in sequentibus agemus, complexus est; adeoque majorem vitæ pietatem ac sanctimoniam requirit, quàm olim à Mose fuit præscriptum. Tertiò & illud ad Veterum fidem accessit, quòd hodie tam in Christum, quàm in Deum credere jubemur: olim verò nequaquam talem fidem extitisse, vel ex eo patet, quòd, uti infrà suo loco videbimus, Christus tunc nequaquam adhuc extiterit.

‡ *Ut igitur discrimen*] Discrimen fidei veterum & nostræ hoc fuit, primò quod illa obscurior esset, nostra clarior; secundò quod illa respiceret ad fidei nostræ ἀρχηγὸν manifestandum & incarnandum, ut liquet exemplo Abrahami gestientis ut videret diem Christi eumque videntis & exinde gaudentis Joh: VIII, 56. nostra vero respiciat ad Christum incarnatum & manifestatum; adeo ut & qui præcesserunt & qui sequuntur uni Christo acclamaverint *Hosanna* in excelsis. Nec immeritò uterque populus V. & N.T. significatur per duos illos viros ex terra

Canaan botrum vecte bajulantes, cum apud utrumque idem obtinuerit Christus, licet non æquo lumine perspectus & cognitus. Quæ verò differentiæ hic assignantur à Volkelio inter fidem veterum & nostram spuriæ sunt & vitiosæ; quod de singulis facilè ostendemus.

Primum enim fides] Hoc discrimen nullâ ratione defendi potest; cùm fides justificans & salvifica, non possit dari absque spe vitæ æternæ, & neutra citra illius promissionem: Agnoscit autem Volkelius, Veteres justificatos fuisse fide, nec destitutos fuisse omni spe vitæ æternæ; siquidem & patriam cœlestem anhelabant, & expectabant civitatem quæ habet fundamenta Heb:xi,10.13.16. Illos verò *ejusmodi promisso caruisse* falsissimum esse suo loco docuimus, nominatim suprà *lib.3.cap.*11. Deus enim seipsum illis promiserat in *mercedem* amplissimam Gen: xv,1. & *vitam* ipsam Deut: xxx,20. Nec dubium quin ut comminationes maledictionis & mortis factæ Veteribus, ita etiam promissiones vitæ & benedictionis quas acceperant, ultra hanc vitam fuerint extendendæ, cùm aliàs *si in hac vita tantum speramus in Christum miserrimi omnium hominum simus* 1 Cor:xv,19. quod similiter statuendum de piis veteribus, si spes omnis eorum intra hujus vitæ cancellos coarctabatur.

Deinde fides Iesu] Imò verò, cùm nemo sit qui non peccet, & nobis impossibile sit Legi ita obsequi per omnia ut ex illa justificemur Rom: viii 3.7. fidei Justitia proponitur nobis in Christo loco Justitiæ operum, eo quod accuratam illam mandatorum Dei observationem præstare nequeamus. Quod si accuratam hanc præstationem omnium eorum quæ nobis mandata sunt fides Christi postulat, res nobis redit ad laqueum, & perperam Paulus tam sæpè opposuerit fidem operibus in justificationis negotio, ut Rom: iii, 28. Gal:ii,16. Et si quis Legem præstaret, eo ipso justificaretur ex lege, non verò ex fide Jesu Christi Rom: i, 12. Id quoque falsum est, nunc *majorem vitæ pietatem ac sanctimoniam requiri quam olim à Mose fuit præscriptum*; cùm pietatis & sanctimoniæ omnis ad quam Scriptura nos adhortatur norma & mensura, sit ipsa lex Moralis, cujus summa & *finis* est *charitas ex mundo corde & conscientia bona & fide non ficta* 1 Tim: 1,5. Quod si aliquid amplius exigit Christus in eo genere quam Moses, tum jugum Christi erit gravius & intolerabilius jugo Mosaico, contra quam docet universa Scriptura Matt:xi,30. Act: xv,11.

Tertio & illud] Sed falsissimum est Christum nondum extitisse sub V. T. Scripturâ evidenter docente contrarium Heb:xiii,8. Apoc:xiii,8. Joh:viii,56. & nominatim 1 Cor:x,4.9. adeo ut Israëlitæ non tantum biberint *ex sequenti spirituali Petra, Petra autem Christus*, sed etiam ipsummet Christum *tentarint* in deserto. Præterea cùm non sit aliud nomen datum sub cœlo per quod oporteat nos servari Act: iv, 12. quantum Veteres habuerunt spei salutis, tantum debuerunt habere fidei in Servatorem sibi promissum & suo tempore revelandum: unde & illum verâ & firmâ fide expectarunt, ut Jacob Gen:xlix,18. *Salutem* Jehovæ se exspectare in lecto emortuali profitebatur, & pii ante adventum Christi nobis describuntur Luc: ii, 38. *redemptionem* expectantes Hierosolymis. Eò maximè faciunt verba Petri Act:xv,11.

Quòd enim plerique illis Apostoli verbis contrarium demonstrari putant, quibus, *nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi perinde servatum iri, ut & illos*, affirmatur; (*Act:15.11.*) ubi pronomen *illos* ad priscos Judæorum patres referendum esse contendunt; in eo plurimùm falluntur: cùm materia istis verbis subjecta omninò postulet, ut pronomen *illi* non ad priscos illos Patres, sed

ſed ad Ethnicos, qui Chriſti diſcipuli evaſerant, referatur, utpote eodem in loco Judæis aliquoties oppoſitos, & eodem pronomine ſignificatos; ſenſuſque ſit, non Judæos tantùm, ſed Ethnicos etiam, fide Chriſto adhibitâ, divinæ gratiæ beneficium conſequi. Nec obſtat, quòd proximè ante pronomen *illi* patrum mentio fiat; cum apud divinos autores hujuſmodi particulæ ſæpè non ad id quod proximè præceſſerat, ſed ad rem, qua de agitur reſpectum habeant. Quòd ſi quis ea de cauſa pronomen *illi* ad gentes minimè referendum dicat, quòd illud maſculini, hæ verò Latinis fœminini, Græcis neutrius generis ſint; animadvertendum eſt, id nullius momenti eſſe, cum iſta generum mutatio alibi etiam contingat. Apud Matthæum quippe ſic ſcriptum
legimus: (*Matt:28.19.20*) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*; item paulò 177
poſt, *docentes eos.* Item Rom: 2. hunc in modum Apoſtolus loquitur: *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturâ ea quæ legis ſunt faciunt, hi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.* (*Rom:2.14.*) Hîc quis non videat, in utroque ſcripturæ teſtimonio genus fœmininum, vel apud græcos neutrum, cum maſculino commutari. Ne de eo nunc quicquam dicam, quòd in loco illo Actorum, Ethnici, quos nos pronomine *illi* ſignificari arbitramur, eodem verſiculo paulò antè nomine τῶν μαθητῶν, h. e. diſcipulorum, quod maſculinum eſt, deſcripti fuerint, ita ut ne generis quidem commutationem hic factam eſſe cenſendum ſit.

‡ *Quod enim plerique*] Imò hunc locum Act:xv,11. alium quam noſtrum ſenſum recipere non poſſe, res ipſa clamat; prout jam olim Auguſtinus hunc eundem ſenſum propugnavit contra Pelagianos Socinianorum hac in parte Patriarchas, tum alibi, tum ex profeſſo *lib.1. ad Bonif. cap 21. Dicit etiam Apoſtolus Petrus, Quid vultis jugum imponere gentibus quod neque nos portare potuimus, neque Patres noſtri? Sed per gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſalvi fieri quemadmodum & illi. Hoc vos non vultis inimici gratiæ Chriſti, ut eadem gratiâ Ieſu Chriſti ſalvi facti credantur antiqui; ſed diſtributis tempora ſecundum Pelagium, in cujus libris hoc legitur, & ante legem dicitis ſalvos factos eſſe per naturam, deinde per legem, poſtremò per Chriſtum; quaſi hominibus duorum ſuperiorum temporum, ante legem ſcilicet, & in lege, ſanguis Chriſti non fuerit neceſſarius, evacuantes quod dictum eſt, Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus.* Et ſanè Petrus iſthic duobus argumentis probat Gentiles ad fidem converſos; Circumciſionis & legalium jugo non eſſe onerandos; Primum deſumitur ab eo quod Deus ipſis jam credentibus, incircumciſis licet, dederit Spiritum ſanctum, & illius chariſmata liberaliter in illos æquè ac in eos qui circumciſi erant effuderit: *Ille cordium cognitor Deus*, inquit com.8.& 9. *præbuit eis teſtimonium*, quod ſcilicet ſibi eſſent grati & accepti, *dato ipſis Spiritu Sancto, ſicut & nobis, nihilque diſcrevit inter nos & illos. fide purificatis cordibus eorum*, quantumvis eſſent in præputio, nec circumciſi uti nos. Alterum deſumitur à jugi legalis gravitate & inutilitate ad juſtificationem & ſalutem conficiendam, eo quod nec illud portare potuerint ipſi patres, nec per illud, etiam dum duram eorũ cervicem premebat, fuerint juſtificati vel ſervati, ſed ſolo

 benefi-

beneficio ipsius Christi & fide in ipsum suo tempore venturum & exhibendum: Subdit enim com. 10. & 11. *Nunc ergo quid tentatis Deum ad imponendum jugum cervici discipulorum, quod neque patres nostri neque nos, portare valuimus? Imò per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos servatum iri*, non per legalium observationem, *quemadmodum & illi*, non ex observatione legalium neque per illud tam grave jugum, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi servati fuerunt. Non credebant Apostoli se servandos per gratiam Christi, sicut discipuli recens conversi; cùm de horum salute adhuc ambigeretur, & id in quæstione esset, num possent servari absque circumcisione; Ergo credebant se servatum iri per gratiam Christi eodem modo quo patres, quorum salus erat extra dubium: Aliàs si ad discipulos ex Ethnicis respexisset Petrus, potiùs dixisset, Credimus illos servatum iri per gratiam Jesu Christi sicuti nos: Verùm non infert suam salutem per Christum à salute horum discipulorum quæ erat adhuc controversa, imò ex hypothesi Sociniana adhuc dubia, eo quod adhuc in via & stadio versarentur, necdum metam contigissent; sed potiùs infert suam & reliquorum ex circumcisione salutem, ex salute Patrum suorum, quam non erant adepti per legem, sed per fidem Christi; cum ex lege nulla caro unquam justificata fuerit.

Nec obstat, quod] Fateor aliquando relativum habere pro subjecto id quod remotius ponitur, ut exempla occurrunt aliquot, observata Salomoni Glassio, *Philol. sac. lib. 3. tract. 2. can.* 10. quò spectat celebris & tantopere vexatus locus Matt: XVI, 18. Sed nec id semper fieri, est in comperto, & ubi id fit, ex analogia & serie textus satis colligitur; cum aliàs *ordinariè & omnium sæpissimè relativa ac demonstrativa pronomina respiciant ad proximè præcedentia*, ut *ibid.* Glassius loquitur.

Quod si quis ea] Nemo prudens hac utetur ratione, in qua refutanda Volkelius cum sua umbra egregiè luctatur. Nam versu 10. non occurrunt τὰ ἔθνη, sed τράχηλος τῶν μαθητῶν: τοὺς μαθητὰς autem esse masculini generis, notum est; adeoque etiam si ad remotius nempe *ad discipulos*, non ad proximius nempe ad *patres*, particula illa κἀκεῖνοι esset *referenda*, nullam generis enallagen opus foret hic comminisci: Sed nostræ rationes satis evincunt hic agi de Patrum salute, quam non legalium observatione, sed fide in Christum consequuti fuerint.

Hîc verò dicet aliquis, esto sanè, non extiterit tum Christus; at in futurum Christum credere potuerunt, utpote illis tum promissum. Atqui quis non videt, in eum, qui non est, credi minimè posse? cum in aliquem credere, sit eidem confidere, & spe præmii ab eo accipiendi ita duci, ut ejus nutui ac voluntati te penitùs attemperes. Hujusmodi autem fiducia quomodo in eum, qui nondum est, collocari potest? Quòd igitur Christus tunc promissus nationi Israëliticæ fuerit, id tantum abest, ut contrariam sententiam constituat, ut prorsus etiam eam convellat: cum ob jam dictam causam, non in Christum eos credidisse, sed fore, ut Christus aliquando veniret, sperâsse; hinc concludi aliqua ratione possit: quamvis ne hoc quidem universè fieri queat. Cum enim Deus in lege per Mosen lata non præceperit, ut unusquisque Messiam venturum expectaret; & non modò ante legem, sed etiam aliquot post legem latam seculis, promissiones de Messia tantâ fuerint involutæ difficultate, ut à

ut à populo illo intelligi vix ac ne vix quidem possent; nihil est verisimilius, quàm multos Israëlitas, Deo cæteroqui confidentes ac parentes, promissum illud animonequaquam percepisse, neque adeò spem illius habuisse.

† *Atqui quis non videt*] Fateor non credi posse *in eum qui non est* absolutè; sed veteres crediderunt in Dei filium qui extitit ab æterno, & suo tempore erat incarnandus, & venturus in hunc mundum, juxta promissiones divinas, ad suorum redemptionem & salutem: Adeoque fiduciâ salutis & redemptionis per ipsum eventuræ, spem certam vitæ æternæ consequendæ concipiebant, & se ad ipsius voluntatem, uti sibi per Mosem & Prophetas innotescebat, pro virili sua parte componebant. Unde & David eum in Spiritu suum Dominum vocabat Psal: CX, 1. Matt: XXII, 44. Christus tunc quidem *nondũ* erat incarnatus, sed erat tamen quà Deus apud Patrem, & certissimè suo tempore incarnandus ac suos redempturus.

Quod igitur Christus] Erat promissus, non ut qui nullo modo adhuc esset, sed ut qui esset incarnandus & venturus in mundum ad Redemptionem suorum: Unde liquet & *in Christum credidisse* veteres, quia credebant in eum Jehovam & Deum suum qui erat venturus ad opus Redemptionis nostræ Es: XXXV, 4. Jer: XXIII, 6. & unà sperasse, *fore ut Christus* per carnis nostræ assumptionem, *aliquando* veniret, ad illas suas suique promissiones complendas & præstandas.

Quamvis ne hoc quidem] Fateor *universè* de omnibus & singulis non posse dici quod expectaverint adventum Messiæ; cùm multi in illo populo fuerint σαρκικοὶ & qui Deo Euangelizanti non crederent Heb: IV, 2. Sed nemo fuit pius & verè fidelis qui in ea expectatione non viveret.

Cum enim Deus in lege] Si lex sumatur oppositè ad Euangelium sive fœdus gratiæ, concedo nihil lege mandatum fuisse de sperando adventu Messiæ: nam fœdus legale, quà tale, propriam operum justitiam requirit, nec agnoscit redemptorem: At si lex Mosis intelligatur universim de doctrina & œconomia Mosaica, cum ea quoque complecteretur prædictiones & promissiones certas de Christo suo tempore exhibendo, dubium non est quin eo ipso præceperit *ut unusquisque Messiam venturum expectaret.*

Et non modò ante legem] Mensura fidei nostræ est revelatio divina: Hinc ergo potest quidem colligi, non ita explicitè, perspicuè & distinctè creditum fuisse Messiam uti nunc sub Euangelio; sed non simpliciter & absolutè, creditum & expectatum non fuisse. Nam quo modo proponebantur à Deo suis hæ promissiones, eodem etiam percipiebantur & admittebantur: Aliàs enim Deus censeretur frustrà illas proposuisse, si *tantâ fuerint involutæ difficultate ut à populo illo intelligi vix ac ne vix quidem possent.* Quare tam parum verosimile est ullos *Israelitas, Deo cæteroqui confidentes & parentes, promissum illud animo nequaquam percepisse, neque adeo spem illius habuisse,* quam improbabile est ullum hominem Deo confidentem & parentem ad illius promissa eximia non attendere: aut frustrà & in cassum Deum illis suum verbum & sua promissa proposuisse & revelasse. Et sanè non desunt viri docti qui putent jam tum in primo mundo, Evam in nativitate Caini, Gen: IV, 1. & Lemecum in nativitate Noachi Gen: V, 29. istius promissi executionem expectasse; tantum abest, ut illud animo nequaquam perceperint.

Ex dictis satis intelligi potest, quam ob caussam auctor divinus Epist. ad Hebræos Christum fidei ducem appellârit. Perfectorem autem fidei ideo nominavit

minavit, quia Christus omnia, quæ ad fidem nostram non solùm inchoandam, sed planè etiam constituendam, atque ad exitum perducendam necessaria erant, perfecit, atque adhuc perficit. Nam & salutem, quam nos fide amplecti jussit, quæque fidei nostræ finis est, (1 Pet:1.9.) ipse obtinuit, & totam ejus rationem perpetuò administrat, & aliquando eam suis daturus est.

‡ *Ex dictis satis intelligi*] Plus aliquanto est in voce τελειώτης, quam ut *perfectoris* nomine Latino exprimatur: Interea tamen, vel hac ratione Divinitas Christi solidè adstruitur; siquidem ei tribuitur tum inchoativè tum perfectivè opus fidei, quod in nobis efficere & perficere atque *ad exitum* perducere solius Dei est Phil:1,6. 2 Thess:1,11. Porrò nequit statui bonâ fide de Christo, quod *salutem quam fide amplecti jussit, ipse obtinuerit* nobis, quin ejus Meritum & Satisfactio in arce reponatur.

His ita constitutis, consequens est, ut quæ ista fides, quique ejusdem effectus sit, tandem videamus. Intelligendum igitur est, fidem istam tribus ve-
178. luti gradibus contineri, intellectûs ratione distinctis: quorum primus est, credere Jesum esse Christum: alter, toti ipsius disciplinæ nudum assensum præbere: tertius est, ipsi confidere, perque ipsum Deo, atque adeò spe beatæ immortalitatis subnixum, totum sese ad Dei studium accommodare, id est, Christi, & sic etiam Dei præceptis obtemperare. Hos autem tres fidei gradus dixi intellectûs ratione distinctos esse, quatenus primò, si ordinis spectetur ratio, creditur Jesum esse Christum. Deinde cùm fieri non possit, ut qui Christus Messiasque est, is mentiatur; sequitur necessariò, ut verba ipsius verissima nobis esse persuadeamus. Cum porrò Christi verborum ea sit ratio, ut qui ipsius imperium sequitur, ei sempiternam vitam polliceantur; necesse est, ut tertius fidei gradus ex duobus superioribus nexus aptusque sit, ut nimirum in Christo, & per hunc in Deo nostrâ collocatâ fiduciâ, totos nos ad utrique obediendum applicemus: cùm nemo tanto mentis errore ducatur, ut sempiternam felicitatem sciens volensque aspernetur. Ex quo consequitur, quamvis, ut diximus, tres isti gradus ratione intellectûs, ordinisque naturâ inter se distinguantur, reipsâ tamen tanto eos conjunctionis vinculo inter se copulatos esse, ut qui in uno excellit, is omnes simul possideat necesse sit. Quæ quidem graduum istorum distinctio, certis quibusdam loquendi formulis, partim à viris doctrina ac pietate præcellentibus, partim à divinis autoribus ita explicantur, ut aliud esse dicatur Credere de Jesu seu de Deo, ea nimirum, quæ, quod ad præsentem materiam attinet, de utroque dicuntur. quale est, verbi causâ, quod Jesus sit Christus: aliud Credere Christo, seu Deo, idest, illorum verbis fidem adjungere; quo pacto Christus dicit, Judæos ei non credidisse, quem Deus misit; (Ioh:5.38.) & ei, qui sese miserit, credi postulat; (ib.v.24.) & Paulus

& Paulus asserit, fideles credidisse Deo, (*Tit:3.8.*) & idem unà cum Jacobo, Abrahamum credidisse Deo testificatur: (*Rom:4.3. Iac:2.23.*) aliud est denique, credere in Christum, seu credere in Deum, aut in Deo. His enim locutionibus fiducia in Deo aut Christo collocata exprimitur. Quamvis autem ultimus fidei gradus præstantissimus sit, & sæpissimè, cùm de fide oratio habetur, eique salus simpliciter adscribitur, nonnisi hic intelligatur: fit tamen etiam sæpè, ut quæ hujus gradus sunt propria, ea reliquis duobus tribuantur: veluti cum Johannes indicat, (*Ioh:20.31.*) eum, qui credit Jesum esse Christum Dei filium, vitam æternam consequuturum esse; vel cùm Paulus asserit, (*Rom: 10.9.*) eum, qui Christum à mortuis esse excitatum credit, servatum iri: non quòd hoc credere tantam vim per se habeat, & proxima salutis æternæ, ex parte nostra, sit causa: cum hæc res, verè propriéque loquendo ad fiduciam, quæ obedientiam mandatis Christi præstitam in se complectitur, 179.
spectet: sed quòd Jesum esse Christum sibi persuadere, fiduciæ illius causam afferat. Hoc idem & de secundo gradu fieri, illa Christi verba indicant: *Amen Amen dico vobis quòd qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non veniet, sed transit à morte in vitam.* (*Ioh:5.24.*) Fides quippe Deo, qui sibi morigeris per Christum vitæ æternæ præmium pollicetur, adhibita, fiduciam istam planè efficit.

‡ *Intelligendum igitur est*] At verò nemo credere potest Jesum esse *Messiam*, idest nostrum Prophetam, Regem & Sacerdotem summum, quin eo ipso toti ipsius doctrinæ, ceu veræ, divinæ, salutari, assentiatur, etiam illi parti, quæ tum ejus personæ dignitatem ac divinitatem, tum ejus satisfactionis veritatem & plenitudinem adstruit, adeoque ipsi plenè confidat, & consequenter se ad Dei studium accommodet. Nec tamen *Christi* præcepta ab ipsius Dei *præceptis* ideo veniunt distinguenda.

Ut qui ipsius imperium] Ejusque merito, sanguine, redemptione, nititur.

Nostrâ collocatâ fiduciâ] At fiduciam in Christo collocare, est in ejus merito & obedientia acquiescere, illâ unâ justitiâ apud Deum niti, & vi illius non solum indemnitatem sed etiam vitam æternam certò expectare Phil: III, 9.10. Rom: VIII, 1.

Quæ quidem graduum] Hæc plus habent subtilitatis, quam soliditatis: Nam quamvis nonnulli voluerint has tres phrases Scripturæ distinguere, *credere Deum*, *credere Deo*, & *credere in Deum*, tamen in sacris literis tam promiscuè usurpantur, ut patet ex collatione locorum Joh: III, 16.v,38.xx,31. quam nusquam utitur Scriptura ista loquutione *Credere de Iesu seu de Deo.*

Nonnisi hic intelligatur] Imò positâ hac graduum distinctione, cum ea juxta ipsum Volkelium sit magis rationis quam realis; hic deberet duos alios eminenter in se continere, ut numerus septenarius ternarium & quaternarium complectitur.

Ad fiduciam quæ obedientiam] Plus tamen est distinctionis inter hæc duo, quam inter illos gradus fidei quos modò Volkelius assignavit.

Fides quippe Deo] At fiducia est pars essentialis fidei salvificæ, non illius duntaxat consequens vel effectus.

Animadvertendum autem est, quamvis in Christum credere, fiduciam istam propriè significet, evenire tamen interdum, ut per quendam sermonis abusum, etiam illi in Christum credere dicantur, qui à fiducia ista sunt alienissimi, dummodo doctrinæ Christi, quantumvis leviter, assentiantur. Quo pacto multi ex Judæorum primoribus in Christum credidisse dicuntur, sed eum propter Pharisæorum metum palàm profiteri non fuisse ausos; quia nimirum magis mundanâ, quàm Dei gloriâ delectarentur. (*Ioh: 12.42.*) Quod sanè neutiquam illis verè assignari potuisset, si verâ istâ, quam oratione persequimur, fiduciâ præditi fuissent; utpote quæ mundum, & porrò timorem etiam, omnemque vanæ gloriæ studium vincat, propter nimis desiderabile bonum iis propositum, qui mundum vicerint. Breviter, ea fides est omnium præstantissima Deoque gratissima, quâ per Christum Deo confidimus, id est, spe ducti immortalitatis, totos nos illi regendos tradimus, ex ipsiusque præscripto vitam instituimus.

‡ *Etiam illi in Christum*] Hinc ergo liquet perperam hoc testimonium Joh: XII, 42. quandoque urgeri ad comprobandam Sanctorum Apostasiam. Stella cadens, stella non fuit, cometa fuit.

Breviter ea fides] Imò nulla est vera fides, quæ hac fiduciâ destituitur. Qui autem credit Deo per Christum Sospitatorem & Redemptorem, *spe* certâ & quæ non pudefacit, ducitur *immortalitatis*, non ex sua propria justitia, sed ex Christi obedientia & satisfactione consequendæ; quâ fit ut totum se Deo regendum tradat, *ex ipsiusque præscripto vitam*, quantum potis est, instituere annitatur. Ea tamen obedientia fructus est & consequens istius fiduciæ, non formalis ejus ratio, adeoque sperandæ & exspectandæ immortalitatis fundamentum esse nequit: Sunt bona opera via ad regnum, non causa regnandi.

Etsi verò fiducia propriè sic dicta à pietate, ratione atque intellectu distingui possit, ut caussa à suo effectu: tamen cùm sacræ literæ fidei nomine totum id comprehendunt, quod ex parte nostra ad justificationem & salutem obtinendam requiritur, fide etiam pietatem, tanquam illius perfectionem, complectuntur. Fides enim nisi bonorum operum fructibus perficiatur, justificationem perfectam ac salutem sempiternam conciliare hominibus non potest: quemadmodum apertissimè testatur Iacobus, (*c. 2. 20, & d.*) dum inter alia ait: *Vis-ne autem scire, ô homo vane, quòd fides sine operibus sit mortua? Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, cum obtulisset filium suum super aram? Vides-ne, quòd fides cooperata fuerit ipsius operibus, & ex operibus fides fuerit consummata, impletaque Scriptura, quæ dicit: Credidit autem Abraham Deo, & imputatum ei est ad justitiam. Videtis ergo, quòd ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantùm.* Et paulò pòst, cùm idem exemplo Rachabæ comprobasset, ita rem totam concludit: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est*, hoc est, ad justificationem ac salutem homini pariendam invalida est atque

que inefficax. Quare ejus fidei nomine, quæ ad justificationem ac salutem hotnini ex divina gratia pariendam virium satis habet, pietatem, tanquam animam ejus, includi est necesse. 180.

Ratione atque intellectu] Imò re & essentiâ; prout reale est discrimen inter causam & effectum.

Fide etiam pietatem] Pietas fidem intrinsecè & formaliter non perficit, sed eam veram & perfectam esse ostendit ac indicat. Cùm itaque fides justificare dicitur, non dicitur quod justificet nos nostra fides & pietas coram Deo, sic etiam nostris operibus justificaremur, contra quam tota docet Scriptura, sed quod eâ fide justificemur per apprehensionem & applicationem meriti, justitiæ & satisfactionis Christi pro nobis præstitæ, (prout illius sanguini remissio peccatorum nostrorum constanter assignatur, Rom: III, 25.) quam veram & vivam esse non mortuam, ex bonis operibus liqueat: Nec aliud sibi vult Jacobus II, 20. & seq. Disputat enim Apostolus adversus eos, qui inane nomen fidei jactantes, inde se justificari sibi persuadebant: Ostendit autem fidem justificantem & salutarem, esse unà operosam, & seipsam comprobare studio pietatis. Talis, juxta eum, fuit fides Abrahami, quæ licet sola eum justificaverit, tamen nec sola nec solitaria fuit, sed efficax & operosa, sive ex se producens ipsius opera; quibus operibus fides ejus ἐτελειώθη, non constitutivè, sed indicativè, quatenus ejus veritas & perfectio ita plenè innotuit. Neque vult Apostolus Abrahami exemplo hominem apud Deum justificari quoque operibus, non solâ fide, contra quam statuit Paulus conceptis verbis Rom: III, 28. Gal: II, 16. sed hominem justificari, non inani fidei titulo fideque mortuâ, sed fide vivâ & operosâ, quæ se operibus exerat; ut in illa pericopa, *Videtis ergo quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum*, opera ponantur metonymicè pro fide operosa, quæ opponitur fidei illi quæ sit tantum æquivocè fides & nomine tenus, & quæ tantum differat à fide salvifica, quantum differt homo mortuus à vivo.

Pietatem tanquam animam] Atqui vox πνεῦμα hîc loci non significat animam, sed spiritum sive respirationem; ut pietas non sit forma essentialis fidei vivæ, sed ejus index & effectus, ut respiratio in homine indicium est primum & certissimum quod vivat. Id ante nos monuit Cajetanus *ad hunc locum. Appellatione* (inquit) *spiritus non significatur anima, sed halitus seu flatus : Et aptè comparat opera flatui : Quemadmodum enim corpus animalis, si non spirat mortuum est; ita fides si non parit opus, mortua est. Flatus siquidem est effectus corporis vivi, & similiter operatio est proprius effectus fidei vivæ; Unde apparet quo sensu superiùs dixerit, fidem sine operibus mortuam esse; non quod sentiat opera esse formam fidei, sed quod sentit opera esse concomitantia fidem, sicut halitus concomitatur vitam corporis.* Neque novum est eâ significatione spiritum usurpari, Sic enim dixit Tertullianus *Apolog. cap.6. Ideo & oscula propinquis offerre necessitas erat, ut spiritu indicarentur.*

Animadvertendum autem est, nequaquam de eo pietatis sanctimoniæ studio hoc loco agi, quod perfectum, absolutum, omnisque prolapsionis prorsus expers sit. Talem enim tantamque obedientiam lex olim Mosaica à suis cultoribus exigebat, cui fides, quam Christo adjungimus, non uno in loco opponitur: quippe quæ divinam gratiam præsupponens, eâ obedientiâ contenta sit,

 quam

quam homines divinis promissis excitati atq; adjuti, pro viribus Deo præstant, non solùm ut plurimùm à peccati labe integros sese conservantes, sed etiam in virtute ita sese exercentes, ut quod rectum justumque est, ad id perpetuo ardentique studio adspirent. Id autem qui faciunt, ii nullum enorme facinus, præsertim scientes prudentes, in se admittunt; quòd si per imprudentiam humanamque fragilitatem alicubi lapsos se deprehendent, factum dolent; & ut in posterum inoffenso pede in pietatis cursu pergant, sedulam dant operam.

‡ *Animadvertendum autem est*] Jam autem eo ipso quod opera quæ fidem indivulsè consequi & comitari debent, non exigantur à nobis *omnis prolapsionis prorsus expertia*, nequeunt aliter se habere ad nostram justificationem quam consequenter & ostensivè; ut non præcedant justificandum, sed justificatum sequantur. Si enim in illis nostra apud Deum justitia esset collocanda, utique omnibus numeris perfecta esse deberent.

Talem enim tantamque] Mira est Socinianorum inconstantia hac in parte: Nam hinc volunt legem Mosis exactiorem multo obedientiam exegisse quam Euangelium; inde verò statuunt accuratiorem & perfectiorem justitiam ac sanctitatem Christum à nobis exigere, quam Mosem. Annon hæc sunt ἀσύςατα?

Cui fides quam Christo] Si fides quâ justificamur opponitur illi accuratæ & omnis prolapsionis experti obedientiæ quam lex postulabat, hinc sequitur ideo nos fide justificari non operibus legis, quia exactam illam obedientiam legi nemo est qui præstet aut præstare possit: Quod si qui ex operibus suis vult justificari, ut in illis suæ justitiæ quâ nitatur coram Deo materiam collocet, debet perfectissimè & accuratissimè legi obedire, adeo ut in uno ex mandatis illius impingens sit reus omnium Jac: II, 10. quis sibi conscius suæ imperfectionis & defectuum qui in suis operibus reperiuntur, audebit ultra operum suorum justitiam venditare?

Quippe quæ divinam] Fides justificans non præsupponit modò divinam gratiam, sed illâ unâ nititur, illam unam per & propter Christum ejusque satisfactionem & meritum amplectitur ad salutem: unde fidelis est persuasus, Deum sibi gratis remittentem sua peccata in sanguine Christi, ejusque obedientiam & satisfactionem liberaliter acceptantem & admittentem pro suis debitis, non congressurum judicio secum, sed debiles suos conatus admissurum, in gratitudinis suæ τεκμήειον.

Quam homines divinis] Homines verò ad obedientiam Deo præstandam non solum *divinis promissis* extrinsecè excitari, sed intrinsecè quoque regenerari debent, Deo ipsos ex nolentibus volentes reddente, & in illis operante & velle & perficere Phil: II, 13. Hinc enim omnes vires aliquid boni præstandi, quibus sepositâ Dei speciali gratiâ omninò destituimur Rom: V, 6.

Non solum ut plurimum] Huic assertioni reclamat sacra Scriptura, quæ contendit passim neminem *à peccati labe* integrum se conservare in hac vita, cum in multis impingamus omnes Jac: III, 2. & nemo sit qui non peccet I Reg: VIII, 46. aut quotidie non debeat intercurrentium peccatorum veniam humillimè à Deo deprecari, ut non tam in perfectione virtutum nostrarum, quam in peccatorum nostrorum remissione nostra justitia veniat collocanda. *Egregii* sanè *doctores*, qui, ut loquar cum Hieronymo de eorum præcursoribus Pelagianis ad *Ctesiph. dicunt esse posse, quod nunquam fuisse demonstrant*, nec queunt demonstrare. Nec putem ullum in Socinianorum grege tam superbè & Pharisaicè de seipso sentire, ut *ad id quod rectum justumque est, perpetuo ardenti*-

que

que studio se adspirare profiteatur. Etiam manus Mosis fiebant remissæ dum precabatur. Vel ferventissimæ devotionis arcus sæpissimè ultro relaxatur.

Id autem qui faciunt] Valdè ambigua est hæc oratio; Nam in sensu composito verum est, quod qui *in virtute ita sese exercent, ut quod justum rectumque est ad id perpetuo ardentique studio adspirent*, eo ipso *nullum enorme facinus in se admittunt*. At inde non sequitur, pios & fideles ita semper actu versari in illo *perpetuo ardentique studio*, ut nunquam dormitent, ac remittendo de illo feruore & studio, plus æquo se permittant carni; atque sic in gravia & enormia delicta quandoque incidant. Contrarium docet tum Scriptura, tum experientia omnium sæculorum; Nam Matt: XXV, 5. Virgines prudentes æquè ac fatuæ *nictarunt omnes atque dormierunt*. Et quandoque bonus dormitat Homerus: Et quamvis à gravioribus illis peccatis deterreantur pii, tamen si ex humana infirmitate, & prout nihil est ab omni parte beatum, in illa inciderint, proponitur ipsis refugium ad Christum propitiationem pro peccatis nostris, & deprecatorem nostrum apud Patrem 1 Joh: II, 1.2. Quis negaverit *enorme facinus* fuisse tum Davidis adulterium turpe cæde nefariâ cumulantis, tum Petri Apostoli Servatorem suum cum execratione abnegantis? Satis esto igitur quod pii & fideles, per gratiam regenerationis & semen Dei in ipsis manens immunes præstentur à peccato regnante, eoque scelere quod peccatum ad mortem Johanni appellatur; 1 Joh: III, 9. V, 16. 17. 18. Sed non debent constitui extra periculum gravioris lapsus & enormis etiam facinoris, multò altiùs conscientiam vulnerantis, quam fit per peccata quotidianæ incursionis. Videat etiam Volkelius, qui hoc suum assertum conciliet cum suo alio dogmate de libero arbitrio & apostasia sanctorum. Videat itidem, cui bono, cùm negat pios ullum *enorme facinus* in se admittere, hanc adjecit clausulam & & cautelam, *præsertim scientes & volentes*; cùm nullum enorme facinus vix queat aliter committi ab hominibus, quam sciendo & volendo; & cæteroquin in Schola Sociniana, nihil habeat rationem peccati, nisi quod quis sciens & volens perpetrarit.

Quod si per imprudentiam] Præterea quod omnis peccans ignorat, ut vulgò dicitur in Scholis, agnoscit saltem Volkelius pios & fideles, non ita *perpetuo ardentique studio* sectari semper *quod justum rectumq; est*, quin aliquando *per imprudentiã humanamque fragilitatem* labantur, etiam graviter; licet resurgant per salutarem resipiscentiam, *factum dolentes, & ut in posterum inoffenso pede*, quantum fert humana fragilitas, *in pietatis cursu pergant, sedulam dantes operam*. Huc pertinet illud Cypriani *ad Anton.* de lapsis. *Ne putemus mortuos esse, sed magis semianimes jacere eos quos persecutione funestâ sauciatos videmus: Qui si in totum mortui essent, nunquam de eisdem postmodum & Confessores & Martyres fierent: Sed quoniam est in illis quod pœnitentiâ sequente revalescat, ad fidem & virtutem de pœnitentia robur armatur.*

Vnde colligitur, Paulum à Jacobo nihil quicquam dissidere, quamvis ille fidem operibus opponat, & hæc à justificatione excludat: (*Rom: 3. 20. & d 28. c. 4. 2. & d.*) hic verò illam sine his mortuam esse asserat, & hominem servare posse neget. (*Iac: 2. 14, 17, & d.*) Paulus enim ea à fide opera removet, quæ perpetuam perfectissimamque per omnem vitæ cursum obedientiam continent: Jacobus verò ea intelligit bona opera, quæ homines, spe præmiorum divinorum ducti, ex animo omnibusque viribus ita perficiunt, ut quamvis

omni prolapsione nequaquam careant; habitus tamen, vitiorum quidem omnium exuisse, omnium autem Christianarum virtutum, sibi comparasse meritò dici possint.

‡ *Unde colligitur*] Variæ quidem hactenus propositæ sunt rationes conciliandi Jacobum cum Paulo, & illud ἐναντιοφανὲς auferendi quod visitur inter loca Rom: III,20.28. IV,2. & d. adde Gal: II, 16. & Jac: II, 14. 17. & seq. dum alii pertendunt alia opera intelligere Paulum, alia Jacobum; alii aliter ibi aliter hîc vocabulum Justificationis sumi censent; alii probabilius putant in diversa acceptione nominis *fidei*, consensum utriusque Apostoli esse collocandum. Jacobum enim rejicere justificationem coram Deo ex fide mortua & sterili, quæ solam habeat jactantiam & professionem externam fidei, in qua nonnulli, abusi doctrinâ Paulinâ, sibi acquiescendum rebantur; Paulum verò justificationem adstruere ex fide viva, operosa, & per charitatem efficaci. Sed qui hanc Volkelii conciliationem hactenus commentus sit, nemo præter Socinum, ubique infœliciter novaturientem, poterit reperiri. Nam si *Paulus ea à fide opera removet quæ perpetuam perfectissimamque per omnem vitæ cursum obedientiam continent*; (non utique quod illa non essent hominem justificatura si adessent, sed quod nusquam reperiantur aut possint reperiri, quicquid veteres & novi Pelagiani jactitent de sui arbitrii viribus ad ἀναμαρτησίαν, & legis ac perfectionis possibilitate;) multò minùs poterunt justificare, ac justos & ἀμώμους sistere coram Deo, opera imperfectiora nec *omni prolapsione* carentia; cum eo ipso quod *omni prolapsione nequaquam careant*, ac Jacobo ipso teste II,10. qui vel in uno impegerit reus sit omnium, secundum Paulum justificare non possint. Sanè qui excludit à nostra justificatione coram Deo nostra opera eò quod *perpetuam perfectissimamque per omnem vitæ cursum obedientiam* non continent, ut fit à Paulo, nunquam censebitur consentire cum eo qui doceret, ut Volkelius tribuit perperam Jacobo, nos justificari per opera manca & imperfecta, & *quamvis omni prolapsione nequaquam careant*; Siquidem ideo Paulus negat justificationem ex illis quòd *omni prolapsione nequaquam careant*, facile eam admissurus si *perpetuam perfectissimamque per omnem vitæ cursum obedientiam* continerent. Hæc tam sunt perspicua, ut Soli tenebras studeat offundere, qui illis velit vel per somnium adversari. Quid quod hæc malè cohærent cum alia doctrina Volkelii, quæ statuit accuratiorem sanctimoniam & justitiam operum requiri nunc sub Euangelio quam sub Lege? Nam si accuratior ac perfectior justitia & sanctitas exigitur nunc à nobis, non video quî possimus justificari per ea opera quæ *perpetuam perfectissimamque per omnem vitæ cursum obedientiam*, qualem Lex exegit, non contineant; siquidem debeamus per ea justificari quæ perfectiorem habeant sanctitatem eâ quæ per legem mandabatur. Dicet forte Volkelius, Jacobum ea demum intelligere & requirere bona opera *quæ homines spe præmiorum divinorum ducti, ex animo omnibus viribus ita perficiunt, ut quamvis omni prolapsione nequaquam careant, habitus tamen vitiorum omnium exuisse, omnium autem Christianarum virtutum, sibi comparasse meritò dici possint.* Sed in hoc verborum & fumi glomo, οὐδὲν ὑγιές. Nam primò est stulta oppositio inter ea opera *quæ perpetuam perfectissimamque per omnem vitæ cursum obedientiam continent*, & ea quæ fiunt *spe divinorum præmiorum*: cùm hac spe *perpetuam perfectissimamque* illam obedientiam lex etiam studeret excitare; Hoc fac & vives. Deinde aut lex nobis est impossibilis, quod

lis, quod negant adversarii, sui arbitrii viribus freti, aut qui *spe divinorum præmiorum* excitatus *ex animo omnibusque viribus* studet bonis operibus, *perpetuam perfectissimamque obedientiam* legi præstat, adeoque ea habet opera quæ tamen Paulo justificatoria esse negantur. Præterea non videmus, qui possit statui *omni prolapsione nequaquam carere*, qui *habitus omnium vitiorum exuisse, omnium autem Christianarum virtutum sibi comparasse, meritò diceretur.* Nam omnis prolapsio etiam in sanctissimis, inde oritur quod nondum exuerint omnem habitum vitiosum, maximè illum congenitum & naturalem, quem labem originalem appellamus.

Jam igitur, ut fidei effectum, quem nobis divina benignitate parit, animo consideremus; facilè cuilibet constare potest, cùm fides illud sit, quod in novi Fœderis pactione ad nos pertinet, ejus usum atque effectum esse justificationem illam nobis promissam, quam suprà inter vitæ sempiternæ encomia numeravimus. Hoc tamen in loco paulò fusiùs eadem de re explicandum nobis est, ut & quid sit justificatio ista, & quo pacto per fidem hominibus contingat, intelligamus. Primò igitur justificare, justum aliquem pronunciare, &, quod justo atque innocenti præstare æquum erat, id ei tribuere significat. Justitiæ autem non tantùm immunitas à pœna, verùm etiam sempiternæ vitæ præmium est à Deo propositum. Quare quem Deus justificat, eum tum à peccatorum omnium pœnis liberat, tum sempiternæ vitæ præmio donat.

‡ *Cum fides illud*] Hæc loquutio est valdè impropria; nam & fides viguit quoque sub V.T. eo magis quod absque ea impossibile sit placere Deo Heb: XI,6. nec *ad nos pertinet*, quasi nostrarum sit virium; cùm sit speciale Dei *donum* in nobis Eph: II,8. Phil: I,29. Nec ex eo *quod in novi fœderis pactione ad nos pertinet*, sive à nobis exigitur, statim liquet nos fide justificari, nisi unà percipiatur quodnam sit illius fidei objectum, nempe remissio peccatorum proposita & promissa in sanguine Christi. Etiam suo loco ostendimus minus accuratè *justificationem* inter *vitæ sempiternæ encomia* numerari, cum Paulus conceptis verbis justificationem à glorificatione distinguat Rom: VIII, 30.

Primò igitur justificare] Optimè id statuitur, cùm verbum illud non alio sensu quam forensi usupetur: Qui verò justificatur per Christum, is ita justus pronunciatur ut absoluatur à reatu, & peccatorum suorum remissionem in Dei foro consequatur; adeoque id omne quod *justo atque innocenti præstare æquum erat.* Cùm autem *justitiæ* præmium sit non solum immunitas à pœna, sed etiam ipsa vita æterna, non est igitur quod negent Sociniani vitæ æternæ promissiones factas fuisse, vel Adamo in statu Innocentiæ, vel Israelitis sub Lege, siquidem utrobique justitia vera exigebatur.

Deinde cum per fidem justificationem nobis contingere exploratum sit; operæ pretium esse videtur, etiam atque etiam considerare, num hac ratione id fiat, ut fides justificationem illam mereatur, ejusque sit causa efficiens principalis: an verò summâ Dei clementiâ atque misericordiâ fiat, ut nobis fide subnixis, quantumvis perfectissimum vitæ cursum minimè teneamus, 181.

mus,

mus, justitia tamen tribuatur. Nos igitur hoc posterius statuimus, non ignorantes, fidei nostræ nequaquam esse ea merita, quibus justificatio, quâ sempiterna continetur felicitas, tanquam merces debita sit tribuenda. Nam & fides ista nobis ad justitiam imputari dicitur, (*Rom: 4.5.*) ut intelligamus, nos, quamvis fide præditos, justitiâ tamen absolutissimâ destitui, & ideò non quidem verè, sive perfectè absoluteque justos esse, sed pro justis divinâ benignitate haberi, h. e. ita nobiscum agi, ac si justi perfectè fuissemus. Hanc enim imputationis vocabuli vim esse, Paulus luculentissimè docet, (*ibid. v. 3, 4, 5.*) cùm imputationem istam operum perfectioni clarissimè opponit, & eam ex gratia proficisci, ac mercedi, quæ ipso jure debeatur, accommodari non posse docet. Ubi autem meritum propriè dictum est, ibi merces ipso jure debetur. Hinc porrò consequitur, fidem istam, quamvis obedientiam ac pietatem in se comprehendat, nequaquam tamen per se & principaliter efficere, ut justificationis beneficium consequamur. Obedientia quippe ista minimè perpetua omnibusque numeris absoluta est. Interim tamen sic habendum est, cum Deus nonnisi illis, qui fidem virtutemque pro sua virili parte colunt, vitam sempiternam designaverit; fiduciam istam non quidem causam meritoriam, aut principaliter efficientem, sed causam sine qua non, ut loquuntur, justificationis nostræ esse, & non vi sua propria, sed vi promissi divini, ex mera benignitate profecti, eam nobis præstare.

‡ *Nos igitur hoc posterius*] Certum est fidem nec *mereri* justificationem, nec esse materiam illius justitiæ cujus intuitu *justificamur* sive *justi pronunciamur* apud Deum. Sic enim opere aliquo bono deberemus justificari, cùm bonis operibus fides sit accensenda, si consideretur in suo esse absoluto & prout rationem habet virtutis Theologicæ. At verò opponit Apostolus justificationem ex fide, justificationi per opera. Cum ergo neque concurrat fides materialiter ad nostram justificationem, ut illa sit ipsa ea justitia cujus intuitu justificemur, neque sit illius *causa efficiens principalis,* ut fatetur Volkelius, superest ut habeat rationem causæ instrumentalis, prout apprehendit Christi meritum, justitiam & satisfactionem, ejusque perfectissimâ obedientiâ nos induit, ut Rebecca quondam Jacobum induebat vestibus sui fratris, quò sub hac odorata veste paternam benedictionem consequamur. Fit itaque *summâ Dei clementiâ atque misericordiâ* ut fide justificemur, non quod admittat Deus ipsum opus fidei per quandã acceptilationem loco plenioris & perfectioris obedientiæ ad quam teneremur ex rigore; sed quod pro summa sua clementia & misericordia admittat pro nobis satisfactionem & justitiam Christi, eamque fide verâ & vivâ apprehensam nobis imputet ad coronam, ut illi nostra peccata ad pœnam imputavit: unde dicitur factus peccatum pro nobis, ut essemus *justitia Dei* in ipso 2 Cor: v, 21. Hinc est quod nostra justificatio non tantum fidei & gratiæ Dei, sed etiam Christi redemptioni, obedientiæ, sanguini & morti, non infrequenter tribuitur: ut Rom: III, 24. v, 19. 1 Cor: I, 30. Phil: III, 9. Cùm ergo obedientia, mors, justitia Christi, principaliùs concurrat ex Dei misericordia & gratia ad nostram justificationem, quam ipsa fides, necesse est illam

illam se habere ad justificationem meritoriè, ut sit materia nostræ justitiæ coram Deo, hanc verò apprehensivè & instrumentaliter, ut eam Christi obedientiam, Justitiam ac Redemptionem in illius sanguine apprehendit, eâque unâ nititur apud Deum. Quod si meminisset Volkelius 1. Justificationem coram Deo & remissionem peccatorum, esse synonyma Apostolo Rom: IV, 5.6. 2. Ipsam justificationem ac remissionem peccatorum, esse actum judiciarium & forensem Dei pro tribunali sedentis & nos absolventis à reatu in quo per & propter peccata nostra aliàs eramus; satis percepisset sanguini Christi Deum placanti ejusque justitiæ satisfacienti, principaliter nostram justificationem deberi, prout ei constanter tribuitur propitiatio, purgatio & remissio peccatorum nostrorum Rom: IV, 24. Eph: 1.7. Heb: 1, 3. IX, 14. 26. 1 Joh: 1, 7. II, 2. nec per consequens aliter fidei, quam prout per illam remissionis peccatorum nostrorum in sanguine Christi promissionem gratuitam apprehendimus, & Christum ipsum cum omnibus suis beneficiis induimus ac nobis applicamus. Nec potest hîc fingi gratuita *acceptilatio* fidei & obedientiæ inchoatæ, loco perfectioris justitiæ ad quam tenebamur; tùm quia acceptilatio est *imaginaria solutio, Inst. §. 1. Quibus mod. toll.* ad nostram vero justificationem accessit ex parte Christi, ceu vadis & expromissoris nostri, pretium perfectissimum & plenissimum 1 Cor: VI, 20. 1 Pet: 1, 18. tùm quia justificatio nostra est actus forensis; quod non potest convenire acceptilationi, quæ nunquam procedit per autoritatem & sententiam Judicis, sed per voluntariam & privatam stipulationem partium. Ad hæc si ex fidei intuitu, prout *obedientiam ac pietatem* in se comprehendit, justificaremur, ex operibus deberemus justificari, contra quam disputat constanter Apostolus.

Nam & fides ista] Atqui fides quæ imputari dicitur ad justitiam Rom: IV, 5. debet sumi metonymicè pro Christo fide apprehenso, cujus meritum & justitiam interponit inter Dei judicium & nos, ejusque unius obedientiâ & satisfactione apud Deum nititur. Hoc enim ipsum, profiteri est nos *justitiâ absolutissimâ*, quæ nostra sit inhærenter & subjectivè, destitui; adeoq; nos in nobis nec *verè*, nec *perfectè absoluteque justos esse, sed pro justis divinâ benignitate haberi* in Christo fide apprehenso, cujus justitia, quam fide apprehendimus, sic nobis imputatur, ut vi illius *ita nobiscum* agatur *ac si* formaliter & subjectivè in nobis, per nostram personalem obedientiam legi præstitam, *justi perfectè fuissemus*. Removet enim imputatio fidei ad justitiam, omnem nostram propriam ac nobis formaliter inhærentem justitiam, sed ponit imputationem justitiæ & satisfactionis Christi pro nobis. Aliàs si ipsa fides in suo esse absoluto, non respectivo ad Christum per ipsam apprehensum, nobis imputaretur ad justitiam, tum justificaremur per fidem, tanquam per bonum aliquod opus, nec ita sibi constaret Paulus opponens fidem operibus, & fide excludens opera in justificationis nostræ negotio.

Hanc enim imputationis] Hac imputatione Paulus non operum modò perfectionem excludit, sed opera quælibet nostra & propria removet à nostra justificatione, prout in præcedenti capite concluserat nos fide in Christum non operibus nostris justificari. Ideo docet *eam ex gratia proficisci*, tùm quia Christus ex indebita gratia nobis datus est in ἱλασμὸν peccatorum nostrorum; tùm quia gratiæ est quod Pater pro nobis admittat nobisque imputet satisfactionem Christi, cùm ex juris rigore nosipsi ad eam personaliter præstandam teneremur; tùm quia ipsa fides apprehendens Christi satisfactionem & meritum, ejusque obedientiâ & justitiâ unicâ nitens apud Deum, est gratiæ opus in nobis, ut ante demonstratum ex Scriptura. Hinc gratia Dei,

non excludit in justificationis negotio sanguinem Christi aut fidem, sed tantum propriam & personalem nostram justitiam, quæ operum nomine exprimitur Rom:xi, 6. Docet itidem Apostolus imputationem hanc *mercedi quæ ipso jure debeatur accommodari non posse*, quia talis merces *meritum* supponit; ubi verò aliena justitia imputatur peccatori qui suâ carebat, ibi nullum ejus *meritum* esse potest.

Hinc porrò consequitur] Imò hinc consequitur fidem nonnisi instrumentaliter, respectivèque ad Christum & apprehensivè justitiæ Christi ac gratiæ Dei in ipso, ad nostram justificationem concurrere. Si enim nos justificaret quatenus *obedientiam* saltem inchoatam complectitur, id est in suo esse absoluto, tum ipsa pietas & obedientia unà cum fide materialiter concurrerent ad nostram justificationem, & sic ex operibus nostris justificaremur: Cùm verò, judice Paulo, ideo ex operibus nemo justificetur, quia nemo obedientiam perfectam, plenam, omnibusque numeris absolutam, legi præstare potest, qui possemus justificari *ex obedientia minimè perpetua, omnibusque numeris absoluta*; siquidem eo ipso quod talis est justificare nequeat, & fidei opponatur atque ab illa contradistinguatur in justificationis negotio?

Interim tamen sic] Vita æterna designata est demum illis *qui fidem virtutemque pro sua virili parte colunt*, non fidei aut virtutis ipsius intuitu, sed ex Dei dignatione & Christi merito ac sanguine, fide verâ ac vivâ apprehenso, & quam talem esse virtutis & bonorum studium comprobat: Aliàs enim bona opera non præcedunt justificandum, ut scitè Augustinus, sed justificatum sequuntur.

Sed causam sine qua non] Sed præterea quod causa sine qua non, nihil habet causalitatis & nonnisi æquivocè causa est, (cũ non influat ullâ ratione in ipsum effectum,) omnis causa sine qua non habet rationem conditionis præviæ sive antecedentis, quod nec fidei nostræ, nec obedientiæ ex illa potest convenire justificationis respectu. Nam in signo rationis prius à Deo justificamur & absolvimur per remissionem peccatorum in sanguine Christi, quã hoc beneficiũ fide apprehendamus & nobis applicemus: cùm omne objectum sit prius aliquâ saltem prioritate operatione quæ circa illud versatur; & inchoata ex fide obedientia, ita antecedenter se habet ad glorificationem, juxta tritum illud Bernardi, quod *bona opera sint via ad regnum non causa regnandi*, ut nonnisi consequenter se habeat ad fidem & justificationem ex fide. Igitur causa meritoria justificationis nostræ unica Christi Satisfactio est statuenda, cujus intuitu absoluimur à peccatis & pro justis habemur coram Deo; Fides in *Christum*, causa est instrumentalis illius; Obedientia novæ vitæ, ejusdem consequens fructus & signum statui debet; ac prout non justificat fides *vi suâ propriâ, sed vi promissi divini ex mera benignitate profecti*, ita omne illud promissum divinum, circa quod admittendum cum fiducia plena, fides nostra occupatur, nititur Christi satisfactione & merito, ac placamento illo quod est in ipsius sanguine. Sed hæc est Achristiana Volkelii impietas, quod in toto hoc negotio justificationis per fidem, nec Christi, nec obedientiæ ab ipso præstitæ, nec justitiæ quæ est in ipso, nec sanguinis ab illo fusi ad nostram redemptionem & remissionem peccatorum conficiendam, ne verbulo quidem meminisse dignatus sit.

Hæc autem justificandi ratio per Christum demum promulgata ac palàm annunciata est, ut testis est Paulus (*Rom:3.21.*) hunc in modum loquens: *Nunc autem sine lege Justitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis, justitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt.* Ex his Pauli verbis

bis clarissimè patet, non solùm nunc demùm fidei justitiam patefactam esse:
sed etiam longè aliam quondam justificationis rationem publicè propositam
fuisse, nempe quæ ipsa lege Mosaica continebatur. Hanc autem Dei justitiæ
non eam ob causam tum hìc, tum alibi, (*Rom:10.3. Phil:3.9.*) opponit Apo-
stolus, quòd à Deo nullo modo profecta aut præscripta fuerit: sed quòd ad
illam respectu habito, humana quodammodo appellari possit, utpote ipsius
hominis meritis, studio, labore comparanda. Illius enim summa in hoc con-
sistebat, ut homines divinæ legi absolutissimè perpetuoque sine ulla labe ob- 182.
temperarent, si justitiæ laudem assequi vellent; quique contrà facerent, ii in
justis minimè haberentur. At qui divinæ legi absolutè ac perpetuò obtempe-
raret, is factis suis mereretur, ut justus pronunciaretur, & nihil hac in parte
gratiæ clementiæque divinæ imputaret. Contrà se res habet in justitia per fi-
dem obtinenda, quæ non hominum debetur meritis, sed ex mera Dei beni-
gnitate proficiscitur; ideoque si veram ejus caussam & originem spectes, non
hominis est propria, sed Dei. Etenim non solùm impunitate, verùm etiam
sempiternæ vitæ præmio donari, quamtumvis & antea impurissimis sceleribus
obligatus fueris, & etiamnum interdum labaris, dummodo ad frugem rever-
sus, pro eo ac fieri ab homine, divino præsidio circumsepto, possit, omni
scelerum consuetudine abjecta, justitiam ex animo consecteris, hoc demum
divinæ liberalitatis opus est.

‡ *Hæc autem justificandi*] Id quidem verum, justificationem ex fide esse *per Christum* ac illo niti; sed falsum, non ante tempora Christi incarnati innotuisse; Cùm enim omnes pii qui vixerūt sub V.T. justificati fuerint & vitam æternam consequuti, nec potuerint ex operibus suis justificari, eos omnes fide justificatos fuisse cum Patre credentium, est certissimum Unde Paulus cap. XI. Heb: per totum, veterum illorum fidem multis encomiis prosequitur. Quin tantum abest ut Paulus Rom: III, 21. id dicat quod fingit Volkelius, ut potius apertè doceat contrarium: Nam justitiam Dei *per fidem Iesu Christi* sic opponit justitiæ legis, sive operum, ut tamen eam dicat *testificatam à lege & Prophetis*. Nec verum est *aliam quondam justificationis rationem publicè propositam fuisse, nempe quæ ipsâ lege Mosaicâ continebatur.* Lex enim non fuerat data Israelitis ut ex illa justificarentur, cùm impossibile esset legi id præstare, teste Paulo Rom: VIII, 3. sed ut ipsis esset pædagogus ad Christum Gal: III, 24. illos peccati convincendo & reos mortis constituendo: siquidem ex lege est cognitio peccati Rom: III, 19.20. IV, 15. & ipsa dicitur iram operari Rom: IV, 15. ac peccatum quadantenus intendere Rom: VII, 9.13. unde & ejus ministerium, *mortis ministerium in literis* appellatur 2 Cor: III, 7. ac dicitur *transgressionum causâ adjecta usque quo venisset semen illud cui facta est promissio* Gal: III, 19 nec promulgata ut vivificaret, sed potius ut peccati omnes convinceret: quod luculenter docent hæc verba Apostoli Gal: III, 21. 22. *Num igitur lex addita est adversus promissiones Dei? Absit: nam si data fuisset lex quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia; Sed conclusit illa Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.*

Hanc autem Dei justitiæ] Opponit Apostolus justitiæ legali & operum, justitiam fidei, sub hoc encomio *justitiæ Dei* Rom:I,17.III,21. Phil: III,9. quod non sit tribuenda humanis vel viribus vel operibus per legem Dei præscriptis, sed adscribenda veniat in solidũ gratiæ & misericordiæ Dei, nobis remittentis peccata nostra in sanguine Christi, nosque propriâ carentes justitiâ, induentis justitiâ alienâ, nempe Christi Filii sui dilecti, in quo solo illi placere, & coram eo imperterriti stare possumus. Quid quod justitia Dei insuper posset dici, quod sola placeat Deo, sola Deum placet, sola sit eximia & excellens, & adscribenda solius Dei πολυποίκιλῳ sapientiæ, quæ admirabilem hanc reperijt rationem summam justitiam cum summa clementia exercendi. Item & Dei justitiam meritò eam dixeris, quod nitatur obedientiâ, satisfactione & merito Christi, qui *verus est Deus & vita æterna* I Joh: V, 20. ac *Iehova justitia nostra* Jerem:XXIII,6.

Illius enim summa] Cùm ergo talis justitia lege requireretur, vel hinc constat non datam eam Israelitis ut per illam justificarentur; quod etiam postea agniturus est utcunque Volkelius.

Is factis suis mereretur] Ex pacto tamen magis, quam ex condigno, cum proportio nulla sit operum perfectissimorum quæ proficisci possunt à mera Creatura ad vitam æternam: Adeoque etiam eo casu aliquid *gratiæ clementiæque divinæ* veniret imputandum, ex qua tam luculenta merces tantillo labori proposita fuisset.

Quæ non hominum] Debetur tamen meritis Christi qui *æternam redemptionem nactus* per proprium sanguinem sacrarium cœleste ingressus est Heb:IX,12.

Etenim non solum impunitate] Nec etiam justitia legalis impunitatis tantum habebat promissionem, sed etiam vitæ æternæ; *Hoc fac & vives*: quod præmium ex parte promissum legis observationi, si quis illud consequeretur, non tam operum ipsorum intrinsecæ dignitati, quam *divinæ liberalitati*, omninò foret adscribendum. Atq; ut observatio accurata legis & hominis *meritum* ex illa, ut amat loqui Volkelius, non penitus efficeret quominus liberalitas Divina veniret agnoscenda in tam eximij præmij retributione, ita viceversâ liberalitas Divina, quâ *impunitatem* & vitam æternam ex justitia Euangelica & fidei consequimur, non excludit meritum & satisfactionem Christi pro nobis, quamvis nostra opera & merita omninò removeat.

Hîc quæret aliquis, quomodo per Christum demum hæc divina justificandi ratio manifestata orbi terrarum esse rectè dicatur; cum ex divinis literis constet, eam omni tempore, id est, & ante Legem, & sub lege Mosis viguisse? Paulus quippe, (*Rom. 4. 3. & d.*) ut ita esse ostendat, tum Abrahamum, qui ante Legem vixit, in rei istius exemplum proponit; tum Davidis ea de re testimonio nititur: & illum quidem nequaquam per opera, sed per fidem singulari Dei benignitate atque gratiâ ad justitiam aspirasse affirmat: hujus verò testimonium eo pacto commemorat, ut non obscurè colligi posse videatur, etiam tunc temporis veram beatitatem, non in operum merito, sed in peccatorum condonatione constitutam fuisse. Respondemus autem, nos nequaquam diffiteri, imò planè contendere, nullum unquam mortalium operum absolutâ perfectione, sed fide, cujus forma est obedientia, justificationem

nem

nem assecutum fuisse: pernegamus tamen justificationem, quæ ex fide oritur, vel fœdere (*veteri*) comprehensam, vel ut rem, quæ perpetuò ad omnes spectaret, apertè propositam atque promissam fuisse. Erat quippe hoc tunc singulare quiddam, à singulari Dei benignitate extra fœderis antiqui pactionem profectum.

1 *Respondemus autem*] Quod si omnes pii qui justificati fuerunt sub Veteri Testamento, *fide* non operibus fuerunt justificati, ut largitur Volkelius, necessariò debuit fides eorum respexisse ad Christum Servatorem; siquidem hæc æquipollent ipsi Paulo Phil: III, 9. justitia *quæ est per fidem Christi*, & *justitia quæ est Dei*, vel *ex Deo, per fidem*. Oportuit itidem pactum extitisse & promissionem, unde manaret hæc justificatio fidei, cùm nec fides queat esse nisi ex Dei verbo Rom: x, 17. nec vim habeat justificandi ex intrinseca sua natura, sed ex pacto & stipulato Divino.

Cujus forma est obedientia] Id est falsissimum: Si enim *obedientia* est forma fidei justificantis, quà talis, erit justificatio non minus *obedientiæ* ipsi, quam fidei adscribenda, cùm tamen obedientiam & opera fidei constanter opponat Apostolus in justificationis negotio. Adhæc cùm obedientia constet ex distinctis & completis virtutibus particularibus, nec illæ simul nec seorsim possunt constituere formam fidei, quæ etiam virtus est Theologica particularis, à cæteris omnibus tam moralibus, quam intellectualibus & Theologicis, totâ suâ essentiâ distincta: & quamvis sit nexus naturalis & necessarius inter omnes virtutes, neutra tamen alterius *forma* esse potest; Sic enim & quæ informaret & quæ informaretur, præcisè considerata, esse haberet incompletum ac partiale; nec virtus dici posset, cùm forma det esse rei, ut vulgò loquuntur Philosophi. Quid quod obedientia, & nominatim charitas, quo nomine totum legis obsequium quod à piis exigitur solet exprimi, fructus est, effectus & consequens *fidei non fictæ*, ut docet Apostolus 1 Tim: 1, 5. adeoque nequit statui forma fidei, quin idem sui-ipsius effectus & causa, ac ipsummet seipso simul prius & posterius statuatur. Meliùs itaque statuas formam fidei justificantis esse apprehensionem fiducialem misericordiæ Divinæ atq; redemptionis & remissionis peccatorum quæ est in Christo, prout in promissionibus Euangelicis proponitur & offertur.

Pernegamus tamen] Largior justificationem quæ est ex fide, fœdere *veteri*, (nam hanc vocem puto supplendam in textu Volkelii,) non fuisse comprehensam, si fœdus intelligatur legale & operum sancitum cum primo homine, & sub cujus maledictione post peccatum remanent omnes, donec ab ea per Christum liberentur: At si per fœdus vetus, intelligatur fœdus Israeliticum Mosis ministerio administratum, quamvis ad terrorem & humiliationem urgeret quoque Legem, tunc propter transgressiones datam & renovatam, certum est illo in tantum *justificationem quæ ex fide oritur comprehensam* fuisse, in quantum promissiones salutis in Christo futuræ proponebat & obsignabat. Et aliàs à nobis fuit demonstratum Christi beneficium & fidem etiam ad eos qui vixerunt sub illo fœdere & vi illius pertinuisse. Quî enim aliter potuissent ex fide justificari, ut factum agnoscit Volkelius?

Vel ut rem quæ] Illam *rem perpetuò ad omnes* credentes spectasse, tam certum, quam certum & omnes credentes fuisse justificatos fide, & omnes fœderatos debuisse vi ipsius fœderis fidem adjungere promissionibus divinis; Huc facit maximè quod de illis habet Apostolus Heb: IV, 2. ipsis quidem *euangelizatum* fuisse ut & nobis, sed non pro-

fuisse auditum *sermonem*, *ut qui fide contemperatus*, *non fuerit apud illos qui audierant*. Nec ideo illo fœdere justificatio non comprehendebatur, quod non ita *apertè* ut nunc proposita & promissa esset: nam plus & minus speciem non variant; ac sit insanus qui neget Christi nostri ullam mentionem extare in Veteri Testamento, eo quod *apertè* ibi non legamus, Jesum Nazarenum ex virgine Maria Josepho desponsata, Betlehemi, tempore Augusti & Herodis natum, esse Messiam & Redemptorem mundi.

Quid autem illud est, inquies, quòd Habacuc, qui sub Lege vivebat, asseruit, justum sua fide victurum? (*Habac.2.4. Rom:1.17.*) an non apertissimum hinc est, jam tum fidei justitiam patefactam fuisse? Atqui primùm ad tantæ rei promulgationem, quæ ad universos fœderis alicujus pactione comprehensos semper spectare debet, nequaquam satis est Prophetæ alicujus multis demum seculis post pactionem illam viventis pronunciatum; cum hoc nec semper, nec singulis notum fuisse planè constet: sed opus est, ut generalis quæ-
183. dam rei istius promissio ipso fœdere contineatur: ut quidem hoc tempore fidei justitiam in Euangelio seu novo fœdere manifestatam fuisse, Paulus luculentissimè testificatur: (*Rom:1.16, 17.*) Deinde verba illa manifestè de futuro tantùm tempore loquuntur: & prophetiam continent in novo demum fœdere reipsa ac perfectè implendam.

‡ *Atqui primùm ad tantæ*] Hic locus Habac:II,4. citatus quoq; Paulo Rom:1, 17. satis ostendit etiam sub V. T. non ignotam fuisse justitiam fidei. Nec facit ad rhombum hæc prior Volkelii exceptio: Prophetas enim qui sub illo fœdere vivebant, aliquid proposuisse quod ad omnes illius *pactione comprehensos* non spectaret, gratis fingitur; cùm eorum fuerit, pactionis jam antea factæ clausulas, urgere & explicare: Et quamvis hoc *pronunciatum* Prophetæ in suo formali, *nec semper*, *nec singulis* notum fuerit, satis est quod virtualiter & seminaliter contineretur in ipsa Dei pactione, ut pote quæ haberet μεσίτην Christum, ex cujus fide vivebant omnes justi, æquè ac ipse Abraham Pater omnium credentium. Nec dubium quin ut *generalis quædam* Christi exhibendi *promissio ipso fœdere* continebatur, ita etiam generalis fuerit quædam promissio justificationis & salutis, omnibus iis facta qui fidem Deo promittenti adjungerent, licet non ita clarè & dilucidè id tunc proponeretur, *ut quidem hoc tempore* Paulus testatur Rom: 1,17. *justitiam fidei in Euangelio*, sive potiùs per Euangelium, revelari: Dicit enim Apostolus *justitiam Dei per illud revelari*, *ex fide in fidem; sicut scriptum est; Iustus autem ex fide vivet*, id est, ut non malè veteres multi quos citat & sequitur Toletus *ad hunc locum*, ex fide obscura Veteris Testamenti in claram Novi, quæ eo perfectior & auctior est quod clariori lumine revelationis divinæ nititur.

Deinde verba illa] In hac altera responsione parum est firmitatis. Nam ita Habacuk proponit vaticinium de exhibendo Messia qui erat adducturus *justitiam sæculorum* Dan: IX, 24. ut tamen discrimen ponat suo tempore observandum inter non rectum & justum, ut ille clivetur vel *ebullet*, ut vertit Junius, idest *etsi in clivum specie videtur assurgere & permagnus mons effici*, *ebullat tamen*, *idest non magis est quam bulla*, *crepat & sua ipsius imbecillitate rumpitur*; hic vero vivat ex

vat ex fide. Ideo Coccejus in suo novo *Dodecapropheto*, reddidit utrumque in præsenti; *Ecce clivatur cujus non est anima recta in ipso, & justus fide illius vivit.* Nec diffitetur etiam Volkelius fide suâ vixisse sub V. T. quotquot eâ justificati fuerunt: Et ut nihil dicam de enallage temporis frequentissima in Scripturis, & quod Hebræi carentes præsenti sæpè futurum usurpant pro illo, posset illud Habacuki, non tam propheticè sumi quam præceptivè, prout Dei mandata solent exprimi per verbum futurum, *Non occides, Honorabis patrem tuum & matrem tuam.* Cum enim dixit Habacuk, *Justus ex fide vivet*, hoc sibi voluit quod qui justus est & talis vult haberi coram Deo, debeat esse justus ex fide & ex illa vivere, nec imitari improbos, quorum mentes *rectæ quæ stare debebant, dementes sese flexêre viet æ.* Etiam Apostolus potuit illud ipsum usurpare in futuro, *Justus ex fide vivet*, non per modum prædictionis, sed per modum præceptionis; quæ & semper viguit, & porrò vigere debet. Sed etsi hoc pleniùs, uberiùs, dilucidiùs & cognosci & impleri debuit post Christi incarnati tempora, eoque spectarit vaticinium Habacuki, inde tamen non sequitur nullo modo id antea obtinuisse & viguisse; cùm ipso-met Volkelio fatente, etiam quotquot sub V. T. fuerunt justi, *reipsâ* fide justificati nec aliter fuerint.

Instabit autem quispiam, & justificationem, quæ peccatorum remissione continetur luculentissimè tum à Mose, (*Levit:26.40.& d.*) tum ab Ezechiele (*Ezech:33.11.*) Dei nomine promissam illis fuisse, qui scelera à se admissa detestati ad officium redirent; cui quidem, quod ad Mosis testimonium attinet, responsum volumus, nos hoc loco non de ea scelerum condonatione verba facere, quæ in cessando tantùm à suppliciorum temporalium irrogatione, vel eripiendo ex pœnis istius modi jam illatis posita est, qualis à Mose commemoratur: sed de ea peccatorum remissione, quæ integram resipiscenti æternamque præstet impunitatem. Deinde Moses non singulis ex populo, sed populo universo, si post multiplices pœnas tandem ad Deum sese convertat, illam scelerum condonationem, & in pristinum statum restitutionem pollicetur.

Cui quidem quod ad Mosis] Cùm dubitari non possit quin resipiscentibus ac Deo promittenti credentibus, vi fœderis pacti cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo, quo receperat se ipsorum Deum & seminis sui post ipsos futurum, Deus promiserit remissionem peccatorum sub V. T. quam etiam variis sacrificiis & ritibus tum significabat tum obsignabat, vel inde conficitur evidenter promissam fuisse justificationem ex fide; quia remissio peccatorum, etiam ea quæ obtinebat sub V. T. & de qua loquitur David Psal: XXXII, 1.2. & justificatio ex fide idem sunt, judice Paulo ex illo Davidis loco Rom: IV, 6.7. Huc verò apprimè facit locus Mosis Lev: XXVI, 40.41.42.45. ubi Deus promittit Israelitis confitentibus sua peccata & resipiscentibus, quod sit eorum misert urus & recordaturus fœderis sui initi cum Jacobo, Isaaco & Abrahamo, & cum priscis illis quos eduxerat ex Ægypto, ut esset ipsis Deus. Hoc verò telum non declinat Volkelius suis effugiis; Nam primum quod attinet, cùm Deus veniam dimidiare non soleat, frustra opponitur promissioni factæ Israelitis, *ea peccatorum remissio quæ integram resipiscenti æternamque præstet impunitatem.* An enim quispiam sibi imaginabitur, Deum hanc promissionem exequendo in Israelitis, resipiscentibus, contritis, suam iniquitatem confi-

confitentibus; corque suum præputiatum deponentibus, nonnisi partialem & temporariam remissionem indulturum fuisse? Aut *cessando à suppliciorum temporalium irrogatione, vel eripiendo ex pœnis istiusmodi jam illatis*, eo ipso non testaturũ fuisse se plenè placatum esse populo suo, & plenariam delictorum suorum remissionem illi indulgere, ut eorum amplius meminisse nolit? Aut aliam remissionem promittere apud Mosem, quam quæ à Davide passim celebratur, nominatim Psal: CIII, 3.9.12.13. quâ *condonat* suis *omnes iniquitates* eorum, *nec in æternum litigat, neque in sæculum iram asservat*, sed *quam longè abest oriens ab occidente*, tam *longè amovet ab* ipsis illorum *defectiones*, ipsorum misertus *ut miseretur Pater filiorum* suorum; & Psal: CXXX, 7.8. *Expectationem habeat Israel in Iehova, quia apud Iehovam est benignitas & plurimum apud eum redemptionis; & ipse redimet Israelem ab omnibus iniquitatibus?* Annon nitebatur promissione illâ Mosaicâ, quod dicebat Esaias cap. 1,18. *Si fuerint peccata vestra velut dibapha, tanquam nix exalbescent; si rubra fuerint velut coccineum, similia lanæ erunt?* Nec non & istud Micæ VII, 18.19.20. *Quis est Deus fortis par tibi? condonans iniquitatem & præteriens defectionem reliquiis possessionis suæ; non retinens in æternum iram suam, eo quod delectetur benignitate? Conversus miserebitur nostri, subiget iniquitates nostras, imò projecturus es in profundissimum maris omnia peccata istorum, præstabis fidem datam Iacobo, benignitatem datam Abrahamo, quam juraveras majoribus nostris à diebus priscis?* Hæc sanè verba Micæ de plenaria remissione peccatorum & absoluta impunitate agunt: nec tamen dubium quin eodem colliment quo Moses in loco nunc controverso; siquidem Mica ut Moses, hanc impunitatem & remissionem tam luculentis verbis descriptam, arcessit pro Israelitis à fœdere inito cum Abrahamo Jacobo & majoribus eorum; quod frustrâ foret, nisi illo fœdere resipiscentibus & conversis promitteretur plena scelerum suorum remissio: quam & Salomon, vi ejusdem fœderis, stipulabatur à Deo in consecratione Templi 1 Reg: VIII, 46.47.48. & seqq. pro omnibus peccantibus in se, cùm nemo sit qui non peccet, & revertentibus ad ipsum ex toto corde suo & ex toto animo suo. Denique dies me deficeret si deberem ire per singula Prophetarum testimonia, quibus conversis & resipiscentibus peccatoribus, remissio peccatorum divinitùs promittitur, quam plenariam non esse, aut alterius ordinis ab ea quam David & Abraham fide justificati, consequuti sunt, asseri quidem poterit, probari nunquam ab adversariis. Adde quæ extant ejusdem commatis apud Mosem Deut: XXX, 1.2.3.4.5.6. Aliud effugium Volkelij, æquè est ineptum, *non singulis ex populo, sed populo universo, si post multiplices pœnas tandem ad Deum sese convertat, illam scelerum condonationem & in pristinum statum restitutionem* promitti. Quod enim omnibus dicitur ad singulos pertinere ex regula *de omni & nullo* notius est quam ut probatione egeat; & sensus communis dictat quemlibet ex populo in sua calamitate particulari, debuisse sibi polliceri hoc respectu, quod in communi calamitate toti populo resipiscenti promittebatur; prout ad impetrandam eam remissionem peccatorum, non solum communia sacrificia pro toto populo, sed etiam specialia pro singulis ex illo, divinitùs instituta fuerunt.

Quod ad Ezechielis testimonium attinet, primò id responsum volumus, quod de verbis Habacuc paulò antè diximus. deinde nec is de immunitate à pœnis æternis, nisi fortè sensu mystico, & ad novi potiùs, quàm ad antiqui fœderis tempora spectante, loquitur: sed de liberatione à morte violenta, vel à

vel à summis calamitatibus, quæ mortis essent instar, ut orationis totius scopus satis ostendit. At nunc ejusmodi peccatorum remissio in nova pactione est proposita, quæ cum omnibus generatim, tum singulis in Christum credentibus ac vitam emendantibus, perpetuò, ab omnibus peccatorum pœnis, atque imprimis ab æterno supplicio, præstet immunitatem. Quale quid in prisco illo fœdere constitutum, populoque apertè traditum minimè fuisse, promptissimum est.

t *Quod ad Ezechielis*] Inter Prophetarum testimonia quibus resipiscentibus promittitur remissio peccatorum, hoc Ezech: XXXIII, 11. est expressissimum, quo Deus testatur se non delectari *morte improbi*, sed potius ut *revertatur à via sua & vivat*: hac etiã adhortatione subjunctâ; *Revertimini, revertimini à viis vestris pessimis; cur enim moreremini domus Israelis?*

Primò id responsum] Atqui hoc responsũ omne suo loco profligavimus. Illic potissimum volebat Volkelius agi de futuro; Hîc vero agitur in præsenti, & ipsos peccatores hac impunitatis spe Ezechiel ad resipiscentiam & conversionem invitat.

Deinde nec is de] Siccine? Annon disertè hîc immunitas promittitur à morte, ut est pœna peccato jure Dei debita & infligenda; juxta illud ejusdem Ezech: XVIII, 20. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*, & hoc Paulinum Rom: 1, 32. id esse *jus Dei, eos qui talia faciunt esse dignos morte*? Imò pugnat hæc altera responsio Volkelij cum priori. Nam si idem sit sensus Ezechielis qui Habacuki *paulò ante* ex ipsius mente, hic verò agebat de eo quod *in novo demum fœdere* erat complendum, sub quo immunitas *à pœnis æternis* erat obventura, utique etiam Ezechiel *de immunitate à pœnis æternis* omninò loquitur. Quod nequidem ipse hæreticus audet in totum diffiteri, dum & de illa Prophetam intelligi posse *fortè sensu mystico* concedit. Sed nec *fortè* hoc erat statuendum quod absolutè certum est; nec *sensu mystico* duntaxat id intelligendum, quò nos sensus ipse literalis rectà ducit; neque is genuinus sensus potuit *ad novi potius quam ad antiqui fœderis tempora* spectasse, cùm pertineret ad illorum temporum homines qui sub V. T. vivebant, & quos Propheta coram ad resipiscentiam & conversionem illius immunitatis promissione seriò adhortatur.

Sed de liberatione à morte] Non agit Propheta de genere duntaxat mortis, sed de ipsa morte quæ stipendium est peccati, & quam necessariò incurrere improbum impœnitentem, apud Socinianos in confesso est: Hanc mortem ipsimet *æternam* esse statuunt, cujus præludia pro impiis sunt graviores & acerbiores calamitates destitutæ consolatione internâ Spiritus Sancti, & quælibet mors temporaria sive violenta sive naturalis fuerit.

At nunc ejusmodi] 1. Falsum est *omnibus generatim*, distinctè à *singulis in Christum credentibus ac vitam emendantibus*, proponi remissionem peccatorum *in nova pactione*; cùm ab ea excludantur impœnitentes & increduli, & solis credentibus & resipiscentibus offeratur. Quod si dicas loqui Volkelium non de omnibus hominibus *generatim*, sed tantum de *credentibus ac vitam emendantibus*, tum debebis fateri pleonasmum inutilem ab ipso adhiberi; nam quod *singulis* credentibus & resipiscentibus proponitur, id proponi *omnibus* illis & viceversâ, est extra dubium. 2. Etiam Moses & Ezechiel omnibus & singulis improbis resipiscentibus & se ad Deum convertentibus, remissionem peccatorum & Dei ipsius favorem & amorem pollicetur; idque saltem implicitè per Christum, in quo solo, heri & hodie, sub V. & N. T. tale benefi-

cium obtinetur. 3. Neque nunc nobis proponitur immunitas absolutè *ab omnibus peccatorum pœnis*, sed tantum ab iis quæ judiciariæ & satisfactoriæ forent, sive ad τιμωρίαν spectarent; Manemus enim adhuc obnoxii pœnis castigatoriis, emendatoriis ac medicinalibus, quæ pertinent ad παιδείαν paternam, νουθεσίαν salutarem & δοκιμασίαν fidei. 4. Etiam remissio per Mosem & Ezechielem ac sparsim in V. T. promissa peccatoribus, se ad Deum seriò convertentibus ac vitam emendantibus, illis *perpetuò, ab omnibus peccatorum pœnis* satisfactoriis & judiciariis, (cùm larga Dei pietas ueniam dimidiare nesciat, ac vel nihil, vel totum largiatur;) adeoque *imprimis ab æterno supplicio*, (quod omnino morte improbi apud Ezechielem debet intelligi, nisi forte velit Volkelius improbis post suam mortem spem adhuc facere vitæ & fœlicitatis æternæ:) *immunitatem* præstabat.

Quale quid in prisco] Imò hoc ipsum & promissum & propositum fuisse peccatoribus resipiscentibus, per Mosem & Prophetas, quamvis non per fœdus legale præcisè sic dictum, sed per illam fœderis gratiæ œconomiam cujus Moses fuerat administrator, & quæ vigebat sub V. T. ex superioribus liquet abundè.

Nisi fortè hoc ex illis Davidis verbis colligi posse volumus; quibus summam Dei misericordiam commendans, asserit, Deum nequaquam pro meritis illos punire, qui ipsum metuunt, fœdusque conservant. (*Psal: 103.10.12.18.*) Atqui præterquam quòd itidem de pœnarum temporalium tantùm ablatione loquitur; animadvertendum etiam est, eum nequaquam hanc Dei clementiam populo illi promissam fœdereque sancitam fuisse affirmare: sed ingentem Dei bonitatem animo ponderantem ostendere, quantum sibi homines cum pietate viventes, de incredibili illius clementia atque misericordia polliceri possint. Id quod absque ulla rei istius, quam Deus populo illi fecerit, promissio-
284. ne fieri potuisse, nemo non videt; præsertim cùm idem David, hujus suæ de divina benignitate persuasionis rationem, non ex divina promissione petat, sed hanc tantùm illius apponat caussam: *Recordatur, quòd pulvis sumus.* (*v. 14.*) quasi dicat, ideò Deus summo jure cum hominibus non agit, quia illorum fragilitatis haud est ignarus.

‡ *Nisi forte hoc ex illis*] Quàm multum huc faciat Psalmus CIII. per totum, suprà dixi: Commata 10.11.12.17.18. ad quæ vult Volkelius excipere, sunt expressa in eandem sententiam: *Non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras refert nobis; sed quam alti sunt cœli super terram, prævalet benignitas ejus erga timentes eum. Quam longè abest oriens ab occidente, longè amovet à nobis defectiones nostras.* (in quo potest fieri allusio ad hircum Hazazel, qui procul à Sanctuario Solem occidentem respiciente, asportabat in festo propitiationis peccata populi orientem versus;) *Benignitas Iehovæ inde à sæculo usque in sæculum est erga timentes ipsum, & justitia ejus erga nepotes; erga observantes fœdus ipsius, & erga memores mandatorum ejus ad faciendum ea.* Hæc radio Solis descripta, facilè dispellunt offucias Socinianas.

Quod itidem de pœnarum] Quin agit ex professo David de omni pœnarum ablatione & gratuita omnium peccatorum condonatione, qualis est Patris filiorum suorum miserentis Psal: CIII, 13. & in qua ipsemet

ipsemet suam & omnium piorum beatitudinem collocat Psal: XXXII, 1.2. Ut cur hoc restringat Volkelius ad solam *pœnarum temporalium* ablationem, non alia ipsi ratio constet, quam quod ita vult.

Nequaquam hanc Dei clementiam] At cùm David hanc Dei summam *clementiam* celebret erga eos qui observant *fœdus ipsius* & sunt *memores mandatorum ejus*, satis affirmat eam *populo illi promissam fœdereque sancitam fuisse*. Nec etiam frustra dixerat ante com. 7.& 8. *Notas fecit vias suas Mosi, posteris Israelis actiones suas; Misericors & gratiosus Iehova*, &c. Hinc enim liquet quod jam ante per Mosem administrum fœderis Israelitici, Deus eam propalaverat Misericordiam, ex qua illa fluit gratuita remissio peccatorum. Quid quod hæc secunda exceptio pugnat cum præcedenti, ut alterutra sit deserenda? Si enim David agit duntaxat de *pœnarũ temporalium ablatione*, affirmandum omninò *est hanc Dei clementiam populo illi promissam, fœdereque sancitam fuisse*; cùm juxta ipsos Socinianos, isto fœdere promissa fuisset & temporalis fœlicitas & ablatio pœnarum temporalium: Si verò hæc clementia ultra Dei promissiones & fœdus extendatur, ad pœnas solas temporales restringi non potest.

Quantum sibi homines] Hoc est longè absurdius: Nam ut quidpiam homines de *incredibili Dei clementia atque misericordia*, in rebus præsertim ad salutem spectantibus, ausint sibi *polliceri*, quod ipse Deus in suo Verbo pollicitus non fuerit, tam absurdum est, quam falsum posse concipi in hominibus ullam fidem aut fiduciam salutarem, quæ non nitatur Dei verbo, contra expressam Pauli sententiam Rom: x, 17. Eadem ratione nemo mortalium erit qui *ingentem Dei bonitatem*, addo & potentiam, *animo ponderans*, non queat sibi polliceri montes aureos, vitæ perpetuitatem, immunitatem ab omni prolapsione & calamitate, imperium universi. Quid quod sub V.T. qui ingentem Dei bonitatem animo uti par erat ponderasset, non pœnarũ duntaxat temporalium, sed æternarum quoque ablationem, & quæcunque justificatis evenire æquum est, nempe salutem & vitam æternam, poterat sibi polliceri, adeoque ex fide justificari & vivere; eò magis quod Deus sæpè promiserat, se illam suam bonitatem & misericordiam ingentem in peccatorum remissione gratuita erga se timentes exerciturum, & ab orbe condito habuerit pietas, habuerint per consequens *homines cum pietate viventes*, promissiones vitæ præsentis & vitæ futuræ 1 Tim: IV, 8.

Id quod absque ulla] Imò nihil posse *homines cum pietate viventes* sibi polliceri cum fiducia de bonitate Dei, nisi quod Deus ipsis promiserit in verbo suo, *nemo non videt*, qui saltem noverit caput fidei omnis nostræ, adeoque omnis nostræ pollicitationis de Dei benignitate erga nos, normam & mensuram esse Dei verbum; extra cujus circulum si fides egrediatur, in imaginationem inanem abibit, nec rupi inædificabit sed arenæ.

Præsertim cum idem David] Sed persuasionem suam Davidem petiisse, ex Dei *fœdere* & viis quas *Mosi* notas fecerat, suprà visum est: Nec verba illa Davidis com.14. *Recordatur quod pulvis sumus*, denotant *persuasionis* suæ *rationem*, sed causam προκαταρκτικὴν ipsius Dei, ob quam *summo jure cum hominibus non agit*, sed illis offert & pollicetur suorum peccatorum gratuitam remissionem in sanguine fœderis, *quia illorum fragilitatis haud est ignarus*; quam etiam causam restituendi sui fœderis cum hominibus ipse Deus profert Gen: VIII, 21. imò instituendi speciatim cum Israele Ezech: XVI, 3.4.5.6. Et quid absurdius quam causam, Deum moventem ad miserandum nostri, scilicet nostram fragilitatem & miseriam, ponere in fundamentum persuasionis quam pii concipiunt de Divina benignitate erga se per remissionem peccatorum & vitæ æternæ collationem proculdubio exercenda?

cenda? Annon modò ipse Volkelius hanc persuasionem Davidis inde arcessebat *quod ingentem* Dei *bonitatem animo ponderaret*, non verò quod suam fragilitatem nosset & expenderet?

Ut igitur rem totam in pauca contrahamus; facilè concedimus, non minùs olim, quàm hodie, justificationem in fide constitutam fuisse, sine qua impossibile est Deo placere, ut testis est autor Epistolæ ad Heb. (*Heb:11.6.*) Hæc autem differentia inter illa hæcque nostra tempora semper retinenda est, quòd tunc ita homines fide consequebantur, ut publicè hoc ipsum minimè proponeretur, fœdere-vé comprehenderetur: hodie verò is justificandi modus palàm inque ore omnium prolatus, nova pactione inclusus est.

‡ *Ut igitur rem totam*] At si hoc concedis, ut concedi omninò oportet, vel ex illo loco quem citas Heb: XI, 6. duo quoque concedere debes: Primum, quod *non minus olim quam hodie* piorum fides ad Christum respexerit, agnum illum mactatum ab origine mundi Apoc: XIII, 8. Siquidem certum est neminem ad vitam æternam adductum & suscitatum iri, nisi per Christum, viam, veritatem & vitam, in quo solo vivificabuntur, quotquot vivificabuntur in die ultimo 1 Cor: XV, 22. Neminem itidem aut glorificatum iri in Christo, qui justificatus fide non fuerit, nam *quos justificavit eos etiam glorificavit* & non alios Rom: VIII, 30. aut justificari ex alia fide quam ea quæ nititur Christi redemptione, sanguine & merito: Nam justificari fide est *justitiam Dei* consequi; Hæc autem in solo Christo reperiri suprà visum est ex Phil: III, 9. & 2. Cor: V, 21. Alterum, quod non magis *tunc* quam hodie homines potuerint *fide* consequi justificationem & remissionem peccatorum, nisi *publicè hoc ipsum*, illis propositum Dei verbo, *fœdereque* comprehensum fuisset; cùm fides justificans & salvifica expressâ Dei promissione & revelatione nitatur. Et sanè multo debuerit fuisse perfectior excellentiorque nostrâ fides ac conditio veterum, si eò potuerint conscendere solo ratiocinij sui beneficio, absque Dei Verbo & promissione omni, quò sumus tot inculcatis promissionibus expressâque pactione, nec tamen adhuc sine carnis reluctantia, hodie deducendi. Id non credet unquam cum Volkelio, qui crediderit Paulo dicenti quæ ea quod nobis in Euangelio annunciantur, *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentē hominis venerunt*, cum *animalis homo non sit capax eorum quæ sunt Spiritus Dei* 1 Cor: II, 9. 14. Si enim absque Dei promissione & fœdere, potuerunt Veteres assequi remissionem peccatorum gratuitam & justificationem ex ea fide *sine qua impossibile est placere Deo*, eumque *justificandi modum*, qui *hodie palam inque ore omnium prolatus nova pactione jnclusus est*, sanè ea debuit oculus vidisse, auris audivisse, cor hominis animalis cogitasse, quæ Euangelio continentur & proponuntur: Quanto satius foret dicere, quod etiam tunc *is justificandi modus* innotuerit ex Dei pactione & Verbo, licet non eâ claritate & amplitudine, quâ hodie propalatur? Siquidem Paulus ipse Rom: X, 10. 11. ad eam fidem qua *corde creditur ad justitiam*, id refert dictum universale Scripturæ Es: XXVIII, 16. *Quisquis credit in eum non pudefiet*; & ibid. com. 6. de *verbo fidei quod prædicamus*, adeoque & de ea quæ *ex fide est justitia*, interpretatur hanc clausulam fœderis apud Mosem Deut: XXX, 11. 12. 13. 14. *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? aut quis descendet in abyssum? Prope te verbum est, in ore tuo & in corde tuo*; quibus verbis Moses expressit

pressit evidentiam fundamenti ex quo processura erat peccatorum resipiscentia & conversio. Uno verbo, cùm ne quidem ipsa impudentia ausit negare plurima mandata extitisse sub V. T. in Mose & Prophetis, quibus peccatoribus præcipiebatur ut resipiscerent & converterentur ad Deum, tam necesse est huic mandato annexam fuisse promissionem remissionis plenariæ consequenter ad illam pœnitentiam & conversionem obtinendæ, quam plena exactaque conversio & resipiscentia mandabatur.

Hîc verò haud aliena incidit quæstio, nimirum quid fuerit causæ, ut cùm fide jam olim obtineretur justitia, quantumvis non patefacta, nihilominus tamen Legis disciplina populo Israëlitico traderetur? Respondet Paulus, (*Rom*: 5.20. *Gal*: 3.19.) Legem propter transgressiones subingressam appositamvé, non ut justitiam Israelitis tribueret, sed partim ut eos à sceleribus ac flagitiis pœnæ metu revocaret; partim verò ut peccatorum vim, quam ad homines damnandos, & pœnâ obstringendos haberet, augeret, hominibusque quàm procul à recto vitæ cursu abessent, & porrò in quanto periculo versarentur, luculentissimè ostenderet: hocque pacto eos ad incredibilem Dei benignitatem, quam in condonandis peccatis sub novo potissimùm fœdere declarat, agnoscendam atque admirandam impelleret.

† *Quantumvis non patefacta*] Non omnino incognita erat, sed dilucidior ejus patefactio ad plenitudinem temporum reservabatur.

Respondet Paulus] Illud ipsum quod dicit Apostolus Rom: v, 20. Gal: III, 19. *legem propter transgressiones subingressam appositam-ve* ἄχρι οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, satis ostendit jam tum ante legislationem Mosis, fœdus gratiæ de remissione peccatorum in semine benedicto obtinenda, sancitum fuisse, ac prout loquitur Paulus Gal: III, 17. ipsam διαθήκην προκεκυρωμένην εἰς χριστὸν totis 430. annis ante Mosem; adeoque legislationem non factam ut homines ex legis operibus justificarentur, sed eam subservisse multipliciter fœderi gratiæ jam sancito, ad homines terrendos, deprimendos, & magis deducendos in suæ miseriæ & peccati cognitionem, quo pluris facerent eam *incredibilem Dei benignitatem, quam in condonandis peccatis*, unà proponebat, licet obscuriùs, per sanguinem fœderis, typicè tunc effusum in victimis fœderalibus, quarum cruore populus fuit aspersus Exod: XXIV, 8. Heb: IX, 19. 20. sed revera effundendum in plenitudine temporum; ad illam peccatorum remissionem nobis conficiendam & promerendam.

Non diffitemur tamen, Legem hoc consilio à Deo latam fuisse, ut si quis ex illius præscriptione animi sui morumque statum penitùs componeret, is viveret, vitam nimirum, si ad reconditum Dei consilium respicias, sempiternam. Verùm cùm hoc ob causas alibi jam à nobis explicatas, (*lib.* 2. *cap. ult.*) vix ac ne vix quidem fieri posse videretur; Deus pro summa sua sapientia eandem legem in alium finem, nempe paulò superiùs à nobis memoratum, direxit, contentus interea fiduciâ illâ, quâ homines pro eo ac poterant, Legi parebant,

eique justitiæ præmium tribuens. Intelligendum quippe est, duplicem Legis, ut & Christi præceptorum, conservationem esse, quarum altera perpetua perfectissimaque est, quam nomine operum Legis Paulus complectitur; altera verò nec perpetua, nec absolutissima est, quam nimirum homines pro virili parte exequebantur, & in qua Deus pro sua benignitate solebat acquiescere.

‡ *Non diffitemur tamen*] Imò si Lex subintroducta est iis de causis, quas modò non malè enumeravit Volkelius ex Apostolo, quò sic esset *pædagogus ad Christum* Gal: III, 24. nemo dixerit *hoc consilio à Deo latam fuisse ut si quis ex illius præscriptione animi sui morumque statum penitùs componeret, is viveret, vitam nimirum, si ad reconditum Dei consilium respicias, sempiternam*: Id enim consilii nemo sanæ mentis tribuet Deo Sapientissimo, quod nec successurum unquam, nec posse omninò succedere, ipsi perspectissimum erat: Nec enim simpliciter difficile fuisse hominibus post peccatum, plenam & perfectam Legi obedientiam deferre, ita ut *vix ac ne vix quidem fieri posse videretur*, sed omninò impossibile, suprà ad *lib. 2. cap. ult.* luculenter demonstravimus. Distinguendum hîc potius fuisset inter finem rei in se consideratæ & finem Dei, rem illam aliò dirigentis. Si enim Lex ipsa in se consideretur respectu hominis conditi ad imaginem Dei, & abstractè ab illius peccato, concedi posset illam eò spectare, ut qui juxta illius præscriptum *animi sui morumque statum penitus* composuerit, vitam sempiternam consequatur: Hoc fac & vives: quo sensu etiam dictum est ab Apostolo Rom: II, 13. quod non qui Legem audiunt *sed qui legem præstant justificabuntur.* Sed cum hunc suum finem Lex assequi non posset in homine jam peccatore, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς Rom: VIII, 3. Deus alium omninò finem sibi proposuit in ea renovanda per Mosem, qualem jam ante Volkelius exposuit, atque sic pro sua Sapientia infinita, fecit subservire Legem, cum non ampliùs posset justificare, fœderi gratiæ, in quo fidei justificatio proponitur & promittitur per Christum.

Vitam nimirum, si ad] Atqui hæc vitæ sempiternæ promissio Legi addita, quam tamen aliquoties antea vidimus à Volkelio negatam, non erat repetenda ex recondito Dei consilio, hominibus ignoto & inaccesso Deut: XXIX, 29. sed ex revelata fœderis ipsius sanctione, quæ perspicuè extat Levit: XVIII, 5. Deut: XXX, 19.20. Matt: XIX, 16.17. Gal: III, 12.

Contentus interea fiduciâ] Quænam sit hæc *fiducia, quâ homines pro eo ac poterant legi parebant*, explicasset distinctè Volkelius, nisi latebras quæsivisset. Nam si quæ hîc fiducia potest habere locum, ea est qua pii freti Dei clementiâ & misericordiâ in condonandis suorum peccatis per sanguinem fœderis, studebant parere Legi, non ut suis operibus justificarentur, sed ut animum gratum & obsequentem Deo exhiberent; adeo ut illa sua opera, suam justificationem nec præcederent nec efficerent, sed duntaxat consequerentur & connotarent. Ut huic fiduciæ apprehendenti remissionem peccatorum gratuitam per Dei benignitatem & misericordiam sanguine fœderis sancitā, *justitiæ præmium* Deus tribuisse dicatur, haud gravatim admittimus, cum reverâ idem sit ac statuere fidei justificationem quam Paulus passim inculcat. At ferre non possumus, ut illa vel fiducia generica & innominata Volkelii, vel quæ ex illa procedebat executio & obedientia legis, *quâ homines pro eo ac poterant legi parebant*, assignetur in materiam justitiæ coram Deo: quia sic debuissent pii ex suis operibus justificari, cùm tamen vel eo ipso id nequiverit fieri, quod hæc eorum opera, manca,

manca, mutila, imperfecta fuisse in comperto sit.

Intelligendum quippe est] Primò oppositio inter *Legis & Christi præcepta*, in iis quæ mores spectant, est absurda; cùm in eo genere Christus Legi steterit, nec eam vel mutarit, vel auxerit. Deinde suo loco visum quid *nomine operum legis Paulus complectatur*; non exclusurus utique opera Legis à justificationis negotio, ubi foret Legis *perpetua perfectissimaque* conservatio; Sed è contrario iis negans nos justificari, quod illa *perpetua perfectissimaque* Legis observatio, apud neminem queat reperiri. Unde tertiò liquet falsum esse, quod insinuat Volkelius, Legis observatione *nec perpetuâ nec absolutissimâ*, sed eâ *quam homines pro virili parte exequebantur*, pios olim justificatos fuisse, & Deum in illa, *pro sua benignitate*, acquievisse. Nam 1. alienum est à Dei justitia, ut eam pro justitia reputet, quæ talis non est. 2. Inde sequeretur homines potuisse imperfectâ operum suorum justitiâ justificari, quod negat Scriptura; cùm illa eorum imperfectio obstet nostræ justificationi per illa. 3. Inde quoque colligeretur faciliùs potuisse olim homines justificari quam nunc; siquidem Deus in observatione Legis imperfecta & mutila, *pro sua benignitate solebat acquiescere*, cùm nunc majorem & perfectiorem multo sanctimoniam à nobis exigat quam olim ab illis sub V. T.

CAP. IV.

De Pœnitentia.

Respondente ad hoc & tria seq. capp. HENRICO DUISINGH, è Saxonibus Bremensi.

AGendum nunc est, ut ordo à nobis institutus postulat, de Pœnitentia.
Verùm cùm hæc absque præteritorum scelerum, ad quæ propriè respicit, 185.
qualicunque explicatione intelligi haudquaquam posse videatur; operæ pre-
tium est, pauca de illis præmittere, nihil dum de illis peccatis explicando,
quæ in Christi religionem committuntur, quamvis eodem alioqui genere
comprehensis.

‡ *Quæ propriè respicit*] Ita præterita jam commissa *respicit*, ut etiam attendat ad futurum, & serium studium ac propositum habeat conjunctum nihil tale amplius committendi.

Quæ in Christi religionem] Quo jure hæc distinguantur ab aliis, suo loco videbitur.

Est autem peccatum, quod Græcè ἁμαρτία dicitur, nihil aliud, quàm, si vim nominis spectes, quædam à scopo divinitùs nobis præfixo aberratio: propriè autem loquendo, divinæ legis transgressio. Lege quippe suâ Deus nobis hunc vitæ nostræ scopum ac terminum constituit, ut honestum rectumque sequamur, fugiamus contraria. Ut autem Deus hoc duplici ratione fecit, vel naturaliter honesti turpisque notitiam mentibus hominum inserendo: vel scriptis expressisque præceptionibus, quid fieri à nobis, vel non fieri velit, declarando: ita duplici sese olim homines flagitiorum genere obstringebant. Vel enim violabant honesti ac turpis discrimen naturaliter nobis insitum: vel ex-

pressam

pressam Dei legem transgrediebantur. Ac illud quidem Paulus ab Ethnicis divinæ legis ignaris factitatum, eosque à conscientia sua accusatos fuisse asserit. (*Rom:2.15.*) In hoc numero & Ephesianos & Colossenses aliosque his similes fuisse, ex ejusdem Pauli Epistolis ad eos scriptis perspicitur. (*Ephes: 2.1,2. Col:1.21.2.11,12.*

‡ *Ut autem Deus hoc*] Lex naturalis & scripta moralis, (legum positivarum alia est ratio) differunt duntaxat modo quo innotescunt, cum reipsâ conveniant, teste Paulo Rom:II,14.15.

Vel naturaliter honesti] Hæ communes notiones sunt reliquiæ imaginis Dei in homine, quas Deus voluit superesse post peccatum, partim ad inexcusabilitatem peccatorum coram se, partim ad conservationem societatis humanæ, quæ aliàs in merum latrocinium abiisset.

Quanquam enim dubium [illegible]n est, quin istorum majores aliquâ divinitatis notitiâ imbuti fuerint, cùm Deum primos illos homines ad colloquia sua admisisse, illisque crebrò apparuisse constet, à quibus Dei, ejusque voluntatis notitia quædam ad posteros dimanavit: evenit tamen, ut hæc rerum divinarum cognitio à posteris neglecta, & tandem progressu temporis planè extincta fuerit, manente interim in eorum mentibus turpis honestique discrimine, quod cùm violaverint, antequam Christi lumine collustrarentur, peccati mancipia fuisse meritò dicuntur. (*Rom: 6.17, 19, 20.*) Jam quod ad illum peccandi modum attinet, quo expressa Dei mandata violantur; animadvertendum, vel in Mosis, vel in Christi disciplinam hoc pacto potissimùm peccari: & quia hæc posterior delinquendi ratio suo loco explicanda nobis est, hìc priorem tantùm, quæ ad rem, quam modò agimus, propriè spectat, ponderabimus.

‡ *Quanquam enim dubium*] Ineptè omnem Dei notitiam hìc arcessit Volkelius à traditione majorum; cùm aliqualem superesse omnium mentibus impressam, ad quam non docti sed facti sumus, & Paulus testetur Rom: I, 19.21.22. & agnoscat ipse Crellius *cap. 5. libri sui de Deo* quem voluerunt Sociniani primum esse harum Institutionum Volkelianarum, ut ibi visum est. Quare absurdum est quod dicit Volkelius, Dei & rerum divinarum cognitionem *progressu temporis planè extinctam* fuisse, *manente interim* in hominum *mentibus turpis honestique discrimine.* Nam penitùs non esse extinctam in hominibus ullis omnem Numinis notitiam, docent ipsi Conscientiæ motus, de quibus Paulus Rom:II,14.15. & ipsum *turpis honestique* discrimen aliquod, in cujus retentione metuitur ἐνδικον ὄμμα.

Quod cum violaverit] Paulus Rom:VI, 16.19.20. non loquitur de solis Ethnicis, sed etiam de Judæis, prout & dixerat Rom:III,9. se ante criminatum fuisse, sive demonstrasse, *& Judæos & Græcos omnes esse sub peccato.*

Vel in Mosis vel in Christi] De hac distributione, quæ nobis improbatur, suo loco postea erit agendum.

Dicimus igitur, huc referenda esse omnia peccata, quorum Israëliticam nationem convinci, eamque ob rem maledictioni, Paulus ait; (*Rom: 3. 19. conf. v. 9. &*

v.9.& d. & c.2.21, & d. Gal:3.10,11.) nisi singularis Dei benignitas atque cle- 186.
mentia huic malo subveniat. Quæ quidem Dei beneficentia hoc tempore, omnibus, tam Ethnicis, quàm Judæis, qui Christum fide complectuntur, meliorisque vitæ rationem ineunt, liberalissimè offertur. (*Act:26.18,20.*) Vitæ porrò correctionem, quæ & Pœnitentiæ nomine à divinis autoribus appellatur, omnibus annunciatam & mandatam fuisse manifestum est. Hæc autem à Græcis μετάνοια, id est, mentis mutatio dicitur; ut facilè appareat, cum ex mente humana omnes actiones profluant, pœnitentiam totius vitæ conversione quadam generali contineri, quâ fit, ut homo, si ad ipsius mores actionesque habeatur respectus, alius atque antea fuit, meritò censeatur. Hinc colligitur, ad veram pœnitentiam constituendam nequaquam satis esse, lachrymis tristitiæque sese debere, peccatorum confessionem edere, eorum denique condonationem sperare, ut multi existimant, nisi universum vitæ statum ita commutes, ut omni impuritate propulsatâ, totum te ad justitiæ cultum accommodes. Omnem porrò vitæ cursum in alium convertendum ei esse, qui jure sibi veram pœnitentiam assignare velit, plurimis sanctarum literarum testimoniis comprobari potest. Ex quibus ut ea, quæ omnium sunt luculentissima, hoc capite excutiamus, animadvertendum est, duo illorum esse genera. quædam enim uno, ut vocant, termino, quædam pluribus rem istam explicant. Uno termino illa pœnitentiam declarant, in quibus regeneratio, renovatio animi, suiipsius abnegatio, evigilatio è somno, purgatio suiipsius, crucifixio carnis & cupiditatum appellatur. Quæ omnia pœnitentiæ elogia sigillatim suis ponderibus examinare operæ pretium est. Primò igitur regenerari quasi iterum gigni designat, (*Ioh:3.3. Tit:3.5. 1 Pet:1,3,23.*) hocque loco ad vitæ mores actionesque referendum est, ut nimirum, quemadmodum qui propriè vereque gignitur, à non esse ad esse mutatur: ita hìc ille regigni dicatur, qui, quod ad vitæ rationem attinet, is evadit, qui non fuit antea, nimirum justitiæ sanctimoniæque studio deditus, cum aliquando peccato dederit operam. Hoc autem verbi divini semente perfici, tum Jacobus, tum Petrus testificantur. (*Iacob:1.18. 1 Pet:1.23.*) Ea enim Euangelicæ disciplinæ vis est, ut promissorum amplitudine vitia ex hominum animis extrahat radicitùs, eosque totos ad pietatis studium traducat. Quod idem & de renovatione mentis judicandum est, utpote quæ eam animi mutationem declarat, quâ fit, ut hujus mundi illecebris nefariisque cupiditatibus valere jussis, mentem totam ad Dei studium applices. (*Rom:12.2. Ioh:4.23. Tit:3,5.*) Huc spectat & evigilatio è somno (*Rom:13.11.*) Apostolus enim priorem vitæ nostræ statum nobis ante oculos constituere, ad eumque deponendum nos perducere instituens, hac dicendi figurâ innuit, nos antea arctissimo quasi ignorantiæ scelerumque somno 187
oppressos fuisse; ideoque ut tandem expergiscamur, i. e. excusso illo veterno,

 aliam

aliam eamque meliorem vitæ rationem instituamus, admonet: quod alibi quoque facit: (*Ephes:5,14.*) *Expergiscere*, inquit, *qui dormis*; quasi dicat, tu, quem gravissimus ignorantiæ ac scelerum somnus complexus est, & ideò in sempiternæ mortis periculum conjecit, quin te colligis, & veterno isto objecto, te ipsum ex præsentissimo malo eripis? Eodem modo & nos ipsos purgare jubemur. *Emundate*, inquit Jacobus, (*Iacob:4.2.*) *manus, peccatores, & purificate corda, duplicis animi homines.* Cum enim animus nondum ab impuritatis contagione abstractus, flagitiorum quoddam quasi domicilium sit, & manibus plurima sæpè scelera suscipiantur; meritò tum ad animum, tum ad manus expurgandas incitamur. Johannes autem (*1 Ioh:3.3.*) illum, qui Deo se similem fore sperat, seipsum purum efficere ait, quemadmodum ipse Deus purus est; non quòd homines ad tantam puritatis integritatem pervenire possint, ut Deo ea in re pares sint: sed quòd ipsius implorato auxilio, pietatisque studio ardenti atque incitato, ad eum sanctitatis gradum ascendere queant, ut Deo similes evadant. Qua quidem in re totius pœnitentiæ summa contineri videtur. Jam quod ad carnis libidinumque crucifixionem attinet, (*Gal:5.25.*) intelligendum est, eam in cupiditate refrænanda, & appetitu, qui voluntatem hominis ad se rapere solet, vi potentiâque suâ spoliando, & haud aliter interimendo sitam esse, ac Domino Jesu per crucis mortem omnis operandi vis, vitaque ipsa erepta fuerat.

Sequitur ut, quo pacto duobus orationis terminis hæc pœnitentiæ disciplina nobis tradatur, videamus. Animadvertendum igitur est, priorem terminum scelerum abjectionem; alterum verò justitiæ exercitationem continere. Hoc autem rursus duobus modis perficitur. vel enim in uno eodemque loco uterque terminus habetur; vel in diversis locis jam prior, jam verò posterior exprimitur. Ac ut prioris modi exempla afferamus, primò hîc à nobis postulatur, ut expurgato vetere fermento, nova simus conspersio. (*1Cor:5.7.*) Quæ verba licèt ad eos, qui in aliquo peccati genere manifestè hærent, Ecclesiâ exterminandos primò spectent: non dubium tamen est, quin eâdem operâ ad omnia vitia penitùs extirpanda, novamq; vitę rationem ineundam incitemur. Huic simile etiam illud est, quòd vetere homine exuto, novum induere jubemur. (*Eph:4.22. Col:3.9.10.*) His enim in locis nihil aliud docetur, quàm nostri officii esse, habitum animi pristinum adjicere, ac porrò etiam vitam anteactam, veterumque morum nostrorum perversitatem deponere, & cursum vitæ laudabiliorem capere.

† *His enim in locis*] Nolumus omnia quę hic habentur cum sensum non incommodum admittant & *pœnitentiæ* nomen aliàs strictiùs aliàs latiùs queat usurpari, ad vivum resecare. Hic tamē obiter monemus, quod in his locis Eph:IV,22. Col:III,9.10. veteris hominis exuendi nomine intelligatur habitus animi pristinus, qui ex veteri Adamo per generationem in singulis propagatur; & per hominem novum, renovatio ad

tio ad imaginem Dei in justitia & sanctitate, quę in mentibus nostris excitatur gratiâ & beneficio secundi Adami per regenerationem.

Huc & illa divinissimi autoris admonitio pertinet, quâ incitamur, (*Heb:12.1.*) ut 188.
omne pondus, & libenter circumstans nos peccatum deponamus, perq; patientiam decurramus propositum nobis certamen, id est, ut omnibus flagitiis, quæ pietatis nostræ cursum impediunt, prorsus deletis atque exterminatis, constanter in illius sanctimoniæ studio versemur ac progrediamur, quæ à Christo nobis præscripta est. His illa Pauli verba adjungenda sunt, quibus monemur, (*Tit: 1. 12.*) *ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, sobriè, justè, ac piè vivamus in præsenti seculo*, h. e. omnibus flagitiis ac sceleribus, omnibusque cupiditatibus, quibus non corporis necessitati consulitur, sed libidini atque luxuriæ servitur, extirpatis, temperantiam, quæ non solùm in rebus prohibitis, sed licitis etiam, cùm alienum id exigit commodum, conservanda est; & justitiam, quæ suum cuique tribuit; & pietatem, quæ religionis divinæque gloriæ studium continet, unicè colamus. Huc etiam spectat illa Petri admonitio: (*1 Pet:2.1,2.*) *Depositâ omni malitiâ, & simulatione, invidiâ, & omnibus detrectationibus, sicut modò geniti infantes, rationale, quod sine dolo (est,) lac concupiscite, ut in eo crescatis.* Ubi per lac rationale dolique expers, doctrina Christi intelligitur omni dolo carens, quæ non corporale sed rationale lac est, seu animæ nostræ convenientissimum alimentum, quo ii, qui in Christo recèns nati sunt, enutriri debent, ejusque usu, tum in rerum divinarum cognitione, tum in fide ac pietate crescere, atque augmentum in dies sumere. Huic autem augmento penitùs obstant illa animi vitia ac peccata, quæ deponi Apostolus jubet. Ac malitia quidem primo loco commemorata, omnia externa, quæque sub aspectum cadunt, scelera continet. Dolus verò, qui secundo loco ponitur, omnia fraudum genera complectitur, quæ licet in apertum minimè proferantur, imò variis artibus contegantur, conscientiæ tamen vi, detestanda esse facinora agnoscuntur. Simulatio porrò est, cùm aliud animo tegitur, aliud verbis vultuque exprimitur. Invidia est, cum quis alieno bono haud aliter affligitur angiturque, ac si ipse aliquo fuisset affectus damno. Obtrectatio denique est cùm præter internam invidentiam, etiam verbis aliena fama atque existimatio violatur. In hoc numero & illa Spiritus S. cohortatio habetur, quâ incitamur, (*Rom:6.4,5.*) ut fidei nostræ professionis memores, cogitemus, nos per baptismum peccatis unà cum Christo mortuos sepultosque esse, ut unà cum eo resurgentes, in vitæ novitate gradiamur. Id quod eodem loco Apostolus aliquoties, quantumvis aliis atque aliis verbis repetit, dum veterem hominem crucifigendum seu abolendum, (*ibid. v. 6.*) & corpus peccati, (*v.12.*) 189.
id est, ipsum peccatum destruendum esse asserit, ut nimirum nec ei ampliùs serviamus, nec dominatum id habeat in corpore nostro mortali, nempe ut

illius concupiscentiis morigeros nos præbeamus; seu ne permittamus peccatum in corpore nostro, quantumvis fragili, dominari: sed ut vivamus Deo in Christo Jesu Domino nostro, id est, secundùm Jesu Christi disciplinam vitam nostram instituamus. Item ut à peccato (scilicet per ejus depositionem) liberati, servi fiamus justitiæ & Dei, & ut, quemadmodum membra nostra impuritati atque injustitiæ serva præbuimus, ad perpetrandam injustitiam: ita nunc quoque membra nostra serva præbeamus justitiæ ad sanctimoniam. ‡ In hanc eandem sententiam Petrus: *(1 Pet:4.1.) Christo igitur pro nobis passo carne, vos eadem cogitatione armamini, (quia qui passus est in carne, is peccare desiit) ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est temporis, vivatis.* Quæ quidem verba hanc continent sententiam: Quemadmodum Christus, postquam semel passus est, jam non ampliùs eas patitur afflictiones, quæ homines scelerati subire aliàs solent: ita & nos carne nostra crucifixa, in posterum ab omni peccatorum contagione corpus animumque nostrum abstrahere debemus. Ubi animadvertendum, hæc Apostoli verba, *Desiit peccare*, tum ad Christum, tum ad nos respectum habere. Ad Christum quidem figurato orationis genere referuntur, ita ut eum ab iis malis atque afflictionibus, quæ peccatorum pœna esse solent, liberatum esse significent: ad nos verò propriè veréque pertinet, nosque ampliùs flagitia suscipere nequaquam debere ostendunt.

‡ *In hanc eandem sententiam*] Non satis commodè Volkelius hunc locum 1 Pet:IV,1. explicat. Hoc enim potius sibi videtur velle Apostolus, quod cum Christus in carne sua pro nobis passus sit, hac debeamus armari cogitatione, quod illi commortui & concrucifixi, (nam si unus pro omnibus mortuus est, omnes eo ipso mortui sunt 2 Cor:v, 15.) nobis sit desistendum à peccato; unde Erasmus ita παραφράζει hanc pericopam. *Quisquis Christo commortuus fuerit juxta carnem, sic destitit à peccatis vitæ prioris, ut humanis cupiditatibus planè sit mortuus, ut jam non titilletur aviditate gloriæ, non irritetur vindicandi libidine, sed quicquid est reliquum ætatis quod datur in hoc corpusculo, id totum vivat voluntati Dei, cui uni placere desiderat, à quo expectat bonæ conscientiæ præmium, cui relinquit improborum vindictam.* Et sanè duriusculè statuit Volkelius hæc Apostoli verba, *Desiit peccare*, ad Christum quoque respicere: Nam is demum desinit peccare, qui prius peccator fuerit, quod Servatori tribui non potest. Nisi dicas quod Christus πέπαυται ἁμαρτίας, cùm desiit pro nobis *peccatum* esse ac dici 2 Cor:v, 21. idest hostia pro peccato. Quin non videt Volkelius quam sibi obsit hæc sua explicatio: Si enim Christus ideo desiit peccare, quod *ab iis malis atque afflictionibus quæ peccatorum pœna esse solent* liberatus sit, fateri oportebit ad hanc loquutionem adstruendam perpessiones Christi fuisse pœnam peccatorum; non utique suorum & propriorum quæ nunquam habuit; ergo nostrorum, quæ illi imputata sunt ad pœnam, ut ejus justitia nobis imputaretur ad coronam.

Eadem planè res & illis verbis Pauli nobis præcipitur: *(Rom:13.14.) Abjiciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis: sicut in die honestè ambulemus: non in comes-*

*comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione &
æmulatione: sed induite Dominum nostrum Iesum Christum; & carnis curam ne feceritis
ad cupiditates.* Quo in loco Paulus hominis Christiani habitum cultumque de-
scribens, æquissimum esse docet, ut quoniam per Christi disciplinam cœlesti
luce collustrati sumus, ideoque is habitus, qui tenebris convenit, nobis mi-
nimè congruit, eum abjiciamus, atque à sceleribus, ex divinæ voluntatis
ignoratione profectis, abstineamus, & induamus habitum luci convenientem,
id est, eam sequamur vitæ sanctimoniam, quam Christi disciplina præscribit.
Quam quidem rem illud plenissimè declarat, quod Paulus Ephesianis tribuit,
(*Ephes: 5.8.*) inquiens: *Eratis quondam tenebræ, nunc verò lux in Domino estis. ambula-
te igitur ut filii lucis:* quasi dicat: fuit tempus, cùm propter divinę voluntatis erro-
rum (*puto legendum* ignorantiam) densissimis errorũ ac peccatorum tenebris de-
mersi jacebatis: nunc verò, postquam per Christum divinæ veritatis notitiâ col- 190.
lustati, & ideò lucis filiis facti estis, consequens omnino est, ut ex eadem luce, seu
doctrina Christi, vitę vestrę statum componatis. Eadem quoq; illius Petri Apost-
oli testimonii ratio est, (*1 Pet: 2.25.*) quo Christum peccata nostra super lignum
substulisse asserit, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: id est, ut sceleribus
valere jussis, omne vitæ studium in justitiæ cultu atque exercitio ponamus.

Veniamus jam tandem ad eam explicandæ pœnitentiæ rationem, quâ uterque orationis terminus, seu hominis status, non in una sermonis complexione, sed diversis in locis reperitur. Primus igitur hominis status, priore termino comprehensus, ita explicatur, ut qui in eo versantur, jam mundus nominentur; (*Ioh: 1.10. & 7.7: 14.17: & 15.18, 19. 1 Ioh: 4.5.*) propterea quòd & mundana sapiunt, & mundano more vitam instituunt: Jam dicuntur carnales, aut esse in carne, aut secundùm carnem vivere, (*Rom: 7.14. 1 Cor: 3.1, 2, 3.*) quia nimirum carnalibus cupiditatibus sese constringendos dederunt, carnisque ductum atq; impulsum in vita se juuntur: Jam verò servi mancipiaq; peccati, subq; eo venundati dicuntur; (*Ioh: 8 34. Rom: 7.14.*) quia ut servi sui juris non sunt, sed tota illorum vita in alterius manu posita est: ita & hi peccati dominatu, suâ tamen culpâ, oppressi adeò sunt, ut illa, quæ recta ipsi esse judicant, peragere quodammodo non possint, sceleris consuetudine eos subinde in transversum rapiente: Jam etiam Dei inimici vocantur, (*Rom: 5.10. Col: 1.21.*) quòd mente sint à Deo abalienatâ, dum factis impiis cum Deo bellum gerunt: Jam præterea homines mali appellantur, tunc videlicet, cùm seculi mali, (*Gal: 1.4.*) & nationis pravæ (*Phil: 2.15.*) mentio fit: item injusti, (*1 Cor: 6.9*) impii, (*Rom: 5.6.*) & omni peccatotum genere repleti. (*Rom: 1.29.*) Atque ut alia nonnulla mittam, malæ seu putres arbores nominantur: (*Matth: 7.17. & d. 12. 13.*) ut enim arbor mala bonum fructum ferre non potest: ita isti, ut testis est Paulus, (*Tit: 1.16.*) ad nullum opus bonum apti sunt.

‡ *Peragere quodammodo non*] Imò nullo: ut patet ex 2 Pet:II,19. unde Augustinus: *A quo quis devictus huic & servus addictus est: Petri certè Apostoli est ista sententia: quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando peccare eum delectat? Liberaliter enim servit, qui sui Domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est, unde ad justè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus. Enchir. ad Laur. cap.* 30.

Quod mente sint] Imò θεοστυγεῖς dicuntur Rom: I, 30. & aliis locis Volkelio citatis, videlicet Rom:V,10. Col:I,21. non tantum quod Deum oderint, sed quod sint etiam exosi Deo, qui *purior est oculis quam ut aspiciat malum* Hab: I, 13.

Sed jam ad posteriorem hominis Christiani statum pergendum nobis est; qui quidem multis explicatur titulis atque elogiis, fidelium nationi attributis, quorum omnium hæc ratio, ut quoties iis generatim omnibus, qui Christianam religionem sunt amplexi, à sacris autoribus simpliciter assignantur, nonnisi rerum, quas continent, professionem, seu mavis eas præstandi facultatem atque officium designent; quoties verò ut illis vitâ factisque respondeamus admonemur, veram illorum possessionem declarent.

‡ *Seu mavis eas præstandi*] Neque verum est *facultatem* præstandi officij *generatim* omnibus iis competere *qui Christianam religionem sunt amplexi*, cùm pendeat ex speciali & indebita Dei gratia, quæ nec gratia nec privilegium foret, si generatim omnium esset; Neque hæc duo debent ita conjungi *facultas* & *officium* ut pari passu ambulent: Nam etiam ii quos tanquam arbores putres modò ex Scriptura Matt:VII, 17. XII,33. describebat Volkelius, ad *officium* præstandum obligantur; etsi illius præstandi facultatem, non habeant, ut pote *ad omne bonum rejectanei* seu inepti, judice Paulo Tit:I,16.

Primò igitur servi justitiæ nominantur, (*Rom: 6.17.*) quòd virtutum omnium vinculis ita seipsos obstrinxerunt, ut jam non arbitratu suo agere, sed ex virtutis, tanquam dominæ præscripto, omnem vitæ rationem moderari velint,
191. Deo proximoque, quod illorum est, reddendo, sic ut illius præceptis obtemperent, huic verò non solùm non incommodent, sed quantum in ipsis est, omnibus eum officiis prosequantur. Et hoc est illud justitiam facere, quod à Johanne præcipitur. (*1 Ioh:3.7.*) Appellantur etiam Sancti, talesque sese præstare jubentur; (*Rom: 1. 7: 15.25.31. 1 Cor. 1.2. 6.1,2. Heb:3.1.*) nempe quòd non solùm divinæ veritatis confessione, sed etiam vitæ sanctimoniâ ab omni hominum natione separati esse debent. Sanctitatis enim vocabuli eam vim esse, iis, qui sese in rerum divinarum studio exercent, notum est. Ad hanc autem sanctitatem unicè colendam Petrus Apostolus nos luculentissimè admonet, inquiens: (*1 Pet:1.15,16.*) *Secundùm eum, qui vocavit vos, sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti estote*, id est, huc omnia conferte vitæ consilia, ut Dei sanctitatem imitantes, hoc ipso ab omnibus hominibus prophanis longissimè

ſimè abſitis. Et hoc ſibi vult divinus ille Autor Epiſt: ad Heb: *Sequimini pacem cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine quia nemo videbit Dominum:* (*Heb:12.14.*) ubi ſine dubio hoc à nobis requiritur, ut in Chriſti religione, quæ ſanctitatis magiſtra eſt, ita verſemur, ut eam vitâ ac moribus exprimamus; alioqui Chriſtum aliquando non viſuri. Hoc etiam illud eſt, quod Paulus aſſerit, (*Epheſ: 1. 4.*) *Deum nos in Chriſto ante conditum mundum elegiſſe, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus*, id eſt, ut excelleremus ſingulari quadam probitate, eaque morum puritate, quæ non hominum tantùm opinione, ſed ipſius Dei judicio approbetur; breviter, non ficta ſit ac fucata, ſed vera, ſolida, & quatenus per humanam imbecillitatem fieri poteſt, perfecta. Appellantur inſuper filii Dei, quia, ut teſtis eſt Johannes, ex Deo ſunt nati, (*1 Ioh:3. 1,2.*) id eſt, per Dei verbum, quod Euangelii diſciplina eſt, Deo ſanctitate ſimiles facti. Qua de cauſa idem Johannes, eos nec peccare, nec peccare poſſe ait, (*ibid.v.6.9.*) id eſt, quamvis ab omni prolapſione nequaquam vacent, à conſuetudine tamen peccandi ſeu peccati habitu alieniſſimos, contrà verò virtutis ſtudioſiſſimos eſſe. Generatio enim, quam ex Deo habent, nequaquam eos in ſcelerum luto volutari permittit: id quod Johannes illis verbis innuit, quibus ſemen Dei in illis manere affirmat; quaſi dicat: habet hoc Dei cum hominibus iſtis agnatio, ut quandam in illis divinæ ſanctitatis imprimat effigiem; ideoque fieri nequeat, ut in peccato maneant; utpote cui nihil cum Deo conjunctum communeque ſit. Iidem & bonæ arbores dicuntur, (*Matth:7.17.*) quia nimirum non ſolùm malos fructus minimè ferunt, id eſt, non ab omnibus tantùm ſceleribus longè abſunt, ſed inſuper etiam bonos fructus edunt, id eſt, præclaras actiones ex ſe ſemper promunt.

† *Id eſt per Dei verbum*] Adde & per illius Spiritum, qui eſt regenerationis noſtræ cauſa princeps, teſte Chriſto Joh: III, 5.

A conſuetudine tamen] Malè confunduntur *conſuetudo* peccandi & *habitus* peccati: Nam etſi illa ceſſet & interrumpatur piis & ſanctis operibus regenitorum, qui dominio & tyrannidi peccati ſunt erepti; tamen ſemper reſtat vel in ſanctiſſimis *habitus* ille vitioſus qui nobis à natura congenitus, fons eſt & fomes omnium peccatorum; & ſic debilitatur ac imminuitur per gratiam regenerantem, ut non penitùs exuatur ante mortem: Hujus reſpectu Paulus, utut regenitus, Rom: VII, 14. ſe carnalem & venditum ſub peccato adhuc lamentabatur, & ibid. com. 24. optabat ex *iſto corpore mortis* eripi ac liberari.

Ex ſe ſemper promunt] Neque id verum eſt abſolutè, cum nemo ſit qui non peccet: ſed hoc intelligi debet ſecundum quid, quatenus paulatim fiunt arbores bonæ, & ex nativa ſua corruptione liberantur: Remanet enim in ſanctiſſimis duplex principium *quo* ſuarum actionum nempe Caro & Spiritus: Cùm ex illo agunt eique ſe permittunt, peccant & labuntur; cùm ex iſto, & quamdiu ex illo, *præclaras actiones ex ſe ſemper promunt.*

Adde etiam, quòd novæ creaturæ in Chriſto Jeſu exiſtentes vocantur, (*2 Cor:5.17.*)

192. (2 Cor:5.17.) quia nec ex prisco legis instituto, sed ex Christi præceptionibus Deum colunt; nec ampliùs in sceleribus versantur, sed Christi disciplinâ imputi, novam vitæ rationem ac viam sequuntur. Hanc enim novæ creaturæ rationem esse, ex duorum locorum collatione clarissimè patet, quorum alter in Epistola ad Corinthios scripta, (1 Cor:7.19.) alter in ea, quam ad Galatas Paulus miserat, (Gal:6.15.) reperitur.

‡ *Quia nec ex prisco*] Imò pii appellantur *nova Creaturæ* 2 Cor:v,17. quia Dei sunt *opus*, *conditi in Christo Iesu ad bona opera* Eph:II,10. nec minori efficaciâ Gratiæ suæ nos revocet à statu peccati, in quo jacebamus mortui, quam exeruit primùm in nobis formandis ad sui imaginem. Sed cum hoc vocabulum *creandi*, quo non semel utitur Spiritus Sanctus ad nostræ regenerationis & conversionis opus denotandum, ut Psal:LI,12. Eph:IV, 24. Col:III, 10. jndicet nos merè passivè ad illud habere, nihilque facultatis insitæ ex nobis eò conferre, aliò conatur Volkelius hoc detorquere, novam sive secundam Creaturam, opponendo non primæ, ut omninò factum oportebat, sed *prisco Legis instituto*, quod tamen creationis nomine nunquam venit in Scripturis. Nec dubium quin etiam pii qui vixerunt sub *prisco Legis instituto* novæ creaturę fuerint, & etiã ad legis moralis institutum se componant qui *ex Christi præceptionibus Deum colunt*; siquidem inter has & istud in genere morũ nihil est discriminis.

Hanc enim novæ] Ex duobus istis locis 1 Cor:VII, 19. & Gal:VI, 15. inter se collatis benè colligitur *novam creaturã* in præceptionum Christi observatione sitam esse, quæ semper est in pretio apud Deum, sive quis in præputio vivat, sive in circumcisione, cùm externa hæc per se nihil faciant ad rhombum: Sed tantum abest ut inde sequatur novam creaturam opponi prisco legis instituto, ut etiam ei locus concedatur non minus in circumcisione quam in præputio, quod causæ Volkelianę jugulum petit.

Nuncupantur etiam circumcisio, (Phil:3.3.) id est, circumcisus Dei populus. Per metonymicam quippe dicendi figuram, circumcisionis nomine eos Paulus intelligit, qui circunciduntur, sive hoc carnali accidat ratione, ut olim in Judæis; sive spirituali perficiatur modo, ut hodie in Christianis. Horum enim circumcisionem non manu factam esse, qualis erat illa Judaica, (quod vel solum ejus vilitatem convincit) sed exutione corporis peccatorum carnis contineri, Apostolus luculentissimè testificatur; (Rom:2.ult. Col:2.11.) ut intelligamus, Christianorum circumcisionem ad animum mentemque revocandam esse, indeque fieri, ut non unum corporis membrum, quemadmodum olim fiebat, resecetur, sed totum peccati corpus, omniaque illius membra amputentur. Hanc Apostolus *Christi circumcisionem* eam ob causam nominat, (Col.2.11.) quòd non Moses, sed Christus eam nos docuit, eamque in nobis efficit.

‡ *Hanc Apostolus* Christi] Primò cùm Christus statuitur author Circumcisionis nostræ spiritualis, eo ipso dicitur esse verus & summus Deus, cujus solius est circumcidere corda nostra Deut:XXX,6. idest Spiritus sui novaculâ & acie affectuum

ctuũ nostrorũ vitia omnia resecare. Deinde cum circumcisio mentis sit quoque circumcisio quam Christus *in nobis efficit*, debuit Christus fuisse & operari sub V.T. sub quo viguit inter pios illa cordis circumcisio, quæ singulis mandatur Deut:x, 16. Tertiò *Circumcisio Christi* Col:11,11. non solum denotat operationem internam gratiæ Christi, cujus vi præputium cordis resecatur, sed etiam illius Symbolum externum, nempe Baptisma, quod Circumcisioni Legali Christus succedere voluit: Nam postquam dixisset Paulus com. 11. *In quo circumcisi estis circumcisione quæ fit sine manibus, corpore peccati carnis exuto per circuncisionem Christi*, subjicit com. 12. eam circumcisionem Christi explicaturus, *Et consepulti per Baptismum, per quem etiam cum eo suscitati estis*, &c.

Postremò, ut alia quædam prætereamus, homines Spirituales appellantur, (*Gal: 6.1.*) quia videlicet spirituali disciplinâ collustrati, spiritualem vitam agunt, vel ut agant, illorum est partium. id quod Paulo Apostolo est secundùm spiritum ambulare. (*Rom: 8. 1. Gal: 5. 25.*) Ambulare autem secundum spiritum is rectè discitur, qui aut semper, aut plerumque ita se gerit, ut Euangelica disciplina, quæ spiritus nomine hîc inprimis intelligenda est, præscribit, id est, semper, aut ut plurimùm, carnem sive appetitum vincit, vel, quod quod planè idem est, omnium Christianarum virtutum, quas Paulus fructus spiritus nominat, (*Gal:5.22.*) usum habet.

‡ *Quæ Spiritus nomine*] Euangelica disciplina, nequit hic venire Spiritus nomine, nisi quatenus Euangelium *ministerium Spiritus* appellatur 2 Cor: III, 8. quod in illo & per illud Spiritus Sanctificationis piis conferatur, sitque efficax ad eorum conversionem & regenerationem peragendam.

CAP. V.

De specialiori Christi præceptorum explicatione, & primùm quidem de AMORE *in Deum & proximum.*

Ahuc de generalissimis Christi præceptis explicavimus: sequitur deinceps, ut speciatim de iisdem agamus; idque ita, ut ea in Moralia & Ceremonialia distribuamus. Moralia rursus vel ea sunt, quæ Moses decalogo potissimùm comprehendit, unà cum illis quæ à Christo præceptis illis perficiendis fuerunt addita: vel ea, quæ Christus separatim dedit. Et quidem ad Moralem legem quod attinet, hoc primò animadvertendum est, omnia, quæ decalogo continentur, mandata, sola sabbathi religione excepta, non solùm à Christo abrogata minimè fuisse, sed etiam Christi præcepta jam facta esse. 193.
Cùm enim à rationis principiis, quæ sempiterna immutabiliaque sunt, ortum habeant; semper & ubique, & sic in Christi quoque disciplina valeant necesse est: ut facilè appareat, quam ob causam Christus sese ad legem istam abrogandam venisse negaverit. (*Matt:5.17,18.*)

1 *Moralia rursus vel*] Falsum est Christum ulla præcepta moralia vel adjecisse præceptis Decalogi ad eorum perfectionem, vel *separatim* ab iis dedisse. Nam perfecto nihil additur; Legem autem Moralem integram & perfectam fuisse ab initio, satis testatur David Psal: XIX, 8. Ipse Christus ejusque Apostoli nihil aliud inculcant in genere officiorum præter legis Moralis observationem, Matt: XIX, 17. 18. XXII, 36. 37. 38. 39. 40. 1 Tim: 1, 5. Et deinceps videbimus, nihil istius ordinis à nobis Christum exigere, quod perinde non inculcaretur in V. T. atque ex ipsa Dei Lege non deduceretur. Ideo ipsemet Matt: V, 17. 18. negat se venisse ut Legem dissolvat, eamque ullâ ratione immutet, minuat, augeat, sed tantum ut illam impleat, observet, executioni mandet, ut pote cùm factus esset *Legi subjectus* ut eos qui Legi erant subjecti redimeret Gal: IV, 4. 5.

Solâ Sabbathi religione] Etiam hoc mandatum quoad rem ipsam, ut è septem diebus unus sit Deo sacer & cultui publico consecratus, licet non quoad præcisam determinationem diei septimæ potius quam primæ vel quartæ, est juris moralis & perpetui. Quare non simpliciter abrogata fuit per Christum religio Sabbathi, sed cæremoniali duntaxat ejus sublato Gal: IV, 10. Col: II, 16. fuit illa religio translata authoritate & praxi Apostolorum in memoriam resurrectionis Dominicæ à die septimo in primam septimanæ, ut liquet ex Act: XX, 7. 1 Cor: XVI, 2. Apoc: 1, 10.

Sed etiam Christi præcepta] Imò talia fuerunt semper, cùm per ipsius manum Lex lata fuerit Gal: III, 19.

Cùm enim à rationis] Imò cùm sint quoddam ἀποσκιμάτιον Legis æternæ, & omninò fundentur in rationali natura, vel hoc ipso Christi præcepta debent statui quod ipse Christus sit Patris λόγος æternus, à quo solo manat quicquid ad λογικὴν nostram λατρείαν, de qua Rom: XII, 1. constituendam requiritur.

Jam ad rem ipsam propiùs accedam, constat, moralia præcepta vel ad amorem cultumque Dei, vel ad societatem communitatemque generis humani spectare. Quorum utrumque tum generaliter, tum specialiter à Mose propositum est. Generaliter quidem illis verbis: (*Deut: 6. 5. Levit: 19. 10.*) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: & Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quibus in locis tum illi, quos amore prosequi jubemur, tum ipsius amoris genus perpendendum est. Qui nobis amandi proponuntur, Deus sunt & proximus: quorum ille Hebraicè Iehova Elohim, id est, Dominus Deus nominatur; ut minimè ignoremus, non solùm quem, sed etiam quam ob caussam amore complecti debeamus. Iehovæ enim nomine significatur, eum, de quo effertur, in promissis præstandis, inque amore erga nos constantissimum esse. Qua de causa hoc nomen suum explicans, cùm Mosen ad Pharaonem Israëliticumque populum mitteret, (*Exod: 3. 14.*) *ero qui ero*, dici voluit. Elohim verò appellatione illius explicatur potentia, quæ nullis viribus impediri potest; ut eum non velle tantummodo, sed etiam posse sui studiosos juvare, omnibus opibus cumulare, ideoque meritò ab illis amari constet. Jam ut proximi vocabulum excutiamus; intelligendum est, à Mose nonnisi eum isto nomine appellatum fuisse, qui ex eadem Israëlitica gente

gente ortum habuit: ut ex illo Levit. 19. loco apparet, ubi quem Moses in eodem verborum contextu, fratrem tuum, filium populi tui appellaverat, eum paulò pòst proximum nominat. Proximus ergo apud Mosem opponitur alieno, seu extraneo, & maximè inimico, ut ex cap. 5. Matthæi (*v. 43.*) intelligitur; neque adeò ambitu suo comprehendit aliarum nationum homines, earum præsertim, cum quibus fœdus inire, aut quarum misereri, & quarumvé prosperitatem quærere usque in seculum prohibebantur. (*Deut: 7. 1, & d. Esd: 9. 12.*) Hodie autem ista nationum distinctio, & sic inimicitia quæ inter Judaicum populum cæterasque gentes olim intercedebat, Christi morte ita sublata est, (*Ephes:2.14.*) ut inter Judæum Ethnicumque, quod ad dilectionem proximo debitam attinet, nihil intersit, & porrò quilibet homo, cujuscunque tandem sit nationis, proximus noster appellari possit.

‡ *Iam ut proximi vocabulum*] Quamvis per Legem Mosaicam paullò restrictior esset conversatio Judæorum cum exteris quam Christianorum hodie, tamen falsum est apud Mosem *proximum opponi extraneo*, quasi à charitatis officiis erga Gentiles Israëlitæ abducerentur. Non negem equidem Deuteroseis Judaicas & Pharisaicas hoc charitatis præceptum multum restrinxisse, quod etiam videre est apud Seldenum *de jure nat. & gent. Heb. lib.* 4. *cap.* 3. *& alibi passim*; eoque spectabat superciliosum illud quæsitum Pharisæi seipsum justificare volentis, *Ecquis est meus proximus?* Luc: x, 29. Verum ibidem docet Christus eum omnem nostrum proximum in Dei Lege intelligendum *sive Tros fuat sive Rutilus*, quem juvare & aliquo humanitatis officio mactare possimus. Infinita sunt in Lege testimonia quæ docent peregrinos & exteros eodem loco habendos, quo cives & indigenas. Et nisi proximorum nomine, privatos quod attinet etiam exteri intelligerentur in Lege, impune licuisset Israelitis exteros occidere, eorum uxores adulterio constuprare, eorum bona furto suppilare, eorum famam calumniis & falsiloquiis proscindere, eorum res & mulieres concupiscere; quod falsum esse nemo est qui primo obtutu non videat.

Ut ex illis Levitici] Ipsi-met Judæi hac parte liberaliores sunt Socinianis: Nam Josephus *lib.2. contra App.* dicit id legibus suis sancitum ut peregrinis præbeatur ignis, aqua, cibus, iter comiter ostendatur &c. Nec obest locus Levit: xix, 17. 18. qui sic habet: *Ne odio habeto fratrem tuum in corde tuo; liberè corripito proximum tuum, neque ferto in eo peccatum. Ne ulciscitor, neque iram asservato in populares tuos, sed diligas proximum tuum sicut te.* Popularium quidem & fratrum specialis fit mentio, quia vitia hîc prohibita magis solent exerceri adversus fratres & populares quam exteros; vel illo Romano teste qui increpitus quod cum suo proprio fratre simultates haberet & lites, respondebat nihil simultatum vel litium posse sibi cum aliis intercedere, quibuscum familiam herciscundam non haberet. Quod si solos consanguineos & populares hîc intelligas proximi nomine, inde sequetur cœteros potuisse odio haberi & vindictæ privatæ objici, imò ex ejusdem cap. com. 11. & 13. fraudibus, mendaciis, furto, circumveniri; quia dicitur, *Ne furamini & ne mentimini, & ne fallaciâ utimini ullus in proximum suum.* Item, *Ne fraudem facito proximò tuo, neque rapito.* Quin etiam cum naturalis quædam cognatio sit inter omnes homines, ut ipsi Ethnici JCti agnoverunt, ita popularium & fratrum speciatim sic dictorum singu-

laris ratio est habenda, ut reliqui homines, quisque suo loco & ordine, in proximorum censum referantur. Et siquidem ex illo axiomate generali, quod quilibet Israelita debuerit proximum suum diligere sicut seipsum, adeoque alteri nemini facere quod sibi factum nollet, concludit Legislator, non debere Israëlitas fratres suos & populares ulcisci & odio habere, inde non magis sequitur ergo exteros proximis diligendis non accenseri, quam ex eo quod homo movetur quia est animal, colligi potest canes & equos vel non moveri, vel animalibus accenseri non debere. Uno verbo nemo sani syncipitis existimabit nihil in eo genere officiorum præscriptum fuisse Israelitis amplius quam quod tribuitur Ethnicis & publicanis; quibus etiam solemne est se diligentes diligere, & suos fratres complecti, teste Christo Matt:v,46.47.

Ex maximè inimico, ut ex] At primò illa verba quæ extant Matt:v,43. *Odio habebis inimicum tuum*, non leguntur apud Mosem, sed pertinent ad Glossema Pharisæorum, qui argumentantes à contrario, ex proximi dilectione mandata, colligebant inimici odium & studium privatæ vindictæ. Secundò extant Leges expressæ, etiam modò citatæ, de inimicitia privata non exercenda cum proximis, imò de officiis charitatis erga inimicos privatos exercendis: ut Exod:xxiii,4.5. *Si offenderis bovem inimici tui, aut asinum ejus errantem, omninò reducito eum ad illum: Si videris asinum osoris tui succumbentem oneri suo, dum abstinès à deponendo onere illius, omninò deponito cum eo onus.* Adde etiam locum Prov:xxv,22. citatum Paulo Rom:xii,20. ex quo liquet eadem omninò officia erga proximum, etiam malevolum & inimicum, postulata fuisse sub V.T. cum iis ad quæ nunc sub N.T. obligamur. Quamvis autem inimicitiæ quædam publicæ venirent olim ab Israëlitis exercendæ, contra quosdam populos ex speciali quadam Dei sententia anathemati devotos, inde tamen non sequitur latiùs nunc patere proximum nostrum, quam olim: Nam primò Johannes etiam monet non precandum pro eo qui peccaverit ad mortem 1 Joh:v,16. imò ne quidem *Ave* dicendum nec recipiendum domum, eum qui sanam doctrinam non attulerit 2 Joh: 10. Deinde cum bella necessaria & justa Christianis non sint illicita, tam fas est ipsis ab omni commercio & officiorum commutatione cum hostibus publicis Reip. suæ abstinere, quam æquum est eos bonorum civium officio defungi, & omnem perduellionis suspicionem declinare.

Earum præsertim cum] Jam ad hæc responsum est: Cùm etiam certæ sint personæ sub N.F. quibuscum pariter ex speciali Dei prohibitione vel fœdera matrimonialia inire 2 Cor:vi,14. vel familiaritatem nimiam retinere Matt:xviii,17. 1 Cor:v,11. non licet. Septem populos quos Deus devoverat anathemati Deut: vii,1.2. Esr:ix,12. non priùs erant delendi absque gratia & misericordia ad internecionem, quam imperatam deditionem & oblatam pacem recusassent, ut colligunt Hebræi ex Deut:xx,10. Imò quod post pacem repudiatam sine ulla venia jubentur internecione deleri, ad ejus ætatis homines potiùs quam ad eorum posteros pertinere videtur; cùm eos in servitutem Solomon receperit laudatissimis sui regni temporibus 1 Reg: ix,20.

Et sic inimicitia quæ] Hæc inimicitia sive alienatio animorum inter Judæos & Gentiles, cujus fit mentio Eph:ii,14.15. & cui occasionem præbebat cultus in religione diversus, ita est *morte Christi sublata*, tum per Ceremoniarum Leviticarum ab una parte abrogationē, tum ab altera, per Idololatriç Ethnicç eversionem, quâ utrinq; factũ ut in unam Ecclesiam coalescerent, ut primò illa inimicitia ex parte Judæorum Gentiles aversantiũ & abstinentiũ ab omni eorũ communione, ne pellicerentur in eundem errorem, prout difficile

est agnos pascere inter spinas & vepres quin aliquid de sua lana relinquant, magis vitiorum debuerit esse quam personarum, prout etiam sub N. F. debemus odisse vel eam *tunicam quæ à carnis contactu sit maculata* Judæ 23. Deinde, ut etiam simile quid remaneat Christianis, qui sunt expositi omnium odio propter Christum, & ita debent omnem Idololatriam odisse, ut ab omni familiariori convictu, quoad fieri potest, cum Idolorum cultoribus abstineant, ne dum ardenti Soli isti se exponunt liberiùs, aliquid noxiæ fuliginis inde contrahant.

Proximus noster appellari] Ita est; sic tamen ut quoad dilectionis officia proximior sit mihi qui eadem sacra colit, quam exterus; & inter eorundem sacrorum cultores, magis ei adstringar qui insuper sanguine junctus est, quam alius. Hoc discrimen utrumque proponit Apostolus Gal: VI, 10. I Tim: V, 8. Eò referri potest Adagium, *Tunica propior est pallio.*

Videamus nunc quo amoris genere tum Deum, tum proximum prosequi debeamus. Primò igitur Deum ex toto corde, & totâ animâ, & totis viribus diligendum esse, apertè videmus. Quod quidem, si Legis tempora respicias, nequaquam tantum in Deum designat amorem, quanto major esse nullus possit: sed quanto eum, pro religionis illius promissorumque natura ac ratione, homines complecti potuerunt. Ex quo fit, ut quantò religio, quâ nunc devincti sumus, nobilior est, quantoque præstantioribus continetur promissis, tantò major ad charitatis officium, quo Deo obstringimur, facta sit accessio; ut nimirum ita illum amemus, ut magis amari in hac vita à nobis non possit. 194.

† *Quod quidem si Legis*] Sed hac glossâ nihil ineptius. Cui enim persuadebit Volkelius, majorem posse Dei amorem dari eo quo *ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus*, diligeretur? Annon Deus debuit jam olim diligi tanquam summè bonus, imò summum hominis bonum? Quis autem neget summi boni, summum exigi amorem, *& quanto major esse nullus possit*? Esto; fuerint minora beneficia quæ conferebantur Israëlitis iis quæ hodie consequimur, ut inde comparativè ad illos magis obligemur ad summam ejus dilectionem; Inde tamen non sequitur ab illis absolutè summum amorem non postulatum fuisse: quod & ipsos Judæos agnovisse, facile posset ex eorum monumentis demonstrari. Inter alios R. Imanuel Aboab *Nomologiæ* suæ Hispanicè scriptæ *p. I. cap.* 14. statuit, *amandum esse Creatorem nostrum supremum præ omnibus aliis rebus, ut anima nostra intellectualis capta amore infinitæ bonitatis divinæ, postponat ejus cultui & obsequio omnes divitias voluptates & commoditates mundi, nullum aliud Numen (cum nec aliud sit) præter solam ipsius divinam majestatem amando, colendo, credendo, & sicubi necesse fuerit vitam propriam profundendo, pro gloriosi nominis sui sanctificatione.*

Ex quo fit ut quanto] Falsum hic supponitur; cum & eodem nobiscum Christi vinculo religarentur veteres Deo, & easdem vitæ æternæ promissiones obtinuissent, ut aliàs fusiùs demonstravimus. Sed præterea, cùm amor summi boni non debeat esse mercenarius, non tam ex *promissorum* vel beneficiorum quæ accepimus dignitate, quam ex ipsiusmet Dei ὑπεροχῇ & infinita bonitate, noster illius amor venit æstimandus.

Ut nimirum ita illum] Atqui I. ad idem tenebantur Israëlitæ ex Dei Lege; debebant enim ipsum amare ex toto corde suo idest interprete Mæmonide *in More Neu. p. I. cap.* 39. *omnibus viribus cordis sui.*

2. Neq; æstimandus est amor Deo debitus, ex eo quod *in hac vita* à nobis præstari potest: Cùm quamdiu versamur in hoc carnis ergastulo, id quod possumus in eo genere summum, longè subsidat infra id ad quod ex Legis præscripto & objecti ipsius dignitate tenemur. Quis enim vel in ipso Socinianorum grege ausit jactare quod Deum diligat *ex toto corde suo*, quin hoc ipsum cor suum eum mendacii illicò reprehendat & convincat?

Quod verò ad eam charitatis benevolentiam, quam proximo præstare debemus, attinet, Moses eam nobis clarissimè explicans inquit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* (*Lev: 19. 18.*) Quod quidem quale olim fuerit, ex eo Mosis loco, unde hæc verba deprompta sunt, apparet. *Non quæras*, inquit, *ultionem, nec memor sis injuriæ civium tuorum: sed diliges proximum tuum sicut teipsum*; quasi dicat: quemadmodum si in aliquem injuriosus fuisses, nolles in te vindicari: ita tibi vicissim, si à quopiam offendaris, omne ulciscendi consilium abjiciendum est. quod idem ad alia similia extendendum est, & nominatim ad ea, quæ secundâ, quam vocant, Decalogi tabulâ comprehenduntur. Neque enim id præceptum latiùs patet, quàm mandata specialia ad dilectionem proximi spectantia, si omnia simul jungantur, sed eorum tantùm summa quædam est. Ad hanc autem, quam proximo præstare debemus, charitatem, tanta per Christum facta est accessio, ut dici aliqua ratione possit, à nobis hodie postulari, ut eum majore etiam, quàm nos ipsos, amore complectamur. id quod duabus potissimùm rationibus fieri debet: Primò enim generatim loquendo, multa incommoda subeunda, multa capienda detrimenta, multæ devorandæ molestiæ homini Christiano sunt, ut proximo satisfaciat, resque illius in optimo statu collocet. In quo & illud est, quòd etiam libertas illa, quam nobis peperit Christus, nequaquam tanti apud nos esse debet, quin charitate quâ fratribus obstricti sumus, postulante, eâ nos ipsos spoliemus potiùs, quàm ad illorum perniciem illâ intemperanter abutamur. (*Rom: 14. 14, 15, 16, 20, 21. 2 Cor: 9. 18.*)

Ad hanc autem quam proximo] Quæ hîc de accessione facta *per Christum* ad dilectionem proximi, nugatur Volkelius, tam falsa sunt, quam certum est Christum, I. non aliis verbis quam Mosaicis hanc proximi charitatem, quę mandati totius finis est 1 Tim: 1, 5. nobis commendare Matt: XXII, 39. Luc: X, 27. 28. II. non aliam Legem vel mensuram hîc nobis ponere, quam ipse adversarius agnoscit in præcepto Mosaico: Huc enim summa redit eorum quæ de Charitatis officiis nobis præscribuntur à Domino Matt: VII, 12. Luc: VI, 31. *Prout vultis ut faciant vobis homines, vos etiam facite eis similiter.* Unde illud natum Alexandri Severi, *Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris.* In eo autem dicit Dominus consistere Legem & Prophetas, idest omnia eorum præcepta Moralia de charitate fraterna impleri & absolui: quod & monet Paulus Rom: XIII, 8. 9. 10. Gal: V, 14.

Primò enim generatim] Atqui varias etiam molestias, subeundas fuisse ab Israëlitis pro suis proximis juvandis, protegendis, vindicandis erudiendis, Volkelius

lius inficiari non debet, ut nihil possit dari in quo ad plura teneamur.

In quo & illud est] Sic quoque debebant sedulò cavere Israelitæ, ne in iis quæ aliàs indifferentia videbantur, scandalo forent aliis: Huc potest inter cætera referri Canon Mæmonidis *de Idolol. cap. 3. §. 7. Qui colit Idola ritu suo, etsi per ludibrium faciat, reus est*: quia videlicet, ut inquit ibi Dionysius Vossius, *animum non omnes homines norunt, & possit aliquis suspicari id à religione profectum*: Item §. 10. *Infixa est spina pedi ullius ante Idolum? Ne se incurvet ad eam evellendam: quia videretur alioqui se Idolo incurvare. Dispersi sunt nummi ante Idolum? Ne se incurvet ad eos tollendos; quippe Idolo videretur se incurvare: eoque consideat & sic tollat. Effigies est aquam effundens coram Idolo? Ne suum os imponat ori ejus ac bibat, quia hoc pacto quasi osculum ei figere videbitur.*

Hoc autem quò magis intelligatur, duo potissimùm consideranda sunt. Nam & quibus in rebus libertas ista, quam oratione persequimur, sit constituta; & qua ratione eâ uti oporteat, diligenter videndum. Primò igitur, quantum ex divinis literis intelligere possumus, christiana libertas, in libero eorum omnium usu consistit, quæ à Theologis adiaphora seu media appellantur; quippe quæ per se nec honesta, nec turpia, & ideò nulla lege nec sancita, sancitisvé similia, nec interdicta, interdictisvé æquipollentia sint. Quales sunt 195. omnes illæ ceremoniæ, omniaque vetustæ legis instituta, aliaque multa, quæ cum his conferri possunt.

Quales sunt omnes illæ] Imo Cæremoniarum legalium usum, nobis nunc esse interdictum, ex quo non mortuæ modò factæ sunt morte Christi, sed etiam mortiferæ præconio Euangelii, est certissimum ex Gal: v, 1. 2. Col: ii, 16. 17. 18. 19. 20. 21. Ut mirer Volkelium accensere rebus adiaphoris, quas licet vel usurpare, vel negligere, omnes cæremonias Legis, adeoque ipsam circumcisionem, de qua dicit Apostolus. *Si circuncidamini Christus nihil vobis est profuturus.* Quæ porrò docet Volkelius in sequentibus de libertate Christiana, nihil habent quod nos remorari debeat.

Jam igitur ut, quo pacto libertate ista utendum sit, animadvertamus; intelligendum est, charitatem, quam hoc loco explicamus, regulam normamqua esse debere, ad quam omnia ista, tum dicta, tum facta dirigantur, ita ut nihil vel ore proferre, vel opere perficere audeamus, quod proximi ædificationem impediat. Animadventendum enim est, fidelium nationem ex duplici hominum genere constare: alii quippe firmiores, alii infirmiores à divinis autoribus nominantur, addito nonnunquam fidei nomine, ad imbecillitatis illius genus propiùs designandum. *(Rom: 14. 1, 2: 15. 1. 1 Cor: 8. 9, 10. 11: & 9. 21.)* Ac firmiores quidem ratione fidei ii sunt, qui in Christi disciplina tantos fecerunt progressus, ut ejus rationem, & porrò etiam libertatem istam probè teneant. Infirmiores verò fide sunt, qui religionis Christianæ naturam, Christianamque libertatem nondum planè perceperunt, ideoque facilè offendi labique possunt, nisi firmiorum charitate atque prudentiâ excipiantur ac fulcian-

fulciantur. Magna igitur utrobique charitas elucere debet, ut nimirum nec firmiores infirmioribus ſcandali cauſam afferant, aut rerum iſtarum cauſâ eoſdem deſpiciant, nec contrà hi illos damnent. Primò igitur illis, qui firmiores habentur, diligenter providendum eſt, ne ullo ſive dicto, ſive facto, quantumvis adiaphoro, fratrem lædant, planè ſibi perſuadentes, hæc ex ea tantùm parte adiaphora eſſe, quatenus omne fraternæ offenſionis, præſertim quæ ſaluti illius obeſſe poſſit, periculum ſublatum eſt. Aliter enim adiaphora eſſe deſinunt, illicitaque fiunt. Ejus autem de qua loquimur, charitatis continentiæque exemplum in Apoſtolo Paulo cernimus, *(1 Cor:9.19,20,21.)* qui liber cum fuerit ab omnibus, omnibus ſe mancipavit, quò plures lucraretur: infirmis perinde factus eſt ac infirmus, ut infirmos lucrifaceret: denique quibusvis quidvis factus eſt, ut omninò aliquos ſervaret. Hujus igitur Apoſtoli veſtigia niſi perſecuti fuerimus, ſed ſcientiâ inflati *(1 Cor:8.2.)* ſive in ſermone, ſive in factis, libertatem noſtram nimis urſerimus, nihilque de ea remiſerimus, fiet, ut neque quicquam ſciamus, ut ſcire oportet; nec veram libertatis poſſeſſionem adepti eſſe meritò dici poſſimus; neque gravi culpâ vacemus. Ad ſcientiam enim quod attinet, nequaquam is eam, prout oporteat, tenere dicendus eſt, qui ſuperbiâ inflatus intempeſtivis diſputationibus ingenium oſtentat, infirmorum animos perturbat, eoſque vel autoritate ſuâ ad idem contra conſcientiam ſuam dicendum faciendum-vé, & porrò ad peccatum impellit; cùm quicquid non eſt ex fide peccatum ſit, ut (*Rom:14.23.*) inquit Apo-
196. ſtolus; vel efficit, ut quia propter animi imbecillitatem iſtis aſſentiri non poſſunt, Chriſti diſciplinam, in quam iſta tradantur, erroris ac falſitatis ſuſpectam habeant, eamque tandem deſerant, & ſic miſerabiliter pereant. Is autem verè ſcire dicitur, qui non ſolùm rerum divinarum notitiam habet, ſed eâ etiam rectè uti novit. Libertatem quoque, qui eâ abutuntur, revera non habere, Paulus Apoſtolus docet egregiè illis verbis: *Omnia mihi licent, ſed ego non redigar ſub ullius rei poteſtatem.* (*1 Cor:6.12.*) Is enim, qui libertatem ſuam mordicùs tenet, nec unquam quicquam de ea remittere cogitat, ſeipſum illi mancipaſſe cenſendus eſt, & libertatem veram amiſiſſe. Culpâ denique gravi iſtos minimè vacare, manifeſtum eſt. Etenim illorum culpâ fit, ut Chriſtiana libertas unà cum religione malè audiat, cùm, ut paulò antè monuimus, facilè fieri poſſit, ut & ii, qui ab ea ſunt alieni, & fratres infirmiores iſta importunitate offenſi, de ea parùm honeſtè ſentiant, & ſic illi quidem eam amplecti nolint, hi verò de ea abjicienda cogitationem ſuſcipiant. (*Rom: 14. 16.*) Itaque & in ipſam religionem Chriſtianam ſunt injurii, & in proximos vehementiſſimè peccant, dum infirmorum animos conturbant, conſcientiaſque imbecillas percellunt, alienos autem à fide magis adhuc ab ea abſterrent. (*1 Cor:8.12.*) Quid, quòd & in ipſum Chriſtum injurii ſunt, dum ita vitam inſti-

instituentes, illis, qui imbecilliores sunt animi, ab eo deficiendi materiam
præbent, utpote qui mortem pro illis oppetiit truculentissimam. Ad extre-
mum, in Deum graviter peccant, cùm ita se gerentes ostendunt, se de divi-
na gloria parum laborare, dum eam non solùm infra rem tam exiguam, quam
libertatis usus eis afferre possit, ponunt, sed etiam præclarissimum Dei opus,
quod maximo labore perfectum erat, quantum in ipsis est, perdunt ac de-
struunt. (*Rom: 14.20.*) Ex quibus omnibus liquidissimò patet, eos, qui hunc
vitæ cursum cœperunt nec Deo acceptos, nec hominibus probatos esse;
(*vid. v. 18.*) cum non ita Christo Deoque serviant, ut præ ipsius gloria seip-
sos etiam, nedum libertatem istam, deserere parati sint.

Jam ut alterum fraternæ charitatis officium in eodem rerum genere occu-
patum, consideremus; ne videlicet, qui infirmiores sunt, eos damnent, qui
plus Christianarum virium, plusvé scientiæ acquisiverunt; egregie hoc à Pau-
lo Apostolo docemur, qui ad Romanos scribens (*Rom: 14. 3, 4.*) hunc in mo-
dum loquitur: *Is qui non manducat*, (intellige quoslvis cibos) *manducantem non
damnet, Deus enim illum suscepit. Quis tu es, qui judicas alienum servum?* nempe
nequaquam sub tuum, sed sub Christi imperium subjunctum. *Domino suo stat,
aut cadit. Consistet autem: cum Deus illum erigere possit.* Quid ergo ponderis ha-
bere potest tua ista damnatio? aut qua fronte tu eum damnabis, quem Deus 197.
tanto amore complectitur, & quem nulla rerum istarum, in quibus tu salutis
summam constituis, ratione habita, si cæteroqui in officio perstiterit, vitâ
sempiternâ donabit? (*Rom: 14. 13, 19. 1 Cor: 8. 8.*) An non igitur satius est,
omnem industriam, omniaque consilia huc referre, ut in rebus, quæ per se
nec salutem nobis afferendi, nec eâ nos spoliandi ullam vim habent, & porrò
quibus sive retentis, sive abjectis, nihil fidei obedientiæque quâ Christum
complectimur, vel apponitur, vel detrahitur, ejusmodi pax concordiaque
constituatur, ut, quemadmodum idem Apostolus monet, (*Rom: 15. 7.*) *alii
alios assumamus, sicut & Christus assumsit nos in gloriam Dei*: quasi dicat: Si tanta
Christi, qui nobis longè tum præstantior, tum firmior fuit, in nos extitit cle-
mentia, ut nos, qui plurimis flagitiis cooperti, maximaque infirmitate affecti
eramus, ad Dei gloriam, id est, summæ beatitatis commercium assumserit;
nonné multò magis nos homunculi alii alios in rem gloriâ illâ Dei haud paulò
inferiorem, nempe fraternam societatem, recipere debemus?

CAPUT. VI.

De Scandalo.

QUam quidem rem ut penitiùs percipiamus, placet hoc loco paulò fusiùs
de ea disserere, ut non solùm iis, quos diximus, modis, sed aliis etiam,

de quibus mox dicturi sumus, Christianam charitatem minimè violemus. Tria igitur explicanda hoc loco nobis sunt: Primò enim, cùm sedulò, ut suprà ostendimus, cavendum sit, ne quem scandalizemus seu offendamus; tum quid scandalum in s. literis nominetur; tum quot in genera distribuatur; tum denique quatenus vitandum sit, diligenter expendendum est. Scandalum igitur propriè loquendo ejusmodi rem propriè significare videtur, quâ fit, ut quis offendat seu impingat; ut scandalizare sit offensionis causam alicui afferre: per metaphoricam autem dicendi figuram nihil aliud sit, quàm efficere ut quis peccet: veluti cùm Christus (*Matth: 5.29.*) oculum dextrum eruere, manumque dextram amputare abjicereque jubet, si nimirum aliquem scandalizet, id est, peccandi occasionem ei afferat. Duo porrò sunt scandalorum genera. Quædam enim oriuntur à causis per se, quædam à causis per accidens. A causis per se illa ortum habent, quæ ab iis proficiscuntur rebus, quæ vi quadam sua in peccata quempiam impellunt, sive id fiat præter consilium ac voluntatem ejus, à quo scandalum alteri ponitur; sive etiam voluntas ejus accedat.
198. In istarum causarum numero sunt dogmata pietatem vi suâ labefactantia, utut fortè is, qui ea proponit, vim istam non agnoscat: sunt & mores corrupti, eorum præsertim, quorum officium erat, virtutis exemplo cæteris præire. Voluntate verò eorum, qui scandala ponunt aliis, ea duplici ratione excitantur. Qui enim id faciunt, iis vel purâ, vel mixtâ voluntate id efficiunt. Purâ, cum quis sciens volensque alterum ad peccandum inducit; idque vel mandato, vel suasu, vel aliis incitamentis atque illecebris. Mixtâ, cum quis ita alterius peccati causa existit, ut quidem aliud quippiam spectet, peccatum tamen consecuturum esse, aut saltem facilè consequi posse, non ignoret: ut, verbi causâ, si quis filiam suam idololatræ in matrimonium collocet, non quidem eo animo, ut eodem sese scelere contaminet, sed cujuscunque alius rei gratiâ: interim tamen nequaquam nescius sit, nihil tali connubio proclivius esse ad idem flagitium participandum. In hoc genere & illud est, si quis liberos suos hominibus mundo deditis in disciplinam tradat, non quidem eo consilio, ut eorum sequantur improbitatem: sed ut morum addiscant elegantiam; quamvis interim probè noverit, magnam hac ratione ad nequitiam illis patefieri fenestram.

Jam ut, quomodo per accidens homines scandalizari possint, inquiramus, intelligendum est, hoc ut in multis, atque adeò innumeris aliis rebus fieri potest; ita vel in adiaphoris accidere, cùm nimirum aliquis scientia libertateque sua per imprudentiam subnixus, infirmiorum nullam habet rationem, de quo jam superiùs est à nobis explicatum; vel hoc evenire potest in rebus minimè adiaphoris, imò planè factu necessariis, utpote quæ à Deo vel mandata habemus; quibus verbis abstinentiam quoque complectimur ab iis rebus, quibus

bus apertè prohibemur. Ex his, inquam, scandala oriuntur, sed ut dixi, per accidens; præsertim si posterius eorum genus respicias, quatenus nimirum homines mali ex rebus optimis, nequaquam scandali causâ factis, arripiunt occasionem peccandi. Quo pacto Pharisæi (*Matth:15.12,13,14.*) scandalizabantur Christi sermone, nullam offensionis causam, ædificationis autem non exiguam continente, quia animo erant improbo. ‡ Hæc ultima scandala, quæ nimirum in rebus necessariis eveniunt, à Theologis scandala accepta dicuntur; utpote quæ homines ii, qui offenduntur, quamvis nulla eorum detur occasio, sponte sua capiunt. Reliqua verò superiora omnia scandala data nominantur: quia vel planè, vel aliqua saltem ex parte offensionis materiam præbent.

‡ *Hæc ultima scandala*] Commodiùs distinxeris Scandalum in merè datum, cujus materia est res per se mala & simpliciter vitiosa; simpliciter acceptum, cujus materia est res bona & salutaris: & mixtum, cùm quis infirmus offenditur ex usu libertatis Christianæ in alio, qui non eam adhibuit prudentiam necessariam ad ejusmodi offensionem vitandam. In primo peccat semper author scandali: non tamen semper qui scandalizatur, sive offenditur ab ipso; sed is solum qui ad ejus dictum vel factum præposterum, deviat ac impingit in officium. In secundo, semper peccat qui scandalizatur, nunquam is de quo præposterè offenditur. In tertio, peccat uterque; ex imprudentia & præpostero usu suæ libertatis qui scandalizat; ex ignorantia & charitatis defectu, qui scandalizatur. Videatur nostrum Systema *loco* 13. §. 48. & *seqq.* ubi plura de scandalo explicavimus.

Sed jam tempus est, ut quatenus scandala vitanda sint, animadvertamus. Dicimus igitur, omnia illa fugienda esse, quæ paulò antè scandala data appel- 199.
lavimus; cum tamen in rebus mediis seu adiaphoris sæpè evenire queat, ut duobus scandalis contrariis incidentibus, non satis expedita sit deliberatio, utrum de illis potiùs declinandum sit, præsertim si utrumque simul vitari nequeat. Quo tempore diligenter dispiciendum est, utrum illorum plus minusvé mali Christianæ reipublicæ importet; illudque omnino cavendum; hoc autem non magnopere curandum. Cujus rei exemplum est, quòd Paulus Titum circumcidere noluit, (*Gal:2.3,4.*) quamvis videret fore, ut multi Judæi hac re mirum in modum offenderentur, atque inprimis ii, qui eo animo in conventum Apostolorum Hierosolymis habitum irrepserant, ut quid de Tito futurum esset, viderent, & suâ præsentiâ Paulum cogerent, ut eum circumcidi curaret. Ex altera autem parte periculum erat, ne propè omnis Pauli labor, quem maximo cum fructu in exteris nationibus Christi disciplinâ instruendis consumpserat, inanis irritusque redderetur, si Paulus, qui antea maximo animo Christianam libertatem eos docuerat, nunc sibi ipsi videretur adversari, & rursus suo exemplo homines ad Legis cultum adigere. Fieri enim nequaquam potuisse videtur, quin ii, qui jam illi adhæserant, hoc ipsius facto simul, & gravitate jugi legum ceremonialium, quod cervicibus suis imponi

viderent, deterriti, ab illius sese disciplina abstraxissent, & sic salutis suæ naufragium fecissent. Paulus igitur pro sua singulari sapientia probè intelligens, plus in hoc scandalo, quàm in illo, mali inesse, hoc potiùs, quàm illud, vitandum existimavit, ut ex his ejus verbis perspicuum est. (*Gal:2.4,5.*) *Quin neque Titus, meus comes, cùm gentilis esset, circumcidi coactus est, idque propter emissarios falsos fratres, qui subintroierant ad speculandam libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem redigerent; quibus ne ad horam quidem parendo cessimus, ut Euangelii veritas apud vos permaneret.* Hanc prudentiam quia Petrus Apostolus in scandalis dijudicandis non adhibuerat, à Paulo apertè reprehensus fuit, (*Gal.2.11.*) utpote qui cum priùs cum alienigenis cibum capere consuevisset, postea advenientibus quibusdam Judæis, sese unà cum Barnaba aliisque subduxerat, nequaquam considerans, plus in eo mali esse, si externæ nationes jam Christianam libertatem amplexæ, vel Judaicè vivere, vel Christum deserere, hoc ipsius facto quodammodo cogerentur, quàm si aliquot Judæi offenderentur, quorum officium erat pergere in Christi agnitione potiùs, quàm Ethnicos, qui jam longiùs progressi erant, & Christianam libertatem didicerant, turbare, & ad infirma egenaque rudimenta trahere.

‡ *Cujus rei exemplum est*] Jure neglexit Paulus in Tito circumcidendo offensionem Judæorum, qui jam debuissent intelligere Synagogam esse sepeliendam, & à Legalium observatione deinceps abstinendum. at propter infirmos ex circumcisione fratres, voluit Paulus circumcidere Timotheum Act: XVI,3. Propter *irreptitios falsos fratres* è Judæis *qui fuerant clam ingressi ad explorandam libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem adigerent, inquit* ipse Paulus, Titum circumcidere noluit, nec illis *ad momentum* cedere, Gal: II, 3. 4. 5.

200. Quod verò ad scandala accepta attinet, nempè quæ in rebus non liberis aut mediis, sed planè necessariis accidunt, ea nihili planè facienda esse constat. neque enim fas est ita hominibus gratificari ut Dei præcepta violemus. Qua de causa & Christus nec Pharisæorum, (*Matth.15.12.*) nec illorum, qui ab ipso defecerant, (*Ioh:6.67.*) moratus est offensionem; Apostoli Judæos Christi crucifixi prædicatione scandalizari susque deque tolerunt, (*1 Cor:1.23.*) dummodo Dei imperium exequerentur. Id quod retinendum est in omnibus dogmatibus, quibus, quæ ad salutis viam rectè tenendam atque ingrediendam pertinent continentur.

CAP. VII.

De summa charitatis in proximum perfectione.

HÆc, quæ de charitate in proximum hactenus diximus, maximum sine dubio momentum continent; sed illud multò gravius est, quòd pro fratre vitam

vitam etiam in discrimen adducere; atque adeò profundere, si opus sit, jubemur: idque illis Christi verbis: *(Ioh:13.34.) Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Item illis: *(ibid.c.15. v.12, 13.) Hoc est praceptum meum, ut diligatis in vicem, sicut dilexi vos: Majorem hac dilectione nemo habet, quàm ut animam ponat pro amicis suis.* Hoc quò intelligatur rectiùs, sciendum est animam pro altero ponere, in divinis literis plerumque non ipsam mortem oppetere, sed mortis subire periculum significare, dum nimirum illis, quos caros habemus, omnibus modis commodare atque gratificari studemus: quanquam cùm etiam ipsa mors sæpissimè consequatur, utrumque locutione ista comprehendi minimè diffitemur. Ac prioris quidem significati exemplum sit Epaphroditus, quem Apostolus, dum Christi negotium perficere, Philippensiumque loco officium Paulo debitum persolvere unicè studebat, animam suam posthabuisse, eoque devenisse ait, ut à morte parùm abesset. *(Phil:2.30.)* Quod idem & de Prisca & Aquila legimus, qui pro Pauli vita cervices suas objecerant, quos tamen, utpote vivos hihilominus, in sua ad Romanos Epistola salvere jubet. *(Rom:16.3,4.)*

‡ *Sed illud multò gravius*] Dilectionis mandatum, non dicitur *novum* à Christo Joh:XIII,34. quod illi hanc particulam de *anima pro amicis ponenda*, quæ extat Joh: XV,12. 13. de novo adjecerit; Nam etiam id ipsum mandabatur sub V.T. Et qui olim fide regna expugnarunt, & pro Patria & Rep. adeoque pro aris & focis fortiter pugnarunt, atque pro veritate Martyria & tormenta varia subierunt, Heb:XI,33. & seqq. aut nullos defugerunt labores, nulla pericula, ut fratrum suorum vel totius populi Israelitici, commoda, utilitatem, ædificationem, salutem, sectarentur; quiq; cum Mose optarunt pro suis *fratribus* conservandis deleri ex libro vitę Exod: XXXII,32. aut non sine præsenti vitæ discrimine, illatas ipsis injurias studuerunt propulsare Exod: II,11. 12. ii omnes eo sensu quo ipse Volkelius explicat, animas suas posuerunt pro suis fratribus, & ipsius *mortis* subiêre *periculum, dum* illis *quos caros* habebant, *omnibus modis commodare atque gratificari* studuerunt. *Novum* vero dicitur, partim quia excellens est & eximium, ut novum canticum sumitur eo sensu apud Davidem Psal: XL,4. quomodo & *nova carmina* quæ Pollioni Maro tribuit, *magna & admiranda* Servius interpretatur; partim quia cum hominum moribus malis antiquatum quadantenus fuisset, suo pristino nitori, tum doctrinâ, tum exemplo ipsius Christi, fuerit restitutum, adeoque novo quodam modo ab ipsomet traditum & inculcatum. Quare simul & *non novum sed vetus*, & tamen *novum* dicitur esse 1 Joh: II, 7. 8. Adde 2 Joh: 5. Exemplum quoque suum urget Christus Servator, quoad dilectionis & affectum & effectum, sed non quoad finem & modum quem in utroque sibi proposuit & servavit: ut ex sequentibus magis apparebit.

Quid quòd & summus ille Pastor noster, ut ovium suarum salutem constitueret, animam suam sese pro illis ponere dixit; *(Ioh:10.15.)* id quod etiam fecisse eum palàm est, non quidem ipsam mortem, quæ ovibus imminebat, seu

 interi-

interitum sempiternum subeundo, (sic enim oves suas nequaquam conservasset:) sed ita, ut mercenarium minimè referens, (*ibid.12.13.*) lupum, qui ipsius gregi pestem machinabatur, aggressus, cumque illo acriter dimicans, vitam suam in periculum interitûs ac mortis istius, si rei naturam spectes, obtulerit. Periculum autem istud in eo constitutum erat, quòd in mortem in-
201. currit; quamquam in eo nequaquam permansit; quin imò ex ipsius vinculis emissus, lupi istius impetum non solùm retudit, verùm etiam, ut divinus ille autor testificatur, eum, qui mortis habebat imperium, id est, diabolum, eum ipsum nempe lupum, per mortem suam abolevit, & sic oves suas ab ipsius morsu mortisque metu liberavit. (*Heb:2.14.*)

‡ *Id quod etiam fecisse*] Opponit Volkelius quæ aliàs veniebant componenda: Nec enim potuit Christus oves suas eripere lupo qui earum faucibus imminebat, idest morti & diabolo qui mortis obtinebat imperium, quin cum morte ipsa luctaretur, eamque ipsarum loco subiret, & subeundo vinceret. Itaque ut qui moritur pro alio, mortem quæ huic incumbebat debet sustinere, *ἀντίψυχος* illius factus, ita debuit Christus *ipsam mortem quæ suis ovibus imminebat*, non illius duntaxat periculum, subire, ut eas liberaret; quamvis mortis illius æternitatem non sustinuerit; cùm impossibile fuerit eum detineri illius vinculis, teste Petro Act:II,24. tantum abest, ut *periculum* illius, *si rei naturam spectes*, adierit, quod citra evidentem in Christum blasphemiam nequivit adversarius statuere; attamen mortis illius sempiternæ sensit acerbitatem & extremitatem, factus *κατάρα* sive maledictio pro nobis Gal:III,13. & in eo constitutus agone in quo cum omnibus inferni doloribus luctari debuit.

Lupum, qui ipsius gregi] Debuisset Volkelius hunc *lupum* suis coloribus depingere, & ostendere quomodo Christus illum *aggressus* fuerit & cum illo *acriter* dimicaverit. Sed non potuisset id accuratè explicari, quin unà id statueretur quod Satisfactionem Christi pro nobis in arce reponeret.

Periculum autem istud] Non duntaxat periculum mortis subiit Christus, sed ipsam mortem, adeò ut sagittarum ejus venenum anima sua exsuxerit, & degustaverit quicquid illa habet maledictionis & horroris, quo nos ab illius impetu & furore manu liberali assereret Heb:II,14.

Hucusque igitur in amore nobis progrediendum est, ut proximi causâ etiam præsentissimum mortis periculum minimè defugiamus, eaque in re Christi ducis nostri sequamur exemplum, quod ipsemet imitari nos jussit; cum præcepto illi suo de dilectione mutua inseruit hæc verba: *Sicut & ego dilexi vos.* (*Ioh: 13.34.15.12.*) quorum verborum hæc sententia est: quemadmodum ego vos tanto prosecutus sum amore, ut præter alia plurima illius documenta, etiam vitæ meæ vestrâ causâ minimè pepercerim, aut parcere decreverim; ita par est omnino, ut me, quem vivendi Magistrum habetis, eam in re sequamini, ut nimirum non vultu, non linguâ, non levibus interdum officiis, sed mortis etiam adeundo periculum, amorem erga vos mutuò declaretis. (*1 Ioh:3.18.*) Tunc enim, ut Johannes dicere videtur, (*1 Ioh: 4.17.*) charitas nostra perfecta est

cta est, cum tales in hoc mundo sumus, qualis Christus est, seu in hoc mundo fuit, id est, si ita fratres dilexerimus, ut ille. Idem Christi exemplum, & simul Dei ipsius, quæ in eo apparuit, charitatem Johannes illis verbis nobis proposuit: (*1 Ioh: 3. 16.*) *In hoc cognovimus charitatem, quoniam ille*, nempe Christus, *animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* quasi dicat: Si summus ille Deus, qui nulla re nobis obstrictus est, quique adeò nostri non indiget, ut nec ei quicquam impietas nostra obsit, nec probitas prosit, qui denique pro arbitratu suo nobiscum agere potest; si, inquam, is tanto nos, & quidem adhuc impios, complexus est amore, ut filium suum, quem unicè charum habuit, nostrâ causâ atrocissimæ morti subjicere non dubitaverit: quomodo non multò magis nobis convenit, ut alii aliorum causâ, mortis, si opus sit, periculum adeamus? Hoc autem Dei Christique mandatum atque exemplum sequemur, si Deum verè cognoverimus, si ex ipso nati fuerimus, si denique ipsum ex intimo sensu amaverimus. (*1 Ioh:5.1,2.3.*) Cùm enim Deus sit charitas, eamque tantopere nobis commendaverit, & præmium ejus longè maximum constituerit: fieri non potest, ut quis ipsum voluntatemque ipsius verè noverit, quin charitatem erga alios colat atque exerceat. Unde Johannes ait, eum qui fratrem suum oderit, in tenebris versari. & infrà iterum: *dilecti*, inquit, *diligamus alii alios, quia dilectio ex Deo est & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum: qui non diligit, non novit Deum: quia Deus delectio est:* (*c.4.7 8.*) Ex quibus verbis etiam illud apparet 202.
eum qui ex Deo natus est, charitatem exercere erga fratres. Quem enim Deus gignit, in illius animo similes mores, & sic similem amorem ingenerat, suique spiritus, qui charitate ista quodammodo continetur, participem facit. Is denique, qui Deum ex animo diligit, omnia, quæ illius sunt, & sic etiam illos, qui ex ipso sunt nati, amat: quemadmodum idem Johannes luculentissimis verbis testatur, (*1 Ioh:4.9.*) & ratio ipsa demonstrat. Ideoque eos Deum diligere idem Apostolus negat, (*5.1,2.*) qui fratres non diligunt.

Quoniam autem, ut diximus, sæpe mortis periculum, quod fratris proximique causâ recusare minimè debemus, ipsa etiam mors comitatur: diligenter animadvertendum est, quàm latè hoc præceptum vim suam diffundat, nempè tum ad personas amandas, tum ad amoris causam respectu habito. Quod ad personas attinet, in quæstionem vocari potest, an pro amicis tantùm & fratribus moriendum sit, & non pro inimicis etiam, præsertim cum Christus (*Ioh:15.13.*) Johannesque (*1 Ioh:3.16.*) in hoc præcepto tradendo, nonnisi amicorum & fratrum faciat mentionem? Respondemus autem, vitam tam pro illis relinquendam esse, qui fraternitate nobis conjuncti sunt, quàm pro illis, qui licet nondum in amicitiam nobiscum convenerint, coituri tamen, certa quadam ratione suadente, aliquando videantur, quosque nos perinde,

quasi

quasi amici nostri sint, caros habemus, habereque debemus. Isti enim omnes amicorum nomine in verbis Christi comprehendi possunt. Qua de causa alibi Christus, pro inimicis mortuus esse dicitur; (*Rom:5.10. Col:1.21.*) quia nimirum illi, de quibus Apostolus loquitur, verè proprieque loquendo amici nequaquam fuerunt, cùm mentes gesserint à Christo, vel à Deo alienissimas: amicorum tamen nomine, nisi quis discipulorum tantùm ratione id à Christo usurpatum velit, eos appellari dicendum erit, propterea quòd Christus illos adamaverit, quodque mortem pro illis oppetendo hoc spectârit, ut amici efficerentur. Quanquam quod ad Christi mortis effectum attinet, nonnisi pro amicis revera eam oppetiisse censendus est, quippe cum ea his solis prosit.

Jam ut, quibus de causis anima pro amicis dimittenda sit, intelligamus; animadvertendum est, hoc in loco quæri, an ideo hoc fieri debeat, ut divina tantùm gloria proximique salus constituatur; an verò etiam, ut temporariis hominum commodis consulatur? Ac prior quidem quæstionis pars rursus bipartita est. Quæritur enim & de gloria divina, & de amicorum salute. Primò igitur respondemus, diligenter dispiciendum esse, an plus minusvé opis ad divinæ gloriæ cœlestisque veritatis amplificationem ex proximi nostri vita
203. dimanet, quàm ex nostra. Quòd si res divinas plus ex amici, quàm ex nostra morte damni subituras esse, nosque illum, mortis periculum ipsamque adeo mortem adeundo, conservare posse certum habeamus, omninò illius incolumitas vitæ nostræ præponenda est. Neque enim, utut fugitivam hanc vitam perdamus, veram vitam nostram, quæ æterna est, hoc pacto amissuri, sed potiùs propter tantum divinæ gloriæ studium, fratrisque amorem, eam acquisituri sumus. Quòd si minus ex illius, quam ex nostra vita atque incolumitate fructûs atque utilitatis Respublica Christiana sit perceptura, nequaquam pro illo, nisi salus ipsius æterna simul agatur, mortem subire debemus; cùm publicum commodum, quo cæteri omnes spoliarentur, privatis commodis semper sit anteponendum. Si autem proximus noster in eo sit statu positus, ut nec plus, nec minus, illius sive vita, sive mors, quàm nostra, ad res Christianas constituendas afferat momenti, tunc quidem nullam vim habet ista nostra cum illo comparatio ad Christi mandatum, quo animas pro fratre ponere jubemur, restringendum ac limitandum, sed lex potiùs charitatis urget, ut fratris vitam vitæ nostræ jacturâ velimus redimere; dummodo spes sit aliqua fieri posse, ut vitæ nostræ discrimine vel jacturâ ipse à morte liberetur.

Jam quod ad alterum attinet, nimirum salutis amici constitutionem, certè si moriendo efficere possimus, ut aliquis Christi disciplinam amplectatur, & sic in sempiternæ felicitatis possessione constituatur, minimè id refugiendum esse existimamus: cùm & ipsa Christianæ charitatis analogia omnino postulet, ut quicquid possidemus, in hominum salutem libentissimè impendamus; &

Domi-

Dominus noster hujus tam egregii facinoris clarissimum nobis suo exemplo lumen prætulerit: & tandem immortalitatis, (cum qua vita ista nostra, utpote fluxa & momentanea, innumerisque molestiis affecta, comparari nulla ratione potest) & nunquam interituræ felicitatis præmium nobis sit propositum. Si enim Paulus pro Israëlitis vitam sempiternam perdere paratus fuit, damnarique non recusavit, ut illi servarentur: (*Rom: 9. 2.*) quid tandem nobis faciendum est, qui absque ullo damnationis periculo, imò cum exploratissima sempiternæ salutis expectatione, pro fratribus mori possumus?

Jam ut illam etiam quæstionis propositæ partem excutiamus, qua quæritur, an ita pro altero mors subeunda sit, ut is vel hujus tantùm lucis usurâ fruatur, nullâ sempiternæ beatitatis gloriæque divinæ ratione habitâ: vel ut ex temporario periculo quodam eripiatur, vel ne rei alicujus, quæ ad hujus vitæ rationem spectet, detrimentum capiat, etiamsi nullum inde saluti ejus immineat periculum. Respondemus, homine Christiano indignum censendum esse, vitam suam, quæ tota in divinæ gloriæ studio, cœlestis veritatis propagatione, humanæ denique salutis procuratione consumenda erat, propter res tam inanes ac futiles, morte intempestivâ concludere.

† *Respondemus indignum*] Quæ hactenus disputat Volkelius de casibus, quibus liceat oppetere mortem pro aliis, ad Dei gloriam, vel eorum salutem promovendam, cùm ferè extra controversiam posita sint, excutere nihil attinet: Nisi quod hic obiter insinuit, nascitur ex illo Anabaptistico errore quo statuit bella omninò illicita esse, ideoq; damnat fortitudinem militarem eorum, quibus jucundum & dulce pro Patria mori. Interea tamen Charitas docet, quamlibet injuriam proximo nostro illatam, esse per nos quantum pote est propulsandam, etiam cum nostro discrimine, ut factum à Mose Ægyptium occidente qui percutiebat Israelitam, & propugnante Jethronis filias contra pastores eos qui illas abigebant Exod: 11, 11. 12. 17. Quin ipsi Ciceroni homini Ethnico id excidit, quod etiam Ambrosius adoptavit; *Qui socium non defendit ab injuria cum potest, tam est in vitio quam ille qui facit.*

Quàm impensè amicus ac frater, qui inter proximos primum tenet locum, diligendus sit, satis, ut arbitror, explicavimus. Verùm insuper animadvertendum est, non solùm eum proximum amare officii nostri esse, cum quo nulla nobis intercedit inimicitia; sed illum etiam, qui capitali à nobis odio dissidet. Discrimen enim illud, quod inter proximum olim & extraneum inimicum erat, per Christum, ut suprà diximus, sublatum ita est, ut proximi inimicique nomen non ampliùs populum à populo discernat; (*Ephes: 2 14. Gal: 3. 28.*) cùm, si Dei decretum atque consilium respicias, omnes terræ nationes unus Dei populus factæ sint, fierivé debeant. Verùm quemadmodum olim in Israëlitico populo erant, qui, licet proximi essent, animum tamen in aliquem vel aliquos suorum civium gerebant inimicum, ideoque inimici appellabantur:

labantur: (*Exod:23.4,5.*) ita & hodie multi nobis infensissimi sunt, qui, ut proximis dignum est, amare nos debebant. Horum autem tria genera à Christo numerantur. (*Matt: 5.44.*) Alii enim nos probris omnibus maledictisque vexant; quos ita amare nos jubet Christus, ut illis benè precemur. Alii autem, quamvis nihil dicant aut faciant, quod odii inimicitiæque apertam habeat significationem, imò sæpissimè vultu orationeque magnam erga nos voluntatis propensionem simulent, animo tamen in nos sunt iniquissimo; quos quidem omnium officiorum genere, quantum in nobis est, devincere debemus. Alii denique sunt, qui non solùm, ut primi, parùm commodis nos sermonibus impetant, vel, ut alteri, erga nos animum gerant inimicum: sed ipsis etiam factis nos offendant, omnibusque modis insectentur. Hos eo studio prosequi jubemur, ut pro illis ad Deum preces fundamus, ut non solùm animos illorum mutet, verùm etiam, quæ illius benignitas est, eos, prout commeriti erant, non puniat.

] *Discrimen enim illud*] De hoc discrimine ante disputavimus, & monuimus nihil olim obtinuisse, quod etiamnum hodie suo sensu non vigeat; cùm non liceat precari pro peccante ad mortem, aut fœdera connubialia inire cum infidelibus, aut amicitiam & consuetudinem cum impiis & improbis, vel publicis Reip. hostibus retinere.

Verum quemadmodum olim] At suprà ex hoc ipso loco Exod: XXIII, 4.5. ostendimus erga tales inimicos sub V. T. parem omninò charitatem servandam fuisse, cum ea quam tantopere Christus inculcat Matt: V, 44.

CAP. VIII.

De Decalogo & quidem de primo præcepto.

‡ *Respondente ad hoc & sequens cap.* NICOLAO METELERCAMP, *Benthemensi.*

VEniamus jam tandem ad specialem charitatis, quam Deo proximoque debemus, explicationem. Hæc autem, quatenus olim Israëlitis quoque sub veteri fœdere præcepta fuit, decem illis Dei mandatis potissimùm comprehenditur, quæ eam ob causam decalogi nomine appellantur, inque duas
205. tabulas distribuuntur, quarum altera cultûs amorisque Deo debiti continet explicationem: altera verò ea describit charitatis officia, quæ in proximum conferre debemus. Ac illa quidem quatuor præceptis continetur quæ hæc sunt. (*Exod: 20.3. & d. Deut: 5.7, & d.*)

I. *Non habebis Deos alienos coram me.*

II. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum; nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

III. Non

III. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumserit nomen Domini Dei sui frustra.*

IV. *Memento ut diem Sabbathi sanctifices.*

‡ *Hæc autem quatenus olim*] Atqui nihil amplius à nobis nunc exigi in hoc genere, quam quod *decem illis Dei mandatis potissimum comprehenditur, quæ eam ob causam Decalogi nomine appellantur*, & suo loco ostensum, & ex iis quæ porrò disputabuntur, clariùs innotescet.

Ac primum quidem præceptum ut rectè intelligamus, considerandum est, quid sit habere Deum, & quid habere Deos alienos, quid denique, eos coram Deo habere, designet. Primò igitur, quid sit Deum habere, ex iis quæ in ipso operis hujus vestibulo de Deo summo dicta sunt, constare potest: eo tantùm animadverso, quòd Deum, & animi tantùm persuasione, & re atque effectu ipso habere queas; ad quod posterius satis non est, ea, quæ suprà diximus, de aliquo credere, nisi eidem divinum honorem exhibeas, id est, illius timorem menti habeas injectum, fiduciam in illo colloces, eum ames, animi corporisque abjectione reverearis. Atque hinc facilè alterum intelligi potest, quid sit alienos Deos seu alienum Deum habere. Nihil quippe istud aliud est, quàm non solùm huic, qui hoc in loco se Deum illum, qui populum Israëliticum ex Ægypto eduxerit, esse dixit: sed etiam aliis divinum imperium, quod tamen revera non habeant, assignare, præsertim ita, ut imperium istud intelligatur à nullo superiore pendere; unde fiat, ut illis ea, quæ paulò antè sunt enumerata, singulari cum religione attribuantur. Talis apud Ethnicos Jupiter, Neptunus, & Pluto, quibus singulis divinum dominatum, eumque à superiore alio non pendentem, nec ulli subordinatum tribuerunt, qua in re à cæteris Diis fictitiis fuernnt distincti. Itaque duplici ra- 206.
tione adversus hoc præceptum peccarunt Ethnici: primò quòd iis divinitatem tribuerunt, qui eâ prorsus carebant: id quod ad omnes ipsorum Deos pertinet. deinde quòd plures statuerunt Deos supremos, sibi invicem minimè subordinatos, tres nempe illos à nobis dictos. Licet enim Jovem cæteris duobus videantur prætulisse: tamen non ita illum anteposuerunt, ut crederent eum duobus illis vel imperium concessisse, vel leges posuisse, iisvé aliquâ ratione imperare: sed ea tantùm ratione, quâ posses eum regem præferre cæteris, qui cultiori aut opulentiori præsit regno, & latiùs imperii sui fines protenderit, etiamsi cæteris regibus nullâ ratione imperet.

Sed etiam aliis divinum] Valde imperfecta & vitiosa est hujus primi præcepti explicatio Volkeliana: Nam primò habere *Deos alienos* coram Deo, non est tantum ipsi alios adjungere, sive coordinatè id fiat sive subordinatè, sive theoreticè, polytheismum concipiendo, sive practicè, honores divinos & religionis cultum

tum iis impertiendo, quos aliàs in comperto est *naturâ* Deos non esse Gal: IV, 8. Sed etiam vero seposito & ignoto Numine idolum quod libet in illius locum substituere & *rebus conditis præterito conditore* servire Rom: I, 25. Deinde supponit falsò Volkelius alicui convenire posse *Divinum imperium* qui tamen essentiâ ac naturâ Deus non sit; cùm illud formaliter in neminem cadat qui hac destitutus fuerit: Nam ad *imperium divinum* exercendum requiritur potentia infinita; hęc vero nulli potest competere qui naturę & perfectionis infinitæ non fuerit. Nam quale quidque est in essendo, tale est etiam in agendo; ut nequeat activitatem & potentiam infinitam habere, qui erit naturæ & essentiæ finitæ ac terminis suis circumscriptæ. Præterea, illa cautela Volkeliana (*ita ut imperium istud intelligatur à nullo superiore pendere,*) nihil facit ad rem; tum quia implicat contradictionem habere revera imperium divinum cum essentiali dependentia ab alio, siquidem illud est solius Creatoris, hæc vero omnis Creaturæ; tum quia dependentię conceptus vel agnitio non excusat ab Idololatria, cùm sit protestatio contra factum, quæ nihil operatur. Rem explico: Avaros esse Idololatras constat ex Scriptura Col: III, 5. Etenim nummos suos hactenus pro numinibus suis practicè habent & colunt; *Quantum quisque sua nummorum servat in arca, Tantum habet & fidei.* Eorum tamen nemo est qui nummis suis theoreticè independentiam tribuat à supremo Numine. Dicam aliud; Crellius suprà *lib. I. cap 17. pag. nobis* 164. & 165. valde tumultuatur adversus Pontificiæ communionis homines, quod apud eos *& mater Domini Maria ut Regina cœli, & divinissimorum donorum veluti dispensatrix quædam colitur; & alius è sanctis vita functis ut hujus, alius ut illius regionis aut urbis cœlestis quidam patronus, alius ut huic, alius ut alii præcipuè rei curandæ præfectus, religiosè adoratur, & precibus auxilium ejus, licet longissimè absentis, infinitis etiam locis simul imploratur; quo ipso divinitas illi revera adscribitur.* Eâ ratione Deos alienos haberi & constitui coram Jehova, & primum præceptum Decalogi violari, nemo Socinianus it inficias: Attamen Pontificiorum nemo est qui B. Virginem, cœterosque Divos & Divas, independentes à Deo constituat. Denique cum sensus hujus primi mandati sit ille qui ab ipsomet Christo proponitur Matt: IV, 10. *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies*, quam certum est hoc præceptum esse æternæ & immutabilis veritatis, tam certò rei sunt violati hujus primi præcepti Sociniani omnes, qui verâ æternâque divinitate Christi abnegatâ, tamen cultum religiosum & honores divinos illi volunt impertire. Hoc enim est habere Deos alios coram Jehova, illi conjungere vel subordinatè vel coordinatè ullam Creaturam quæ naturâ Deus non sit, in religionis cultu & gloria, quam alii se non daturum profitetur Es: XLII, 8. Huc maximè facit quod vel ipsum lumen naturale dictavit Ethnico Poëtæ Martiali,

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui colit ille facit.

Quapropter Christus divinos & religiosos honores nunquam sibi arrogasset, contra expressum hoc præceptum Legis quod ipse in arce reposuerat, nisi ejusdem essentiæ & naturæ cum Patre fuisset.

Talis apud Ethnicos] Satis intelligimus quò spectet horũ trium enumeratio affectata: nempe ut ex obliquo blasphemetur Sacro-sancta Trinitas: Sed frustra est hæreticus. Nam primò, quanquam parum nostrâ intersit quid Ethnici de falsis suis Numinibus statuerint, certum est Jovi ceu suprema tenenti, & Plutum & Neptunum subordinatos fuisse ab Ethnicis: Hinc in Deucalionei diluvii descriptione, Jupiter proponitur tanquã Neptuno superior, utpote qui mare ac flumina ad iram suam exercendam per ipsum concitarit: Et sexcenta possem proferre Ethnicorum testimo-

ftimonia, in quibus celebratur Jupiter ut Deus Deorum & summus ac maximus inter Deos, qui per consequens illi subordinantur; Quid quod juxta pudentiores ex Ethnicis, unicum supremum agnoscebatur Numen, quod in cœlo Jupiter, in aëre Juno, in terra Vesta, sub terra Plutus, in mari Neptunus diceretur, de quo videatur Augustinus *lib. 4. de Civit. Dei cap.*11. *& lib.*7.*cap.*11. Huc faciunt versus Valerii Sorani,

Jupiter omnipotens, regum, rerumque Deûmque
Progenitor, Genitrixque Deûm, Deus unus & omnis.

Præterea fides Catholica tollit quidem dependentiam essentiæ, naturæ, potentiæ, inter personas Sanctæ Trinitatis, sed tamen dependentiam personalem & ordinis inter illas agnoscit.

Ex dictis autem intelligi facilè potest, hoc præcepto nequaquam caveri, ne is, quem ipse Deus summus nobis regendis præfecerit, & sic imperii honorisque sui participem fecerit, pro Deo ita à nobis habeatur ac colatur, ut omnis ille cultus ad ipsum Deum altissimum tanquam ultimum scopum referatur. Neque enim Deus hoc præcepto potestatem sibi ipsi eripuit, eum, quem velit, nobis præficiendi, & honorem cum eo suum communicandi: cum hæc ipsa imperij ac potestatis supremæ, quam hoc præcepto sibi uni asseruit, pars sit maxima: sed populum tantùm obligavit, ne is pro suo arbitrio divinum cultum cuiquam exhiberet: huic, inquam, non sibi legem istam tulit. Quare ut terrenos principes ac reges, quos Deus nobis præfecit, ac Deorum nomine insignivit, pro talibus meritò habemus, & eos pro imperii ac potestatis quam à Deo acceperunt, gradu colimus ac veneramur: ita Christum, quem Deus omni in cœlo & in terra potestate donavit, & omnibus, se uno excepto, rebus summo cum imperio præfecit, meritò pro Deo nostro agnoscimus, eumque pro tanto tamque sublimi imperii gradu veneramur ac colimus, nec quicquam in eo huic divino præcepto contrarium facimus; nisi dicere velis, Deum, dum Christum, ob imperium tam sublime ipsi concessum, coli à nobis voluit, præceptum istud suum evertisse. Atqui id nequaquam eâ ratione evertit, sed potiùs, ut inferiùs docebimus, perfecit.

‡ *Ex dictis autem intelligi*] Fateor hoc præcepto non everti cultum Christi divinum & religiosum, cùm sit ipse *unum* cum Patre Joh: x, 30. *Deus super omnia benedictus* Rom: ix, 5. *verusque Deus & vita æterna* 1 Joh: v, 20. Sed supponere meram Creaturam à Deo summo *nobis regendis* præfectam, *& sic imperii honorisque sui participem* factam, ut ipsa *pro Deo à nobis habeatur & colatur*, est ipsi Deo contumeliosum & multifariàm contradictorium: Nam *pro Deo* haberi & coli eum qui *naturâ* Deus non sit, impium & Idololatricum est. Nec Deus censeri potest quasi pertæsus *imperii* quod habet in omnes Creaturas, vel otio litaturus, id onus in alicujus Creaturæ humeros devolvere; cum illud administret, quoad se, absque tædio & molestia, & huic moli sustinendæ requirantur vires infinitæ, quæ in meram Creaturam, ut suprà visũ, cadere nequeunt. Tum cultus religiosus ita uni solique Deo debetur, etiam sub N T. ex Matt: iv, 10. Apoc: xix, 10. xxii, 9. ut cum nulla Creatura, vel mediatè vel immediatè, vel directè vel respectivè & termi-

nativè *ad ipsum Deum altissimum*, absq; sacrilegio & Idololatria communicari possit: Etenim, ut etiam saniores docent Scholastici, omnes actus religionis eliciti, immediatè circa ipsũ Deum occupantur, cui uni religari debemus: *Unde Paulus*, (inquit infra ipse Volkelius *cap.12.*) *pristinam Galatarum idololatriam designare volens, ait eos seruisse iis qui naturâ non erant Dii*, Gal: IV, 8. Etiam Ethnici hac caluâ ratione excusabant suorum Idolorum cultum, quod is omnis ad supremum Numen, sive ut amat loqui Volkelius, *ad ipsum Deum altissimum, tanquam ultimum scopum referretur*. Id docet nos Ambrosius, sive quisquis est apud eum Commentator epistolarum Paulinarum, *ad cap.1.Rom. Solent pudorem passi neglecti Dei, miserâ uti excusatione dicentes, Per istos posse ire ad Deum sicut per comites pervenitur ad regem. Age, nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam regis vindicet comiti, cum de hac re, si qui etiã tractare fuerint inventi, jure ut rei, damnentur majestatis? Et isti se non putant reos qui honorem nominis Dei deferunt Creaturæ, & relicto Domino conservos adorant, quasi sit aliquid plus quod reservetur Deo?* Sic apud Augustinum *in Psal.113.* perperam *videntur sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt nec simulacrum nec Dæmonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor quam colere debeo*; adeoque frustra *quisquam* dixerit *cum irrisa fuerint simulachra, Non hoc visibile colo, sed numen quod illic invisibiliter habitat.* Non nesciunt quoque Sociniani Pontificiorum hanc esse protestationem, quod Divos Divasque sic colant religiosè, ut tamen omnis suus cultus *ad ipsum Deum altissimum tanquam ultimum scopum referatur*; Et tamen judicant hanc protestationem nihil operari, eo quod hoc quoque cultu religionis respectivo & subsidente infra eum qui est supremi Numinis, Creaturæ *divinitas* adscribatur, ut suprà referebamus ex Crellio, atque sic paria fiant cum Idololatris Ethnicis qui serviebant iis qui naturâ Dii non erant. Notum est ex Scripturis Idololatriæ crimen sæpè cum adulterio conferri, & exprimi illius nomine. Jam autem adultera est non solum ea quæ alium recipit ex odio & fastidio mariti, sed etiam ea quæ alii se prostitueret cum respectu ad maritum, existimans hanc illi rore viam ad opes & dignitates, aut ex alio aliquo errore putans se rem illi gratam & acceptam in eo scelere præstituram. Addo quod Satan facilè acquievisset in adoratione ejusmodi respectiva, si sit communicabilis Creaturæ; & Christo adorationem quam petebat, recusanti ex illo præcepto, *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies*, regerere potuisset, se non petere absolutam adorationem sed tantum relativã quæ referretur ad ipsum Deum altissimum, à quo ipse fuerat Deus hujus mundi constitutus.

Neque enim Deus] Imò cum præcepta Decalogi sint æterna & immutabilia, ut etiam suprà agnovit utcumque Volkelius, quemadmodum Deus non potest seipsum abnegare 2 Tim: II, 13. ita non potest in hoc primo sic dispensare, ut gloriam suam det alteri Es: XLII, 8. & summi Rectoris abdicato axiomate, illud honoremque sibi ideo debitum, transferat in meram Creaturam & cum ea communicet. Hinc non *populum tantum obligavit, ne is pro suo arbitrio divinum cultum cuiquam exhiberet*, sed etiam eum obligavit ut cultum omnem divinum sibi *SOLI*, exclusivè ad omnes Creaturas, exhiberet; quam obligationem ipse Christus adhuc urget Matt: IV, 10. tantum abest ut per Christum ea sublata sit: Et omninò ac universaliter vetat habere Deos alienos coram se, idest servire iis qui *naturâ* dii non sunt. Non potuit autem Deus in æternum homines omnes ad id obligare, quin eo ipso testatum faceret, nolle se unquam in potestatis suæ & gloriæ sibi debitæ consortium, ullam Creaturam admittere. *Nec regna socium ferre nec tædæ sciunt*, inquit Seneca Tragicus; & alter;

Non

Non benè conveniunt nec in una sede morantur,
Majestas & Amor; Item
Non capiunt Dominos regna Venusque duos.

Igitur quamvis Deus populo *non sibi legem istam tulit*, attamen eo ipso quod sibi ipsi lex est, ut non potest alium Deum facere, sic non posset alium naturâ non Deum in Dominii & Honoris sui Societatem admittere, quin eo ipso negaret se solum esse colendum & adorandum: cùm vera Divinitas & Adorabilitas convertantur.

Quare ut terrenos] Sed cùm *principes ac reges* insigniantur *Deorum nomine*, non φυσικῶς, sed tantum θετικῶς & nuncupativè, non illis debetur cultus religiosus & divinus, sed tantũ civilis & politicus. Quod si igitur non alia sit ratio Christi quam regum & principum qui *Dii* dicuntur, Primò ipse nunquam in singulari Deus erit vocandus; cùm nemo principum & regum in singulari ita appelletur in Scriptura. Secundò, ejus cultus non debebit esse divinus & religiosus, sed civilis & politicus: Quã enim multifariàm peccarint Imperatores Romani dũ illum sibi ausi sunt arrogare, & in confesso est, & fusè demonstratur à Filesaco Sorbonista erudito *tract. de Idololatria Politica.* Tertiò Christus censeretur obtinere non imperium divinum & sacrum, sed civile & humanum, prout omnis regum & principum in mundo potestas dicitur ἀνθρωπίνη κτίσις 1 Pet: II, 13. Quartò non esset statuendus *proprius* Dei filius & illius μονογενής, ut sæpè appellatur in Scripturis, sed tantum minister & servus, quod de quolibet Rege verum est. Quintò ut ipsi Reges & principes, licet alii aliis sint potentiores, tamen collaterales sunt inter se; unde dicuntur omnes Reges fratres esse, cùm plus & minus non varient speciem; ita ipsi Christo collaterales deberent statui, cum tamen illi subjiciantur. Sextò vix posset discrimen assignari, inter Christum & diabolum ipsum, qui etiam Deus & princeps hujus mundi dicitur, nec planè falsò gloriabatur Luc: IV, 6. potestatẽ & universam gloriam regnorum mundi sibi traditã esse. Ex his & similibus, luce meridianâ clarius est toto cœlo errare Socinianos, per hanc comparationem inter Christum Regem regum & Dominum dominantium, ac reges terræ. Illi enim omnis potestas in cœlo & in terra convenit ideo quod sit natura Deus, adeoque illius quà θεανθρώπου administrandæ capax, ut & illi sub hoc respectu commissa fuit à Patre; Quare tum illius potestatis infinitæ quam sustinet respectu, tum etiam infinitæ potentiæ quâ pollet ad illius administrationem, *meritò pro Deo nostro* venit agnoscendus, colendus, adorandus.

Nec quicquam in eo] Ita est; quoniam est naturâ Deus, ejusdem cum Patre & potentiæ & essentiæ: At qui Galli vel Poloni dicerent se suum respectivè Regem *meritò pro Deo* suo agnoscere, illi in Deum suum unicum contumeliosi essent. Non ergo Deus *evertisse* censendus est illud suum præceptum, dum Christum *coli à nobis voluit*, imò ab omnibus Angelis adorari, quia is cultus non soli Patri, sed Filio quoque cum Patre, ut pote ejusdem cum ipso essentiæ ac potentiæ, omninò debetur; Sed id præceptum censeretur evertisse, si Christus esset mera Creatura, prout illud abrogaret, everteret ac tolleret absque dubio, si omnes Principes ac Reges terræ vellet cultu sacro & religioso coli & adorari à suis subditis. Tunc enim creaturis quibusdam mandaret communicari quod sibi SOLI antea per hanc Legem reservaverat.

Sed ut jam videamus, quid sit, alienos Deos habere coram Deo, animadvertendum est, id à Theologis dupliciter explicari, ut nimirum vel significet alienos Deos quasi in Dei conspectum producere, inque illius oculis, ut illi

illi ægrè à nobis fiat, colere. Deus quippe ubique præsens adest, omnia audit, omnia contemplatur; vel ita, ut intelligatur, *præter me*; sensusque sit, extra, vel etiam juxta unum illum summumque Deum, nulli alii divinitatem, quam ipse Deus ei non concesserit, tribuendam, divinumque honorem defe-
207. rendum esse; statuaturque, hoc Deum voluisse dicere: ita me colas, ut omnes alios Deos valere jubeas. Is enim sum, qui rivalem pati ferreque minimè possum; ideoque fieri nullo pacto potest, ut unà mecum alios Deos colas ac reverearis. Hæc autem lex, & divini cultus ratio, ad quam ea spectat, quo pacto per Christum aucta amplificataquè sit, jam tandem videndum nobis est.

‡ *Nulli alii divinitatem*] Atqui Deus in hoc præcepto loquitur citra exceptionem; ac sicut eam *divinitatem*, quæ sit pro fundamento honoris divini illi deferendi nulli tribuere debemus qui naturâ Deus non fuerit Gal: IV, 8. sic illam nemini naturâ non Deo, concedere potest Deus, quin seipsum abneget. Adhæc ille solus divino honore est colendus, qui *ubique præsens adest, omnia audit, omnia contemplatur*; Nam suprà ex Crellio notabamus absurdè Divos & Divas in Romana communione coli multis & quasi infinitis in locis, cùm tamen *longissime absint*. Quò & pertinet sancta Eliæ ironia 1 Reg: XVIII, 27. Jam autem ubique præsentem adesse, omnia audire, omniaq; contemplari, nullius est creaturæ finitæ, nedum meri hominis, qualem Christum esse, sibi imaginantur Adversarii: Igitur vel Christum naturâ Deum & plusquam Creaturam debent fateri, vel omnem cultum divinum & religiosum illi abrogare.

Hæc autem Lex] Sed cum sit præceptum negativum, absurdè auctum amplificatumque fingitur: cùm præceptum negativum, de nemine colendo præter solum Deum, augeri & amplificari nequeat, quin ipsius Dei summi cultus prohibeatur. Si verò ita affirmativè enuncietur, *Solus summus Deus est colendus*, non tam amplificatum & auctum debet dici præceptum ex adversariorum hypothesi, quam restrictum & limitatum; quandoquidem id quod solius Dei ex illo erat, ad alium naturâ non Deum transferre nunc licet. Nam multiplicato objecto religiosi cultus, restringitur præceptum quo *Soli* Deo ille cultus veniebat deferendus. Deinde facilius est supponere quam probare Christum hanc legem auxisse & amplificasse, cùm eam semper uti jacet inculcaverit, ut videre est Matt: IV, 10. quem locum sæpiùs jam protulimus, nec illi quicquam addi potuerit quin everteretur. Nam contradictoriè hæ duæ propositiones opponuntur; Solus summus Deus est religiosè colendus & adorandus: & Aliquis est religiosè colendus & adorandus qui non est summus Deus.

CAP. IX.

De precibus.

DUplici igitur modo hoc factum est. Primò enim Christus suos preces Deo fundere tum docuit, tum assiduè eos hoc facere jussit. Deinde de Deo per semetipsum colendo præcepit. Quorum prius antea Israëlitis imperatum minimè fuisse, inde constat, quòd in illis 613, ut à Judæorum magistris numerantur

rantur, præceptis, populo illi traditis, nullum fuit, quo ad preces Deo adhibendas compelleretur. quanquam qui Dei tunc opem nunquam imploravit, is, (meâ quidem sententiâ) non satis pius fuisse existimandus est. Quia enim Deus illorũ benefactor & redemtor fuit, multaque sæpè inciderunt mala, ex quibus humanâ ope emergere nequaquam potuerunt, ideoque maximæ Deum orandi sese obtulerunt occasiones; res ipsa eos admonuit, ut ad Deum confugerent, ab eoq; auxilium peterent: ut quidem Davidem fecisse cernimus, qui sibi in maximis periculis auxilium opemque ferri à Deo ardentissimis precibus postulavit.

‡ *Duplici igitur*] Neutrum potest defendi. Non posterius, cùm Christus idem heri & hodie, fuerit quoque Mediator sub V.T. adeoq; pii per eum sive in ejus nomine Deum coluerunt, implicitè saltem, ut loquuntur in Scholis, ac interpretativè. Non prius cùm necessitas, præceptum, multiplexque praxis & usus precum Deo fundendarum & fusarum, viguerint ante tempora Christi in carne manifestati.

Quorum prius antea] Imò Judæi ex 613. præceptis suis sextum expressè dicunt illud esse *ut fundemus preces ad Dominum*, quod comprobant authoritate Mosis Exod: XXIII, 25. ut videre est in *Thesauro Præceptorum* Isaci Atias Judæi, quem nos cœpimus Latinitate donare, & *notis* atque *quæstionibus* variis illustrare. Sic enim Judæi formulas suas precatorias & ordinem in illis servandum, rejiciunt in Esdram & viros magnæ Synagogæ, ut tamen statuant ab ævo mandatum precandi inter suos viguisse. Huc pertinet quod Buxtorfius *Synag. Iud. cap. 5.* refert ex libro R. Bechaiqui inscribitur כד הקמח *Kad Hakkemach*, id est *Cadus farinæ: Sciendũ tibi est à temporibus Mosis usque ad viros Synagogæ magnæ nullum certum & æqualem ordinem formamque precandi fuisse inter Israelitas; sed unusquisque sibi ipsimet conficiebat orationem pro sua scientia, sapientia & eloquentia, eamque orabat, donec viri Synagogæ magnæ venerunt, & precationem hanc Schemon Esre concinnarunt, ut æqualem & communem haberent Israelitæ precandi formulam.* Sic Mæmonides in *More Nev. p. 3. cap. 36.* ad præcepta primæ classis quæ articulos fundamentales spectãt, refert *præceptum quo Deus nobis præcepit, ut ipsum invocemus tempore necessitatis.* Et sanè cum cultum suum in genere præceperit Deus, hoc ipsum de se colendo mandatum, etiam precandi necessitatem involuebat: Imo cùm primo Decalogi mandato, se solum pro Deo haberi & adorari voluerit, eo ipso sui præcepit invocationem, quam jam tum tempore Enos cœpisse publicè fieri refert Moses Gen: IV, 6. Varia extant exempla precum Deo fusarum in Patriarcharum familiis Gen: XXIV, 12. 63. XXV, 21. XXVIII, 20. XLVIII, 16. nec dubium, quin unà cum Sacrificiis externis jam ab orbe condito pii quilibet labiorum suorum vitulos sacris precibus Deo obtulerint. In ipsa Lege Mosaica præcipitur Sacerdotibus ut benedictionem votivam atque precatoriam pronuncient super populo Num: VI, 23. & seq. & multa extant exempla ipsius Mosis Deum seriò invocantis, ut Exod: XIV, 15. XVII, 11. 12. Tempus jugis sacrificii, quod mane & vesperi offerebatur, dicebatur quoque *tempus orationis* Act: III, 1. quod tunc ad preces publicas populus conveniret: Quin ipsummet Tabernaculum & Templum, in quo ex Legis præscripto tenebantur Israelitæ omnes, statis temporibus coram Deo comparere, sic erat in genere cultui ejus consecratum, ut in specie precibus ipsi fundendis destinaretur, unde *Domus orationis* dicebatur Es: LVI, 7. Matt: XXI, 13. Qui potuisset verò sic insigniri, nisi precatio ad cultum Lege præscriptum pertinuisset? Et præterea quod ipsa naturalis ratio di-

ctat, non posse Numen coli, uti se coli mandat expresse, quin illi supplicetur, quod & faciendum Ethnici plurimi inculcarunt, tot extant mandata apud Prophetas Deum invocandi, ut Psal: L, 15. Es: LV,6. & alibi passim, tamque frequens legitur istius sacri exercitii praxis apud pios V.T. quà privatim, quà publicè, ut summæ sit impudentiæ statuere, quod *in præceptis populo* Judæorum *traditis, nullum fuerit quo ad preces Deo adhibendas compelleretur.*

Quanquam qui Dei tunc opem] Id si verum, ut verissimum est, debet omninò fateri Volkelius, vel mandatum tunc extitisse de Deo invocando, vel pietatis Deo præstandæ normam aliunde quam ex illius mandatis fuisse repetendam, quod nemo mentis sanę sibi imaginabitur.

Res ipsa eos admonuit] Sed cùm debuerint ex fide precari Jac:1,6. & cum certa exauditionis fiducia, eò nunquam potuissent in suis angustiis devenire, nisi promissione & pręceptione Dei fulti fuissent.

Idem, Dei quasi verbis, atque adeò Dei quoddam consilium proferens, suadet, ut illius opem homines afflictionis tempore implorent, certò sibi persuadentes, eum preces illorum auditurum. (*Psal: 50.15.*) Quod tamen Davidis pronunciatum, ejusmodi mandatum, quale hoc loco commemoramus, minimè fuisse, si modò in mandatis numerandum est, inde perspicitur, quòd Deus non in Psalmis præcepta generalia, quibus omnes sub pœnæ comminatione obstringerentur, dedit: sed in ipso fœdere per Mosen cum populo illo facto. Itaque hęc Davidis verba, vel consilium tantùm continent, vel, si mandatum continent, illud nequaquam cæteris præceptis in ipso fœdere comprehensis par censendum est: ut taceam, illud non perpetuò omnibusque temporibus ad precandum homines obstrinxisse: cum hîc nonnisi tempus afflictionis, quo Deus sit invocandus, exprimatur. Sub Christo autem omni tempore, atque adeò non afflictionibus tantummodo, sed aliis etiam rebus impulsi, Deo preces adhibere jubemur: ut vel ex solo orandi formula à Christo nobis præscripta apertissimum est. (*Matth:6.8.*)

‡ *Idem Dei quasi verbis*] Cum hæc verba Psal. L,15. *Invoca me tempore angustiæ & eripiam te,* & præceptiva sint & promissiva, stolidè conatur Volkelius hoc pondus declinare, statuendo illis *Dei quoddam consilium* contineri. Nam præterea quod vulgò dicimus Magnatum Consilia Legum ac mandatorum vim habere, non posset ratio ulla excogitari, cur istud Davidis sit tantum Consilii, cùm Deus per ipsum dixit *Invoca me*, hoc vero Christi dicentis Matt: VII,7. *Petite & dabitur vobis*, Præcepti debeat statui. Quæ tantum sunt Consilii juxta Scholasticos non obligant nisi volentem, & citra peccati & violatæ pietatis conscientiam possunt negligi. Quis autem censebit, potuisse quemquam hoc officium à Davide, sive potius ab ipsomet Deo per ipsum, injunctum, securè negligere & citra peccatum omittere?

Inde perspicitur quod Deus] Sed perabsurdè statuentur ad *præcepta generalia* non pertinuisse ea quæ Rex pius & Sanctus Dei nomine & jussu toti populo significabat; aut talia illa fuisse quę impunè negligi possent. Neque David id promulgat tanquam novum præceptum, sed renovat & inculcat ceu jam ante mandatum ad omnes *sub pœnæ comminatione, in ipso fœdere per Mosem cum populo illo facto.* Etenim certum est nihil in genere morum & quod ad pietatem spectaret, inculcatum fuisse à Pro-

à Prophetis post Mosem, ad quod eorum Auditores vi ipsius fœderis per Mosem facti non tenerentur.

Ut taceam illud non] Melius tamen fecisset Volkelius si hoc tacuisset: Nam & Scriptura N. F. restringit etiam precandi necessitatem *ad tempus afflictionis* Jac. v, 13. *Æger est animo aliquis inter vos? oret;* & cum tota vita sit contexta variis & quasi continuis afflictionibus, etiam eo ipso quod mandavit Deus per Davidem precandum afflictionis tempore, *perpetuò omnibusque temporibus ad precandum homines obstrinxisse* censendus est. Nec precibus erit amplius locus in cœlo, sed tantum laudibus & gratiarum actionibus; quòd indigentiæ tempus præterierit, & omnes lachrymas à nostris oculis abstersferit Dominus.

Sed aliis etiam rebus] Nullæ aliæ res nos ad precandum impellunt, quam quæ ad necessitatis, miseriæ, infirmitatis, & indigentiæ nostræ sensum & conscientiam in hac ærumnarum valle pertinent, quod etiam ex ipsa *orandi formula à Christo nobis præscripta apertissimum est.* Nihil enim ibi petendum extat quod ad tempora angustiæ & nostræ peregrinationis à Domino apprimè non pertineat.

Hîc verò scire cupies, quî fiat, ut cùm tam in vetere, quàm in novo fœdere, divinæ opis implorandæ causæ fuerint, non tamen olim, sed nunc demum rei istius præceptum traditum fuerit. Respondemus igitur, ut & suprà innuimus, ad id, ut mandatum generale de precum studio detur, non satis esse, interdum ejusmodi tempora incidere, quibus, cùm humana ope juvari non possimus, ad divinum præsidium sit confugiendum; cùm res ipsa tunc absque ullo mandato præsertim generaliter tradito, hoc efflagitare videatur: sed opus esse, ut perpetua quædam rei istius necessitas nobis incumbat, & ex ipso fœdere quodammodo profluat; hoc est, ut divino auxilio denudati, neque fœderis mandata perficere, nec ejusdem promissa ullo modo assequi possimus. Quod certè secùs sese habuit sub prisca illa legis disciplina: cùm neque illius mandata, ita, ut status illius populi requirebat, intellecta, per se vires humanas superaverint; nec terrena illa felicitas tanta fuerit, ut ad eam consequendam, præter obedientiam & precibus opus esset; quippe quæ obedientiam lege sancitam, vel nihil, vel parùm admodum videretur superare. Adde, quòd non ea erant illa promissa, ut qui cum obedientia legi debita preces conjungeret, is sine ulla dubitatione eorum compos fieret. Sæpè enim eveniebat, ut homines divinæ gloriæ studio inflammati, pro terrena felicitate maximis divexarentur ærumnis atque calamitatibus, Deo interim multò illis præstantius præmium apud se constituente. (*Heb: 11, 35, 40.*) Quod cùm ita sit, quem, quæso, mandatum de perpetuis precibus tunc locum habuisset? Atqui hoc tempore, non solùm interdum precandi necessitas incidit: sed ipsâ fœderis vi ad perpetuum orandi atque obsecrandi studium impellimur: cùm & illius præcepta humanam facultatem vincant, & ideò, nisi divino fulciamur præsidio, ea exequi nequeamus; & summa promissorum magnificentia omnem nostram obedientiam infinitis partibus superet; & porrò præter vitam cum virtute tra- 208.

ductam, ardentissimo precum studio opus sit; præsertim cùm hodie omnibus, qui & vitæ colunt sanctimoniam, & in assiduo precum ardore versantur, certissima atque exploratissima vitæ sempiternæ spes ostensa sit, quod ut paulò antè diximus, contrà fiebat olim in promissis legalibus.

‡ *Hic vero scire cupies*] Hæc est absurda quæstio nata ex Volkelii falsa suppositione quam jam profligavimus; siquidem jam *olim*, neque *nunc demum*, *rei istius præceptum traditum* fuisse, luce meridianâ clarius est.

Respondemus igitur] Ad stultam quæstionem inepta debuit dari responsio. Sola necessitas, utut durum telum, non potest miseris fiduciam facere Deum invocandi, nisi ejus mandato & promissis ad id excitentur. Quare etsi *res ipsa* præsens Dei auxilium *efflagitare* videatur & θεὸν ἀπὸ μηχανῆς expectare, implorari tamen ex fide non potest *absque ullo mandato*: quod *generaliter* traditum oportet esse piis omnibus, cùm ad id *generaliter* teneantur, & nemo eorum non frequenter *in ejusmodi tempora* incidat, *quibus cùm humanâ ope juvari* nequeat, *ad divinum præsidium sit confugiendum*. Adhæc majorem magisq; *perpetuam* necessitatem nobis nunc incumbere precandi, quam sub V. T. gratis assumitur. Etenim cum Deus debuerit æquè tunc *perficere* in suis quod eos spectabat, nec *ab operibus manuum suarum desistere* Psal:CXXXVIII,8. ac nunc illius est *operari* in nobis & *velle & perficere* Phil:II,13. id est certissimum quod homines tunc *divino auxilio denudati neque fœderis mandata perficere*, *neque ejusdem promissa ullo modo assequi* poterant.

Quod certè secus sese] Hic tot absurda sese ingerunt ut omnia enotare sit difficile. Primò supponitur falsò, estque aliàs à nobis fusè refutatum, quod sola *terrena fœlicitas* veteribus fuerit promissa; cum pietas & Dei cultus ab ævo habuerit promissionem *vitæ præsentis ac futuræ* I Tim:IV,8. Patet quod dico ex eo quod subjungit Volkelius, tum *sæpè* evenisse *ut homines divinæ gloriæ studio inflammati pro terrena fœlicitate maximis divexarentur ærumnis atque calamitatibus, Deo interim multò illis præstantius præmium apud se constituente* Heb:XI,35.40. Secundò falsum est *mandata legis per se vires humanas* non superasse: E contrario dicitur à Petro Act:XV,10. *jugum* hoc tam grave fuisse, ut illud *neque patres nostri neque nos portare valuerimus*: Et Paulus ideo negat potuisse Legem quenquam justificare, quod infirma esset in carne, Rom: VIII, 3. 7. Ipseque Volkelius *caput 21. lib. 2.* inscripsit *de Legis difficultate*. Quod si *vires humanas* mandata Legis non superabant, ut absque Dei auxilio possent præstari, in eo deterior erit conditio nostra sub N. F. nec leve jugum Christi erit censendum, sed multo gravius Mosaico. Nec est quod κρησφύγετον quærat Volkelius in vocula *per se*, aut in eo quod dicit se mandata Legis notare, *ita*, *ut status illius populi requirebat intellecta*; Etenim certum est nulla Dei mandata *per se* vires humanas superare, sed tantum per accidens corruptionis quam invexit peccatum, unde dicitur Lex *viribus destituta in carne* Rom: VIII, 3. Tum mandata Dei obligabant illum populum, in omni illo sensu quo debebant intelligi, non tantum prout ab eo in sua infirmitate vel cœcitate capi poterant: Non enim officii præstandi mensura est hominum intellectus distortus, hebes, & vitiosus, sed Lex Dei eo ipso sensu quo lata est. Tertiò Volkelius non videt quantopere sibi noceat & doctrinæ suorum. Nam præterea quod ex hac hypothesi, difficiliorem reddit salutem sub N. F. quam sub V. evertit omninò Pelagianum suum dogma de viribus liberi arbitrii, indè adstrui solitum à suis propugnatoribus,

gnatoribus, quod Deus cenſeretur agere tyrannicè cum hominibus, ſi ulla ipſis daret mandata quæ ipſorum vires ſuperarent; dum ſaltem inſinuat mandata N. F. in eo diſcrepare à veteribus quod *per ſe vires humanas ſuperent*, & abſque præſenti gratiæ auxilio perfici nequeant. Quartò perperam opponit *obedientiam precibus*, quaſi illa abſque his poſſit præſtari: Videmus enim toto Pſal:CXIX, quam ſæpè David à Deo petat gratiam intelligendi Legem Dei & præſtandi mandata illius: Semper fuit locus illi precationi inter homines, *Domine fac quod jubes, & jube quod vis.* Et cum precandi officium à Deo quoque demandatum ſit, obedientia non poſſet eſſe integrè præſtita ab eo qui iſto precum officio defungi negligeret. Quintò impium eſt ſtatuere terrenam fœlicitatem poſſe obtineri abſque precibus & præſenti Numinis auxilio; cùm Jacob nonniſi à Dei manu & benedictione victum & amictum expectaverit Gen:XXVIII,20.21. Denique non capio quid ſibi velit Volkelius cùm ait, quod terrena illa fœlicitas, *obedientiam Lege ſancitam vel nihil vel parum admodum videretur ſuperare.* Nam ſi vel tantillum eam ſuperabat, ergo *præter obedientiam precibus opus* erat *ad eam conſequendam*; quia in Schola Volkeliana preces debuerunt ſupplere quod obedientia ſola præſtare & conficere non poterat. Adhæc nullum concipi poteſt præmium nobis à Deo propoſitum, quod ſuâ dignitate non ſuperet omnem obedientiam noſtram, & in quo non plus à Deo accipiat homo quam ipſe Deo præſtat; nam ſemper illi ſumus *ſervi inutiles* Luc:XVII,10.

Adde quod ea non erant] Ergo in Theologia Volkelii *promiſſa* facta veteribus nihil habebant certi; Nam multo minus per ſolam obedientiam potuiſſent obtineri, ſi nequidem certò *compos* eorum factus fuiſſet, *qui cum obedientia legi debita preces* conjunxiſſet. Sed cùm Deus ſit veraciſſimus & promiſſionum ſuarum tenaciſſimus, hinc potius colligendum fuerat, promiſſa divina longè excellentiora fuiſſe, quam ut intra hujus vitæ cancellos coarctarentur. Aliàs nunquam eveniſſet *ut homines divinæ gloriæ ſtudio inflammati, pro terrena fœlicitate maximis divexarentur ærumnis atque calamitatibus.* Sed id ipſum indicio erat certiſſimo, quod Deus *multo illis præſtantius præmium* & promiſerat & *apud ſe* conſtituerat, ut probat Volkelius ex Heb:XI,35.40. ut certò potuerint expectare *civitatem quæ habet fundamenta* Heb:XI,10.& *potiorem* patriam, *hoc eſt cœleſtem* Heb:XI,14.16.

Quod cum ita ſit] Imò verò cùm Deus piis *multo præſtantius præmiũ* terrenâ fœlicitate conſtituerit, & *cum ſæpè maximis divexarentur ærumnis & calamitatibus*, ut in his *res ipſa* efflagitare videbatur precum uſum aſſiduum, ita præſtantioris illius præmii ſpes & cogitatio, ex illo ipſo Dei ſecum fœdere enata, (ideo enim *potiorem* patriam expectabant *hoc eſt cœleſtem*, quod *Deum non puderet eorum, ideſt cognominari Deus eorum, paraverat enim eis urbem*, inquit Apoſtolus Heb:XI,16.) perpetuam precandi neceſſitatem illis imponebat, & quæ, ut amat loqui Volkelius, *ex ipſo fœdere quodammodo* profluebat.

Atqui hoc tempore] Sed æquè magna & frequens erat olim *precandi neceſſitas*, & *ipſa fœderis vi ad perpetuum orandi ſtudium* homines impellebantur, ut ante demonſtravi.

Cùm & illius præcepta] Ubi ergo vires tantopere jactatæ liberi arbitrii? Sed & id ſemper obtinuit; nunquam enim potuerunt homines exequi Dei mandata *niſi divino* fulcirentur *præſidio. Quid habes quod non acceperis?* inquit Paulus 1 Cor: IV,7. Quin ipſi Ethnici dixerunt, nullum unquam virum magnum extitiſſe abſque afflatu divino.

Et ſumma promiſſorum] Sed & eadem fuit *promiſſorum* divinorum *magnificentia* ſub V. T. licet fuerint obſcurius paullo propoſita; & nullum unquam hominibus

à Deo propositum fuit præmium, quod *omnem* ipsorum *obedientiam infinitis partibus* non superaret.

Et porrò præter vitam] At id semper fuit necessarium; & vita nequit cum *virtute* traduci, nec ab ullo unquam traducta fuit, absque *ardentissimo precum studio;* Cùm hoc studium sit pars haud minima pietatis, absque qua vera virtus nulla concipi potest.

Præsertim tum hodie omnibus] Verùm modò demonstravimus, quod etiam veteribus *certissima atque exploratissima vitæ sempiternæ spes ostensa sit;* ita ut illius *promissis* neutiquam caruerit Vetus Testamentum. Nempe eò redit tota hæc Volkelii doctrina, ut statuat id perfectionis primum Legis mandatum consequutum fuisse per Christum, quod ipse nos docuerit *preces Deo fundere*, idest id præstare, quod sæpiùs mandatum legimus in V.T. cujus præstandi æquè jugis necessitas olim ac nunc incumbebat hominibus; quod ab omnibus piis semper sedulò & diligenter præstitum; imò quod præstandum res ipsa & solum lumen rationis evidenter demonstrat. Tantæ molis erat aliquid reperire quod Christus ad primum Decalogi præceptum adjecisset.

Sed jam quodammodo res ipsa monet, ut paulò liberiùs in hanc causam ingrediamur, diligenterque inquiramus, tum quid oratio sit, quosque fines sibi habeat propositos, tum quot in genera distribuatur, quæque in ea Deo ritè adhibenda leges conditionesque sint conservandæ. Primò igitur, oratio nihil aliud est, quàm divini numinis imploratio, quâ ipsi cultum exhibemus,
209. & auxilium illius, sive nobis ipsis, sive proximo præstandum expetimus. Hos enim fines cuilibet Deum precanti propositos esse debere, & res ipsa, & apertissima Christi Apostolorumque testimonia comprobant. Ac primùm quidem ad Dei cultum quod attinet, animadvertendum, eum in precibus fundendis dupliciter spectari, nimirum vel ita, ut nos ipsi precum religione Deum colamus; vel hoc pacto, ut precibus Deum commoveamus ad ea facienda, quæ ad illius gloriam illustrandam valent: quorum illud tunc fieri intelligendum est, cùm orando Dei celebramus omnipotentiam, bonitatem, ac sapientiam, hoc ipso facto nobis persuasissimum esse declarantes, Deum & velle, & posse nobis opitulari, & quo quisque animo ad illum supplex accedat, quibusque in rebus ipsius ope indigeat, minimè ignorare.

‡ *Ut precibus Deum commoveamus*] Hoc crudiùs dictum & ἀνθρωποπαθῶς, debet θεοπρεπῶς intelligi. Aliàs enim cùm Deus sit primum movens, & seipsum constantissimè velit Prov. XVI, 4. adeoque etiam ea omnia *quæ ad illius gloriam illustrandam valent*, non possumus censeri propriè illum commovere *ad illa facienda:* Interea tamen pio illo nostro zelo delectatur, & ut eum magis incendat, etiam illa quæ ad suam gloriam illustrandam valent, vult quodammodo indulgere precibus nostris, ac sic ostendere eo majorem curam se habiturum nostræ salutis, quod eam cum iis quæ ad gloriam suam spectant conjunctam esse voluerit.

Hoc autem posterius quo pacto à nobis fieri debeat, ipse Christus luculentissimè docet his verbis: *Orantes dicite: Pater noster, qui es in cœlis; sanctificetur nomen*

men tuum; ad veniat regnum tuum; fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, [*ita*] *etiam in terra.* Ubi tria ad divinum cultum pertinentia à Deo precari jubemur. Primò orandum eſt, ut Deus omnibus rebus nos cæteroſque homines inſtruat, quibus ad ſanctiſſimum illius nomen celebrandum opus eſt, & omnia, quæ ſcriptis mandamus, quæ ſermonibus divulgamus, quæ denique carminibus hymniſque decantamus, ita fortunet, ut ad ipſius laudes per orbem terrarum diſſipandas, plurimum afferant momenti. Deinde petere à Deo jubemur, ut cœleſtem veritatem per Chriſtum patefactam, ſpiritus ſui vi aliiſque rationibus ad hanc rem accommodatis, hominum animis ita ingeneret, ut in illis ſedem domiciliumque conſtituat. Ut enim regnum Dei adveniſſe rectè dicatur, nequaquam ſatis eſt, divinam Chriſti diſciplinam omnibus in locis apertiſſimè tradi ac pervulgari, niſi homines in ejus ſtudio mentem animumque defigant: ſiquidem tum demum Deus verè in nobis regnare conſendus eſt, cum in cordibus noſtris dominatum exercet, eumque ſolum animi noſtri per Chriſtum venerantur. Poſtremò rogandus eſt Deus, ut eas nobis vires concedat, quibus ad eam, quam patefecit, & animis noſtris impreſſit, voluntatem re ipſa perficiendam opus eſt, & quidem ut haud aliter atque Angeli, qui in cœlis degunt, verbo ejus audientes ſimus. Ejus enim ferè generis ſunt Chriſti mandata, quæ facultatem noſtram ſuperant, quibuſque Dei ope deſtituti parere non poſſumus. Unde colligitur, nos hoc loco, & noſtram imbecillitatem haud ſanè diſſimulare, & ſimul tantâ ſpe atque fide nixos orare, ut etiam ad
Angelorum puritatem ſanctimoniamque Dei beneficio aſpirare nos poſſe, non 210.
diffidamus.

‡ *Ejus enim ferè generis*] Utinam hanc ſuam imbecillitatis & gratiæ divinæ intus operantis & convertentis ac nos determinantis ad noſtrum officium, Sociniani ſincerè agnoſcerent.

Ut etiam ad Angelorum] At verò & illud *ſicut* in oratione Dominica, non tam eſt æqualitatis quam ſimilitudinis; & ita poſſumus *ad Angelorum puritatem ſanctimoniamque aſpirare,* ut tamen non ſperemus eam nos ante conſequuturos, quam emenſo hujuſcè vitæ miſeræ & infirmæ curriculo, Patriam adepti fuerimus.

Alter finis, quem in precibus propoſitum habere convenit, noſtram proximorumque noſtrorum indigentiam ac neceſſitates reſpicit: quæ quidem in duo tribuuntur genera. Quædam enim perpetuò rogandæ nobis ſunt, utpote ſummam eorum amplectentes, quibus in hoc vitæ curriculo carere nequaquam poſſumus: quædam verò nequaquam fixæ certæque ſunt, ſed diverſis temporibus incidunt, ideoque certam generatimque omnibus perſonis, caſibus, ac temporibus convenientem orandi formam nequaquam vel admittunt, vel efflagitant; cùm, quâ ratione Deus implorandus ſit, res ipſa tunc abundè docere videatur: ſecùs autem eſt in illis precandi cauſis, quæ perpetuò nobis dantur

dantur. Has enim ratum certumque orandi modum admittere, præter jam dicta, argumento est Christi hac de re institutio atque disciplina, qui ut res ad divinum cultum pertinentes, certâ precandi viâ ac ratione comprehendit: ita quæ ad nos perpetuò juvandos spectant, generali, semperque omnes quod ad rem sententiamque ipsam attinet, obstringente orationis formulâ complexus est; quæ quidem hæc est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; Sed libera nos à malo.*

‡ *Quædam vero nequaquam*] Imò nullæ possunt necessitates nobis incidere, quæ ad aliquam ex tribus hisce petitionibus orationis Dominicæ, non pertineant & debeant revocari.

Quo in loco similiter tribus petitionibus res omnes, quibus perpetuò nobis opus est, complecti Dominus voluit. Primò enim ea nos petere à summo illo Patre nostro jubet, quæ ad vitam nostram perpetuò fovendam ac sustentandam pertinent. Vita porrò nostra vel spiritualis, vel corporalis est. Ex quo fit, ut ad spiritualem vitam conservandam, spiritali pane nobis opus sit: ad corporalem verò corporali. Ac spiritalis quidem panis, divinum illud donum, quod Spiritus sanctus est, & præclarissimos, qui ab eo manant, effectus fructusque designat; quo munere si destituamur, vita nostra spiritalis, quæ in fidei, pietatis, sanctimoniæque studio constituta est, nullo pacto consistere poterit. Corporalis autem panis omnia tum ciborum, tum aliarum rerum genera significat, quibus hæc animalis vita nostra alitur & sustinetur. Quem quidem panem hoc in loco ἐπιούσιον, id est, ad essentiam substantiamque nostram spectantem, vel, ut Syriacus interpres vertit, panem necessitatis nostræ ideò appellari statuendum est, ut intelligamus, tantum istarum rerum, quæ ad corpus nostrum sustentandum pertinent, à Deo precandum nobis esse,
211. quantum ad vitæ nostræ conservationem satis est. Duæ porrò causæ sunt, cur hunc panem precibus efflagitare nos oporteat, quarum altera ad eos spectat, qui in paupertate atque inopia; altera ad illos, qui in omnium rerum abundantia vivunt; ut nimirum illis Dei beneficio ac liberalitate, ea quibus indigent, concedantur: his verò, quæ ad vitam necessaria sunt, non modò non adimantur, sed iis etiam uti ac perfrui detur: ut ita hi quoque non laboribus, non vigiliis, non artibus suis ascribant, quæ habent, sed ex divina benignitate profluere, seque Deo non fortunante illis perfrui nequaquam posse statuant. Panis autem nomine, tum Spiritualis, tum corporalis vitæ necessitates contineri, hinc colligitur, quòd, ut de proprio pane primùm loquamur, eum hîc intelligendum esse, ipse verborum sonus videtur docere. Metaphorici verò, id est, divini Spiritus petitionem omissam esse nulla ratio persuadere potest.

Quini-

Quinimò ex Luca (*cap. 11. 2. & d.*) facilè intelligitur, eum oratione Dominica plane contineri; cum Christus ibidem, postquam certam precandi formam suis præscripsisset, statim egregiis à similitudine captis exemplis docuerit, nequaquam eam fore inanem, sed Deum ad spiritu sancto nos donandos commoturam, dummodò ab ea non cessemus, sed in eo studio constanter persistamus. (*ibid. v. 13. ib. v. 5, & d.*) Quid, quòd ita se rem habere etiam hinc constare potest, quòd Christus omnes præcipuos orationis fructus, seu præcipua ex iis, quæ precando à Deo obtineri cupimus, hìc exponere voluit. Cùm igitur nullus alius Spiritus sancti dono in hac precandi formula locus esse videatur, quatenus nimirum ad nos perpetuò juvandos præcipuè spectat; consequens est, panis vocabulo eum hìc comprehendi.

‡ *Ac spiritalis quidem panis*] Sed agi in hac petitione de pane & vita Spirituali, haud facilè concesserim. Nam panis quotidianus sive ἐπιούσιος vitam duntaxat corporalem spectat: Chrysostomus *in Matthæum* panem ἐπιούσιον interpretatur ἐφημέριον, & ἐπιούσιον vult idem esse ac ἐπὶ τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος διαβαίνοντα, καὶ συγκροτῆσαι ταύτην δυνάμενον, idest *substantiam corporis permeantem eamque colligere valentem*. Non inficior plerosque veterum de Eucharistia hanc petitionem intelligere, cum caro Christi sit panis ille vivus, quo animæ nostræ nutriuntur in spem vitæ æternæ: Sed hanc interpretationem mysticam esse non literalem, in confesso est apud omnes. Qui *Spiritum Sanctum* hìc intellexerit, præter Volkelium, neminem novi: Describitur in scripturis verbum Dei & caro Christi, ceu panis & pabulum animæ nostræ; Spiritui sancto id elogii, quod sciam, nusquam tribuitur; & potius se habet ad vitam Spiritualem per modum principii jugis & intrinseci, quod alimento convenienti foveri debet, quam per modum pabuli & alimenti per vices ingerendi & assumendi. Sed hoc inter singularia ingeniorum istorum novaturientium debet referri.

Metaphorici vero, idest] Sed ut eadem vocula hìc loci & propriè & metaphoricè simul usurpetur, alienum est à ratione. Et cùm ad vitam Spiritualem faciant duæ aliæ petitiones, non est cur eò & hanc obtorto collo trahamus. Spiritus quoque Sancti petitio, tum in his duabus continetur, cùm & illius sit in nobis remissionis peccatorum fiduciam obsignare, & nos contra tentationes omnes suâ præsentiâ munire; tum etiam in præcedentibus simul, cùm neque sanctificare Dei nomen, neque regnum ejus intra nos suscipere & admittere, neque ad voluntatem illius nos componere possimus, nisi sub ductu & auspiciis Spiritus Sancti. Quid quod ipsa oratio Dominica, illius præsupponit præsentiam & operationem in precante; Est enim *Spiritus precum* Zach: XII, 10. per quem clamamus *Abba Pater*, cujus est preces nostras incendere, formare ac excitare Rom: VIII, 15 26. 27. Atque ita concidunt quæ insuper ex Luc: XI, 2. & seq. addit Volkelius. Non enim negamus etiam suo sensu petendum esse Spiritum sanctum sub illius ductu & instinctu; Concedimus quoque & illum peti in oratione Dominica; Sed tantum negamus *panis vocabulo eum hìc comprehendi*, cum ad eum petendum & obtinendum aliæ quinque petitiones plenissimè sufficiant.

Sed jam altera posterioris generis petitio excutienda nobis est, qua à Deo

Vvv patre

patre nostro contendimus, ut nobis debita nostra remittat, quemadmodum & nos debitoribus nostris remittimus. Ubi tum quid per debita intelligendum sit, tum quo pacto ea nobis à Deo condonari velimus, animadvertendum est. Primò igitur debitorum nomine omnia, non solùm hodierna errata nostra, quæ pietatis cursui interveniunt, sed etiam ea, quæ antequam Christi lumine verè illustraremur, & peccati jugum excuteremus, patraveramus, flagitia significari dicimus, & hæc quidem tantò magis, quantò ea solent esse majora gravioraque. Tametsi enim fieri potest, ut etiamnum gravi aliquo peccato homo Christianus, pietati cæteroqui deditus, sese obstringat; tamen cum nequaquam is ejus status sit, ut in peccato commisso persistat, quemadmodum quidem antea manebat, quàm lumine cœlesti collustraretur; consequens est,
212. illa nostra scelera hodiernis lapsibus fuisse immaniora, magisque propriè debitorum nomine appellari, cùm sempiterni nos supplicii reos omninò fecerint; & porrò si prolapsionum petimus condonationem, ista peccatione utentes; consentaneum est, ut multò magis illa nobis remitti postulemus. Ut enim hoc insuper addam, constat, peccata ante Christum cognitum à nobis perpetrata, magna ex parte à scientibus prudentibus, atque adeò prorsus voluntariè commissa fuisse, aliter atque in hodiernis prolapsionibus nostris contingit.

‡ *Primò igitur debitorum*] Benè est quod Volkelius etiam hoc nomine intelligat *hodierna errata nostra*, & fateatur quod *etiamnum gravi aliquo peccato homo Christianus, pietati cæteroqui deditus*, possit se obstringere; Imò & laudamus quod eũ verè piorum statum esse agnoscit, ut *in peccato commisso nequaquã* persistant; Sed cur *multo magis* pręterita quam pręsentia, nobis remitti petamus, non video: Licet enim concederem illa quæ præcesserunt conversionem ad Deum *immaniora* fuisse *hodiernis*, tamen cùm hodierna ex intrinseco suo merito & sanctione Legis non minus quã illa ignorantiæ tempore commissa mereantur mortem & condemnationem æternam, imò etiam quodam respectu pœnam graviorem, ut liquet ex dicto Christi de eo famulo pluris vapulando, qui cum noverit voluntatem heri sui eam neglexerit Luc. XII, 47. non capio cur hæc minus quam illa sint deprecanda, & *debitorum nomine* exprimenda. Sed Sociniani malunt hîc respici ad *præterita* quam ad præsentia, quia quotidiana hæc petitio remissionis peccatorum quotidianorum, impeccantiæ Pelagianæ plurimum adversatur, supercilium justitiariorum deprimit, & nos *nostræ fragilitatis* sic admonet, ut simul doceat omnem nostram justitiam potius in peccatorum nostrorum remissione, quam in virtutum nostrarum perfectione esse collocandam. Et sanè cùm hodie plerique omnes Christiani, nascantur sub ipso Christi fœdere, nec possint habere specialem rationem peccatorum quæ ante suam vocationem ad professionem veritatis commiserint, hinc sequeretur minùs plerumque nos teneri ad hanc petitionem quotidie renovandam, quam eos qui aliquando in Gentilismo vixerint: quod absurdum esse nemo non videt, & quisque sat sentit quâ parte suus eum urgeat calceus.

Ut enim hoc insuper] At in Schola Sociniana nihil habet rationem peccati quod

prorsus

prorsus voluntariè commissum non fuerit, adeoque nisi id conveniat *hodiernis prolapsionibus*, nequidem prolapsiones & peccata dici debebunt. Quid quod si comparatio hæc instituatur, ipsa præterita ignorantiæ tempora, majorem videantur excusationem hominum lapsibus adferre: cùm tetrioris ingratitudinis se reos præstent adversus Deum, qui post cognitam ipsius voluntatem & ejus adeptam gratiam, Legem suam transgrediuntur.

Quod si quis peccata præterita jam tum nobis remissa fuisse dicat, cùm relicto priore vitæ nostræ statu ad Christi ductum nos applicavimus; indeque colligere velit, non de præteritis, sed de præsentibus delictis sermonem hoc loco haberi: respondemus, peccata illa nostra, non planè simpliciter atque absolutè, sed sub certa conditione nobis esse remissa, quæ conditio resipiscentiam, ac peccatorum pristinorum coram Deo confessionem ac deprecationem, quam resipiscentia illa secum omninò trahit, complectitur. Absolutè autem omnique ex parte peccata nobis tunc ignoscentur, cùm vera propriaque ipsorum pœna, nimirum æterna mors, reipsa à nobis auferetur, & porrò vitæ sempiternæ beneficium in nos conferetur. Quod quidem dum fiat, tum vita mutanda est in melius, tum semper nobis peccata pristina confitenda, eorumque remissio talis, qualem diximus, efflagitanda est, ad quod factitandum Johannes nos haud obscurè hortatur illis verbis: *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nosipsos fallimus, nec est in nobis veritas: Si confitemur pecca nostra, ille ita fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* (*1 Ioh:1.8.9.*) Ubi de præteritis illum sceleribus potissimùm loqui, ex verborum contextu facilè unusquisque intelliget.

† *Respondemus peccata illa*] Id quidem verum, est nonnisi sub conditione fidei & resipiscentiæ, nobis proponi remissionem peccatorum in Evangelio; sed & illud quoque concedendum, pios illam uti par est petentes, conditionem hanc implere, adeoque securos & *planè* certos esse se remissionem peccatorum suorum ita à Deo *absolutè* consequutos, ut nulli ampliùs subsint condemnationi Rom: VIII, 1.

Absolutè autem omnique] Sed nec *vitæ sempiternæ* collatio actualis, quæ fructus est & effectus remissionis peccatorum, cum sua causa debet confundi; & hactenus ita *absolutè* remissa sunt peccata resipiscentibus & credentibus, ut jus certum & infallibile habeant ad vitam æternam I Joh: III, 1.2.14. & *vera propriaque pœna* peccatorum, *nimirum æterna mors*, *reipsâ* ab illis ablata sit; Nec enim venient in condemnationem, sed jam à morte ad vitam transierunt & habent vitam æternam Joh: III, 18 36. v, 24. Calamitates autẽ quibus subinde exercentur, sunt illis pœnæ medicinales, non judiciariæ, & mors ipsa temporalis, quæ aliàs in natura est quoque stipendium peccati, ipsis cedit per gratiam Christi, in januam paradisi. Nec tum demum cum resurgemus ex mortuis, *æterna mors reipsâ à nobis auferetur* (sic enim censeremur jacere in morte æterna donec resurgamus ad gloriam, quod evidentem absurditatem sonat) sed ultimum fructum remissionis peccatorum, & remotionis per illam à cervicibus nostris sempiternæ mortis, sumus consequuturi.

Quod quidem dum fiat] An ergo ex hypotheti Volkeliana, usque ad diem resurrectionis nostræ, quo demum *æterna mors reipsâ à nobis auferetur*, adeoque etiam postquam mortui fuerimus, illi confessioni, emendationi & petitioni erit nobis insistendum? Viderit ipse. Nos gaudia nostra in illud tempus non esse *absolutè* differenda, ideo credimus, quod Beatos pronunciet Scriptura usque quietem à suis laboribus promittat, eos omnes qui in Domino moriuntur Apoc: XIV, 13.

Eorumque remissio talis] Atqui non dubiam nec in incerto positam efflagitamus remissionem peccatorum, sed certam & absolutam, quâ *coram* Deo *secura reddamus corda nostra* 1 Joh: III, 19. & omnimodam indemnitatem ab omni pœna cum plena fiducia nobis spondeamus.

Ubi de præteritis] Imò potiùs certum est Johannem I. 1, 8. 9. agere de præsentibus delictis, & in quæ illi ad quos scribit, quotidie labebantur. Nec enim loquitur in præterito, *si dixerimus nos non peccasse*, sed in præsenti, ἐὰν εἴπωμεν ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν; quamvis & unà præteritorum faciat mentionem, vel saltem usurpet præteritum com. 10. ἐὰν εἴπωμεν ὅτι οὐχ ἡμαρτήκαμεν, *eum mendacem facimus*. Ideo Concilium Milevitanum *can.* 6. ex illis verbis Johannis quæ citat Volkelius, colligit *quod juxta sententiam Ioannis Euangelistæ nemo sit qui esse possit sine peccato.* Nec minus de præsentibus quam de præteritis, debet intelligi quod paullò post subjicit Apostolus 1 Joh: II, 1. *Si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum.* Neque poterat id in dubium revocari apud pios, se varia peccata commisisse priusquam ad Christi cognitionem traducti fuissent, ut hoc tantopere fuerit Johanni inculcandum; Sed veniebant insuper admonendi præsentis suæ infirmitatis & conditionis, quò ita scirent se vocatos ad sanctitatis studium, ut tamen adhuc quotidie in plerisque cæspitarent, adeoque tenerentur ideo & ad Christi sanguinem quo ab omni peccato mundamur jugiter recurrere, & ex suæ imbecillitatis sensu ad humilitatem seriam se coram Deo componere.

Quo verò pacto peccata, hac utentes precatione, nobis ignosci cupiamus, his Christi verbis docemur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hîc plane cernimus, tum condonationem similem nobis injungi, tum eam minimè conservantibus gravissimam pœnam constitutam esse, non obscurè indicari. Similitudo condonationis peccatorum in eo consistit, quòd quemadmodum nihil quicquam de illo, qui nos injuriosè tractavit, sive per nos, sive per alium quemcunque ulciscendo cogitare, sed ei omne crimen ex animo condonare debemus: ita quoties hac petitione ad Dei clementiam confugimus, toties illum submissè oramus, ut æternum illud supplicium, quod flagitiis nostris constitutum erat, de nobis minimè sumat, sed potiùs pro inexplicabili sua benignitate nos à peccati reatu ac pœna liberatos, in cœlestis patrimonii
213 possessione constituat. Pœna porrò illis, qui eadem mansuetudine ac lenitate in condonando uti nolunt, constituta est, quod peccatorum suorum veniam impetrare nunquam poterunt: ut ex illis Christi verbis constat, quæ huic precandi formulæ apud Matthæum statim subjecit, (*Matth: 6. 14. 15.*) hanc ipsam illius, quam nunc consideramus, particulam explicaturus: *Si enim*, inquit,

quit, *remiseritis hominibus peccata illorum, remittet & vobis Pater cœlestis delicta ve-
stra. Si autem non remiseritis hominibus, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra*,
id est, immortalitatis præmium nequaquam vobis tribuet, sed sempiternum
supplicium irrogabit. Quo in loco illud rectè intelligendum est, quòd
Christus illis, qui hominum offensas condonant, ipsorum quoque peccata
remissum iri affirmat. Hinc enim effici videtur, nihil obstare aut officere,
quibuscunque tandem flagitiis sint cooperti, qui aliis delicta ignoscunt. Quæ
quidem sententia, cùm & aliis testimoniis sacris & rectæ rationis judicio
contraria sit, adhibenda omninò est commoda Christi verbis interpretatio,
ut nimirum intelligamus, eum, qui alioqui pietatis studiosus est, si in alio-
rum injuriis condonandis facilem se præbuerit, peccatorum suorum veniam
consecuturum. Huic autem pietatis parti ideo hoc Dei beneficium, quod
universæ pietatis præmium est, adscribitur, quia cum eo peculiarem habet
similitudinem ac convenientiam, & ad id comparandum insignem quandam
vim obtinet.

Tertia ultimaque precatio ad nos propriè spectans in hoc consistit, ne nos
Deus in tentationem inducat, sed à malo nos liberet. Ut autem de tenta-
tione priùs loquamur, intelligendum est, ejus nomine varia periculorum,
calamitatum, afflictionumque genera declarari, quibus propter Christi no-
men vexamur, facileque à recto cursu, pietatisque in Deum officio deterre-
ri possemus: & quia non rarò fit, ut qui hujusmodi malis premuntur, iisdem
etiam, suâ tamen culpâ, opprimantur, imò omnes, nisi divino auxilio fulci-
rentur, facilè iis succumbere possent: ideò hic quoque illorum malorum
effectus, tentationis nomine & hîc & alibi comprehenditur. (*1 Thess: 3. 5.*)
Quocirca implorandum Dei auxilium nobis esse docet hoc loco Christus, ne
in tentationem nos inducat; non quidem quasi precibus cum Deo agendum
sit, ne unquam calamitatibus aut periculis objiciamur; sed ne illis nos oppri-
mi ac vinci permittat. Inducendi enim verbum de Deo hîc usurpatum, nequa-
quam significat, Deum ipsum verum istiusmodi tentationis auctorem esse,
vel esse posse: verus enim ejus auctor est malus ille, à quo ut liberemur, in
sequentibus statim verbis petimus, utpote qui & afflictiones per homines 214.
sibi addictos excitat, & ut per eas à fide ac pietate nos abducat, allaborat: sed
tantùm significat, Deum nisi clementiâ erga nos uti velit, quæ precibus sit
ab eo impetranda, posse nos tentationi illi, & sic potestati illius mali quo-
dammodo permittere. Inductioni enim in tentationem hîc videmus opponi
à malo liberationem: ut facilè intelligi possit, ad eam satis esse, à malo non li-
berari. Mali verò illius nomine in sacris literis diabolus denotari solet: (*Matt:
5 37. 13 19 38. Ephes: 6. 16. 1 Ioh: 2 13, 14: 3. 12: 5 18 19*) quia malorum est pessi-
mus, & omnis malitiæ atque injuriæ primus autor. Is igitur tunc, cum Deus,

 ut ca-

ut calamitatibus vexemur, permittit, vel fidei nostræ explorandæ, gloriæque suæ illustrandæ, aut salutis alienæ promovendæ causâ eas nobis quodammodo invehit, is, inquam, inimicus noster, hinc arreptâ occcasione, omnes suos nervos intendit, ut illis opprimamur. Quocirca Deum precandum nobis esse Christus ait, ut nos à capitali isto hoste nostro liberet, vel calamitates illas penitus auferendo, vel easdem ita mitigando, aut vires nobis subministrando, ut iis ferendis pares simus, nec hujus nostri hostis præda fiamus.

‡ *Ut autem de tentatione*] Tentationis nomen amplius hîc significat quam quod statuit Volkelius: nempe omnem ad peccandum sollicitationem & suggestionem, quæ à Tentatore Satana non minus interdum ex prosperitate & bonis quibus cumulamur, quam ex adversitate & malis quibus premimur solet immitti. Sunt verò in genere illæ tentationes & sollicitationes clancularıæ ad peccandum, sive ex superbia, sive ex securitate, sive ex desperatione aut diffidentia, *ignita* illa Satanæ *jacula*, quorum meminit Paulus Eph: VI, 16. & quæ scuto fidei excipienda & extinguenda sunt. Quamvis non negem frequentiùs uti Satanam ad nos tentandos calamitatibus quibus exercemur *propter nomen Christi*, & prout aranei suum venenum colligunt ex odoratissimis floribus, etiam ipsum suas pedicas nectere ex gloriosis aliàs afflictionibus piorum, ut earum pondere pressi succumbant, & deficiant, si pote esset, ab officio.

Sed ne illis nos opprimi] Nos videlicet permittendo nutui & imperio Satanæ, qui ejusmodi occasiones sollicitè captat nos in exitium abducendi.

Inducendi enim verbum] Solus quidem Satan *author* est tentationis illius in quam petimus non induci, ut in suo formali sumitur, pro suggestione & sollicitatione ad peccandum & Deum abnegandum; Hoc sensu Deus neminem tentare dicitur Jac: I, 13. Sed nihil obstat quominus Deo ipsi tribuamus tentationem in suo materiali, idest ipsum malum triste, ipsamque calamitatem & afflictionem externam, quâ suos & exercere & corrigere studet; Nullum enim esse malum istius generis in Civitate quod Deus non fecerit. testantur sacræ literæ Lament: III, 38. Amos: III, 6. etsi ad id pro sua summa sapientia & potentia adhibeat nequitiam Diaboli & ministrorum ipsius; prout Medici ex venenis medicamenta, & ex carnibus viperarum theriacam solent conficere.

Ut pote qui & afflictiones] Deo tamen dirigente & permittente, & has ipsas afflictiones in suorum bonum & salutem potenter ordinante

Ad eam satis esse à malo] Adeoque ejus imperio & tyrannidi per justam desertionem relinqui ac permitti.

Eas nobis quodammodo] Et illud ipsum est quod modò observabam, illas calamitates, Deo suos probanti, exercenti, per ventos contrarios in portum subducenti, castiganti in mundo ne cum mundo pereant, optimo sensu adscribi posse, qualiacunque sint illa organa, quibus ad eas utitur.

Vel easdem ita mitigando] Adde & in genere impediendo quominus ullis pravis suggestionibus, undecunque sumptis, Tentator ille nos præcipitet ad peccandum, & suis transennis & tendiculis illaqueet.

Quæ verò hucusque explicuimus, ea unusquisque non tantùm sibi ipsi à Deo optare ac flagitare debet, sed etiam aliis. Quam ob causam videtur Christus omnes precationes, quæ ad nos ipsos spectant, numero multitudinis expressisse, ut moneret, non de seipso tantùm, sed de aliis quoque præsertim

ſertim fidelibus, divinâ ope atque præſidio muniendis unumquemque tum temporis laborare debere. Unde alibi expreſſis verbis, ut alii pro aliis preces apud Deum interponamus, præcipitur. Quam in ſententiam Paulus: *Orate*, inquit, *omni tempore in ſpiritu, & in ipſo hoc vigilantes, omni inſtantia & obſecratione, pro omnibus ſanctis.* (*Epheſ:6.18.*) Huc referri debet & illud Jacobi: *Orate alii pro aliis &c. Multum valet deprecatio juſti ardens.* (*Iacob: 5.16.*) Eſt igitur hoc quidem officium illorum, qui Chriſti diſciplinam profitentur: maximè tamen ad illos pertinere videtur, qui aliis erudiendis ſunt præpoſiti. Hoc ipſum & Apoſtoli ſui muneris perſuaſum habentes, noluerunt Diaconorum partes ſuſcipere, ut eò diligentiorem precibus & doctrinis operam dare poſſent. (*Act:6. 2,4.*) Quanquam ea verba etiam de precibus publicis, in quibus præire cæteris debebant Apoſtoli, accipi poſſunt. Quantâ autem diligentiâ Paulus fuerit uſus in precibus pro eorum ſalute concipiendis, quos Chriſto lucrifeciſſet, uti & pro aliis fidelibus, ſatis ipſius teſtantur ad diverſas Eccleſias ſcriptæ epiſtolæ.

Etiam de precibus publicis] Imò de illis potiſſimum accipienda eſſe illa verba Apoſtolorum Act: VI, 2. 4. vel inde liquet quod conjungant preces cum *adminiſtratione Sermonis*, quæ ad ipſorum munus publicum ſpectabat.

His ita conſtitutis, animadvertendum præterea eſt, precum iſtarum omnium rurſus duo eſſe genere, privatum nimirum & publicum. Privatæ preces ſunt, quas Deo in loco ab arbitris libero quiſque fundimus. Publicæ, quas Deo in fidelium hominum congreſſu adhibemus. Illarum exempla extant Act:9.11.& 10.9:& 16.25: Harum verò Act:4.24. & 12.12:& 13.3:& 16,13: & 21.5. Ubi animadvertendum eſt, cùm omnes, quæ ex intimis ſenſibus oriuntur, preces Deo gratiſſimæ ſint; acceptiores tamen illas eſſe, quæ publicè, unoque quaſi omnium ore illi ſacrantur. Cùm enim, ut ſuprà diximus, is nobis in orando finis terminuſque propoſitus eſſe debeat, ut Dei gloria amplificetur, noſtris proximorumque neceſſitatibus ſubveniatur; quis non videt majorem iſta omnia conſequendi vim, in publica, quàm privata unius aut alterius oratione contineri? Et quidem, ut de divinæ gloriæ amplificatione priùs dicamus, eam certè publicum Dei honorem continere, & ideò publicas piorum preces exigere, nemo non videt. Quod verò ad noſtras proximorumque neceſſitates attinet, parumne liquet conjunctas plurium preces pluris apud Deum eſſe, quàm ſeparatim hujus aut illius? Facilè enim fieri poteſt, ut Deus aliqua noſtra indignitate offenſus, preces noſtras privatim ſibi adhibitas minus quidem audiat, locum tamen apud illum habeant precationes aliorum cum noſtris conjunctæ; cùm nequaquam fruſtra alii pro aliis orare jubeamur. Et huc Chriſtus mentem intendit, cùm publicos fidelium cœtus 215.

commen-

commendans, hunc in modum loquitur: (*Matt:18.15.*) *Dico vobis, quòd si duo vestrûm consenserint in terra, de quavis re quam petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim duo vel tres congregantur in nomine meo, illic sum inter illos.* Nec est, quòd objiciatur, Christum nos, cum precibus Deum venerari cupimus in conclave ingredi, clausoque ostio in occulto orare jubentem, (*Matt:6 5,6*) publicis precibus adversari. Res enim ipsa satis monet, de precibus, quas singuli separatim fundunt, ei sermonem esse, non de iis, quas unà cum cæteris ejusdem Ecclesiæ membris Deo consecrant. Ut taceam, verba illa non prorsus simpliciter, sed certæ tantùm rei habita ratione, fuisse prolata. Opponit enim ea Christus illorum hominum hypocrisi vanissimæque ambitioni, qui orando non Dei gloriam, sed suas laudes, & insignem præ cæteris sanctimoniæ ac religionis existimationem quærebant, ideoque, licet soli orarent, publicis tamen ac celebribus in locis, ut ab omnibus conspicerentur, id faciebant. A qua hypocrisi & ambitione adeò putida, tam longè suos abesse vult Christus, ut non modò eam ipsam, sed illius quoque speciem vitent. Itaque si verendum sit, ne gloriam suam orando videantur aucupari, potiùs in
216. conclave se abdant, & occluso ostio, in occulto Patri suo supplicent. Vult nempe Christus, ejusmodi preces Deo adhiberi, quæ ex animo tum syncero tum ardenti proficiscantur. Istorum autem hominum preces non solùm ad vanam religionis pietatisque ostentationem compositæ erant, sed etiam, quod consequens est, omni mentis ardore carebant. Quod contrà tum in omnibus, tum vel inprimis, in piorum precibus fieri debet, ut nimirum & synceræ sint & ardentissimę. Ut porrò per hanc occasionem magis doceamus, Christum velle, ut preces nostræ singulari quodam ardore intensæ sint, illa ipsius verba consideranda sunt: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & venietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur.* (*Matt: 7.7.*) Precum enim ardor tunc maximè apparet, cùm sunt urgentes assiduæque, cùm homines imbecillitatis conscientiâ humiliter se ad Dei pedes abjiciunt, cùm pulsanti, diligentissimeque quippiam quærenti similes sese præstant, & sic invenire, ac sibi aperiri, solicito anxioque animo desiderant. Huc & illa Christi admonitio pertinet: *Oportet semper orare, & nunquam desistere.* (*Luc:18.1,2.*) Quo in loco Judicis injusti, omnisque tum Dei metus, tum pudoris expertis, viduæque illius opem implorare non desistentis similitudine clarissimè explicat, quàm ardenti minimeque remisso studio precibus invigilare nos oporteat; addens insuper, electos Dei in precibus dies noctesque consumere. Nulla autem re magis ad tantam precum diligentiam atque assiduitatem stimulari excitarique possumus, quàm attentissimâ, tum indigentiæ nostræ, tum muneris nobis impositi, tum periculorum, quæ nobis imminent, consideratione. Nam & sine Deo omnibus rebus denudatos nos esse oportet;

oportet; & absque illius ope nec justitiam colere, nec cupiditati nefariæ obsistere, nec innumeras acerbitates, dolores, cruciatus perferre, nec mortis immanitatem atque terrorem, firmissimâ sempiternæ felicitatis spe superare, nec denique immortalitatem assequi possumus. Quod cùm ita sit, quis non videt, quanto precum studio ardoreque opus sit?

Falluntur autem illi plurimùm, quorum & hodie & olim magnus fuit nu-
merus, qui ita se inter precandum gerunt, ut in multiloquio assiduum ora-
tionis studium constitutum esse, existimare videantur: cum Christus ver-
borum multitudinem à precibus remotam esse velit. (*Matt:6.7.*) Quod ta-
men ex ea parte intelligendum est, quatenus homines in ipsa verborum mul-
titudine, aut eorundem repetitione, precum vim ponunt, easque propter
hanc ipsam prolixitatem audiri existimant. Alioqui enim multis uti verbis,
vel eadem subinde repetere, non solùm ex se malum nequaquam est: sed sæ- 217.
pè etiam Deo gratissimum accidit, si nempe ex animo incenso, summaque
necessitate stimulato proveniat. Verùm ut meliùs adhuc intelligamus, quid
à Deo rectè supplicandum nobis opus sit, animadvertendum est, tres potis-
simùm precum leges conditionesque constitutas esse. Primò enim necesse est,
ut si Deum preces nostras audire volumus, ita Christi præceptis obtempere-
mus, ut nullâ scelerum conscientiâ convincamur. Hoc enim pacto, hacque
lege orationi nostræ Deum benignissimas aures suas daturum, Johannes lu-
culentissimè his verbis testificatur: (*1 Ioh: 3. 21, 22*) *Charissimi, si noster ani-
mus nos non damnat, confidentiam habemus ad Deum: & quicquid postulamus ab illo,
impetramus: quoniam ejus præceptis obtemperamus, & quæ ipsi grata sunt, facimus.
Iusti* enim *hominis*, ut in eandem sententiam Jacobus asserit, *oratio ardens mul-
tùm valet.* (*Iac: 5. 16.*) Quod sanè haud ita intelligendum est, quasi ei, qui
vel animi imbecillitate, vel ignorantiâ, vel incogitantiâ interdum prolabi-
tur, divinæ aures minimè pateant: cùm qui in eo habentur numero, justi ni-
hilominus existimandi sint, dummodò perpetuò justitiæ studio teneantur. Ut
quidem in Elia cernimus, à Jacobo ibid. commemorato, qui nequaquam
inusitato quodam & singularissimo, humanamque facultatem superante, vir-
tutis genere præditus, imò iisdem, quibus nos, infirmitatibus obnoxius fuit:
& tamen cum precibus petiisset, ne plueret, non pluit in terram per annos
tres & sex menses. Quod si tamen peccatorum vinculis quispiam constrictus
teneatur, is cur sese facilibus Dei auribus usurum speret nihil est. Id quod
egregio illius cœci nati testimonio comprobatur: (*Ioh:9.31.*) *Scimus*, inquit,
*peccatores à Deo non audiri; sed si quis cultor Dei est, ejusque voluntatem facit, hunc
audit.* Hoc autem ita esse, sine dubio Judæi ex Esaia aliisque divinis vatibus
didicerant. Esaias enim hunc in modum Dei verbis populum illum alloquitur:
Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicave-

ritis orationes, non exaudiam. Manus enim vestræ sanguine plena sunt. (*Esa:* 1. 15.) In hanc sententiam & Paulus dicit, (*1 Tim:* 2. 8.) *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione.* Hæc enim causa est, cur homines quamvis in precum studio multum temporis consumant, raro tamen aut nunquam votorum compotes fiunt, quòd animum gerunt aut superbum, aut avaritiæ dominatu oppressum, aut impuritatis contagione pollutum, quòdque ætatem ferè omnem in rixis, in fraude, in aliisque vitæ pestibus consumunt.

‡ *Quod si tamen peccatorum*] Sic ut maneat impœnitens & in illis velit perseverare. Aliàs enim etiam illi qui gravissimorum *scelerum conscientiâ* tenentur & convincuntur, possunt certò confidere *orationi* suæ *Deum benignissimas suas aures daturum*, si ad eam se accinxerint cum animo de peccatis dolente, ea seriò confitente & meliorem vitam in posterũ pollicente: Hoc nisi foret, nemini gravioris peccati vinculis constricto, etsi resipiscenti & ad aram Misericordię divinæ verâ fide confugienti, Deum precari & culpam apud eum deprecari liceret; quod quam sit absurdum omnes palpare possunt.

Secunda precum lex est, quâ secundùm Dei voluntatem orandum esse do-
218. cemur. Providendum enim diligenter, ne ullam rem petere à Deo instituamus, quæ ab illius voluntate dissideat. Cùm porrò non raro eveniat, ut de Dei voluntate minimè nobis constet, cautè agendum est, ut nimirum quæ exoptamus, eâ hac conditione nobis tribui petamus, si Deo ita visum fuerit. Quæ quidem conditio potissimùm in illis rebus, quæ ad temporariam vitam pertinent, locum habere videtur. Quæ enim ad vitam sempiternam, præsertim necessariò spectant, veluti sunt omnes virtutes, omniaque adjumenta, quibus ad viam salutis ingrediendum, studiumque pietatis constanter decurrendum opus est, ea simpliciter omnique exclusâ conditione, quæ dubitationem quandam contineat, petenda nobis esse, tum res ipsa indicat, tum Jacobus luculentissimis verbis docet, cùm sapientiam, quæ in rebus adversis æquo animo ferendis maximè elucet, sine ulla dubitatione Deum orare nos jubet. (*Iac:* 1. 5, 6.) Hanc enim aliasque similes virtutes à Deo etiam atque etiam petendo, nihil ab ipsius voluntate alienum postulabimus; imò planè ex ipsius mandato hoc faciemus. Huc pertinent & illæ preces, quas pro illis, qui ad mortem non peccant; (*1 Ioh:* 5. 16.) & quas pro Regibus, aliisque qui Magistratum gerunt (*1 Tim:* 2. 1, 2.) Deo adhibere debemus. Eorum porrò quæ à Dei voluntate abhorrent, duo sunt genera. Primum complectitur ea, quæ discrepant ab aliquo Dei decreto mandato-vè, aut ab aliqua re simili. Cum decreto Dei non consensit Samuelis pro Saule precatio; (*1 Sam:* 15. 11. & 16. 1.) non consentit etiam ea, quæ pro iis, qui ad mortem peccant, (*1 Ioh:* 5. 16.) suscipitur: cum mandato autem divino pugnat illa, quâ non divinæ

divinæ gloriæ amplificatio, non salutis æternæ possessio, non denique proximi ædificatio, sed nefariæ cupiditatis expletio, sæpeque invidiæ atque odii, quod quis in alterum susceperit, exsaturatio quæritur. Alterum genus ea comprehendit, quæ in rem petentis futura minimè sunt, ideoque à Deo denegantur: veluti est terna illa Pauli oratio, (*2 Cor. 12. 8, 9.*) quâ, ut Satanas ab illo discederet, eumque tentare ac percutere desineret, postulavit, quamque ea de causa Dominus minimè audivit, ne sese Paulus propter visionum amplitudinem nimiùm extolleret.

† *Primum complectitur*] Absurdè hæc particula, *aut ab aliqua re simili*, hic adjicitur, cùm omnis Dei voluntas sit vel decernens vel præcipiens, adeoque nihil potest statui *à Dei voluntate* abhorrere, nisi quod discrepet ab aliquo Dei vel *decreto* vel *mandato*.

Cum decreto Dei] Tum demum preces sunt illicitæ non consentiendo cum Dei decreto, quando illud nobis sufficienter innotuit. Aliàs enim, ut scitè monet Augustinus *Enchir. ad Laur. cap.* 101. *aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipse bonâ multo ampliùs multoque certiùs voluntate: (nam illius mala voluntas esse non potest;) tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bonâ voluntate vult mori.* Itaque bonus & pius filius, nescius quid Θεῶ ἐν γουνάσι κεῖται, potest & debet tamdiu precari pro incolumitate & convalescentia patris sui decumbentis, etsi Deus decreverit patrem ex illo morbo moriturum, quamdiu de Dei decreto ipsi non constat: Quia non decreta Dei occulta, quæ ipse fecit de rebus à se faciendis aut permittendis, sunt officii nostri norma, sed ipsius mandata & præcepta, quæ de iis quæ à nobis facienda vel vitanda sunt, revelavit in suo verbo Deut: XXIX, 29. Exempla autem quæ hic profert Volkelius sunt minùs apta: Etenim quoad Samuelem 1 Sam: XV, 11. XVI, 1. 2. satis constat eum piè precatum fuisse pro Saule, quamdiu nondum ipse plenè constabat de Dei decreto. Nam quod illi dixerat Jehova priori loco, *Pœnitet me constituisse Saulem regem*, poterat sumere sensu comminatorio, non decretorio, donec tandem in altero loco Deus eum pleniùs informavit de suo decreto, & eum misit Betlehemum ad Davidem loco Saulis inungendum: nam ab eo tempore nullas legimus Samuelis pro Saule vel preces vel lachrymas. Quantum spectat eos qui ad mortem peccant 1 Joh: V, 16. preces quæ pro illis funderentur, non solum cum Dei decreto, sed etiam cum Dei mandato ex adverso pugnarent: ad mandata enim debet referri, quod habet Johannes loco citato.

Alterum genus ea] Non sunt multiplicanda entia absq; necessitate. Nam illa quę *in rem petentis futura minimè sunt*, discrepant ab aliquo Dei decreto, aut mandato. Posterioris habemus exemplum in iis de quibus dicitur Jac: IV, 3. *Petitis & non accipitis, eò quod malè petatis ut insumatis in voluptates vestras*; Prioris verò nobis præbet Paulus 2 Cor: XII, 8. 9. in illa petitione cujus meminit Volkelius: cùm enim Deus decrevisset Paulum hac ratione ad humilitatem & modestiam formare, ejus precatio *terna*, quantumvis pia, non consentiebat cum Dei decreto, quod ignorabat: Sed ab ea vehementiùs urgenda destitit, cum ipsi ampliùs constitit ex revelatione sibi facta de Dei consilio.

Tertia orationis conditio hoc à nobis exigit, ut, cum ad Deo supplicandum

nos conferimus, nihil dubitemus, quin retentis seduloque custoditis omnibus, quæ hactenus explicavimus, precum legibus, positâque eâ, quam petitionibus quibusdam addere debemus, conditione, ea quæ à Deo flagitamus, impetraturi simus. Jacobus enim dicit: *Postulet in fide nihil hæsitans. Qui enim dubitat, fluctui maris similis est, qui à vento movetur, & circumfertur. Non ergò*
219. *se putet is homo quicquam à Deo impetraturum.* (*Jac: 1. 6, 7.*) Quibus verbis Jacobus hanc subjungit rationem, (*ib.v.8.*) quia ejusmodi homo duplicis sit animi, inque omnibus actionibus suis inconstans. Qui verò tali est animo ac moribus præditus, Deo nequaquam probari potest; nec porrò ipsius preces ab illo audiuntur; cùm, ut quis petita impetret, simplici, constantique animo esse oporteat. Ea verò fides, seu certa animi persuasio, non est prorsus uniusmodi, sed in aliis perfectior, in aliis imperfectior. Alii enim nec de potentia Dei, nec de voluntate omnia illa, quæ petunt, sibi largiendi quicquam dubitant: cujusmodi fide Apostoli v.g. ut miracula ederent, à Deo ac Christo impetrarunt; alii autem ita comparati sunt, ut quamvis de divina voluntate nonnihil dubitent, de ejus tamen facultate omnia, quæ petunt, sibi tribuendi, illis sit persuasissimum. Et de Dei quidem voluntate, cum res ab ipso promissas petunt, non ideo addubitant, quòd eum in promissis præstandis non satis constantem suspicentur; sed quòd suæ indignitatis memores, vereantur, ne Deus peccatis ipsorum offensus, opem illis suam deneget; ‡ quorum dubitationem, ex Dei timore animique modestia quadam profectam, Jacobum in illis, quæ vidimus, verbis reprehendisse atque accusasse, haudquaquam est consentaneum. Quare statuendum est, de illis eum loqui, qui vel de promissorum divinorum fide, vel de potentia ipsius dubitant. Unde colligitur, eum in cassum ad Deum preces fundere, cui de hac illius vel potentia, vel fide, certum non est. Nam qui eum, quæ postulantur, aut præstare non posse existimat, aut, utut ea promiserit, præstare tamen conditionem propositam implentibus nolle putat, vel saltem dubitat, num ea facere possit, aut ea, qua dictum est, ratione velit, is majestati illius illudit, & sic ejus nomen gravissimè offendit: Quod quidem malum neutiquam metuendum fuerit, si ipsius exploratam habentes, tum fidem, tum omnia nobis tribuendi potestatem, de voluntate ejus nonnihil dubitaverimus. Rex enim aliquis v.g. non perinde offenditur, si ipsius voluntas faciendi, quod quis oret, salvâ fidei ipsius existimatione, in dubium vocetur, ut cùm de ejus potentia aut fide ambigitur. Ex quo fit, ut quamvis hæc persuasio infirmior eâ sit, de qua primùm diximus, tamen ad ritè cumque fructu Deo supplicandum satis magnam vim contineat.

‡ *Quorum dubitationem ex Dei*] Cùm fiducia exauditionis non nostrâ dignitate, sed Dei constantiâ & veritate nitatur, eorum dubitatio qui *suæ indignitatis memores veren-*

verentur ne Deus peccatis ipsorum offensus opem illis suam deneget, proculdubio etiam à Jacobo improbatur: Vult enim Jac: 1, 6.7. ut postulemus *in fide*, *nihil* ambigentes; & ambigentem ac dubitantem, undecunque hæc dubitatio oriatur, negat quicquam accepturum à Domino. Nec est quod dicat Volkelius illam *dubitationem ex Dei timore animique modestia quadam* proficisci; Nam *timor* ille non est filialis & reverentiæ, sed servilis & diffidentiæ, quo veri fideles regi non debent; foretque planè vitiosa illa *modestia* quâ quis Deo diceret, Domine non sum dignus qui credam tibi, aut adjungam fidem tuis promissionibus. Nec potest non censeri *de promissorum fide* quadantenus dubitare, qui dubitat num promissa facta indignis & peccatoribus, ex sola indebita gratia & misericordia, Deus sibi indigno & peccatori præstiturus sit.

Quod quidem malum] Ast ubi de voluntate ejus constat ex Scripturis, necesse est dubitantem de eventu, *de ejus potentia aut fide* ambigere.

CAP. X.

Quomodo Deus per Christum colendus sit, & primùm de adoratione Christi.

‡ *Respondente ad hoc & seq. cap.* ALLARDO THEODORO SNETLAGE, Teklaburgensi Westphalo.

PRiorem rationem ac modum, quo Christus præceptum de divino cultu auxit atque amplificavit, exposuimus hactenus. Sequitur ut alterum excutiamus; nimirum quo pacto per Christum summo illi Patri divinum honorem exhibere debeamus. Animadvertendum igitur, dupliciter hoc perficiendum esse, nempe ut tum quatenus Christi discipuli sumus, ex hujus præceptoris nostri præscriptione Deum colamus: tum ipsum Christum divini honoris cultu veneremur. Ac priorem quidem Dei per Christum colendi rationem, non solùm idem Christus ad Mosis eadem de re præceptum adjunxit; sed etiam adeò destrictè nobis præfinivit, ut nonnisi hanc Deo gratam acceptamque esse hoc tempore docuerit; quemadmodum tum Petrus Apostolus, (*1 Pet:2.5.*) tum autor Epistolæ ad Hebr: (*Heb:13.15.*) testificatur. 220.

‡ *Priorem rationem ac modum*] Imò nihil esse hic augmenti vel amplificationis, ex superioribus liquet.

Sequitur ut alterum] Nec in eo *Christus præceptum de divino cultu auxit* vel *amplificavit*. Cùm enim fuerit etiam Mediator & Angelus fœderis sub V.T. & ab ævo unicum nomen datum sub cœlis per quod homines servari oporteat, nullus honor fuit unquam Deo gratus & acceptus, nisi qui per Christum, saltem implicitè & interpretativè, offerretur. Ideo acceptius fuit sacrificium Abelis, quod ex fide offerebatur Heb:XI,4. Illa vero fides ferebatur in semen promissum Gen:III,15. & suo tempore exhibendum: Omnis enim fides salvifica respicit ad Christum, agnum illum Dei mactatum ab origine mundi Apoc:XIII,8 Heb:XIII,8.

Animadvertendum igitur] At licet ratio colendi Deum per Christum Mediatorem ex illius *præscriptione* possit colligi, attamen cùm *ipsum Christum divini honoris cultu veneramur*, non tam Patrem per ipsum,

ipsum, quam ipsum cum Patre, ceu ei coæternum & coessentialem, colimus & adoramus.

Ac priorem quidem] Sed cum illa *Dei per Christum colendi ratio*, etiam suo sensu viguerit sub V. T. eò quod Deus tum coleretur per Sacerdotem Christum adumbrantem, per sacrificia varia Christum significantia, versus ipsum propitiatorium, sustinens Christi typum & figuram; falsò id dicitur Christus *ad Mosis eadem de re præceptum* adjunxisse. Quamvis non negem hunc cultum Dei per Christum clariùs & distinctiùs multo nobis innotescere per Euangelium.

Sed etiam adeo distinctè] Quinimò uterque locus hic citatus ex 1 Pet: II, 5. & Heb: XIII, 15. confirmat magis quod modò dixi; nam utrobique nobis proponitur Christus, tanquam summus noster Sacerdos, & cujus jam olim typum Sacerdos Leviticus sustinuerit, per quem omnia nostra Sacrificia Spiritualia veniunt Deo offerenda.

Altera verò rei ejusdem ratio, vel Christi continet adorationem, vel opis ipsius implorationem: quarum illam à Deo mandatam omninò habemus: hæc ex ipsius, quâ in salutem nostram incumbit, cura, cum summa omnium rerum potestate conjuncta, evidentissimè colligitur. Quod quidem quale sit, postea docebimus. Hîc enim de Christi adoratione agere instituimus, quæ nihil aliud est, quàm animum aut etiam corpus coram illo demittere ac veluti prosternere, & sic summum ipsius imperium & nostri curam agnoscere, ac quibus possumus modis celebrare. Hoc autem ut multis aliis rationibus fieri consuevit, ita potissimùm, cùm in ipsius gloriam hymnos laudesque canimus, & sacrum illius cœnæ festum agimus.

‡ *Altera vero ejusdem ratio*] Sed hac ratione, ut modò dictum, non tam Pater per Christum quam Filius cum Patre eodem omnino honore colitur & adoratur. Nimiæ vero est diligentiæ in Volkelio, quod Christi *adorationem* ab *opis ipsius imploratione* distinguit. Nam ipsa invocatio adorationis genus quoddam eximium est; ut hac positâ, illa necessariò, saltem dum peregrinamur à Domino, sequatur; prout posito Legis præcepto de solo Deo adorando, illum quoque & solum invocandum esse in angustiis, apertè conficitur.

Hæc ex ipsius qua in] Atqui ex sola Christi cura, *quâ in salutem nostram incumbit*, ejus invocatio religiosa colligi non potest, quin pari illatione statuatur bonos quoslibet pastores religiosè invocandos esse, quoniam *excubant ipsi pro animabus nostris* Heb: XIII, 17. Ipsa autem potestas summa omnium rerum, importat luculenter Christi divinitatem, quæ adorabilitatis est proximum, immediatum & necessarium fundamentum.

Hîc enim de Christi adoratione] Illa verò Christi adoratio defendi nequit quin vel Christus summus & verus Deus agnoscatur, vel omnia illa testimonia Scripturæ & Antiquitatis Catholicæ unâ liturâ deleantur, quæ solum Deum adorandum eique soli serviendum conceptis verbis & apertissimè testantur.

Hoc autem ut faciamus, tum, ut diximus, divino mandato, tum aliis argumentis impellimur. de quibus ut primo loco dicam, quis eum, quem Deus solio suo dignatus est, cuique omnia præter seipsum subjecit, ut Angelos, hominesque, & omnia alia summo imperio complectatur, intimosque animi nostri

nostri sensus teneat; quique ut Ecclesiæ caput, oviumque suarum pastor, salutis nostræ diligentissimam procurationem habet; & ut, dum hic vivimus, omnibus spiritualibus donis nos locupletat, ita tandem æterna felicitate donaturus; sibi verò Patrique suo inobedientes sempiterno supplicio ulturus est; quis, inquam, hunc divino honore dignissimum non existimet, ideoque sanctissimo cultu non afficiat? cùm præsertim ipse Spiritus sanctus in hunc finem Christum tanta splendoris dignitatisque amplitudine illustratum confirmet: (*Phil:2.9,10. Iohan:5.22.*) ipseque Deus in futurum mundum eum introducens, ut ab omnibus Angelis adoraretur, imperaverit. (*Heb:1.6.*) Quantò igitur magis nos, eodem divino ipsius imperio, ad id faciendum adstringimur? præsertim cùm ipsa quoque Ecclesia quantumvis sub Solomonis ejusdemque Sponsæ typo, Christum sponsum suum adorare jubeatur. (*Psal:45,12.*)

Quis eum quem Deus solio] Hæc omnia adorandi Christi argumenta, pro vera & æterna ipsius divinitate militant, quâ negatâ per Socinianos, ejus adorationem corruere necesse est. Pater Filium suum *solio suo* non tam dignatus est quam jure summo excepit, post absolutum opus redemptionis, quia unum sunt naturâ, potestate, voluntate, & jam ab æterno & ante mundum conditum ipsi assederat Prov:VIII,22.23.& seq. Joh:I,I.XVIII,5. Ei *omnia subjecit*, quia eum ceu unigenitum, qui est in ipsius sinu, constituit hæredem oumnium Heb:I,2. *Angelos hominesque & omnia alia summo imperio complectitur*, quia per ipsum omnia facta sunt quæ in cœlis & quæ in terra, visibilia & invisibilia Joh:I,3. Col:I,16. Heb:I,2. 7.10. *Intimos animi nostri sensus tenet*, quia solus Deus novit corda omnium I Reg:VIII,39. Est *Ecclesiæ caput*, quia cum sit ipsa vita & fons vitæ sit penes ipsum Psal:XXXVI,10. solus potest vitam spiritualem in corpus suum mysticum influere. Est ovium suarum *Pastor* summus, quia verus Pan, qui curat oves oviumq; magistros, & de quo cecinit David Ps:XXIII,I. *Iehova Pastor meus, non possum egere. Salutis nostræ diligentissimam procurationem habet*, quia est omnipotens, omnipræsens, Salus ipsa, Jehova justitia nostra Jer: XXIII,6. *Spiritualibus donis nos locupletat*, quia Spiritus Sanctus, qui est solius Dei Spiritus, est etiam Spiritus Christi, qui procedit à Patre Filioque. *Æternâ fœlicitate* est tandem nos donaturus, quia est Pater æternitatis Es:IX, 6. & puniet impios *sempiterno supplicio*, quia habet jus vitæ & necis in omnia & omnes. Cùm igitur hæc omnia illi ideo conveniant quia est verus Deus & vita æterna I Joh: V,20. eum meritò *divino honore & sanctissimo cultu* dignissimum declarant, & de quo dictum fuit Psal: II, 12. *Osculamini Filium ut non irascatur, & pereatis in via cùm exarserit vel minimum ira ejus; Beati omnes qui se recipiunt ad eum.*

Cum præsertim ipse Spiritus] Quia videlicet exaltatio summa Christi post suam mortem, de qua Phil:II,9.10.& judiciaria potestas ei commissa ut θεανθρώπῳ Joh: V,22. ejus adorabilitatem & summam divinitatem luculenter comprobat; ideoque consequenter ad illam exaltationem, omne genu illi flecti debet & ab omnibus est adorandus.

Ipseque Deus in futurum] Absurdè de futuro mundo, qui per consequens nondum est, vult dictum hæreticus quod de hoc mundo dixit Apostolus Heb:I,6. nullâ mundi futuri factâ mentione. Ita enim habet: *Cùm introducit primogenitum suum εἰς τὴν οἰκουμένην* (quæ vox absolutè posita nunquam aliter sumitur in Sacra Scriptura quam

quam de mundo præsenti, Matt:xxiv,14. Luc:ii,1.iv,5.xxi,26. Act:xi,28.xvii,6.31.xix,27.xxiv,5. Rom:x,18.4. Apoc:iii,10.xii,9.xvi,14.) ideft *in orbem terræ*, ut habet V.V. *dixit*, *Et adorent eum omnes Angeli Dei*: prout de facto ipsi adhuc in terris versanti omninò subērant, ejusque parebant imperio Matt:iv,6.11.xxvi,53.

Præsertim cum ipsa quoque] Optimè probatur adoratio Christi ex Psal:xlv,12. ubi dicitur Ecclesiæ, *Cum sit Dominus tuus, incurva te ei*, sive *adora eum*. Nec putem id Ecclesiæ dici *sub Solomonis ejusdemque sponsæ typo*, ut asserit Volkelius, cum vis fiat toti Psalmi istius contextui si ad Solomonem & filiam Pharaonis traducatur. Quamvis enim viri magni statuant nuptias Solomnis hîc loci proponi in typum conjugii mystici Christi cum Ecclesia, longè tamen probabilius est potiùs illas Solomonis nuptias aliquam tantum occasionem dedisse huic Epithalamico carmini, (quasi dixisset Author illius, *Sicelides Musæ paullò majora canamus*;) quam illius fuisse subjectum literale. Ideo simpliciter totum illum contextum de Christo intellexit Apostolus Heb:1,8.9. cujus authoritas omni exceptione major est.

221. Huc accidit, quòd omnia ea summâ alacritate peragere debemus, quæ Deus gloriæ suæ caussâ instituit. Ex quibus cùm sit Christi adoratio, ex summa ipsius amplitudine necessariò profluens; quid est, quin eam promtissimo semper animo exequamur? Neque enim fas est arbitrari, nos citra honorem Christo exhibendum, Patrem revereri posse; cùm, ut ipse Christus testis est, *Qui non honorat Filium, nec Patrem honoret.* (*Ioh:5.23.*) Hac divinæ voluntatis significatione commoti tum Angeli, tum homines, venerabundi coram agno, qui occisus fuerat, procubuisse, eique gloriam ac honorem tribuisse dicuntur. (*Apoc: 5. 8, 9, 10, 11, 12, 13.*) Nec mirum; quandoquidem hunc illi honorem tunc etiam aliqua ex parte habitum fuisse constat, cùm in tam excelsum summæ dignitatis atque imperii gradum nondum ascendisset. Cujus rei exempla non pauca apud Euangelistas obvia sunt, quibus sanè non civili tantummodò, sed planè divino honoris cultu illum fuisse affectum, cuilibet non oscitanter ea legenti facilè patebit. (*Matth: 8. 2: 9. 18: 14. 33: 15. 25: 28. 9, 17. Joh: 9.38.*) Erat enim jam revera, pro temporis illius ratione, & Christus; (*Matth:16.16.*) & in forma Dei constitutus; (*Phil:2.6.*) quod quidem quale fuerit, satis alibi demonstratur. (*lib:5.cap:10.*)

‡ *Ex summa ipsius amplitudine*] At quæ *adoratio* Christi *ex summa ipsius amplitudine* profluit *necessariò*, etiam necessariò ejus veram & æternam divinitatem à posteriori comprobat; Aliàs non adorationi, sed maledictioni & perditioni subjicitur omnis ille Deus qui non fecerit cœlos & terram Jer:x,11.

Neque enim fas est] Optimo jure hoc dicitur ex authoritate ipsius Christi Joh:v,23. quia videlicet ipse & Pater unum sunt Joh:x,30. adeoq; pari venerationis cultu cum Patre filius est honorandus; Omnes enim debent honorare Filium *prout honorant Patrem* Joh:v,23. nec minus in Filium quam in Patrem credere Joh:xiv,1.

Coram agno qui occisus] Quia est θεάνθρωπος & verus noster Immanuel Es:vii,14 Matt:1,23. Deus manifestatus in carne 1 Tim:iii,16. sicque ex Patribus

bus oriundus quod ad carnem attinet, ut unà sit supra omnes Deus benedictus in sæcula Rom: IX, 5.

Nec mirum quandoquidem] Ergo non tum demum pronunciatur adorandus ab Angelis cum in mundum futurum introducitur à Patre, ut modò statuebat Volkelius.

Cùm in tam excelsum] Sive potiùs cum ad excelsum illum gloriæ gradum, in quo jam fuerat apud Patrem antequam mundus fieret Joh: XVII, 5. nondum rediisset per ascensionem suam gloriosam, sed adhuc versaretur in statu ultroneæ exinanitionis pro nobis, cui se submiserat nostræ redemptionis gratiâ, cùm tamen esset *in forma Dei*, nec rapinam duceret parem esse cum Deo Phil: II, 6.

Cujus rei exempla] Imò adhuc vagiens in cunis religioso cultu adoratus fuit à Magis, qui eum in finem ex Oriente venerant Matt: II, 2. 11. ex consequenti multò diu ante quam, ex falsa hypothesi Volkeliana, *ipse Deus in futurum mundum eum introducens, ut ab omnibus Angelis adoraretur imperasset.* Si ex solo Dei mandato, ac demum consequenter ad suam ascensionem in cœlos & exaltationem ad dextram Patris non autem ex intrinseca personæ suæ dignitate & divinitate naturali, Christus sit adorandus, non possunt ab Idololatria excusari, quotquot eum *non civili tantummodo, sed planè divino honoris cultu* affecerunt, priusquam hoc mandatum de illo ab hominibus & Angelis adorando à Patre fuisset promulgatum, & dum ipso in carne & statu exinanitionis versante, maneret adhuc in pleno suo vigore primum Decalogi præceptum, quo ipse contra Diabolum nitebatur Matt: IV, 10. de solo Jehova qui eduxit Israelem ex Ægypto, colendo & adorando.

Erat enim jam revera] Erat revera Christus, θεάνθρωπος, & unctus oleo lætitię prę consortibus suis, & jam præextiterat ab æterno in forma Dei, rapinam non ducens parem esse cum Deo, cùm Verbum caro factum est & assumpsit formam servi. Quomodo verò Volkelius hinc conetur se expedire, sed frustrà, videbimus Deo dante *lib. 5. cap. 10.* quo ipse nos remittit.

CAP. XI.

De CHRISTI *invocatione.*

IAM de Christi invocatione, cujus explicationem tandem ingredimur, ita statuimus, ut nos illum, quamvis corpore absentem, precari, auxiliumque ipsius implorare, non solùm summo jure semper posse, persuasum habeamus; sed sæpè etiam debere, non quidem absolutâ, verùm eâ necessitate, quam secundùm quid appellant Logici, impulsos, nimirum quoties vel divino spiritu ad id faciendum inflammamur; vel fidelium exemplo concitamur; vel imbecillitate nostrâ admonemur; vel denique quâcunque aliâ causâ adducimur. Existimamus igitur, quæ aliorum quoque omnium, qui Christi nomen invocant, sententia, vel saltem praxis est ac consuetudo, nos interdum absque peccato rectà ad ipsum Deum accedere, & preces ad eum dirigere posse, ita ut eadem bona à Christo tum temporis non petamus, quemadmodum in precationis formula ab ipso Christo nobis præscripta fieri videmus. Quare non-

 nun-

nunquam ab invocatione ipsius Christi propriè sic dicta abstinere nos, salvis ipsius præceptis, posse credimus: verumtamen non quòd eum invocare abnuamus, vel non audeamus, (aliter enim Christiano nomine haud satis digni meritò existimari possemus) sed quia hujus rei causis paulò antè commemoratis destituamur. Hinc perspicuum est, nostram de Christi imploratione sen-
222. tentiam duabus assertionibus contineri. Quarum prior est, nos jure invocare Christum semper posse. Altera non semper nos ad id faciendum adstringi.

‡ *Iam de Christi invocatione*] Pelagus nunc subit Volkelius variis tempestatibus agitatum inter aves sui coloris: Nam inter Photinianos extitêre nonnulli, qui Socini principiis insistentes, omnem Christi, ut pote meræ creaturæ, ut rebantur, adorationem & invocationem rejecerunt. Tales fuêre Franciscus Davidis, Budnæus, Christianus Francken, à quibus nec multum abhorret ipse Enjedinus. Quin nec Socinum in hac disputatione contra Franciscum Davidis nostro Volkelio satisfecisse per omnia colligere est ex quadam epistola Socini ad Volkelium scripta anno 1596. Urgebant isti homines solum Deum adorandum; Non serviendum iis qui natura dii non sint; Maledictum esse qui fiduciam in homine ponat; Christum, ceu merum hominem, nostrum esse conservum, nec magis quam Angelum quemlibet adorari posse; Honorem divinũ non magis ei competere quam Omnipotentiam, vel Omnipræsentiam divinam; Eam esse distantiam Creaturæ à Creatore, ut honor & cultus utriusque omninò in infinitum distare debeat, Deo protestante se gloriam suam alteri non daturũ. Manet enim quod dicit sive Tertullianus, sive Novatus, scriptor sanè perantiquus *lib de Trinit Si homo tantummodò Christus, quomodo adest ubique invocatus, cum hæc hominis natura non sit, sed Dei, ut adesse omni loco possit?* Et Augustinus *serm.* 58. *de verbis Dom. Si natura Deus non est Dei filius sed Creatura, nec colendus est omnino,* (cultu religionis & servitutis) *nec ut Deus adorandus.* Nunc Volkelius Palæmonem inter suos vult agere, & sic adorationem & invocationem Christi defendere contra sequaces Francisci Davidis, quos cæteri Sociniani Christiano nomine indignos & semi-Judaizantes declararunt, ut tamen ejus divinitatem æternam neget, nec aliam ei naturam quam creatam adscribat, simulque statuat ex decoro potiùs & ad bene esse, quam ex necessitate absoluta & ad esse, inuocari debere.

Quamvis corpore absentem] Sed merum hominem *corpore absentem*, infinitis etiam locis simul implorare, nequirent Sociniani, si starent suis principiis, quæ suprà *ad Cap.* 8. retuli ex Crellio; ideo ullius sancti demortui invocationem licitam esse negant, quod ubi *religiosè adoratur & precibus auxilium ejus, licet longissimè absentis, infinitis etiam locis simul imploratur, eo ipso divinitas illi revera adscribatur.* Nemo potest Christum *corpore absentem* ritè precari, quin illum Spiritu & Divinitate suâ præsentem profiteatur, & eo respectu Omnipræsentiam ejus bonâ fide agnoscat, qualem ipse sibi tribuit Matt: XVIII, 20. XXVIII, 20.

Sed sæpè etiam debere] Imo id *semper* quoque fieri debere ex *absoluta* necessitate, probant ea quæ modò *in cap. præced.* dicebat Volkelius de adoratione Christi; Si enim *Christi adoratio ex summa ipsius amplitudine NECESSARIO profluit, neque fas est arbitrari nos citra honorem Christo exhibendum Patrem revereri posse, cùm ut ipse Christus testis est, Qui non honorat filium nec Patrem honoret,* tam necesse est filium invocari, quam necessariò est adorandus, imò quam impossibile est Patrem invocari & honorari, Filio non invoca-

invocato nec honorato. Quin videbimus deinceps ea proferri à Volkelio argumenta quæ si ritè procedant, absolutam necessitatem omninò debeant adstruere.

Existimamus igitur] Falsò statuitur hanc esse sententiam *aliorum quoque omnium qui Christi nomen invocant*, cùm omnes verè Catholici & qui benè sentiunt de æterna divinitate Filii, statuant nunquam Patrem nisi per Filium, nunquam per consequens seorsim à Filio, legitimè invocari posse. Quod postea fusiùs erit demonstrandum.

Quemadmodum in precationis] Non nescio variare hîc Doctorum sententias; sic ut alii *Patris* nomen οὐσιωδῶς sumant, alii ὑποστατικῶς: Sed quocunque sensu intelligatur, non potest Filii honos & cultus illâ particulâ non includi. Si sumatur οὐσιωδῶς, complectetur id nominis etiam Filium, cujus nos non fratres modò, sed etiam filii censemur Heb: 11, 13. Si ὑποστατικῶς, propter quandam ὑπεροχὴν primæ personæ Trinitatis, à qua ceu fonte, principio & origine processionis suæ personaliter dependent Filius & Spiritus Sanctus, cùm non sit Pater nisi per respectum ad Filium & ex illius generatione, multo minus Pater *Noster* censeatur nisi in Filio & propter ipsum, nequibit ullâ ratione secluso Filio, sub illo Patris nostri titulo à nobis invocari.

Aliter enim Christiano] Cur non rotundè quod alii ex suis gregalibus dixerunt agnoscit, eum *Christiano* nomine omninò indignum esse, nec pro Christiano habendum, qui id facere vel abnuat vel non audeat? Sed videtur mitiùs judicare & Francisco Davidis & Christiano Francken, eorumque asseclis, quam vel ipse Socinus vel ipse Catechismus Rakoviensis, statuens rotundo ore *eos non esse Christianos*. Et mirum, aliquando ita se accingere ad preces Socinianos, ut interea ad Christum cum Patre invocandum, nec *divino Spiritu* inflammentur, nec *fidelium exemplo* concitentur, nec *imbecillitate* suâ admoneantur, nec *denique quacunque aliâ causâ* adducantur. Siccine Christianum nomen homines professos, eo usque etiam in suis precibus oblivisci Christi Servatoris, dixerit licet, interprete Augustino, *Non est quò eas nisi ad me; non est quà eas nisi per me*? Si tamen latebras quærit Volkelius in illa vocula *propriè*, dum ait se *non nunquam ab invocatione ipsius Christi propriè sic dicta abstinere*, ut statuat nihilominus semper Christum à se cum Patre invocari saltem implicitè & interpretativè, faciliùs eum ferre poterimus.

Hinc perspicuum est] In priori thesi propugnat Volkelius veritatem, & adstruit imprudens orthodoxam sententiã de divinitate Christi; In posteriori, quomodo ei adversemur, infrà videbitur suo loco.

Ac prioris quidem assertionis nostræ indubitata veritas, tum ex ipsius Dei voluntate, quam, Christum nobis regendis atque curandis præficiendo, declaravit; tum ex ipsius Christi divinique spiritus monitis, quibus ad id faciendum incitamur; tum denique ex sanctissimorum hominum exemplis clarissimè patet. Primò enim, quis sanæ mentis homo eum sese invocare diffidat, quem Deus infirmitatis nostræ sublevandæ causâ tantopere extulit, tantaque donavit potestatis amplitudine, ut omnia quibus indigemus, dare nobis possit; tantâ sapientiâ, ut preces nostras, in cœlis licet existens, queat audire, ut corda & renes nostros scrutetur, (*Apoc: 2, 23.*) & abdita omnia penitissimè perspiciat? (*1 Cor: 4. 5.*) Quis v. g. à præfecto id petere dubitet, cujus largiendi potestatem plenissimam eum à rege accepisse sciat?

Ac prioris quidem assertionis] Palmarium omittit argumentum ab ipsiusmet Christi divinitate & consubstantialitate cum Patre, in qua fundantur illa Dei *voluntas*, illa ipsius Christi divinique Spiritus *monita*, illa sanctorum *exempla*, quibus Christum esse invocandum vult comprobare Volkelius.

Primò enim quis sanæ] At eò non potuisset exaltari, nisi naturâ Deus fuisset: Illa *potestatis amplitudo*, Omnipotentiam, illa *tanta sapientia*, Omniscientiam, planissimè arguit. Nam renum & cordium scrutatorem esse, quod de Christo dicitur Apoc: II, 23. est attributum speciale supremi Numinis, ut patet ex variis Scripturæ testimoniis, I Sam:XVI,7. I Chron:XXVIII, 9. XXIX,17. Psal:VII,10. Jer:XI,20. Act:I, 24. Idem statuendum de eo quod Christo tribuitur I Cor:IV,5. eum illustraturum res tenebris occultatas, & manifesta facturum consilia cordium. Nec enim id posset ei convenire nisi foret ὁμοούσιος Patri nostro qui est in cœlis, cujus est iis quos videt in occulto reddere in propatulo Matt:VI,6.

Quis v. g. à præfecto] At verò quod magis est petimus à Christo, non tanquam à Ministro vel Præfecto, sed tanquam ab unigenito Filio, quem Pater *constituit hæredem omnium, per quem etiam mundum condidit* Heb: I,2. Nec aliàs conveniret ei omnia nobis largiendi plenissima potestas.

Hæc quidem ratio adeò est evidens, ut vel sola ad hujus rei demonstrationem sufficiat: sed tamen ne ullus cuipiam tergiversandi locus relinquatur, alia quoque adjiciemus. Et quidem, quid de salutaribus monitis dicam, quibus ad auxilium Christi implorandum invitamur? Christus certè haud obscurè ad id faciendum nos hortatur, dum ita discipulos apud Johannem alloquitur: (*Ioh:14.13,14.*) *Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio: si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.* Etsi enim Christus expressè non dicit, se rogandum à discipulis esse: nihilominus tamen, cum statim subjiciat, idque mox denuò inculcet, sese ea, quæ in nomine suo petierint, facturum; satis indicavit seipsum quoque rogari, & dona illa à se peti jure posse; & discipulos optimè sibi consulturos, si ad ipsius opem confugerint, & hoc pacto in nomine ejus dona cœlestia petierint: nec contemnendum illud est, quòd & vulgata Bibliorum lectio, & Syriacus interpres sic habet: (*v.14.*) *Si quid petieritis me in nomine meo, ego faciam.* Neque enim voculam *me* temerè & absque vetustissimi alicujus Græci Codicis autoritate, in Latinum Syriacumque textum irrepsisse, verisimile est. Quæ quidem loquendi formula, quamvis primò aspectu durior aliquantum videatur: tamen si consideretur, *nomen* Christi pro illius potestate, virtute, ac dignitate accipi posse, (hanc enim significationem vox *nominis* etiam alibi in sac:lit:habet) (*Ioh:10,25:17.12. Act:4.10. Ephes:1.21. Phil:2.9.*) facilè apparebit, Christum eo pacto loqui potuisse, ut simul & quem rogare conveniret, & quam ob causam discipuli intelligerent: quasi dixisset: Si quid à me ipso, potestate, virtute, dignitateque
223. meâ freti atque impulsi petieritis, id ego vobis præstabo. Quòd verò idem Christus alibi dicit, (*Ioh:16,20.*) *Patrem in suo nomine rogandum esse*, nihil quicquam

quam iis, quæ hactenus diximus, adversantur; cum potius hac ipsa ratione Patrem precari dici possimus, cùm ipsius Christi auxilium imploramus: quemadmodum etiam à Rege quopiam aliquid petere jure dici possumus, si ipsius præfectum rogamus. Cùm enim Rex præfectum eâ autoritate donaverit, ut ipsius opem implorantibus subsidio esse possit; efficitur, ut qui præfectum rogat, ipsum Regem rogare meritò dicatur. Eodem modo & Christus hîc Patrem nos tunc orare innuit, cùm ipsum oramus, sicque loqui voluit, ut omnibus pateret, nihil de Patris honore detrahi, imò mirum in modum eum amplificari, cùm ad filium confugientes, ejusdem benignitatem auxiliumque experimur; ideoque mox ibidem subjungit, *Vt glorificetur Pater in Filio.* (*Ioh:14.13.*)

‡ *Christus certè haud obscurè*] Is petit *in nomine* Christi, qui fretus promissione, merito, intercessioneque ejus, accedit cum fiducia ad thronum gratiæ: Quin dici posset eo ipso Christum sui invocationem commendare hac formulâ Joh: XIV, 13. 14. quod nefas sit niti ullius nomine quam ipsius Dei, juxta id quod dicunt fideles Psal: CXXIV, 8. *Auxilium nostrum in nomine Iehovæ qui fecit cœlum & terram.* Et benè monet Volkelius eo ipso sui invocationem hîc connotare Christum, quod polliceatur *se facturum* id quod in nomine suo petitum fuerit.

Nec contemnendum illud est] Ex hac observatione liquet Christum posse invocari in suo nomine, quia potest bifariam considerari, & *in genere entis* quà Deus ὁμοούσιος Patri, cum quo in unitate Spiritus semper invocatur & adoratur; & *in genere moris*, ut loquuntur Scholastici, quà θεάνθρωπος & Mediator Dei & hominum; quo respectu omnes nostræ preces illius nomine sunt concipiendæ, juxta formulas precum in Veteri Ecclesia, quæ omnes ferè hac clausulâ finiebantur, *Per & propter Dominum nostrum Iesum Christum.*

Si quid à meipso] Non seorsim à Patre, sed conjunctim & indivisim cum Patre & Spiritu Sancto, non modò *potestate, virtute, dignitateque meâ freti*, quam cum Patre communem habeo, sed etiam nixi meâ satisfactione & intercessione, quâ ceu Mediator vester unicus, vobis accessum paravi ad thronum gratiæ, *id ego vobis præstabo.*

Quod vero idem Christus] Sed vera solutio hæc est: non repugnare ut Christus quà Deus, uno invocationis actu cum Patre invocetur, & tamen Pater per Christum, ceu Mediatorem rogetur, prout Patri in negotio reconciliationis per Mediatorem & quæ eam consequuntur, solent appropriari quæ aliàs sunt totius Trinitatis, ut satis accuratè docet Forbesius ex Scriptura & Patribus, *Inst. Historico-Theolog lib. 1. cap. 20.* Largior quod *Patrem precari dici possimus cum ipsius Christi*, etiam quà θεανθρώπου & Mediatoris nostri, *auxilium imploramus*, ei dicentes, *Kyrie eleison, Christe eleison*; quia Pater est in Filio, Filius in Patre; & quia ei etiam quà θεανθρώπῳ, omnis potestas data est in cœlo & in terra: Id tamen non soluit difficultatem, quomodo & ipsum Christum directè cum Patre invocemus, & tamen dicamur Patrem invocare in nomine Christi Joh: XVI, 23. Sed ad has angustias redigitur Volkelius, quia vult suæ servire hypothesi, & hæc duo non satis attentè considerat in Christo, nempe Personæ suę divinitatem æternam, & Mediatoris officium: Aliàs non opus fuisset ad hoc simile *Præfecti*, quod satis insubidum est, recurrere: Nec enim Regem rogamus *in no-*

in nomine sui Præfecti, sed potius Præfectum adimus in nomine Regis, & prout illius personam sustinet, atque agit ejus nomine & authoritate.

Illa quoque Christi verba, quæ in Johannis Apocalypsi leguntur, (*Apoc:3.18.*) satis apertam continent admonitionem, ut ab ipso spirituales opes, quibus destituimur, petamus: *Suadeo tibi*, inquit, *emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos.* Quid porrò de divini illius Autoris consilio existimabimus, qui Christi fideles sic alloquitur: (*Heb: 4. 16. 15.*) *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; sed tentatum per omnia secundùm similitudinem absque peccato. Adeamus igitur ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in oportunum auxilium.* Huc pertinet & illa Pauli hac re sententia; (*Rom:10.12,13.*) *Idem est Dominus, dives in omnes, qui invocant eum. Nam quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Quæ verba ad Dei filium, non autem ad ipsius Patrem referenda esse, patet cùm ex universa illa disputatione, quam de fidei Christo adhibitæ justitia Paulus instituerat; tum ex Esaiæ testimonio, (*Esa:28.16.*) de non confundendo illo, qui in Dominum Jesum fiduciam suam collocârit, quod Paulus disputationis suæ confirmandæ causa, & paulò superiùs cap. 9. & hîc in eadem orationis suæ complexione adducit. (*Rom: 9. v. ult. & cap.10.11.*) Nec nostræ causæ officit, quòd Joël, (*Ioël:2.32.*) ex quo sententia ista de invocando Domini nomine desumta est, de Patre illam protulerit; cùm novum non sit, Novi Testamenti scriptores, quæ de Patre à Prophetis dicta sunt, ea ad Christum accommodare. Ex his Spiritus Dei monitis, cui, quæso, non pateat, nos jure Christi opem implorare posse?

‡ *Quid porrò de divini*] Paulus Heb:IV, 16. vult nos accedere cum fiducia, τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος, non addito pronomine *ejus*, quod tamen extat in quibusdam exemplaribus Vulgatæ Versionis & apud Syrum: Si Græca retineatur lectio, Christus proponetur duntaxat ut Pontifex & Mediator per quem habemus accessum ad thronum gratiæ, Eph: III, 12. Si altera, simul etiam proponetur ut insidens thronum gratiæ cum Patre & Spiritu Sancto, prout in medio ejusdem throni, coram quo solemne cantatur τρισάγιον Apoc: IV, 8. *Agnus* constitisse dicitur Apoc:V,6.

Quæ verba ad Dei Filium] Non possunt autem illa verba Rom: X, 12. 13. de Dei filio intelligi, quin Achilleo argumento, æterna ejus firmetur divinitas; quia desumpta sunt ex Joële II, 32. qui hoc statuit de omni invocante *nomen Iehovæ*; unde sequitur Christum esse Jehovam, siquidem de illo hæc Joëlis sententia, Apostolo interprete, intelligenda est. Nec valet κρησφύγετον Volkelii; quod *novum non sit Novi Testamenti scriptores, quæ de Patre à Prophetis dicta sunt, ea ad Christum accommodare*; Nam nequeunt tribui Christo quæ sunt Jehovæ, quin Jehova statuatur; aut quæ sunt Patris, quin ejusdem cum essentiæ & potentiæ agnoscatur. Deinde nomen Jehovæ apud Joëlem *de Patre* esse intelligendum, exclusivè ad Filium, gratis fingitur; Cùm è contrario de Filio

de Filio quoque debere sumi doceat Apostolus loco hic citato; & agat Joël de eo Jehova qui effusurus erat Spiritum Sanctum in suos; Id vero factum quoque à Christo in illius vaticinii complementum, docet Petrus Act:11,33.

Sed jam quoque eorum nobis exempla videnda sunt, qui summam Christi
potentiam considerantes, opem ejus implorarunt. Ea autem sunt duplicia.
Quædam enim directas Christi invocationis formas continent, quædam in- 224.
directas. Ac directarum quidem precum exempla rursus vel eorum sunt, qui
Christum ante mortem ea orarunt, quæ nonnisi divinâ potestate præstari poterant: vel illorum, qui hoc post ipsius in cœlos ascensum fecerunt. In priore genere illa sunt: *Domine, adauge nobis fidem.* (*Luc: 17. 5.*) *Domine adjuva incredulitatem meam.* (*Mar:9 24.*) *Domine serva nos, perimus. Miserere nostri, Domine fili David.* (*Matt:18,25:& 20.33: Luc:17.13.*)

‡ *Quæ nonnisi divinâ potestate*] Igitur divina Christi potestas, quæ nequit separari à divina natura, non pependit ex ipsius exaltatione ad dextram Patris; siquidem jam eam exercebat in statu humiliationis, prout liquet ex locis Volkelio citatis. His potuisset addi precatio Latronis in cruce, *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum* Luc:XXIV.42.

Jam ad alterum genus quod attinet, prodeant primò quatuor animalia, sanctique illi senes, quos Joannes (*Apoc:5.8.*) testificatur *cecidisse coram agno, singulosque habuisse citharas & phialas aureas, quæ sunt precationes sanctorum.* Veniant huc quoque omnes, quos nova scriptura testatur, (*1 Cor:1.2.*) *Christi nomen invocasse*; ex quibus fuerunt illi, quos Paulus vinciendi potestatem à sacerdotum principibus acceperat. (*Act:9.14.21.22.26.*) Quòd verò nonnulli hac loquendi ratione, non quidem precum fusionem, sed Christi nominis professionem designare contendunt; id nullo argumento ostendi potest; nec si posset, concludendum protinus foret, implorationem auxilii Christi eâ phrasi nullo modo contineri. Illud quidem ideò, quòd nec deponens verbum ἐπικαλεῖσθαι in istis scripturæ locis ubique repertum, aliud quippiam præter implorationem denotat; nec phrasis hac, *invocare nomen alicujus*, sine additione prolata, usquam à divinis scriptoribus absque cultus atque fiduciæ erga invocatum significatione, usurpata legitur. Hoc verò ideò, quia nemo ex animo Jesum esse Christum profiteri potest, quin simul agnoscat, eum, ut Christum, id est, summum Regem, coli ac opem ejus implorari posse. Habentur quidem tum apud Mosen, (*Gen:48 16.*) tum apud Esaiam (*Esa:4.1*) aliosque (*Dan:9.18.*) locutiones istæ, *Invocari nomen alicujus in aliquo*, sive *super aliquo*: verùm quis non videt, quantum hic dicendi modus ab illo distet, in quo simpliciter & absolutè *nomen alicujus invocari* dicitur? Ille enim loquendi modus de precatione nunquam accipitur: hunc verò accipi solere, nemo potest negare.

Jam

‡ *Iam ad alterum genus*] Addi posset nobilis locus ex 2 Tim:11,19. saltem juxta Syrum interpretem, quem & Genevenses sunt sequuti, *Abscedat ab injustitia omnis qui invocat nomen Christi.*

Quin simul agnoscat eum] At summus Rex statui nequit quin verus Deus essentiâ & naturâ statuatur.

Hunc vero accipi] Imò non aliter accipi posse, ex usu Scripturæ est certissimum.

Verùm videamus etiam, quid Stephanus vir divino spiritu plenissimus fecerit: *Et lapidabant*, inquit Lucas, (*Act:7.59.60.*) *Stephanum invocantem ac dicentem, Domine Iesu suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens, Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Quo quidem opis Christi imploratæ exemplo licet nihil possit esse clarius, tamen non desunt, qui illud eludere conentur. Jam enim verba ista Stephani precationem minimè esse, jam verò preces quidem illis contineri, non tamen id quicquam causam nostram juvare asserunt. Primò igitur eam ob causam precationem esse negant,
225. quòd invocationis vox ambigua sit, possitque de professione nominis Christi intelligi. Verùm quàm frivolum hoc sit, tum ex iis, quæ paulò antè diximus, intelligi potest, tum ex eo patet, quòd *invocandi* verbo nulla hîc vox sit addita, cujus (*significatio*) professionem denotare possit, sed simpliciter scriptum extet, Stephanum *invocasse*, & quidem ita, ut dixerit: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum*; quæ oratio apertissima est precatio ad Christum directa, similis illi, quâ Christus in cruce pendens Patri spiritum suum commendavit, (*Luc:23.36.*) Deinde quamvis verba ista apertam precationem complectantur, nostram tamen sententiam nequaquam hinc confirmari dicunt, quòd vel ad Patrem ista oratio sit referenda, vel si ad Christum accommodetur, diversam Stephani à nostra conditionem haudquaquam permittere, ut eum tutò hac in re sequi possimus. Ut igitur priùs, quibus argumentis ad Patrem precationem istam pertinere probent, videamus; primo loco dicunt, istam precandi formulam ab ipso Christo (*Luc:23.46.*) divinisque vatibus (*Psal:31.6.*) nonnisi ad Deum Patrem directam fuisse. Atqui cùm Christum sibi ipsi spiritum tradere suum non potuerit, divinique vates Christum præsentem aut exhibitum nondum habuerint, quid, quæso, eorum exempla ad rem faciunt? præsertim cùm jam satis constet, Deum Christo tantam dedisse potestatem, ut, quod antea à solo Patre petebatur, nunc etiam Filius præstare possit.

‡ *Atque cum Christus sibi ipsi*] Imò cùm sit unum cum Patre, etiã *sibiipsi*, quà λόγῳ, suum Spiritum quâ homo tradidisse censendus est; prout etiam unà cum Patre ipsi quoq; Filio licet nondum incarnato, sive in carne exhibito, divinitate tamen suâ præsenti, (siquidem & Israelitæ in deserto *Christum* tentasse leguntur 1 Cor:x,9.) *divini vates* suũ Spiritum reddere potuerunt ac debuerunt, prout in extremis ferè constitutus Jacob eum ceu *Angelum* qui se liberaverat ab omni malo invocabat super filiis Josephi Gen:XLVIII,16.

Præsertim cum jam satis] Imò *cum jam satis*

satis constet, filium Patri coæternum & coessentialem esse, idque ipsum evidenter colligatur ex plenitudine potestatis ipsi ceu θεανθρώπῳ concessa, & cujus mera creatura, quam etiam religiose invocare semper nefas, capax esse non posset.

Deinde, vocem *Iesu*, à Luca in gignendi casu usurpari, perindeque esse ajunt ac si hunc in modum Stephanus locutus fuisset: Tu, qui es Dominus Jesu, &c. Hoc verò falsissimum esse inde constat, quòd Lucas ambiguitatis vitandæ causâ articulum omnino adjunxisset, & non κύριε Ἰησοῦ, sed κύριε τοῦ Ἰησοῦ scripsisset, præsertim quia nusquam Deus, Jesu Dominus appellatur; Dominum autem Jesum sæpissimè appellari comperimus. Neque est, quòd objiciatur, etiam Domini appellationi nullam peculiarem notam præfixam esse, quâ Jesus iste à Patre distingueretur, ut nimirum diceretur Tu, vel, ô Domine Jesu; propterea quòd voces istæ, sive adhibitæ, sive omissæ, nihil prorsus conferunt ad verborum sensum immutandum, sed eundem planè efficiunt; cùm præter Christum, quem Stephanus à dextris Dei stantem vidit, (*Act 7. 55,56.*) alius Jesus intelligi nequeat. Quòd enim quidam asserunt, fieri posse, ut cùm Jesu salvatorem significet, Stephanus ad ipsum Deum sese converterit, quem & Dominum & Salvatorem esse nemo ignorat; id nimirum & coactum, & futile, atque adeò ridiculum censeri debet. Tametsi enim hoc nomen à servando deducitur: non tamen pro communi Salvatoris nomine 226.
poni, sed semper viri alicujus proprium esse, ac non raro ei imponi, qui nihil minùs facit, quàm servat (quanquam in Christo longè aliter accidit,) compertissimum est.

‡ *Sed semper viri*] At Christus non vir merus est, sed אל גבור *El gibbor* Es:IX,6. idest simul Deus fortis & uir potens, ut placet *ad eum locum* nunnullis interpretibus, ac revera θεάνθρωπος & Immanuel. Nec dubium quin ideo invocandus sit Christus, quia *Iesus* est, idest *Salvator* specialissimâ & exquisitissimâ ratione, quę in solum Deum cadat, & juxta quam sæpè Jehovam, *Salvatorem* dici in Scripturis, nemo est qui nesciat, ut Es: XII, 2. XLIII,3.11.XLV,15. & alibi sæpiùs.

Verùm ut ad id, quod secundo loco nobis objectum est, accedamus; dabunt fortassis, Stephanum Filio Dei preces istas adhibuisse: nequaquam tamen hoc ipsius factum, propter conditionis diversitatem, omnibus nobis pro communi exemplo atque regula esse debere contendent. Nam & vidisse tunc eum à dextris Dei stantem & eandem ob causam singulare quiddam illi contigisse affirmant, quorum simile nihil hodie nobis accidat. Respondemus igitur, nos nihil singulare, aut, ut sic dixerim, extraordinarium hìc videre, præter istam Christi apparitionem, quæ, ut mox docebimus, haudquaquam tantam parere potest inter nos & Stephanum diversitatem, ut illi Christum propterea invocare licuerit, nobis non liceat. Itaque ipsam Stephani invocationem, de

qua agimus, extraordinariam esse pernegamus. Nam & ipsa Christi nostri juvandi potestas, & aliorum divinorum hominum, ipsum citra talem apparitionem invocantium exempla, & denique Spiritus Sancti admonitiones, superiùs à nobis adductæ, satis indicant, nihil præter religionis Christianæ ordinem fieri, cùm Christus invocatur; imò Christianum verè non esse, qui sese hoc jure facere posse non agnoscat. Neque enim ideò aliquis invocari, seu auxilium ipsius implorari potest, quia appareat; aut contrà non potest, quia non appareat; cùm licet Deum oculis nostris non videamus, ejus tamen opem imploremus: sed quia, sive præsens, sive absens, sive apparens,* sive non apparens, preces nostras audire ac percipere queat, & potestatem habeat id, quod petimus, præstandi. Duabus his rebus positis, preces, quæ ad eum jure merito fundi queant, ponuntur. Jam verò superiùs à nobis demonstratum est, Christo etiam absenti, tum nostras necessitates percipiendi, tum nobis opem ferendi, amplissimam potestatem factam esse.

‡ *Qui sese hoc jure facere*] Adde & debere: cùm revera ejuret Christi nomen qui se ad Christi invocationem constantem obligatum esse negaverit.

Sed quia sive præsens sive absens]* At absentem compellare foret absurdissimum: Quare divinitate semper præsens omninò est statuendus, juxta promissionem ipsius Matt:XXVIII,20. Absens enim omninò, *preces nostras audire ac percipere* nequiret, multo minus *potestatem* habere *id quod petimus præstandi.* Ubique præsens debet agnosci, & ex consequenti Deus φύσει non θέσει, qui in omni loco, imò infinitis in locis, ab infinitis personis, de rebus infinitis simul invocatus, preces audire & petita præstare potest.

Christo etiam absenti] Hæc potestas convenit Christo *absenti* quidem humanitate, sed divinitate præsenti: Aliàs corruit illud ipsum argumentum ipsius Crellii, quod antea ursi, contra invocationem sanctorum; quod non possint invocari quia longissimè *absunt.*

Pauli quoque terna illa invocatio, quâ Dominum Jesum, ut Satanas ab ipso discederet, rogavit, (2 Cor:12.8.) nonné clarissimum hujus rei exemplum est? Neque enim est, quòd *Domini* nomine alium præter Christum intelligamus; cum illud, quando ei articulus in Græco præfigitur, apud Paulum perpetuò Christum designet, nisi ad Vetus Testamentum habeatur respectus, aut ex eo aliquid citetur: & ipse orationis contextus, nonnisi ad Christum preces illas Pauli directas esse, ostendat. Eum enim hîc Paulus in-
227. vocat, qui ipsi sic respondet: *Sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea in infirmitate perficitur.* Is autem, qui sic respondet, Christus est. sic enim ibidem Paulus subjungit, (v.2.) *Libentissimè igitur gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me potentia Christi.* Quæ ultima verba ad illa superiora, *potentia mea in infirmitate perficitur*, manifestam habent relationem. Quod si quis hic etiam dicere ausit, exemplum Pauli ideò ad nos nequaquam pertinere, quòd Christum

stum tunc, cùm eum invocaret, viderit: respondemus id merum figmentum esse, quod nullo prorsus nitatur fundamento; imò cujus contrarium potiùs ex ipsa verborum complexione appareat: siquidem sibi Paulus stimulum carni Angelum Satanam, post illas visiones atque apparitiones Domini additum fuisse indicat, ne videlicet revelationum multitudine insolesceret; à quo ut liberaretur, dicit, sese ter Dominum orasse: nec, si probari posset, Paulum, cùm oraret, Christum vidisse, quicquam id ad rem faceret, ut jam in Stephani exemplo ostensum est. His omnibus etiam illa Johannis precatio annumeranda est: *Veni, Domine Iesu.* (*Apoc:22.20.*)

‡ *Neque enim est quod* Domini] At ea quæ à Paulo 2 Cor:XII,8.9. Domino Jesu tribuuntur, (quamvis argumentum Volkelii ab articulo desumptum, non sit apodicticum, ut de eo disputavimus *lib.1.cap.13. & 14.*) veram ipsius divinitatem comprobant: Nullius enim, nisi summi Dei, vel *gratia* potest sufficere homini, ut dicere queat, *Gratia Dei sum id quod sum*, 1 Cor:XV,10. vel *potentia*, ut pote infinita, in infirmitate perficitur.

Jam ad obliquos seu indirectos precandi modos nos conferamus. In iis primum locum omnibus ferè Pauli, aliorumque Apostolorum salutationibus meritò tribuimus, quibus non solùm *à Deo Patre*, verùm simul etiam *à Iesu Christo, gratiam & pacem* ecclesiis precantur. Quod certè perinde est, ac si Deum Christumque orarent, ut fidelibus gratiam pacemque h. e. veram felicitatem, conferrent, præsertim cùm jam satis constet, utrumque vota ista audire ac percipere. Hoc verò quidam pernegantes, illorum septem spirituum instantiam afferunt, à quibus Johannes quoque gratiam ac pacem fidelibus precatur, (*Apoc:1.4.*) hocque ex nostra sententia absurdum effici dicunt, quòd eadem ratione, septem istis spiritibus Johannem preces adhibuisse, statuendum foret. Respondemus autem, vel statui ab iis, qui istud objiciunt, spiritus illos personas esse, de quibus Johannes persuasus esset, eós votum istud audire ac percipere posse; vel id ab iis negari. Si statuunt; quo argumento probabunt, eos à Johanne tunc verè ac propriè, licet indirectè rogatos non fuisse, & sic ratione illis convenienti invocatos? Certè, illo posito, concludendum omninò esset, illos Deo ac Christo, cujus sunt spiritus, in conferenda gratia ac pace illa, quam ab iis Johannes Ecclesiis precatur, ita subordinatos esse, ut ea ab illis quoque peti possit: licet iis etiam non compellatis, ea rectè à Deo ac Christo, qui per illos eam conferat, impetrari queat. Si verò id, quod diximus, negant; facilè possunt videre, dissimilem hac in parte illorum spirituum, ac Christi rationem esse; siquidem hanc per- 228.
sonam esse omnes nôrunt; & preces eum votaque nostra percipere, nos ex s. lit. suprà docuimus; nec negare quisquam potest, nisi qui eum judicem omnium

 omnium

omnium factorum, sermonum, ac cogitationum nostrarum esse neget, & sic Christianum se non esse, ac s. literis id apertissimè asserentibus (*Rom:2.16. 1 Cor:4.5.*) non credere, fateatur. Quare, eo posito, statuendum erit, spiritus hos ipsos impropriè tantùm rogari; propriè autem illum, cujus ii sunt spiritus, quique iis in voto illo Johannis implendo, h. e. in gratia & pace Ecclesiis conferanda, utatur. Is verò est Deus ac Christus, à quo alibi gratiam & pacem precari Apostolos, nulla spirituum istorum facta mentione, jam vidimus. Hos autem spiritus, ut Dei, ita etiam Christi, cui illi à Deo dati fuerint, esse, ita ut, quod ab iis sive propriè sive impropriè petitur, ab eo propriè peti censendum sit; patet ex eo, quòd alibi apud eundem autorem, (*Apoc:5.6.*) Christus septem cornua, & oculos septem habere dicitur, qui sint illi septem Dei spiritus, missi in universam terram. Item alio in loco (*cap:3.1.*) Christum septem illos Dei spiritus habere, idem scriptor asserit.

‡ *Respondemus autem, vel*] Sed quid opus his ambagibus? Cùm hi *septem Spiritus* Apoc:1,4. non sint septem personæ, sed unica persona Spiritus *septiformis*, qui sua dona copiosè in septem illas Ecclesias effundebat, adeoque septenario numero, jure merito ab Apostolo exprimitur; Is enim est qui omnia operatur in omnibus, & sua dona, quæ sunt varia, distribuit cuique uti vult 1 Cor: XII, 4. 11. Nec immeritò Apoc: IV, 5. hi septem Spiritus Dei dicuntur *septem lampades igneæ ardentes ante thronum*, quod à Spiritu Sancto, cujus vis ignea sepè proponitur in Scripturis, quique datus fuit Apostolis in prima Pentecoste in linguis igneis, omnis nostra illuminatio & salutaris sapientia procedat. Sic Apoc: V, 6. Agnus stans tanquam mactatus habet *cornua septem & oculos septem, qui sunt septem illi Spiritus Dei emissi in omnem terram*; quod Christus omnem suam vim in regimine suę Ecclesiæ exerat per Spiritum Sanctum, quem copiosè effundit ubique in omnes credentes. Confer Zach: III, 9. & IV, 10. Hinc Apoc: III, 1. Christus dicitur *septem illos Spiritus Dei habere*; quod Spiritus Sanctus ab ipso quoque procedat ut à Patre; & illius sit eum cum suis charismatis fidelibus distribuere, prout ei tribuit Petrus Act: II, 33. illius visibilem effusionem & communicationem sibi suisq; coapostolis factam in prima Pentecoste. Non igitur, vel *indirectè*, vel *impropriè* tantum, ut vellet Volkelius, nesciens cui parti se applicet, hi Spiritus septem invocantur à Johanne, sed æquè directè & propriè ac ij quorum sunt Spiritus, nempe Pater & Filius: prout æquè directè & propriè in Spiritus Sancti, ac Patris & Filii nomen baptizamur, & pari ratione à Paulo conceptis verbis cum Patre & Filio invocatur 2 Cor: XIII, 13. Quare nec absolutè verum est à Patre & Filio *alibi gratiam & pacem precari Apostolos, nullâ Spirituum istorum factâ mentione*; & quamvis rarior sit expressa mentio Spiritus Sancti in illis formulis Apostolicis, eum tamen sub intelligi cum Patre & Filio, ex eorum coessentialitate facilè colligitur. Ut taceam quod cum sit Spiritus precum Zach: XII, 10. non minus ad ipsum debent dirigi omnes nostrę preces, quam ab ipso instillantur. Sed de his alibi fusiùs & ex professo agimus.

Instabunt tamen, ideò ex istis precationibus invocationem Christi elici minimè posse, quod, licèt Patri conjungatur, non eadem tamen ratione gratiam

ac pacem conferat, quâ Pater; alioquin, inquient, Patri filius per omnia æqualis esset, quod absurdum foret. Nos verò & eadem ratione gratiam ac pacem utrumque conferre: quatenus nimirum uterque virtute atque efficaciâ suâ id præstat; & inde hoc absurdum nequaquam consequi dicimus: cùm hæc nihilominus maneat inæqualitas, quòd Pater à seipso, & ut prima causa, Filius verò à Patre, & ut secunda causa idem efficiat.

‡ *Nos verò & eadem*] At non potes admittere quod *eadem ratione* gratiam & pacem uterque conferat, supponendo tamen Patrem id facere ut causam primam, Filium ut causam secundam. Nemo enim sani syncipitis unquam sensit *eadem ratione* se habere causam primam & secundam, in effectu producendo. Et quamvis utraque ad eum, virtutem & efficaciam quæ Sibi competit adhibeat, utriusque tamen in agendo tam disparem oportet esse rationem, quam differt activitas causæ primæ ab activitate secundæ, quæ proculdubio distant in infinitum. An dixeris *eadem ratione* causam principalem & minus principalem vel instrumentalem concurrere ad effecti productionem, eo quod unaquaque earum eò conferat quod suum est? Quod si nequidem statui potest de causis sociis quarum una debilior foret altera robustior, *eadem ratione* utramque se habere ad effectum producendum, v.g. puerum & virum in grandiori onere tollendo, cum hic multo plus ad oneris sublationem conferat quam ille; quantominus id statuendum de causa prima & secunda, quę non agunt socialiter sed subordinatè, ita ut hæc absolutè & simpliciter ab illa dependeat & in essendo & in agendo? Itaque quam verum est Patrem & Filium *eadem ratione* pacem & gratiam hominibus conferre, tam falsum est Patrem in eo agere ut causam primam, Filium ut secundam: Sed agunt simul, ceu præditi per eandem essentiam eadem virtute ad idem apotelesma: servato tantum ordine agendi, ita ut Pater agat *à seipso*, Filius à Patre, agatque Pater ex consequenti mediatè per Filium, non quidem mediatione virtutis, cum non sit alia virtus Patris, alia Filii Joh: v, 19. sed tantum mediatione suppositi, ut loquuntur in Scholis. Igitur non procedit quod statuit adversarius, Pater agit *à seipso*; ergo ut *prima causa*; Filius vero *à Patre*; ergo *ut secunda causa*. Quando enim unum agit ab alio, per dependentiam essentiæ & causalitatis, tum hoc se habet ut causa prima aut principalis, illud ut secunda aut minus principalis; ut cum Legatus agit à Principe, servus à Domino: At ubi est mera dependentia ordinis & personalitatis, (quo sensu Filius nihil *à semetipso* operatur Joh: v, 19.) ut cùm filius versatur in administrando regno cum suo patre, ad quod hæreditario jure adscitus est, tum una est utriusque & indivisa potestas & activitas. Uno verbo, Pater oppositè ad Filium, est à seipso, non ut illius causa, sed tantum ut illius principium originis & ordinis; Filius similiter est à Patre, non ut causa secunda à prima; sed ut secunda persona Trinitatis à prima, cum qua habet eandem essentiam & causalitatem.

Huc spectant quoque illæ Paulinarum Epistolarum conclusiones: *Gratia Domini nostri Christi* [sit] *cum omnibus vobis*, vel *vobiscum*, vel etiam *cum spiritu tuo*, vel *vestro*. Quas ut preces Christo adhibitas minimè fuisse ostendant adversarii, adducunt duos similes, ut ipsis videtur, locos Pauli, veluti sunt: (*2 Cor:13.13.*) *Communicatio Spiritus Sancti cum omnibus vobis*; & (*1 Cor:16.24.*) *Charitas mea cum*

omnibus vobis. Nos verò respondemus, locos hos illis valde esse dissimiles in eo, quo hîc quæritur. Nam in priori non optatur, ut Spiritus sanctus aliquid agat aut fidelibus communicet; sed ut ipse iis communicetur, nempe à Deo ac Christo, cujus charitatem ac gratiam iisdem precatur Apostolus. Itaque dum iis communicationem Spiritûs sancti optat, Deum & Christum tacitè rogat, ut eos tam præstantis doni participes efficiat. At cùm gratiam Christi fidelibus precatur, id petit, ut Christus aliquid, quod ad fidelium bonum
229. pertineat, agat, h. e. ut iis faveat, & sic pacem seu felicitatem, quam in epistolarum initiis ab eo fidelibus precatur, tanquam gratiæ illius effectum, iis largiatur. In posteriore autem loco Paulus non charitatem suam Corinthiis, aut aliquid ab ea precatur: sed eam cum illis esse, id est, sese omnes illos diligere in Christo Jesu, sive propter Christum Jesum, significat; ita ut ibi non sit subaudienda vocula *sit*, sed *est*: nisi cum quibusdam velis; Paulum optare, ut ipse à Corinthiis ametur, & sic Corinthios rogare, ut se ament.

‡ *Nos vero respondemus*] De posteriori loco qui extat 1 Cor: XVI, 24. haud gravatè assentimur Volkelio: quamvis possem dicere, Charitatem suam hîc Paulum intelligere, non subjectivè ex hominum parte, sive sua quâ ipsos diligeret, sive eorum, quâ ab ipsis diligeretur, sed potius objectivè, in quam ipse ferretur, idest ipsum Deum, quem charitatem esse dicit Johannes 1. IV, 8. 16. Et notum illud eodem sensu Ignatii, ἔρως ἐμὸς ἐσταύρωθη: *Amor meus crucifixus est*. Sed quoad priorem locum ex 2 Cor: XIII, 13. pertendo eodem plane sensu comprecari Paulum Corinthiis, Dilectionem Patris, Gratiam Filii & Communicationem Spiritus sancti: adeoque non solum optare, ut Spiritus sanctus *communicetur* fidelibus *à Deo ac Christo*, sed etiam ut non minus sui κοινωνίαν illis impertiat, quam Pater suam charitatem, Filius suam gratiam: Etenim quod Spiritus sanctus in illa sui κοινωνίᾳ, non merè passivè se habeat, sed etiam activè, docet Apostolus 1 Cor: XII, 11. ubi post enarrata varia charismata & dona Spiritus Sancti subjicit, *Omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim singulis sicut vult.*

Verum jam illæ Pauli orationes prodeant: *Ipse autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos*, (1 Thes: 3. 11, 12.) Et, *Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, consoletur corda vestra, & confirmet in omni sermone & opere bono*. (2 Thess: 2. 16.) Hîc verò illa Jacobi Patriarchæ verba, instantiæ loco adducent: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*, (*Gen: 48. 6.*) quem Angelum similiter à Jacobo invocatum fuisse consequi ajunt, si superiores Pauli sententiæ in precibus Christo fusis habendæ sint. Atqui sciendum est, ejusmodi verba tunc pro precibus habenda esse, cum constat, illum, ad quem referuntur, ea audire posse: sin verò minùs, non quidem tunc preces alicubi adhiberi existimandum est, sed tantùm optari, ut Deus

ut Deus per illum, quem talis locutio respicit, id de quo agitur, præstet. Quare cum Christum corda & renes scrutari exploratissimum sit, (*Apoc: 2. 23.*) Angelum verò illum non item; nec aliunde constet, Jacobum arbitratum fuisse, angelum illum præsentem tunc adesse, & votum istud audire; (hoc enim si constaret, nulla esset caussa, cur eum à Jacobo indirectè rogatum, & auxilium ejus imploratum fuisse, negare deberemus:) hinc fit, ut ejusmodi vota Christi respectu precationes meritò dicantur, angeli verò ratione id asseri nequeat; sed perinde censeri queat, ac si Jacobus Deum (quem proximè ante angeli mentionem ibidem alloquitur) precatus esset, ut per eum angelum pueris illis benediceret. Ex his omnibus apertissimum est, nos Christi auxilium implorare, eaque ab illo petere & posse & interdum debere, quæ tum ad futuræ illius, tum ad præsentis vitæ statum pertinent, quantumvis ea tantum difficultatis habeant, ut nonnisi divinâ potentiâ præstari possint, qualia sunt, fidem nostram amplificare, pacem seu felicitatem, eamque cœlestem largiri, spiritum nostrum suscipere, ex capitis periculo, vitæque discrimine nos liberare, itinera fortunare, & id genus alia, quæ quacunque ratione ad regnum ejus spectant.

‡ *Atqui sciendum est*] Dubium non est quin Angelus ille quem Jacob invocat Gen: XLVIII, 16. & quem conjungit Deo illi *ante cujus conspectum indesinenter ambularunt* Patres sui, nec non & illi qui ipsum *paverat* in illum usque diem, sit Angelus increatus, nempe æternus Dei Filius, Angelus fœderis & magni consilii, à quo demum, non ab ulla mera Creatura, liberatio *ab omni malo*, quam sui respectu illi tribuit Patriarcha, & omnigena benedictio; quam ab ipso implorat filiis Josephi, venit expectanda. Vide Gen: XXII, 11. & seq. nec non Exod: XIV, 19. 21. XXXIII, 20. Ita hunc locum de Angelo increato, nempe Dei Filio, interpretantur veterum plurimi citati à Quistorpio, nempe Tertullianus *de Trinit. cap.* 16. Hilarius *in Psal:* 113. Chrysostomus *in Genesim, hom.* 66. Athanasius *contra Arr. serm.* 4. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 3. *Thes. cap.* 1. Procopius Gazæus *in Gen:* 48. Nec dubium quin hoc suum votum audiri ab hoc Angelo persuasissimum habuerit Patriarcha, adeoque eum directè invocaverit. Quâ enim conjecturâ assequetur Volkelius Jacobum censuisse eum verba quæ fundebat, audire & percipere non potuisse? Igitur non ex eo debet colligi eadem verba Patriarchæ *pro precibus* fuisse habenda respectu Dei illius coram quo sui Patres ambulaverant, sed non respectu Angeli illius qui se custodiverat & eripuerat ab omni malo, quamvis eodem tenore & spiritu prolata utriusq; respectu, & ab utroq; simul eandem omninò imploraret benedictionem suis nepotibus, quod fingatur gratis illum Angelum non potuisse audire illa verba; Sed potius hinc debet colligi eum religiosè fuisse invocatum, ceu personam secundam Trinitatis, & potuisse audire ac exaudire Patriarcham, quod Deo Patri conjungatur in actu religioso, ad id bonum petendum & impetrandum, quod nec peti nec obtineri potest à mera Creatura. Quin si Christus ψιλὸς ἄνθρωπος foret, ut volunt adversarii, *corda & renes scrutari* non posset, ut id jure ei tribuitur Apoc. II, 23. nec vota & preces nostras audire, tam procul à nobis dissitus, quam cœlum distat à cœno: hæc enim in meram Creaturam cadere non possunt.

Hoc

Hoc enim si constaret] At cùm sibi præsentem Angelum creatum non licuerit Johanni adorare, non video cur fas fuerit Jacobo Angelum creatum, etsi præsens fuisset, Deo Creatori conjungere in religioso cultu, sub illa distinctione directæ vel indirectæ invocationis : Nunquam licebit honestæ mulieri, sive directè sive indirectè, alteri dare quod soli viro reservatum oportuit.

Sed perinde censeri queat] Nugæ : Nec enim petit Jacob à Deo ut Angeli sui ministerio benedicat istis pueris; sed à Deo & Angelo simul, eoque qui se liberaverat ab omni malo, petit ut benedicat illis; adeoque non precatur Deum, *ut per eum Angelum pueris illis benedicat*; sed precatur cum Deo Patre Angelum Increatum, ceu benedictionis cum ipso in Spiritus Sancti unitate fontem & authorem, ut illis benedicere dignetur.

Et posse & interdum debere] Imò id semper fieri oportet, ab iis omnibus qui sciunt non dari accessum ad Patrem nisi in Filio & per Filium.

Quæ tum ad futuræ illius] Hæc omnia verò à Christo petere & ab ipso expectare, est revera ipsum naturâ Deum profiteri; cùm nec invocandus sit qui non sit Deus, nec ulla detur Creatura mera, ut pote finitæ potentiæ, quæ hæc omnia præstare possit.

230. Sed jam ad alteram sententiæ nostræ partem accedamus, quæ est, non semper nos ad Christum invocandum obstringi, vel non absolutam nobis id faciendi necessitatem incumbere. Hîc igitur primò intelligendum est, nos nequaquam eo animo istud asserere, quasi Christum Dominum nostrum parvi pendamus, eique debitum honorem denegemus : sed ut ita honorem Christò debitum ac convenientem asseramus, ut de honore Dei Patris, deque illius prærogativa, nulla fiat diminutio; & sic nos ab illorum calumniis tueamur, qui nos Deum proprio honore suo spoliare, ad Christumque transferre dicunt.

‡ *Sed jam ad alteram sententiæ*] Atqui hæc sententiæ Volkelianæ posterior pars per priorem evertitur. Nam antea statuebat, eo ipso invocari Filium quod Pater ejus nomine invocetur; Jam verò nunquam legitimè & cum fructu posse invocari Patrem nisi in nomine Christi, omni Christiano debet esse certissimum. Antea probaturus Christum esse invocandum, primum ducebat argumentum *ex ipsius Dei voluntate* : At quis neget nos semper ad id teneri & absolutè obstringi, ad quod ex Dei voluntate obligamur?

Quasi Christum Dominum nostrum] At si agnoscunt eum pro Domino, cultum illi omnem Domino debitum, omninò & absolutè tenentur deferre Mal. 1, 6.

Sed ut ita honorem] Primò si *debitus* est, igitur absoluta necessitas nobis incumbit ejus reddendi : Deinde tantum abest *ut de honore Dei Patris* aliquid delibetur Christi cultu & honore, ut è contrario Patri sit contumeliosus, qui hunc neglexerit, aut ad eum se non teneri dixerit : Et jam suprà dicebat Volkelius, ipsum Patrem in Filio invocari, adeoque *nihil de Patris honore detrahi, imò mirum in modum eum amplificari, cum ad filium confugientes, ejusdem benignitatem auxiliumque experimur.* Quid ergo nunc negat *nos semper ad Christum invocandum obstringi, vel absolutam nobis id faciendi necessitatem incumbere*? Annon semper & absolutè ad id teneamur, quo non solum nihil de Patris honore detrahitur, sed is potiùs mirum in modum amplificatur; cum

cùm illius honoris amplificandi & promovendi, omnes occasiones captare & venari studiosè debeamus? Adhæc ut prærogativam & ὑπεροχὴν aliquam personalem & ordinis Patri concedendam non diffitemur, sic ullam essentialem & naturæ illi præ Filio convenire negamus: unde fit, ut non minus necessariò Filius quam Pater, quo cum essentiâ unum est, veniat colendus & adorandus.

Et sic nos ab illorum calumniis] Studuit Volkelius mediam insistere viam inter Francisci Davidis sequaces & alios Samosatenianos, ab utroque latere claudicando: Sed frustrà est. Nam si Christus naturâ Deus non sit, nullâ ratione religioso adorationis & invocationis honore colendus est: adeoq; si vel semel id feceris & legitimè fieri pertendas, etsi non *semper* & necessariò id faciendum statuas, reus es læzæ majestatis divinæ, & meritò accusaris Dei *proprio suo honore* spoliati & cultus indebiti delati creaturæ.

Interim tamen verissimè à nobis dici, hac potissimùm ratione confirmatur: quòd nullum nobis de ipso Christo nominatim rogando præceptum datum est, præceptum, inquam, verum ac propriè sic dictum. Nam alioqui consilia & suasiones, quæ ad id faciendum nos impellant, quæque accedentibus iis incitamentis, quæ ab initio hujus tractationis enumeravimus, præcepti cujusdam vim habeant, extare, nos ipsi antea ursimus. Istiusmodi autem præceptum, quale diximus, non extare, hinc perspicitur, quòd mandatorum affirmantium ea est natura, ut illos, quibus dantur, semper obstringant, quoties eorum complendorum est occasio, adeò ut nulla eorum observandorum occasio absque peccato omitti possit: ut quidem in Dei Patris invocatione apparet, quæ cùm mandata nobis omninò sit, efficitur, eam à nobis prætermitti salvâ religione nunquam posse. Tametsi enim sæpissimè precationis nostræ verba ad Christum, citra expressam Patris mentionem convertuntur: tamen cùm Christum, qui Patri subordinatus est, invocando, ipsum Patrem invocemus, tunc quoque mandatum illud exequi meritò dici possumus. Jam, ut ad rem redeamus, cùm Apostolis, aliisque divinis viris, nec non fidelium cœtibus, nunquam Christi invocandi deesse potuerit occasio, quæ toties offertur, quoties fideles re aliquâ ad salutem necessariâ indigent; interim tamen sæpissimè citra ullum peccatum, Christo non compellato, solum Patrem eos invocasse videamus: consequens est, illos divino mandato ad Christi invocationem obligatos non fuisse, & porrò absolutâ quadam necessitate nos id facere minimè teneri.

‡ *Interim tamen verissimè*] Nempe juxta Volkelium Christi invocatio simul mandatur & non mandatur, simul præcepta & non præcepta est. Hæc est Theologiæ Socinianæ subtilitas, quæ Gryphis delectatur. Sed præterea quod in iis quæ Dei verbo continentur, consilia rerum honestarum frustra distinguuntur à præceptis, cùm Deus nobis consulendo quid facto sit opus ad salutem consequendam, id omne eo ipso præcipiat, quò referri potest locus expressus Apoc: III, 18. quâ fronte audet negare Volkelius de eo *præceptum datum* esse, quod suprà, conceptis

verbis, *ex ipsius Dei voluntate* arcessebat? Aut etiam cùm agnoscat illa omnia argumenta quibus dicit niti Invocationem Christi *præceptis cujusdam vim* habere, quo jure negat ad id nos *semper* obstringi, ad quod iis saltem rationibus & argumentis tenemur quæ præcepti *vim* habent, & vice illius esse possunt?

Istiusmodi autem præceptum] At primò non minus obligant *semper* quæ præcepti cujusdam affirmativi *vim* habent, ac ipsa præcepta affirmativa. Deinde cùm Filius sit ejusdem essentiæ & naturæ cum Patre, & Jehova justitia nostra, eodem præcepto quo Dei summi & Jehovæ cultus mandatur, etiam Filii cultus & invocatio διαῤῥήδην præcipitur; Nam & benè pertendimus Christum esse invocandum, quia Deus est, & benè probamus Christum esse Deum, quia est invocandus. Tertiò si ea sunt præcepta affirmantia, quæ *illos quibus dantur semper obstringunt, quoties eorum complendorum est occasio, adeo ut nulla eorum observandorum occasio absque peccato omitti possit*, quis neget ex præcepto affirmativo nos teneri ad Christum invocandum, siquidem id, credo, negligi citra peccatum nequit à nobis *quoties vel divino Spiritu ad id faciendum inflammamur, vel fidelium exemplo concitamur, vel imbecillitate nostra admonemur, vel denique quâcunque aliâ causâ adducimur*, ut ipse Volkelius initio hujus capitis loquebatur?

Ut quidem in Dei Patris] Verùm cum Deus Pater non sit absque Filio, eo ipso quod Patris invocatio mandatur, præcipitur quoque invocatio Filii, ut modò dictum est. Ac sicut ex confessione Volkelii, *cùm Christum qui Patri subordinatus est*, (personâ quidem & munere, non tamen essentiâ & naturâ) *invocando, ipsum Patrem invocamus*, ita etiam invocando Patrem invocamus quoque Filium, cùm Pater sit in Filio & Filius in Patre Joh: XIV, 9. 10. nec possit unus eorum altero secluso vel negato haberi 1 Joh: II, 22, 23. 2 Joh: 9.

Iam ut ad rem redeamus] Sed ad hæc jam responsum est: Apostoli enim aliique divini viri & cœtus fidelium, nunquam secluso Christo Patrem invocarunt; cùm & nunquam Patrem nisi in nomine Christi, juxta illius mandatum, invocarint, unde suprà Volkelius ipsiusmet Christi invocationem colligebat; & æquè invocato Patre invocetur Filius, ac Pater invocato Filio censetur invocari; quia Filius & Pater unum sunt Joh; X, 30. Ac sicut qui Filium dicit Patrem quoque connotat, ita qui Patrem nominat vel invocat, unà quoq; Filium designat & intelligit, prout relata se mutuò ponere & tollere in comperto est.

At, inquies, si sic res habet, erit Christi invocatio adiaphora, inque hominum arbitrio posita, ac porrò nullam merentur reprehensionem, qui Christum invocare nolunt, tantumque illi honorem exhibere abnuunt. Respondemus, & consecutionem istam nihil valere, & Christum invocare recusantes, Christiano se nomine indignos reddere. Etsi enim nullum Christi invocandi mandatum extare fatemur: tamen non perinde hanc rem adiaphoram esse, inde
251. consequitur; quasi aliquis eam citra peccatum semper negligere, aut, quod amplius est simpliciter recusare, & tanquam illicitam fugere ac detrectare queat: cum cuilibet, qui servari velit, necessarium sit, ejusmodi in Christum fiduciam collocare, ut eum invocare atque opem ejus implorare, quovis loco ac tempore audeat, & sic, accedente peculiari aliquo incitamento, reipsa etiam id faciat: cùm non frustrà divinus spiritus, ut suprà vidimus, Christianos

nos homines ita describat, quòd nomen Jesu Christi invocent, & iis, qui id faciant, salutem polliceatur. Breviter, ea animi inductio ac persuasio quòd Christum invocare liceat, simpliciter est ad salutem necessaria: ipse verò invocandi actus non simpliciter; sed ut suprà cum Scholis loquuti sumus, secundùm quid, & veluti ex consequenti. Quare hinc nequaquam efficitur, illum, qui Christi opem implorare recusat, reprehendendum non esse: sed illum tantummodo peccato vacare, qui interdum Christum orare prætermittit, dummodo non ideo hoc ab illo fiat, quod vel nolit, & obstinatè abnuat, vel non audeat. Hoc enim, de quo cum adversariis potissimùm disputamus, neque nobis, neque illis adiaphoron est: cùm nos eum, qui Christi potentiam tantam, quanta sufficit ad id, ut invocari jure queat, non agnoscit, illumque ob causas suprà allatas sese invocare posse, interdum etiam teneri, minimè fatetur, nomine Christiano indignum sese reddere statuamus: adversarii verò citra idololatriæ flagitium, summamque gloriæ divinæ offensionem, Christum invocari minimè posse affirment.

† *Respondemus & consecutionem*] Nempe hæret aqua Volkelio, & nescit quo se vertat inter invocationem Christi, & Francisci Davidis aliorumque argumenta, ex hypothesibus Photinianismi desumpta. Interea tamen hæc *consecutio* est optima. Qui enim *nullum Christi invocandi mandatum extare* fatetur; qui etiam pertendit omissam fuisse sine peccato invocationem Christi, etiam cùm illius invocandi non defuit *occasio*; is sanè vel illicitam debet facere Christi invocationem, cùm in rebus Religionis citra Dei mandatum nihil fieri debeat; vel saltem indifferentem, cùm id quod nec mandatum nec prohibitum est, & omissum, etiam ubi illius præstandi non deest occasio, nihil habet peccati, adiaphoris debeat annumerari. Vel si *cuilibet qui servari velit necessarium est ejusmodi in Christum fiduciam collocare, ut eum invocare atque opem ejus implorare quovis loco & tempore audeat, & sic accedente peculiari aliquo incitamento, reipsâ etiam id faciat,* certè primò *necessarium* erit datâ saltem occasione invocare Christum, cùm tum demum id faciendi occasionem dari intelligatur ubi ad id faciendum peculiare aliquod incitamentum accedit; deinde eo ipso simpliciter & absolutè *necessarium* erit ipsum invocare: cùm eum omnino tenearis invocare, in quem *fiduciam* tuam collocare teneris: Nam ut is solus est invocandus in quem credis & fiduciam tuum collocas, juxta Paulum Rom: x, 13. 14. ita nequis tuam illam fiduciam in quenquam collocare, quin eo ipso necessitatem habeas illum invocandi. Quid quod nequeat esse licitum, nedum *necessarium* ad *salutem*, *ejusmodi in Christum fiduciam collocare*, si Christus merus homo, non Deus naturâ fuerit? Nam ita hoc respectu homo Jehovæ opponitur Jer: xvII, 5. 6. 7. ut *maledictus* pronuncietur omnis *qui fiduciam habet in homine*, & solus statuatur *benedictus vir ille qui fiduciam habet in Iehova, & cujus Iehova confidentia est.*

Breviter ea animi] At hac ratione non tollis ἀδιαφορίαν istius invocationis, quam tibi-met ex tuis principiis objeceras. Nam simpliciter necessarium est ad salutem nosse & scire quod liceat de eo omni manducare quod venit in macello, imò quod esus carnis suillæ olim interdictus sit licitus sub Euangelio: Et tamen adiaphoris esus vel non esus hujus aut illius cibi

omninò est annumerandus. Licita enim sunt adiaphora, sed præcepta necessaria. Adhæc non tantum necessarium est ad salutem credere quod Christus legitimè invocetur, sed etiam ejus invocatio, sive *ipse invocandi actus*, parilem necessitatem habet. Nam ipsa fiducia ex qua legitimè procedit ejus invocatio, invocationis actualis necessitatem unà trahit, ut modò demonstratum. Ac sicut non solum ea *animi inductio ac persuasio*, quod in Christum fiduciam suam collocare *liceat*, sufficit *ad salutem*, nisi ipsemet fiduciæ *actus* unà accedat; ita non sufficiet ulli Christiano ad salutem, illa *animi inductio ac persuasio quod Christum invocare liceat*, nisi *ipse invocandi actus*, sive actualis invocatio, unà accesserit.

Quare hinc nequaquam] At qui putabit se peccaturum, *si vel nolit, vel non audeat* invocare Christum, ille nunquam *Christum orare prætermittet*, quia vera illius invocandi firmamenta perspecta & in numerato habebit.

Cum nos eum qui Christi] Huic verò se volentes nolentes adjiciunt Sociniani, dũ negant veram & æternam divinitatem Christi, quæ illius adorandi & invocandi primarium fundamentum est, quo seposito, nec adorari potest nec invocari.

Adversarii verò citra] Et hoc est verissimum, negatâ verâ & naturali divinitate Christi; cùm meram Creaturam Creatori in cultu religioso conjungere, sacrilegum sit & idololatricum, atq; primo Decalogi præcepto conceptis verbis prohibitum.

Sunt tamen nonnulli, qui hac re non satis diligenter consideratâ, nec suâ, & universali perpetuaque Ecclesiæ consuetudine satis expensâ, Christi invocandi potestatem, quam sanctis literis confirmatam videmus, & necessitatem quandam, ex certis circumstantiis pendentem, in absolutam necessitatem convertant, quatuor potissimùm argumentis adducti. Primò enim putant, quia in Christo fiduciam nostram collocare omninò debemus, pari ratione eum quoque nobis omninò ac simpliciter invocandum esse; quia hic fidei seu fiduciæ illius sit effectus. Sed animadvertendum illis erat, invocationis actum, non esse ejusmodi fiduciæ in quopiam collocatæ effectum, ut hæc sine illa consistere nequeat; nisi ponatur, præter personam illam, nullam esse aliam, in quam itidem fiducia sit collocanda, & à qua eadem illa bona, quæ desideras, peti queant. At verò præter Christum Deus est, in quo itidem fiducia nobis est ponenda, & à quo omnia, quibus indigemus, bona peti non tantùm possunt, verùm etiam, sive immediatè, sive mediatè, peti debent. Quare nihil prohibet, quominus quis fiduciam in Christum firmam
232. semper collocet, nec tamen eum semper, cùm re aliqua indiget, eamque precibus obtinere cupit, ipsius opem imploret, sed ad Deum rectà confugiat.

ꝉ *Sunt tamen nonnulli*] Miror Volkelium hîc provocare ad Orthodoxorum hodiernorum & universalem perpetuamque Ecclesiæ consuetudinem, cùm & illi suæ praxeôs rationem optimè perspectam habeant, & hæc cùm continua fuerit, pro *absoluta* necessitate invocationis Christi palam militet.

Primò enim putant] Quantum insit huic argumento, jam ante visum: eò quod non tantum invocabilitatem à parte objecti, sed etiam actualem invocationem à parte subjecti, sive nostri, vera & salvifica ponat fiducia.

Sed

Sed animadvertendum] In hac animadversione nihil est solidi: Supponit enim præter Deum, posse dari aliquam personam merè creaturã *in quam fiducia sit collocanda;* cùm paullò ante ex Jeremia docuerimus & maledictioni æternæ subjacere, & læzæ majestatis reum esse qui id fecerit. Non inficior aliam esse personam Patris à persona Filii; sed cùm una eademque sit utriusque natura & essentia divina, unicum quoque est fundamentum fiduciæ in utrumque collocandæ: neque duplex est hæc fiducia, sed una; cum credendo in Filium, credamus quoque in Patrem, ac viceversa Joh: XIV, I. Ac sicut id quod *præter Christum*, *Deus Pater est, in quo itidem fiducia nobis est ponenda,* non efficit ut fiducia in Patrem possit consistere absque actuali ejus invocatione, sic inde non sequitur quod possimus fidere Filio, ipso actu non invocato; eò minus quod nihil queat obtineri à Patre nisi *mediatè* per Filium, sive spectemus mediationem suppositi, quia semper agit Pater per Filium, sive spectemus mediationem muneris & officii: Nam ut nemo potest venire ad Patrem nisi per ipsum, sic nemo quicquam potest à Patre obtinere, nisi per intercessionem & interventionem Filii; Ut tam absurdum sit aliquem omisso Christo *ad Deum rectà* confugere, quam posse vel Patrẽ invocari extra Filium, vel Deum adiri absq; unico Mediatore Dei & hominum 1 Tim: II, 5.

Deinde cum Christum pro rege atque protectore nostro semper agnoscere debeamus; consequens esse ajunt, ut similiter ad ejus opem semper confugere teneamur. Hoc verò eodem modo solvitur. Nam si solus Christus, & non Deus quoque Rex atque protector noster esset, semper ad eum, cùm ope divina ac protectione indigemus, confugere deberemus: At cum aliter sese res habeat, nihil prohibet, quominus illo interdum omisso, hujus opem imploremus.

‡ *Deinde cum Christum*] Et hoc argumentum benè procedit: Nulla verò est Volkelii solutio: Nec enim in Deo & Christo, sive in Patre & Filio, duos reges habemus, quorum alterutrum pro lubitu adire possimus; sed unicum tantum Regem in utroque conjunctim & individuim veneramur. Quod si ex eo quod etiã Christus *Rex atque protector noster* est, nemo sanus possit colligere, solum Christum *omisso* & præterito Patre esse invocandum, vel invocari posse, ita nemo sanæ mentis putabit, solum Patrem *omisso* Filio posse invocari, eo quod non *solus Christus*, sed *Deus* Pater *quoque* cum ipso, *Rex atque protector noster sit.*

Præterea ex necessaria perpetuaque Christi adoratione, necessariam ejusdem perpetuamque colligunt invocationem. Verùm non ita necessariò ex Christi adoratione ejusdem fluit invocatio, ut illa sine hac fieri nequeat: cum mentis corporisque genua Christo flectere, ipsiusque laudes celebrare possimus, nihil ab eo petentes: quemadmodum & angeli eum adorant, nihil eum rogantes. Animadvertendum insuper est, non perinde adorationem, ut invocationem, pro tempore occasioneque susceptam actionem esse: sed potiùs quandam affectionem, ex consideratione potestatis, quam is habeat, qui adorandus est, profectam, perpetuoque nobis inhærentem. Ex quo fit, ut

quamvis eodem tempore, tam Patrem, quàm Filium adorare possimus: Christum tamen nisi directis ad ipsum precibus, aut ab ipsomet quippiam optando, invocare nequeamus.

‡ *Verum non ita necessario*] Hoc quoq; argumentum tam firmiter procedit, ut potius cavilletur quam respondeat Adversarius. Quamvis enim latiùs quodammodo pateret adoratio quam invocatio, quod illâ permanente hæc videatur cessatura in regno cœlorum, attamen in statu saltem peregrinationis nostræ à Domino, separabiles non sunt: Nec enim quis potest *mentis corporisque genua Christo flectere ipsiusque laudes celebrare*, ejusque beneficentiam & beneficia commemorare, quin unà suam indigentiam agnoscat, & sic se unà applicet invocationi. Hinc Scriptura conjungit laudes & gratiarum actiones cum invocatione: ut Ps: LI, 14. 15. *Sacrifica Deo laudem & redde Excelso vota tua; atq; invoca me tempore angustiæ & eripiam te ut honore afficias me*; & 1 Tim: II, 1. *Adhortor igitur ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones, pro quibusvis hominibus*; & 1 Thess: V, 17. 18. *Orate indesinenter & in omni re gratias agite.* Imò cùm saltem oratio sive invocatio sit eximia species adorationis, adoratio Christi in communi non potest censeri mandata divinitùs, quin etiam invocatio illius sub præceptum idem cadere statuatur: Ac ille foret insulsus qui ex mandato generali de colendo & adorando Deo, negaret sequi eum esse invocandum in tempore angustiæ. Hinc qui veniebant Jerosolymas, aut ubi Arca erat, cultui divino vacaturi, & pro suis indigentiis Deum invocaturi, dicebantur eò venisse adoratum, 1 Sam: I, 3. Act: VIII, 27. XXIV, 11. Quin dicam amplius, vix ullam posse concipi ex parte viatorum adorationem Numinis, absq; aliqua petitione; ea saltem quâ optent sanctificari nomen ipsius, advenire illius regnum, fieri ejus voluntatem in terra sicut in cœlo: Nec dubium quin Angeli ipsi nunc adorantes Christum, aliquid rogent, si non sibi speciatim, saltem Ecclesiæ militanti, pro cujus defensione ex ipsius mandato juges agunt excubias.

Animadvertendum insuper est] Verùm hæc animadversio est longè insulsior: Licet enim adoratio Numinis, ex devotione habituali procedat, sive ex illa affectione perpetuò nobis inhærente quæ proficiscitur ex consideratione potestatis & majestatis ipsius, quemadmodum & ipsæ preces ex eadem devotione manare debent, ut sint gratæ & acceptæ, attamen nunquam Scriptura aliter loquitur de nostra adoratione quam de actione quadam transeunte, primariò quidem ipsius mentis, secundariò vero corporis illi significandæ destinata quę ex ea affectione habituali manat cujus meminit Volkelius.

Ex quo fit ut quamvis] Sed primò cum in invocatione Filij Pater etiam invocetur, ut suprà statuebat Adversarius, non est inconveniens, ut *eodem tempore*, tam facilè invoces Patrem & Filium, quam facilè potes *eodem tempore tam Patrem quam Filium adorare.* Deinde si una eademque adoratione, simul potest adorari Pater & Filius, necesse est unam esse utriusque naturam & excellentiam, eò quod adoratio religiosa sit excellentiæ divinæ debita agnitio & celebratio, cum convenienti submissione, quæ precibus, gratiarum actionibus, laudibus &c. peragitur.

Ad extremum haud vero consentaneum esse dicunt, nos in salutis nostræ negotio ad quædam omnino obstringi, quibusdam verò non planè teneri: cum omnia pari ratione ad nos pertinere videantur. Nos verò in eo nihil videmus absur-

absurdi, si dicatur, alia quædam per se ac simpliciter esse ad salutem necessaria, alia verò secundùm quid, aut per accidens: imò absurdum esse arbitramur, si id negetur. Patet id vel in rebus mediis seu adiaphoris, quæ per accidens ita fiunt illicitæ, ut charitatis officium, quod sanè prorsus est ad salutem necessarium, non sis facturus, nec gloriæ divinæ, ut par est, consulturus, nisi ab iis abstineas, aut contrà ea à quibus abstinere cæteroqui posses, facias, quemadmodum S. literæ satis apertè testantur. (*Rom: 14. 15, & d. usque ad 22. 1 Cor:8.9, & d. 10. 31, & d.*) Quid ergo in eo est absurdi, quod ipsum invocationis Christi actum, licet supra adiaphora assurgat, non simpliciter, sed secundum quid ad salutem necessarium esse dicimus? Quod si illa tantum ad salutis negotium pertinere velis, quæ per se ac simpliciter sunt ad eam necessaria; negandum erit hoc sensu, actum istum ad salutis negotium pertinere; & statuendum; firmam tantum persuasionem de eo, quod Christum invocare liceat, & animi promptitudinem ad id, si ita res aliquomodo exigere videatur, faciendum, ad salutis negotium revera spectare: 233
ipsum verò invocandi Christi actum, ad religionis negotium. Ita enim hæc duo inter se distingui possunt, ut ad illud ea tantummodo pertinere censeantur, sine quibus fides in Christum, & per eundem in Deum, ejusque præceptorum obedientia consistere, & porrò sempiterna felicitas haberi nequaquam potest: ad hoc verò, utpote latiùs illo patens, multa quoque alia spectent, quæ quanquam ad salutem utilia sunt, tamen ad sempiternæ salutis adeptionem non necessariò requiruntur; veluti est hæc ipsa, de qua loquimur, Christi invocandi actio: quanquam ad Dei gloriam, ex ipsius erga nos bonitate promanantem, mirum in modum amplificandam, spemque ac fidem nostram alendam, plurimùm conducit. Quanta enim Deus benignitate hominum genus complexus fuerit, ex eo luculentissimè apparet, quod principem salutis eorum, non solum primum ea mala experiri voluit, quæ experiri necesse est omnes, qui ipsius vestigia persequuntur; sed etiam à mortuis eum excitatum, tanta potestate donavit, ut ipsius opem summâ fiduciâ implorare possint.

‡ *Nos vero nihil videmus*] Hæc quidem objectio minus commodè proponitur; Nam ita potuisset solidiùs formari: Id omne quod ad salutem nostram conficiendam divinitùs requiritur, est simpliciter necessarium ad salutem: At divinitùs requiritur invocatio Christi, ad salutem nostram conficiendam: Ergo illa est simpliciter necessaria ad salutem: Ut enim servabitur quicunque nomen Domini invocaverit, ita cum exc[illegible] oportet suâ salute, qui id non præstit[illegible] Prima autem Volkelij responsio spect[illegible] majorem argumenti; nec putat [illegible] esse absurdi, *quædam per se* [illegible] *esse ad salutem necessaria,* [illegible] *dum quid aut per accidens.* Ve[illegible] responsio quadrare potest h[illegible] ni, quin asseratur nos non t[illegible] & simpliciter ad invocand[illegible]

Christi, sed tantum *secundum quid & per accidens*; cùm tamen hoc per se & ex rei natura, non verò per accidens, sit officij nostri, & omnium eorum qui Christiano nomine indigni censeri nolunt; nec etiam vera est: Nam licet quædam habeant necessitatem medij ad salutem, quædam non aliam quam præcepti, tamen utraq; est necessitas per se, non per accidens. Exemplum quod profert Volkelius *à rebus mediis seu adiaphoris* est planè absurdum; tùm quia non facit ad quæstionem, siquidem suprà negavit Volkelius Invocationem Christi rebus adiaphoris esse accensendam; tùm quia res adiaphoræ ita tales sunt in actu signato, ut vulgò loquuntur, ut tamen sæpè in actu exercito illam *ἀδιαφορίαν* amittant, fiatque eorum usus simpliciter & absolutè illicitus, si impingat in officium Christianæ charitatis: Semper enim ac simpliciter & absolutè necessarium est ab illis abstinere, quoties id exigit Charitas Christiana: Nec dubium quin illa tunc abstinentia, absolutam necessitatem habeat ab salutem; idque ex præcepto divino quod extat iis locis quæ citantur hîc Volkelio. Si ergo conferatur Invocatio Christi, non cum rebus adiaphoris, quandoquidem ex Adversarij Confessione *supra adiaphora assurgit*, sed cum abstinentia ab illis ubi id exigit ædificatio proximi, quam verum est dicere talem abstinentiam in sensu composito esse simpliciter & absolutè necessariam, tam fas erit absolutam necessitatem invocationi Christi vindicare. Ad minorem argumenti excipit quidem Volkelius *actum* invocationis Christi *ad salutis negotium* non pertinere, sed ad salutem sufficere *firmam persuasionem de eo quod Christum invocare liceat & animi promptitudinem ad id, si ita res aliquomodo exigere videatur faciendum*; sed illud neutiquam probat; imò id ipsum est quod versatur in quæstione. Et quemadmodum non sufficit ad salutem firma persuasio quod in Christum credere liceat, & animi quędam promptitudo ad id faciendum, sed ipse fidei actus ad salutem omninò necessarius est, ita etiam minimè sufficit ad salutem persuasio de licita Christi invocatione, sed ipse actus invocationis, non minus quam fiduciæ ad salutem omninò requiritur. Quid quod videtur iste homo perabsurdè supponere, posse fieri ut nunquam res exigat ab homine Christiano actum hujusce invocationis, quasi vita illius queat absq; eo fœliciter transigi? Ne dicam, non posse dari *animi promptitudinem* ad invocandum Christum, quin eo ipso actu invocetur ab illo qui cogitaverit illum esse Dei Filium, suum Redemptorem, omnibus præsentem, omnia videntem, omnia audientem, & unicum nomen datum sub cœlis per quod servari nos oportet. Quin revera Volkelius facit actum invocationis Christi rem indifferentem, quæ ita licita sit, ut ad eam pręcisè non teneamur; cùm tamen antea negaret cultum Christi religiosum rebus indifferentibus annumerari debere. Neque potest *ad religionis negotium spectare*, actus *invocandi Christi*, quin vel iste actus cadat sub Dei præceptum, vel aliquid spectet ad negotium religionis quod tamen à Deo mandatum non fuerit, licet religionis norma debeat esse Dei verbum, extra cujus fines nequit consistere rectum. Est etiam valdè absurdum, quod distinguit author inter id quod spectat *ad salutis negotium*, & id quod pertinet *ad negotium religionis*: Nec enim aliud esse potest negotium salutis quam religionis, aut hoc latiùs isto patere, apud eos quibus religio non est quæstui aut ostentationi. Non inficior quidem posse distingui circa dogmata Theologica, inter ea quæ sunt de necessitate fidei, & ea quæ sunt tantum de illius amplitudine, imò inter ea quorum fides explicita *ad sempiternæ salutis adeptionem necessariò* requiritur, & ea quæ duntaxat *ad salutem utilia sunt*; sed absurdè negaveris vel ad salutis negotium id pertinere quod utile est ad salutem, vel si per negotium salutis,

subsidio

subsidio novæ & inauditæ Grammaticæ, id demum intelligas quod simpliciter est de illius necessitate, id non esse de negotio & necessitate salutis quod pertinuerit ad negotium & necessitatem religionis. Præterea, invocatio Christi omninò ad ea pertinet *sine quibus fides in Christum & per eundem in Deum eiusque præceptorum obedientia consistere, & porrò æterna felicitas haberi nequaquam potest.* Nam illa fides in Christum, nequit consistere sine illius invocatione, prout respectu Dei hæc duo, fides in eum & illius invocatio, necessariò cohærent Rom. x, 14. Etiam Christi invocationem ad ipsius præcepta pertinere non potest inficiari Volkelius si sibi constet, & meminerit se eam probasse ex Domini mandato de Patre rogando in nomine suo, & id ad primum Decalogi mandatum ab eo additum statuere. Quod si utilibus duntaxat non necessarijs debet annumerari, pari ratione dixeris notitiam Christi & fidem in illum ac redemptionem per ipsum, ad utilium quidem non tamen necessariorum categoriam pertinere. Et mirum est inter necessaria non referri *quod ad Dei gloriam ex ipsius erga nos bonitate promananantem mirum in modum amplificandam spemque ac fidem nostram alendam*, teste Volkelio, *plurimum conducit.* Neque tantum Deus *principem salutis nostræ*, invocabilem fecit, ut *ipsius opem summâ fiduciâ implorare* possimus, sed etiam invocandum pronunciavit & præcepit, *dicendo quùm inducit primogenitum in orbem terrarum, Et adorant eum omnes Angeli Dei* Heb. 1, 6. Porrò, non fundatur invocatio Christi in ipsius exaltatione post mortem, ut videtur insinuare Volkelius; siquidem ipse supra probavit etiam Christum adoratum & invocatum fuisse de rebus necessarijs ad salutem, antequam pateretur & excitaretur à mortuis: in ipsa cruce, Latro pœnitens eum religiosè invocabat, & æternam salutem suam ei commendabat: Resurrectio itaque Christi & ejus exaltatio ad dextram Patris indicat evidenter quod sit colendus & invocandus, sed eum non fecit primùm invocabilem, cùm talis sit ex sua natura. Verùm non habet in quo acquiescat Volkelius, dum negatâ Christi divinitate, eius invocationem utcunque studet propugnare; ac perinde facit ac si circulum sine centro vellet describere. Id verò quàm insulsum, quod Deus Christum *primùm ea mala experiri voluit quæ experiri necesse est omnes?* cùm è contrario ea mala expertus sit, ut ab illis non liberaret & ne illa nos experiri necesse foret: Nam pro nobis omnibus *mortẽ gustavit* & quicquid illa habet acerbitatis & maledictionis, *ut per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est diabolum, & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis* Heb. 11. 9. 14. 15.

Cap. XII.

De secundo Decalogi præcepto.

Respondente ad hoc & duo sequentia capita ULPHARDO EECKELMAN, Bellingwoldensi.

Secundum Decalogi præceptum est: *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neq; coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zolotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* In his verbis tum ipsum Dei præceptum, tum

Christi, sed tantum *secundum quid & per accidens*; cùm tamen hoc per se & ex rei natura, non verò per accidens, sit officij nostri, & omnium eorum qui Christiano nomine indigni censeri nolunt; nec etiam vera est: Nam licet quædam habeant necessitatem medij ad salutem, quædam non aliam quam præcepti, tamen utraq; est necessitas per se, non per accidens. Exemplum quod profert Volkelius *à rebus medijs seu adiaphoris* est planè absurdum; tùm quia non facit ad quæstionem, siquidem suprà negavit Volkelius Invocationem Christi rebus adiaphoris esse accensendam; tùm quia res adiaphoræ ita tales sunt in actu signato, ut vulgò loquuntur, ut tamen sæpè in actu exercito illam ἀδιαφορίαν amittant, fiatque eorum usus simpliciter & absolutè illicitus, si impingat in officium Christianæ charitatis: Semper enim ac simpliciter & absolutè necessarium est ab illis abstinere, quoties id exigit Charitas Christiana: Nec dubium quin illa tunc abstinentia, absolutam necessitatem habeat ab salutem; idque ex præcepto divino quod extat iis locis quæ citantur hic Volkelio. Si ergo conferatur Invocatio Christi, non cum rebus adiaphoris, quandoquidem ex Adversarij Confessione *supra adiaphora assurgit*, sed cum abstinentia ab illis ubi id exigit ædificatio proximi, quam verum est dicere talem abstinentiam in sensu composito esse simpliciter & absolutè necessariam, tam fas est absolutam necessitatem invocationis Christi vindicare. Ad minorem argumenti [illegible] quidem Volkelius *actum* [illegible] Christi *ad salutis negotium* [illegible], sed ad salutem sufficere *firmam persuasionem de eo quod Christum* [illegible] *liceat & animi promptitudinem ad* [illegible] *aliquomodo exigere videatur* [illegible] sed illud neutiquam probat; [illegible] quod versatur in quæstio[illegible] [illegible]modum non sufficit ad sa[illegible] [illegible] persuasio quod in Christum [illegible], & animi quędam promptitudo ad id faciendum, sed ipse fidei actus ad salutem omninò necessarius est, ita etiam minimè sufficit ad salutem persuasio de licita Christi invocatione, sed ipse actus invocationis, non minus quam fiduciæ ad salutem omninò requiritur. Quid quod videtur iste homo perabsurdè supponere, posse fieri ut nunquam res exigat ab homine Christiano actum hujusce invocationis, quasi vita illius queat absq; eo fœliciter transigi? Ne dicam non posse dari *animi promptitudinem* ad invocandum Christum, quin eo ipso [illegible] invocetur ab illo qui cogitaverit illum esse Dei Filium, suum Redemptorem, omnibus præsentem, omnia videntem, omnia audientem, & unicum nomen datum sub cœlis per quod servari nos oportet. Quin revera Volkelius facit actum invocationis Christi rem indifferentem, quæ ita *licita* sit, ut ad eam pręcisè non teneamur; cùm tamen antea negaret cultum Christi religiosum rebus indifferentibus annumerari debere. Neque potest *ad religionis negotium spectare*, actus *invocandi Christi*, quin vel iste actus cadat sub Dei præceptum, vel aliquid spectet ad negotium religionis quod tamen à Deo mandatum non fuerit, licet religionis norma debeat esse Dei verbum, extra cujus fines nequit consistere rectum. Est etiam valdè absurdum, quod distinguit author inter id quod spectat *ad salutis negotium*, & id quod pertinet *ad negotium religionis*: Nec enim aliud esse potest negotium salutis quam religionis, aut hoc latiùs isto patere, apud eos quibus religio non est quæstui aut ostentationi. Non inficior quidem posse distingui circa dogmata Theologica, inter ea quæ sunt de necessitate fidei, & ea quæ sunt tantum de illius amplitudine, imò inter ea quorum fides explicita *ad sempiternæ salutis adeptionem necessariò* requiritur, & ea quæ duntaxat *ad salutem utilia sunt*; sed absurdè negaveris vel ad salutis negotium id pertinere quod utile est ad salutem, vel si per negotium salutis,

subsidio novæ & inauditæ Grammaticæ, id demum intelligas quod simpliciter est de illius necessitate, id non esse de negotio & necessitate salutis quod pertinuerit ad negotium & necessitatem religionis. Præterea, invocatio Christi omninò ad ea pertinet *sine quibus fides in Christum & per eundem in Deum eiusque præceptorum obedientia consistere, & porrò æterna felicitas haberi nequaquam potest.* Nam illa fides in Christum, nequit consistere sine illius invocatione, prout respectu Dei hæc duo, fides in eum & illius invocatio, necessariò cohærent Rom. x, 14. Etiam Christi invocationem ad ipsius præcepta pertinere non potest inficiari Volkelius si sibi constet, & meminerit se eam probasse ex Domini mandato de Patre rogando in nomine suo, & id ad primum Decalogi mandatum ab eo additum statuere. Quod si utilibus duntaxat non necessarijs debet annumerari, pari ratione dixeris notitiam Christi & fidem in illum ac redemptionem per ipsum, ad utilium quidem non tamen necessariorum categoriam pertinere. Et mirum est inter necessaria non referri *quod ad Dei gloriam ex ipsius erga nos bonitate promanantem mirum in modum amplificandam spemque ac fidem nostram alendam*, teste Volkelio, *plurimum conducit.* Neque tantum Deus *principem salutis nostræ*, invocabilem fecit, ut *ipsius opem summâ fiduciâ implorare* possimus, sed etiam invocandum pronunciavit & præcepit, *dicendo quùm inducit primogenitum in orbem terrarum, Et adorant eum omnes Angeli Dei* Heb. I, 6. Porrò, non fundatur invocatio Christi in ipsius exaltatione post mortem, ut videtur insinuare Volkelius; siquidem ipse supra probavit etiam Christum adoratum & invocatum fuisse de rebus necessarijs ad salutem, antequam pateretur & excitaretur à mortuis: in ipsa cruce, Latro pœnitens eum religiosè invocabat, & æternam salutem suam ei commendabat: Resurrectio itaque Christi & ejus exaltatio ad dextram Patris indicat evidenter quod sit colendus & invocandus, sed eum non fecit primùm invocabilem, cùm talis sit ex sua natura. Verùm non habet in quo acquiescat Volkelius, dum negatâ Christi divinitate, eius invocationem utcunque studet propugnare; ac perinde facit ac si circulum sine centro vellet describere. Id verò quàm insulsum, quod Deus Christum *primùm ea mala experiri voluit quæ experiri necesse est omnes?* cùm è contrario ea mala expertus sit, ut ab illis non liberaret & ne illa nos experiri necesse foret: Nam pro nobis omnibus *mortẽ gustavit* & quicquid illa habet acerbitatis & maledictionis, *ut per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est diabolum, & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis* Heb. II. 9. 14. 15.

Cap. XII.

De secundo Decalogi præcepto.

Respondente ad hec & duo sequentia capita ULPHARDO EECKELMAN, Bellingwoldensi.

SEcundum Decalogi præceptum est: ***Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neq; coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zolotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*** In his verbis tum ipsum Dei præceptum, tum

Christi, sed tantum *secundum quid & per accidens*; cùm tamen hoc per se & ex rei natura, non verò per accidens, sit officij nostri, & omnium eorum qui Christiano nomine indigni censeri nolunt; nec etiam vera est: Nam licet quædam habeant necessitatem medij ad salutem, quædam non aliam quam præcepti, tamen utraq; est necessitas per se, non per accidens. Exemplum quod profert Volkelius *à rebus mediis seu adiaphoris* est planè absurdum; tùm quia non facit ad quæstionem, siquidem suprà negavit Volkelius Invocationem Christi rebus adiaphoris esse accensendam; tùm quia res adiaphoræ ita tales sunt in actu signato, ut vulgò loquuntur, ut tamen sæpè in actu exercito illam *ἀδιαφορίαν* amittant, fiatque eorum usus simpliciter & absolutè illicitus, si impingat in officium Christianæ charitatis: Semper enim ac simpliciter & absolutè necessarium est ab illis abstinere, quoties id exigit Charitas Christiana: Nec dubium quin illa tunc abstinentia, absolutam necessitatem habeat ab salutem; idque ex præcepto divino quod extat iis locis quæ citantur hîc Volkelio. Si ergo conferatur Invocatio Christi, non cum rebus adiaphoris, quandoquidem ex Adversarij Confessione *supra adiaphora assurgit*, sed cum abstinentia ab illis ubi id exigit ædificatio proximi, quam verum est dicere talem abstinentiam in sensu composito esse simpliciter & absolutè necessariam, tam fas erit absolutam necessitatem invocationis Christi vindicare. Ad minorem argumenti [illegible] quidem Volkelius *actum* [illegible] Christi *ad salutis negotium* [illegible]e, sed ad salutem sufficere [illegible] *[illegible]asionem de eo quod Christum* [illegible] *& animi promptitudinem ad* [illegible] *[illegible]quomodo exigere videatur* [illegible] [illegible] illud neutiquam probat; [illegible] quod versatur in quæstio[illegible]modum non sufficit ad sa[illegible] persuasio quod in Christum [illegible], & animi quędam promptitudo ad id faciendum, sed ipse fidei actus ad salutem omninò necessarius est, ita etiam minimè sufficit ad salutem persuasio de licita Christi invocatione, sed ipse actus invocationis, non minus quam fiduciæ ad salutem omninò requiritur. Quid quod videtur iste homo perabsurdè supponere, posse fieri ut nunquam res exigat ab homine Christiano actum hujusce invocationis, quasi vita illius queat absq; eo fœliciter transigi? Ne dicam, non posse dari *animi promptitudinem* ad invocandum Christum, quin eo ipso [illegible] invocetur ab illo qui cogitaverit illum esse Dei Filium, suum Redemptorem, omnibus præsentem, omnia videntem, omnia audientem, & unicum nomen datum sub cœlis per quod servari nos oportet. Quin revera Volkelius facit actum invocationis Christi rem indifferentem, quæ ita *licita* sit, ut ad eam pręcise non teneamur; cùm tamen antea negaret cultum Christi religiosum rebus indifferentibus annumerari debere. Neque potest *ad religionis negotium spectare*, actus *invocandi Christi*, quin vel iste actus cadat sub Dei præceptum, vel aliquid spectet ad negotium religionis quod tamen à Deo mandatum non fuerit, licet religionis norma debeat esse Dei verbum, extra cujus fines nequit consistere rectum. Est etiam valdè absurdum, quod distinguit author inter id quod spectat *ad salutis negotium*, & id quod pertinet *ad negotium religionis*: Nec enim aliud esse potest negotium salutis quam religionis, aut hoc latiùs isto patere, apud eos quibus religio non est quæstui aut ostentationi. Non inficior quidem posse distingui circa dogmata Theologica, inter ea quæ sunt de necessitate fidei, & ea quæ sunt tantum de illius amplitudine, imò inter ea quorum fides explicita *ad sempiternæ salutis adeptionem necessariò* requiritur, & ea quæ duntaxat *ad salutem utilia sunt*; sed absurdè negaveris vel ad salutis negotium id pertinere quod utile est ad salutem, vel si per negotium salutis,

subsidio

subsidio novæ & inauditæ Grammaticæ, id demum intelligas quod simpliciter est de illius necessitate, id non esse de negotio & necessitate salutis quod pertinuerit ad negotium & necessitatem religionis. Præterea, invocatio Christi omnino ad ea pertinet *sine quibus fides in Christum & per eundem in Deum ejusque præceptorum obedientia consistere, & porrò æterna felicitas haberi nequaquam potest.* Nam illa fides in Christum, nequit consistere sine illius invocatione, prout respectu Dei hæc duo, fides in eum & illius invocatio, necessariò cohærent Rom. x, 14. Etiam Christi invocationem ad ipsius præcepta pertinere non potest inficiari Volkelius si sibi constet, & meminerit se eam probasse ex Domini mandato de Patre rogando in nomine suo, & id ad primum Decalogi mandatum ab eo additum statuere. Quod si utilibus duntaxat non necessarijs debet annumerari, pari ratione dixeris notitiam Christi & fidem in illum ac redemptionem per ipsum, ad utilium quidem non tamen necessariorum categoriam pertinere. Et mirum est inter necessaria non referri *quod ad Dei gloriam ex ipsius erga nos bonitate promananantem mirum in modum amplificandam spemque ac fidem nostram alendam*, teste Volkelio, *plurimum conducit.* Neque tantum Deus *principem salutis nostræ*, invocabilem fecit, ut *ipsius opem summâ fiduciâ implorare* possimus, sed etiam invocandum pronunciavit & præcepit, *dicendo quùm inducit primogenitum in orbem terrarum, Et adorant eum omnes Angeli Dei* Heb. I, 6. Porrò, non fundatur invocatio Christi in ipsius exaltatione post mortem, ut videtur insinuare Volkelius; siquidem ipse supra probavit etiam Christum adoratum & invocatum fuisse de rebus necessarijs ad salutem, antequam pateretur & excitaretur à mortuis: in ipsa cruce, Latro pœnitens eum religiosè invocabat, & æternam salutem suam ei commendabat: Resurrectio itaque Christi & ejus exaltatio ad dextram Patris indicat evidenter quod sit colendus & invocandus, sed eum non fecit primùm invocabilem, cùm talis sit ex sua natura. Verùm non habet in quo acquiescat Volkelius, dum negatâ Christi divinitate, eius invocationem utcunque studet propugnare; ac perinde facit ac si circulum sine centro vellet describere. Id verò quàm insulsum, quod Deus Christum *primùm ea mala experiri voluit quæ experiri necesse est omnes?* cùm è contrario ea mala expertus sit, ut ab illis non liberaret & ne illa nos experiri necesse foret: Nam pro nobis omnibus *mortẽ gustavit* & quicquid illa habet acerbitatis & maledictionis, *ut per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est diabolum, & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis* Heb. II. 9. 14. 15.

Cap. XII.

De secundo Decalogi præcepto.

Respondente ad hæc & duo sequentia capita ULPHARDO EECKELMAN, Bellingwoldensi.

SEcundum Decalogi præceptum est:

Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neq; coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zolotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia bis, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. In his verbis tum ipsum Dei præceptum, tum

Christi, sed tantum *secundum quid & per accidens*; cùm tamen hoc per se & ex rei natura, non verò per accidens, sit officij nostri, & omnium eorum qui Christiano nomine indigni censeri nolunt; nec etiam vera est: Nam licet quædam habeant necessitatem medij ad salutem, quædam non aliam quam præcepti, tamen utraq; est necessitas per se, non per accidens. Exemplum quod profert Volkelius *à rebus mediis seu adiaphoris* est planè absurdum; tùm quia non facit ad quæstionem, siquidem suprà negavit Volkelius Invocationem Christi rebus adiaphoris esse accensendam; tùm quia res adiaphoræ ita tales sunt in actu signato, ut vulgò loquuntur, ut tamen sæpè in actu exercito illam ἀδιαφορίαν amittant, fiatque eorum usus simpliciter & absolutè illicitus, si impingat in officium Christianæ charitatis: Semper enim ac simpliciter & absolutè necessarium est ab illis abstinere, quoties id exigit Charitas Christiana: Nec dubium quin illa tunc abstinentia, absolutam necessitatem habeat ab salutem; idque ex præcepto divino quod extat iis locis quæ citantur hîc Volkelio. Si ergo conferatur Invocatio Christi, non cum rebus adiaphoris, quandoquidem ex Adversarij Confessione *supra adiaphora assurgit*, sed cum abstinentia ab illis ubi id exigit ædificatio proximi, quam verum est dicere talem abstinentiam in sensu composito esse simpliciter & absolutè necessariam, tam fas erit absolutam necessitatem invocationis Christi vindicare. Ad minorem ar[illegible] quidem Volkelius *actum* [illegible] Christi *ad salutis negotium* [illegible], sed ad salutem sufficere [illegible] *de eo quod Christum* [illegible] *& animi promptitudinem ad* [illegible] *exigere videatur* [illegible] illud neutiquam probat; [illegible] quod versatur in quæstio[illegible]admodum non sufficit ad sa[illegible] persuasio quod in Christum [illegible] & animi quędam promptitudo ad id faciendum, sed ipse fidei actus ad salutem omninò necessarius est, ita etiam minimè sufficit ad salutem persuasio de licita Christi invocatione, sed ipse actus invocationis, non minus quam fiduciæ ad salutem omninò requiritur. Quid quod videtur iste homo perabsurdè supponere, posse fieri ut nunquam res exigat ab homine Christiano actum hujusce invocationis, quasi vita illius queat absq; eo fœliciter transigi? Ne dicam, non posse dari *animi promptitudinem* ad invocandum Christum, quin eo ipso ab illo invocetur ab illo qui cogitaverit illum esse Dei Filium, suum Redemptorem, omnibus præsentem, omnia videntem, omnia audientem, & unicum nomen datum sub cœlis per quod servari nos oportet. Quin revera Volkelius facit actum invocationis Christi rem indifferentem, quæ ita *licita* sit, ut ad eam prçcisé non teneamur; cùm tamen antea negaret cultum Christi religiosum rebus indifferentibus annumerari debere. Neque potest *ad religionis negotium spectare*, actus *invocandi Christi*, quin vel iste actus cadat sub Dei præceptum, vel aliquid spectet ad negotium religionis quod tamen à Deo mandatum non fuerit, licet religionis norma debeat esse Dei verbum, extra cujus fines nequit consistere rectum. Est etiam *valdè absurdum*, quod distinguit author inter id quod spectat *ad salutis negotium*, & id quod pertinet *ad negotium religionis*: Nec enim aliud esse potest negotium salutis quam religionis, aut hoc latiùs isto patere, apud eos quibus religio non est quæstui aut ostentationi. Non inficior quidem posse distingui circa dogmata Theologica, inter ea quæ sunt de necessitate fidei, & ea quæ sunt tantum de illius amplitudine, imò inter ea quorum fides explicita *ad sempiternæ salutis adeptionem necessariò* requiritur, & ea quæ duntaxat *ad salutem utilia sunt*; sed absurdè negaveris vel ad salutis negotium id pertinere quod utile est ad salutem, vel si per negotium salutis,

subsidio novæ & inauditæ Grammaticæ, id demum intelligas quod simpliciter est de illius necessitate, id non esse de negotio & necessitate salutis quod pertinuerit ad negotium & necessitatem religionis. Præterea, invocatio Christi omnino ad ea pertinet *sine quibus fides in Christum & per eundem in Deum eiusque præceptorum obedientia consistere, & porrò æterna felicitas haberi nequaquam potest.* Nam illa fides in Christum, nequit consistere sine illius invocatione, prout respectu Dei hæc duo, fides in eum & illius invocatio, necessariò cohærent Rom. x, 14. Etiam Christi invocationem ad ipsius præcepta pertinere non potest inficiari Volkelius si sibi constet, & meminerit se eam probasse ex Domini mandato de Patre rogando in nomine suo, & id ad primum Decalogi mandatum ab eo additum statuere. Quod si utilibus duntaxat non necessarijs debet annumerari, pari ratione dixeris notitiam Christi & fidem in illum ac redemptionem per ipsum, ad utilium quidem non tamen necessariorum categoriam pertinere. Et mirum est inter necessaria non referri *quod ad Dei gloriam ex ipsius erga nos bonitate promananantem mirum in modum amplificandam spemque ac fidem nostram alendam*, teste Volkelio, *plurimum conducit.* Neque tantum Deus *principem salutis nostræ*, invocabilem fecit, ut *ipsius opem summâ fiduciâ implorare* possimus, sed etiam invocandum pronunciavit & præcepit, *dicendo quùm inducit primogenitum in orbem terrarum, Et adorant eum omnes Angeli Dei* Heb. 1, 6. Porrò, non fundatur invocatio Christi in ipsius exaltatione post mortem, ut videtur insinuare Volkelius; siquidem ipse supra probavit etiam Christum adoratum & invocatum fuisse de rebus necessarijs ad salutem, antequam pateretur & excitaretur à mortuis: in ipsa cruce, Latro pœnitens eum religiosè invocabat, & æternam salutem suam ei commendabat: Resurrectio itaque Christi & ejus exaltatio ad dextram Patris indicat evidenter quod sit colendus & invocandus, sed eum non fecit primùm invocabilem, cùm talis sit ex sua natura. Verùm non habet in quo acquiescat Volkelius, dum negatâ Christi divinitate, eius invocationem utcunque studet propugnare; ac perinde facit ac si circulum sine centro vellet describere. Id verò quàm insulsum, quod Deus Christum *primùm ea mala experiri voluit quæ experiri necesse est omnes?* cùm è contrario ea mala expertus sit, ut ab illis non liberaret & ne illa nos experiri necesse foret: Nam pro nobis omnibus *mortē gustavit* & quicquid illa habet acerbitatis & maledictionis, *ut per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est diabolum, & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis* Heb. 11. 9. 14. 15.

Cap. XII.

De secundo Decalogi præcepto.

Respondente ad hec & duo sequentia capita ULPHARDO EECKELMAN, Bellingwoldensi.

SEcundum Decalogi præceptum est: ***Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neq; coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zolotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia bis, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*** In his verbis tum ipsum Dei præceptum,

quamvis eodem tempore, tam Patrem, quàm Filium adorare possimus: Christum tamen nisi directis ad ipsum precibus, aut ab ipsomet quippiam optando, invocare nequeamus.

‡ *Verum non ita necessariò*] Hoc quoq; argumentum tam firmiter procedit, ut potius cavilletur quam respondeat Adversarius. Quamvis enim latiùs quodammodo pateret adoratio quam invocatio, quod illâ permanente hæc videatur cessatura in regno cœlorum, attamen in statu saltem peregrinationis nostrę à Domino, separabiles non sunt: Nec enim quis potest *mentis corporisque genua Christo flectere ipsiusque laudes celebrare*, ejusque beneficentiam & beneficia commemorare, quin unà suam indigentiam agnoscat, & sic se unà applicet invocationi. Hinc Scriptura conjungit laudes & gratiarum actiones cum invocatione: ut Ps: L, 14. 15. *Sacrifica Deo laudem & redde Excelso vota tua*; *atq; invoca me tempore angustiæ & eripiam te ut honore afficias me*; & 1 Tim: II, I. *Adhortor igitur ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones, pro quibusvis hominibus*; & 1 Thess: V, 17. 18. *Orate indesinenter & in omni re gratias agite.* Imò cùm saltem oratio sive invocatio sit eximia species adorationis, adoratio Christi in communi non potest censeri mandata divinitùs, quin etiam invocatio illius sub præceptum idem cadere statuatur: Ac ille foret insulsus qui ex mandato generali de colendo & adorando Deo, negaret sequi eum esse invocandum in tempore angustiæ. Hinc qui veniebant Jerosolymas, aut ubi Arca erat, cultui divino vacaturi, & pro suis indigentiis Deum invocaturi, dicebantur eò venisse adoratum, 1 Sam: I, 3. Act: VIII, 27. XXIV, 11. Quin dicam amplius, vix ullam posse concipi ex parte viatorum adorationem Numinis, absq; aliqua petitione; ea saltem quâ optent sanctificari nomen ipsius, advenire illius regnum, fieri ejus voluntatem in terra sicut in cœlo: Nec dubium quin Angeli ipsi nunc adorantes Christum, aliquid rogent, si non sibi speciatim, saltem Ecclesiæ militanti, pro cujus defensione ex ipsius mandato juges agunt excubias.

Animadvertendum insuper est] Verùm hæc animadversio est longè insulsior: Licet enim adoratio Numinis, ex devotione habituali procedat, sive ex illa affectione perpetuò nobis inhærente quæ proficiscitur ex consideratione potestatis & majestatis ipsius, quemadmodum & ipsæ preces ex eadem devotione manare debent, ut sint gratæ & acceptæ, attamen nunquam Scriptura aliter loquitur de nostra adoratione quam de actione quadam transeunte, primariò quidem ipsius mentis, secundariò vero corporis illi significandæ destinata quę ex ea affectione habituali manat cujus meminit Volkelius.

Ex quo fit ut quamvis] Sed primò cum in invocatione Filij Pater etiam invocetur, ut suprà statuebat Adversarius, non est inconveniens, ut *eodem tempore*, tam facilè invoces Patrem & Filium, quam facilè potes *eodem tempore tam Patrem quam Filium adorare.* Deinde si una eademque adoratione, simul potest adorari Pater & Filius, necesse est unam esse utriusque naturam & excellentiam, eò quod adoratio religiosa sit excellentiæ divinæ debita agnitio & celebratio, cum convenienti submissione, quæ precibus, gratiarum actionibus, laudibus &c. peragitur.

Ad extremum haud vero consentaneum esse dicunt, nos in salutis nostræ negotio ad quædam omnino obstringi, quibusdam verò non planè teneri: cum omnia pari ratione ad nos pertinere videantur. Nos verò in eo nihil videmus absur-

absurdi, si dicatur, alia quædam per se ac simpliciter esse ad salutem necessaria, alia verò secundùm quid, aut per accidens: imò absurdum esse arbitramur, si id negetur. Patet id vel in rebus mediis seu adiaphoris, quæ per accidens ita fiunt illicitæ, ut charitatis officium, quod sanè prorsus est ad salutem necessarium, non sis facturus, nec gloriæ divinæ, ut par est, consulturus, nisi ab iis abstineas, aut contrà ea à quibus abstinere cæteroqui posses, facias, quemadmodum S. literæ satis apertè testantur. (*Rom: 14. 15, & d. usque ad 22. 1 Cor: 8. 9, & d. 10. 31, & d.*) Quid ergo in eo est absurdi, quod ipsum invocationis Christi actum, licet supra adiaphora assurgat, non simpliciter, sed secundum quid ad salutem necessarium esse dicimus? Quod si illa [illegible]um ad salutis negotium pertinere velis, quæ per se ac simpliciter sunt ad eam necessaria; negandum erit hoc sensu, actum istum ad salutis negotium pertinere; & statuendum; firmam tantum persuasionem de eo, quod Christum invocare liceat, & animi promptitudinem ad id, si ita res aliquomodo exigere videatur, faciendum, ad salutis negotium revera spectare: 233
ipsum verò invocandi Christi actum, ad religionis negotium. Ita enim hæc duo inter se distingui possunt, ut ad illud ea tantummodo pertinere censeantur, sine quibus fides in Christum, & per eundem in Deum, ejusque præceptorum obedientia consistere, & porrò sempiterna felicitas haberi nequaquam potest: ad hoc verò, utpote latiùs illo patens, multa quoque alia spectent; quæ quanquam ad salutem utilia sunt, tamen ad sempiternæ salutis adeptionem non necessariò requiruntur; veluti est hæc ipsa, de qua loquimur, Christi invocandi actio: quanquam ad Dei gloriam, ex ipsius erga nos bonitate promanantem, mirum in modum amplificandam, spemque ac fidem nostram alendam, plurimùm conducit. Quanta enim Deus benignitate hominum genus complexus fuerit, ex eo luculentissimè apparet, quod principem salutis eorum, non solum primum ea mala experiri voluit, quæ experiri necesse est omnes, qui ipsius vestigia persequuntur; sed etiam à mortuis eum excitatum, tanta potestate donavit, ut ipsius opem summâ fiduciâ implorare possint.

‡ *Nos vero nihil videmus*] Hæc quidem objectio minus commodè proponitur; Nam ita potuisset solidiùs formari: Id omne quod ad salutem nostram conficiendam divinitùs requiritur, est simpliciter necessarium ad salutem: At divinitùs requiritur invocatio Christi, ad salutem nostram conficiendam: Ergo illa est simpliciter necessaria ad salutem: Ut enim servabitur quicunque nomen Domini invocaverit, ita eum excidere oportet suá salute, qui id non præstiterit. [illegible] ma autem Volkelij responsio [illegible] majorem argumenti; nec puta[illegible] esse absurdi, *quædam per se* [illegible] *esse ad salutem necessaria,* [illegible] *dum quid aut per accidens.* [illegible] responsio quadrare potest [illegible] m, quin asseratur nos non [illegible] & simpliciter ad invocan[illegible]

subsidio novæ & inauditæ Grammaticæ, id demum intelligas quod simpliciter est de illius necessitate, id non esse de negotio & necessitate salutis quod pertinuerit ad negotium & necessitatem religionis. Præterea, invocatio Christi omnino ad ea pertinet *sine quibus fides in Christum & per eundem in Deum eiusque præceptorum obedientia consistere, & porrò æterna felicitas haberi nequaquam potest*. Nam illa fides in Christum, nequit consistere sine illius invocatione, prout respectu Dei hæc duo, fides in eum & illius invocatio, necessariò cohærent Rom. x, 14. Etiam Christi invocationem ad ipsius præcepta pertinere non potest inficiari Volkelius si sibi constet, & meminerit se eam probasse ex Domini mandato de Patre rogando in nomine suo, & id ad primum Decalogi mandatum ab eo additum statuere. Quod si utilibus duntaxat non necessarijs debet annumerari, pari ratione dixeris notitiam Christi & fidem in illum ac redemptionem per ipsum, ad utilium quidem non tamen necessariorum categoriam pertinere. Et mirum est inter necessaria non referri *quod ad Dei gloriam ex ipsius erga nos bonitate promananantem mirum in modum amplificandam spemquè ac fidem nostram alendam*, teste Volkelio, *plurimum conducit*. Neque tantum Deus *principem salutis nostræ*, invocabilem fecit, ut *ipsius opem summâ fiduciâ implorare* possimus, sed etiam invocandum pronunciavit & præcepit, *dicendo quùm inducit primogenitum in orbem terrarum, Et adorant eum omnes Angeli Dei* Heb. I, 6. Porrò, non fundatur invocatio Christi in ipsius exaltatione post mortem, ut videtur insinuare Volkelius; siquidem ipse supra probavit etiam Christum adoratum & invocatum fuisse de rebus necessarijs ad salutem, antequam pateretur & excitaretur à mortuis: in ipsa cruce, Latro pœnitens eum religiosè invocabat, & æternam salutem suam ei commendabat: Resurrectio itaque Christi & ejus exaltatio ad dextram Patris indicat evidenter quod sit colendus & invocandus, sed eum non fecit primùm invocabilem, cùm talis sit ex sua natura. Verùm non habet in quo acquiescat Volkelius, dum negatâ Christi divinitate, eius invocationem utcunque studet propugnare; ac perinde facit ac si circulum sine centro vellet describere. Id verò quàm insulsum, quod Deus Christum *primùm ea mala experiri voluit quæ experiri necesse est omnes?* cùm è contrario ea mala expertus sit, ut ab illis non liberaret & ne illa nos experiri necesse foret: Nam pro nobis omnibus *mortẽ gustavit* & quicquid illa habet acerbitatis & maledictionis, *ut per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est diabolum, & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitutis* Heb. II. 9. 14. 15.

Cap. XII.

De secundo Decalogi præcepto.

Respondente ad hoc & duo sequentia capita ULPHARDO EECKELMAN, Bellingwoldensi.

Secundum Decalogi præceptum est:

Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neq; coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zolotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. In his verbis tum ipsum Dei præceptum,

rum præcepti continetur ratio, seu causa, ob quam & hoc, & cætera omnia Dei mandata sint observanda. Spectat autem hoc præceptum, non minùs quàm primum, ad divini cultus rationem: & primùm quidem imaginum confectionem, deinde, & hoc quidem potissimum, earundem cultum ac venerationem prohibet. In eo autem non id revera agitur, ne imagines pro Diis habeantur ac colantur: (id enim primo præcepto satis jam cautum fuit: cum imago pro Deo haberi nequeat, quin alienus Deus coram Deo vero habeatur:) sed ne ullius, sive veri, sive falsi numinis imago fingatur, nec ullus ei cultus exhibeatur, eum nempe in finem, ut is honor in illud ipsum numen redundet, cujus simulachrum aliqua ratione colatur. Fatentur enim omnes, & res ipsa loquitur, hoc præcepto interdici Ethnicorum idololatriam, ac porrò omnem simulachrorum cultum ei similem. At verò Ethnici Deos suos, quo-
234 rum imagines fingebant colebantque, aut in cœlo, aut in terra, aut in mari, ne de inferis ipsorum Diis nunc quicquam dicam, existere credebant, nec imagine aliqua vel confecta, vel corrupta, illum ipsum, cujus imago esset, Deum, vel confici, vel corrumpi putabant. Quare imagines non pro ipsis Diis habebant aut colebant, sed in iis aut per eas venerabantur numina illa, quorum essent imagines. Quod idem de Israëlitis, in vitulis olim Deum colere se arbitrantibus, statuendum esse, infrà docebimus. Sed ut totius hujus præcepti ratio meliùs constet, ejus verba penitiùs inspiciamus. Primùm igitur ex eo, quòd omnium simulachrorum seu similitudinum atq; imaginum fictione hîc prohibemur, clarissimè patet, nihil referre, sculpta-nè an picta, an quacunque aliâ ratione confecta sint signa illa; Ecclesiasq; Græcas hujus præcepti violationem nequaquam effugere, quæ non sculptas, sed pictas imagines in suis templis habeant. Deinde quod ad res attinet, quarum imagines non sint faciendæ; eas luculenter explicuit Moses alibi, (*Deut: 4.16. 17. 18. 19.*) hunc in modum loquens: *Custodite sollicitè animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne fortè decepti faciatis vobis aliquam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ, similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, aut avium sub cœlo volantium, atq; reptilium, quæ moventur in terra, sive piscium, qui sub terra moventur in aquis: ne fortè elevatis oculis ad cœlum videas Solem & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Quo tamen in loco intelligendum est, nequaquam nos omnibus etiam illis prohiberi simulachris, quæ aliquem in communi vita usum habent: veluti sunt illa, quæ vel historiam aliquam ante oculos nostros constituunt, vel quibus herbæ ad medicinam faciendam necessariæ depinguntur, vel quæ ornatum quendam ædibus profanis, aliisq; rebus extra religionem positis afferunt: sed illis tantùm nobis interdici, quæ quacunque ratione ad divinum cultum adhibentur.

Quod

Quod quidem dupliciter fieri consuevit vel enim eo animo consilioque conficiuntur, ut divinus illis cultus instituatur; vel eo pacto, ut hominibus imperitis divini illis honoris tribuendi præbeatur materia. Ac primo quidem modo Aaron, Jeroboamque divinum hoc præceptum violarunt, Israëlitisque ejusdem violandi causam attulerunt. *(Exod: 32. 1. & d. 1 Reg: 12. 28. & d.)* Ille enim unum, hic verò duos vitulos divinis honoribus afficiendos conflaverat. Altero autem modo tunc in præceptum hoc peccatur, cum Dei aliorumvé imagines in locis publicis, divinoque cultui consecratis, statuuntur. Magna siquidem 235.
hujus rei vis etiam in loco esse videtur; cùm imagines in locis profanis collocatæ, non ita facilè ad facinus tam detestandum homines excitare soleant. Statua enim, verbi causâ, dum in artificis officina est, nequaquam colitur: quanquam fortasse fieri potest, ut Dei Christique aut virginis Mariæ imaginibus, quantumvis non in templo positis, propter summam, quæ illis inesse putatur, majestatem, divinis honor habeatur: ut facilè appareat, ejusmodi simulachra fieri nequaquam debere. Quid, quòd nimis absurdum est, eum pictura exprimere velle, cujus numen nec sensibus usurpari, nec cogitatione formari potest. Neque enim is Deus est, qui cum re aliqua sub sensus cadente conferri, formæ ac speciei externæ ratione, possit: cùm & rectæ rationis judicium reclamet, & ipse apud Isaiam alibique cum hujusmodi amentiæ autoribus hunc in modum expostulet: *(Esa. 46. 5. 6.)* *Cui assimilâstis me, & adæquâstis, & comparastis, & similem fecistis? qui confertis aurum de sacculo, & argentum staterâ ponderatis, conducentes artificem, ut faciat Deum.* Et alibi apud eundem; *(cap. 40. 13.)* *Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Huc pertinent & illa Pauli Apostoli verba: *(Act. 17. 29.)* *Genus ergo Dei cum simus, non est existimandum, auro, vel argento, aut lapidi, artis sculptura & cogitationibus hominum, numen divinum esse simile.* Huic tamen veritati ab imaginum propugnatoribus variæ Dei visiones opponuntur, quibus is sub humana specie vatibus sese conspiciendum exhibuerit. Inde enim consequi putant, licere nobis Deum certâ quadam imagine exprimere, & eandem in templis collocare. Verùm consecutio ea nulla est: cum istiusmodi visionibus Deus nec interdictum suum de imaginibus non fabricandis, nec illius causas sustulerit. Licet quidem Deo seipsum sub imagine, cui velit, exhibere: sed non protinus hominibus licet, eandem imaginem imitando efformare, & quod amplius est, in templis aliisvé locis sacris collocare, omniumque oculis exponere. Hoc enim pacto occasionem præberi hominibus, honorem illis exhibendi, & ratio docet, & experientia. Quòd si quis dicat, illam saltem ejus interdicti causam, quam posteriori loco attulimus, istius visionibus tolli: cùm ex iis pateat, Deum homini assimilari, & sub ejus imagine repræsentari posse: respondemus, ne id quidem rectè concludi: cum Deus, ut vidimus, post illa etiam tempora, quibus sese vati-

bus sub humana specie ostendit, nihilominus asserat, se nulli rei assimilari posse, eamque ob causam nullam sibi imaginem ponendam esse. Veram enim formam speciemque suam nulla ratione ab hominibus exprimi posse significat, eamque longè augustiorem esse, quàm ut ullius rei, quæ sub sensus no-
236. stros cadat, simulachro referri queat. Quare ne sua majestas aliqua ratione minuatur, atque apud homines vilescat, nullum sibi simulachrum vult collocari. At cum Deus sub humana se specie vatibus conspiciendum præbuit, nequaquam veram suam formam illis eâ ratione proposuit, quemadmodum omnes intelligunt: sed ideo tantùm imaginem eam adhibuit, ut certas quasdam res atque actiones, quas vatibus indicare voluit, eorum oculis aut animis objiceret, & validiùs iis imprimeret. Quæ tamen res ideò majestatem ejus non dedecuit, quia, etiamsi species ejusmodi, membrorum humanorum figuram corporisque habitum aliquo modo referret; satis tamen liquet, eam cæteroquin humanâ specie longè fuisse augustiorem, & multa circa eam apparere solita, quæ nullâ humanâ arte pro dignitate queant exprimi. Adde, quòd actiones viventium propriæ in istiusmodi speciebus apparuerunt, non minùs, quàm si reipsa vixissent; imò Deum ipsum vivum sub illis apparuisse dici potest: quibus de causis tanta videntium animos incessit religio, tanta numinis veluti præsentis veneratio, quanta nunquam aliàs major. Quare nihil illæ, quas sibi ipsi Deus ad breve tempus aptavit, imagines ejus majestati apud illos, quibus exhibitæ fuerunt, derogarunt: derogant autem inanima illa, atque ab hominibus, utut ad illarum imitationem quandam, effecta simulachra. Urgent tamen quidam, Deoque inquiunt, in divinis literis omnia ferè conspicua corporis humani membra eorumque functiones tribui: ideoque nihil prohibere, quominus pingi sculpi-vé possit. Atqui similiter nihil hac consequentiâ infirmius est, cum & metaphorica ista sit in Deo membrorum descriptio, & nequaquam ut Deus pingatur, sed ut quædam secundùm captum nostrum illius proprietates nobis explicentur, instituta: quorum hoc cum divino mandato haudquaquam pugnat; illud apertè pugnat: hoc nullum idololatriæ periculum afferre potest; illud verò maximum.

Sed sunt nonnulli, qui, quod ad Deum pingendum attinet, nobiscum faciant, de quibus est Damascenus, qui asserit, Deum effingere conari, rem cùm insipientem, tùm etiam impiam esse; aliorum tamen imagines & sculpi, & pingi, & in templis collocari absque scelere posse, audacter affirmat. Hoc enim præceptum, ajunt, nonnisi Dei imaginem excludere: idque vel inde perspicuum esse, quòd ipsius Dei jussu & Cherubinorum, & boum, & aliarum rerum simulachra in templo constituta fuerint. Atqui nec solam effigiem Dei facere isto præcepto vetamur, cùm omnes imagines rerum quarumvis in
237. oculos incurrentium commemorentur; nec, quæ afferuntur instantiæ, quicquam

quam ad rem pertinent. Ad nostram enim sententiam infringendam non ea
in medium producenda erant, quæ ipse Deus quodammodo fecit, cum ea
ipsius jussu imperioque facta fuerint: sed quæ homines ex suo capite confece-
rint, & tamen à Deo fuerint approbata. Deus enim non sibi, sed homini-
bus eam legem tulit; potuitque eâ salvâ jubere, ut certæ quædam imagines
fierent, nec tamen permittere, ut homines pro arbitrio suo aliquas fingerent.
Nec est, quòd idem idololatriæ periculum, ex imaginibus ipsius Dei impe-
rio factis gigni quis putet, quod ex humana voluntate inventis nascitur. Pri-
mùm enim eas, quæ in tabernaculo constitutæ, ad sui venerationem popu-
lum allicere potuissent, non in propatulo collocari, oculisvè omnium exponi
voluit. Nam imagines Cherubinorum super arca collocatæ, ne sacerdotibus
quidem vulgaribus patebant, cùm in intimis essent adytis positæ, in quæ non-
nisi semel quotannis licebat summo sacerdoti ingredi: quòd si transferenda
esset arca, tum demum à sacerdotibus involuta cum imaginibus arca, Levi-
tis tradebatur portanda; ita ut hi unà cum populo eam nec tangerent, nec
viderent: (*Num:4.*) quam ob causam & Bethsemitani, qui eam aspexerant,
tam graviter fuêre puniti; (*1 Sam:6.19.*) & Uza, qui eam attigerat, occisus.
(*2 Sam:6.6,7.*) Deinde quod ad boum simulacha æneo labro, quod abluen-
dis sacerdotibus destinatum erat, subjecta attinet, eorum positus & usus
adeò vilis, ut alia taceam, venerationem iis facilè adimebat. Unde etiam
nuspiam legimus, imagines, quas Deus in templo aut tabernaculo collocari
jussit, populo ad idololatriam adeò proclivi, & ejus occasionem facillimè ar-
ripienti, hujus peccati ansam præbuisse. Adde, quòd omnino consentaneum
sit Deum ea simulachra, si ad hoc nefandum scelus homines illis abuti ani-
madvertisset, haud aliter aboliturum fuisse, ac æneum serpentem à Mose ere-
ctum videmus sublatum, propterea quòd Israëlitæ eum, ad longè alium fi-
nem constitutum, religiosè colebant. (*4 Reg:18.4.*) Quò magis sunt re-
prehendendi ii, qui ut imagines conficiendas, inque templis statuendas esse
probent, ab hoc eodem serpente argumentum ducere non dubitant. Præter-
quam enim quòd singulari de causa à Mose Dei jussu, non hominis alicujus
voluntate, erectus erat; etiam ipsa ejusdem abolitio omnem rei istius imita-
tionem intercludit. Constat igitur, non solùm Dei, sed omnes etiam alias
imagines, quibus divini honores vel tribuuntur, vel etiam per occasionem
tribui possunt, nunquam fabricandas, &, si quæ sint fabricatæ, ab iis, in quo-
rum arbitrio situm est eas vel ponere vel tollere, exterminandas; & sic causæ
nihil esse, quin omnium simpliciter simulachra isto præcepto vetari credamus. 238.
Id autem magis etiam hinc apparet, quòd hujus mandati scopus alibi expres-
sus is est, ut solus Deus adoretur, ipsique soli serviatur. (*Deut:6.13,14*) Fluit
quippe hoc secundum præceptum aliquâ ratione ex primo, quo præter Jeho-

vam nullum Deum habere jubemur. Ex quo fit, ut si mandati istius scopum assequi velimus, non solùm à Dei imagine, sed aliis etiam omnibus simulachris, quibus, aut per quæ aliis cultus institui potest, abstinendum nobis sit. Hujusmodi autem eas imagines esse, pro quibus omnium acerrimè hodie propugnatur, argumento est, quòd in templis constitutæ, planeque ad id comparatæ sunt, ut ab hominibus cultu & honore afficiantur. Id quod tantâ religione fieri, atque adeò ex illorum institutis fieri debere compertum est, ut nequaquam Catholicus esse credatur, qui imaginibus cultum illum ac vene rationem neget. Et tamen non pauci ex iis, quibuscum disputamus, in angustum compulsi, non dubitant, contra manifestissimam rei istius veritatem, alias, easque frivolas istarum imaginum causas afferre. Nam & sacris ædibus ornatum illas apponere, & idiotarum libros esse asserunt. Quasi verò non magis dehonestamenta domus Dei, quo nomine ipsi templa sua vocant, existimanda illa sint, quæ divinæ illius voluntati tam apertè repugnant; & non multò majus ædium sacrarum decus atque ornatum, in fidelium hominum congressu, in conjunctis piorum precibus, in divini numinis veneratione, in cœlestis veritatis explicatione ac consideratione, in mutuis cohortationibus, in virtutis denique sanctimoniæque exercitatione constitutum sit. Quod idem & de laicorum, quos vocant, libris sentiendum est: cum Christi præceptorum promissorumque, aliorumque mysteriorum divinorum explicatio, omni picturâ res salutares meliùs depingat, atque ante idiotarum oculos constituat. Hoc pacto Paulus Galatis, licet paulò antè Ethnici & rerum divinarum ignari fuissent, ita Christum ante oculos depinxerat, ut non secùs rem intelligerent, ac si Christus esset in illorum medio crucifixus. (*Gal: 3. 1.*) Imagines verò atque sculptilia, út Jeremias (*Ier:10. 8.*) & Habacuc(*Habac:2.18.*) testificantur, potiùs doctores sunt vanitatis ac mendacii; ideoque qui illis dant operam, nonnisi à Deo, aut vero ejus cultu, ad cultum simulachrorum deficere discunt. Ipsa verò sanæ mentis ratio dictat, nihil indignius esse, quàm hominem, in quo summus ille Pater divinitatis suæ imaginem impressit, quemque omnium aliarum rerum principem esse voluit, ita se abjicere, ut quæ infinitis partibus ipso sunt inferiora, illis serviat, divinosque honores instituat.

239. Hîc verò, tunc, quod dicimus, cum veritate conjunctum fore inquient, cùm adoratio ista & cultus in ipsis imaginibus terminatus, & nequaquam in illum, qui imagine repræsentatur, porrectus fuerit, ita ut hic in sua imagine colatur. Atqui isto pacto peccatum hoc excusari nequaquam posse, hinc constat, quòd ab ipso jam initio docuimus, proprium secundi hujus præcepti scopum non esse, cavere, ne imago aliqua pro ipsomet Deo habeatur aut colatur, quod fieret, si quis religiosum cultum imagini exhibitum in ipsa terminari

minari vellet: sed ne per imaginem numen aliquod, ipsumque adeò Deum verum, colere instituamus, arbitrati, ipsi numini nos cultum eum exhibere, quem imagini illius exhibeamus, & in eo demum honorem illum terminari. Id nempe ipsum hìc propriè vetatur, quod illi, qui ita excipiunt, se facere confitentur. Sed ut vanitas istiusmodi exceptionis magis appareat, animadvertendum est, vel ipsius Dei statui imaginem, existimarique illum in ea adorari; aut collocari imagines aliorum, hosque sub imaginum specie religiosè coli posse putari; veluti sunt simulachra sanctorum, qui ex hac vita discesserunt. Jam si prius amplectantur, constat, tantum abesse, ut cultus Deo ad istum modum adhibitus, gratus illi acceptusque sit, ut eum maximè detestetur, eosque, qui ita sese probare illi instituunt, gravissimè puniat. Quam enim aliam ob causam in Israëlitas vindicatum, *(Exod:32.)* & Jeroboamum *(3 Reg:12.)* sceleris, quo & se & populum contaminaverat, tum sæpissimè accusatum, tum ob illud gravissimo supplicio affectum fuisse, *(vid:ib:cap.13.)* existimabimus, nisi quòd tum illi, tum hic unà cum populo, sub vitulorum à se conflatorum imagine Deum venerari instituerant? Hoc porrò illos consilio vitulos & fecisse, & coluisse, inde patet, quòd vituli isti Jehovæ vel Dei illius nomine appellantur, qui populum Israëliticum ex Ægyptiaca servitute liberaverit. *(Exod:32.4,5. 3 Reg:12.28. ibid:v.27.)* Et quidem quod ad duos illos vitulos attinet, quos Jeroboam populo colendos obtruserat, constat, eum nonnisi hoc spectasse, ut artificio isto populi studium retineret, quod sese amissurum planè providebat, si ex divinæ legis præscripto, ter quotannis religionis ergò Hierosolymam itaret; cùm facilè hoc pacto ad Regem Judaicum reduci, & sic ipsum deserere, atque adeò interficere potuisset. Quod ne fieret, eidem populo persuasit, nequaquam opus esse, divini cultus gratiâ tantam itineris molestiam sustinere, cum vitulos illos colendo Jehovam ipsum colere possent. Hoc enim nisi illis persuasum fuisset, nunquam Hierosolymam frequentare desiissent. Hìc verò ii, cum quibus disputamus, plurimùm inter se & Israëlitas illos interesse dicunt, propterea, quòd fortè concedi possit, Israëlitas sese in vitulis illis Deum verum colere existimâsse: interim tamen 240.
adeò stupidos fuisse, ut, perinde atque vitulos, illum corporeum, & porrò rebus creatis similem esse statuerint: se autem nequaquam tanto mentis errore implicatos esse, ut Deum in ipsius imagine venerantes, corpore præditum, cumque simulachro ulla ex parte conferendum esse arbitrantur. Respondemus autem, nec Israëlitas tantâ fuisse dementiâ depravatos ulla ratione probari; nec si probaretur, quicquam id ad adversariorum opinionem stabiliendam afferre momenti. Primò enim, quòd quidam illorum dicit, *(Bellarm.)* Israëlitas putasse, Deum verum esse vitulum illum Ægyptiacum, ideoque illi similem vitulum effinxisse, subque ejus forma Deum sese corporeum colere putâsse;

putâsse; id nempe quàm frivolum sit, hominum cordatorum judicium esto. Manifestum enim est, Israëlitas jam tum à Mose & Aarone, Dei patrum suorum notitiâ fuisse instructos, quem non Apis nomine, quo vitulus Ægyptiacus appellabatur: sed *Ero qui ero*; item *Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi*, item *Deum Hebræorum*, ipsius jussu apud eos nuncupârunt; (*Exod: 3. 14. & seq.*) & nequaquam à vitulo illo, qui Ægyptiorum Deus erat, sed ab eo, quem Pharao Ægyptiique ignorabant, sese missos esse, tum affirmabant, tum admirandis operibus demonstrabant. Id quod ex illis Dei verbis, (*v. 15. & seqq.*) quibus Mosen ad legationem instruit, clarissimè patet: *Hæc dices filiis Israël, Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generatione. Vade, & congrega seniores Israël, & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens: Visitans visitavi vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto*: &c. Et paucis interjectis inquit: *Et audient vocem tuam, ingredierisque tu, & seniores Israël ad regem Ægypti, & dices ad eum: Deus Hebræorum vocavit nos*, &c. Quę verba si cum illis conjungas, quæ ibidem cap. 4. 30. habentur, facilè comperies, Israëlitas nullo pacto vitulo illi Ægyptiaco liberationem suam ascripsisse: sed illi, à quo Moses se legatum fuisse dixerat ac confirmaverat. Sic enim ibi scriptum legitur: *Locutusque est Aaron omnia verba Domini, quæ dixerat Dominus ad Mosen: & fecit signa coram populo, & credidit populus: audieruntque quòd visitasset Dominus filios Israël, & quòd respexisset afflictionem illorum, & proni adoraverunt.* Verùm esto, non audiverint Israëlitæ illi quicquam de Deo patrum suorum, & in vitulo ita Deum coluerint, ut eum vitulo similem esse sibi persuaserint; poteritnè hoc adver-
241. sariorum causam juvare, vel idololatriam illorum aliqua saltem ex parte excusare? nullo pacto: quinimò magis culpandi sunt, quòd cùm Deum nec corporeum, nec imaginibus similem esse credant: tamen tanquam si talis esset, ita eum & pingunt & sculpunt, & pictum sculptumque colunt. Nonnè satius est, sine ulla tergiversatione huic Dei præcepto morem gerere, quo imaginum fabricatione ac cultu apertissimè prohibemur?

Jam quod ad sanctorum mortuorum imagines attinet, eas similiter nequaquam adorandas colendasvè esse, eodem hoc Dei præcepto docemur. Neque est quod dicant, se non λατρείας honorem, qui non nisi Deo conveniat, sed tantùm δουλείας cultum, qui creaturis etiam conveniat, sanctis deferre, ac porrò nec eorum imagines divino honore afficere. Primùm enim lex hæc divina omnem imaginum cultum ac venerationem penitus prohibet. Deinde ista, quam commenti sunt λατρείας & δουλείας distinctio vana est, vel certè hîc adhiberi minimè potest. Nam primùm si proprietatem vocum spectes, eadem utriusque significatio est, nec una earum magis, quàm altera, ad

Deum,

Deum, vel ad creaturas spectat. Nam quod ad verbum λατρεύειν attinet, Laurentius Valla ad quartum Matthæi caput annotat, & scriptorum probatissimorum authoritate demonstrat, verbum illud, tam hominibus, quàm Deo serviendi, vim habere. Profert enim in medium quendam Xenophontis locum, ubi maritus, sese animâ uxorem, ne cuipiam serviat, redimere paratum esse dicit: & vicissim uxor, vitâ sese ait maritum liberare velle, ne serviat. ubi verbum λατρεύειν cum verbo δουλεύειν ita permutatur, ut in eandem sententiam jam hoc, jam illud usurpetur. Quid, quòd & apud LXX. interpretes eæ voces, quæ à verbo λατρεύειν deductæ sunt, servilia opera designant. Cùm enim Moses Israëlitas omni servili opere prohibet, interpretes illi vocem λατρευτὸν usurpant. (*vid. Exod:12.16. Lev:23.7,8,28,25.35. Num:28.18,25,26.*) Quod verò ad verbum δουλεύειν attinet; id non magis designare, rebus creatis, quàm Deo servire, vel ex illis Christi verbis perspicuum est, *Non potestis Deo & mammonæ servire.* (*Matt:6.24.*) Patet etiam ex LXX. interpretibus, qui cum de cultu divino sermo est, & in Hebræo vox *serviendi* significationem habens usurpatur, promiscuè usurpant δουλεύειν, aut λατρεύειν. Quare non est ea horum verborum differentia, ut λατρεία Deo tantùm conveniat, δουλεία etiam creaturis. Illud libenter fatemur, vocem δουλείας generalem suam vim retinere solere, & non minùs de vulgari ac profana, seu mavis, civili servitute, quàm de religiosa usurpari: cùm ipsum verbum λα- 242.
τρεύειν, & nomen λατρείας inde ductum, apud LXX. interpretes, & alios, qui eos in verborum ac phrasium usu sequuntur, scriptores, de religiosa servitute ferè tantùm accipiatur. Verùm cum vox δουλεύειν, aut δουλεία inde ducta, de religiosa servitute sumitur, ut hoc loco fit, ubi de sanctorum cultu agitur; nullo nec exemplo, nec ratione ostendi potest, ullum esse discrimen inter λατρείαν & δουλείαν: aut si quod est, δουλείαν aliquid amplius in se continere, quàm λατρείαν: quo pacto plus est alicui servire, quàm eundem colere. Omnis enim qui alicui servit, eundem quoque colit, vel colere saltem debet: at non contrà. hoc honoris tantùm est; illud etiam humillimi obsequii ac ministerii. Quare si δουλεία seu servitus religiosa à λατρεία distingui debet, plus illa, quàm hæc, in se complectetur, nec minùs in Dei præceptum peccabitur, si creaturæ, cui λατρεία non convenit, δουλεία religiosa tribuatur, quàm si λατρεία eidem exhibeatur. Unde Paulus (*Gal:4.8.*) pristinam Galatarum idololatriam designare volens, ait, eos serviisse iis, qui naturâ non erant Dii, verbo δουλεύειν utens. Præter ea autem, quæ diximus, illud quoque gravissimum illorum errorem, qui & sanctorum mortuorum, & imaginum *illic* positarum cultum defendunt, apertè convincit, quòd in signis inanissimis illos venerari student, qui hoc se honore affici nequaquam sentiunt; utpote qui in statu sint mortuorum, & porrò nequaquam reipsa vivant atque

 intelli-

intelligant. Adde quòd, si maximè & iu vivis essent & hunc sibi honorem haberi sentirent, nequaquam hoc fieri vellent. Petrum enim, verbi causâ, à Cornelio adorari noluisse accepimus, (*Act: 10.25,20.*) propterea quòd non minùs, quàm Cornelius, homo esset. Nec est, quod dicas, rationem illam in Petro mortali valuisse, non in immortali, seu ad cœlestia gaudia translato. Nam etiamsi tandem Petrus, in mortuòrum adhuc numero positus, ad cœlestia gaudia (id quod seipsum evertit) fuisset translatus: nihilominus tamen ea res non plus haberet ad adorationem ei conciliandam virium, quàm divina muneris, quod in terra sustinebat, auctoritas, cum admirandis illis donis, quibus eum instructum fuisse omnes novimus, conjuncta; præsertim si ea tanta esse credatur, quantam illi volunt, cum quibus disputamus. Certè quia hanc sibi sumit Pontifex, ideo, licet divinissimis illis donis careat, quæ in Petro cernebantur, à quibusvis eam venerationem, quam Petrus sibi exhiberi
243. noluit, non modò admittit, sed ab omnibus etiam requirit; eaque illi ab iis, qui eum pro capite suo agnoscunt, tribuitur. Sed præterea, an immortalis non fuit angelus ille, qui, ne eodem à Joanne cultu afficeretur, recusavit? (*Apoc:19.10.& 22.8,9.*) Quid verò causæ attulit? quòd conservus Johannis esset, & fratrum ipsius prophetarum, & eorum, qui observant verba libri illius: Deum igitur adoraret. Quâ igitur fronte audebimus, vel ad mortuos sanctos, vel ad angelos divinum cultum transferre, nedum eorum imaginibus tribuere? Neque verò hîc ad latriæ duliæque distinctionem confugere possunt. Nam ne superiora nunc repetamus; quid habet latria præ dulia, quovè pacto ab ea distinguitur? num eò, quòd latria postulet, ut eum, quem colis, pro ipsomet Deo habeas, dulia non item? Si hoc, nec Cornelius Petrum, nec Angelus Johannem latriâ colere voluit; & tamen uterque monitus fuit, ne id, quod facere volebat, faceret, aut facere pergeret. Quid enim? num dices Johannem angelum, qui se pro Dei ac Christi ministro apertissimè gerebat, pro ipso Deo habuisse? aut Cornelium tanto stupore mentis oppressum fuisse, ut Petrum non hominem, sed ipsummet Deum esse, sibi persuaderet? Quòd si in eo ipso latriam sitam esse dixeris, quòd quis religiosè, & non civiliter tantùm colatur, & animus aut corpus coram ipso ita demittatur, quemadmodum coram eo tantùm abjiciendus esset, qui in nos sublimem aliquam & humanâ majorem potestatem habet; jam hoc totum in ipsorum dulia, quam sanctis, atque imprimis Mariæ virgini tribuunt, continetur. Quare cùm Cornelius Petro, Johannes angelo eum exhibere vellet honorem, qui propter nimiam abjectionem, religiosam saperet reverentiam; ideò is rectè à Petro angeloque recusatus fuit. Animadverterunt quippe, periculum esse, ne summo illi Deo aliqua saltem gloriæ particula detraheretur, ad ipsosque per quandam incogitantiam transferretur.

Ut

Ut autem à tam gravi, quod hîc prohibetur, peccato homines planè abſterreantur, jam tandem, quanta illi pœna conſtituta ſit, videndum eſt. Hæc autem illis Dei verbis continetur: *Ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filiis, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Quo in loco duo ponderanda ſunt. Primò enim inquirendum videtur, quî fiat, ut Deus in ſimulachricolas tam ſit ſeverus: Deinde quomodo hæc comminatio cum divina juſtitia conveniat, animadvertendum eſt. Ut igitur de Dei ſeveritate, quâ in tales utitur, priùs loquar; ipſe hoc in loco cauſam illius apponit, quia nimirum ſit *Deus Zelotes*, & *fortis*: quaſi dicat, peccatum, quod idololatræ in ſe ſuſcipiunt, tam grave tetrumque eſt, ut zeloty- 244
piam excitet; ideoque ferri à me nequaquam poſſit. Cùm enim ego ſim Dominus Deus, atque adeò maritus quodammodo tuus, tuque porrò iſtud in te admittens flagitium, turpiſſimo te obſtringas adulterio; fieri-né poteſt, ut ego, qui rivalis ſum impatientiſſimus, in impuriſſimo tuo facinore conniveam? Ut enim maritus, quò impenſiùs uxorem amat, eò magis irritatur, ſi illa ad rivalem ipſius amandum ſeſe applicet: ita nihil eſt, quod magis Deum ad iram commoveat, quodque minùs ab illo tolerari poſſit, quàm cùm homines, quos condidit, quos fovet, quos innumeris beneficiis ſibi devincire, arctiſſimoque amoris vinculo copulare ſemper ſtuduit, tam turpiter illum deſerunt, aliiſque cultum, ipſi ſoli debitum, deferunt. Et hinc quidem crebræ illæ conqueſtiones naſcebantur, quibus Iſraëliticum populum in idololatriam prolapſum adulterii accuſabat. (*Eſa: 57.7. & ſeqq. Ier: 2.20. & d. & 6.3.6, & d. Ezech: 16.15, & d. Oſe: 2.2, & d. & alibi ſæpe*) Itaque confirmat hoc loco Deus, ſe omnino eos, qui idola venerantur, punire velle. Verùm ut idem etiam ſe facere poſſe oſtendat, addit præterea, ſe fortem eſſe; ut facilè appareat, concurrentibus duabus iſtis cauſis, nimirum puniendi tum voluntate, tum pleniſſima facultate, fieri non poſſe, ut ſummam iſtam impietatem relinquat inultam. Ut autem ſupplicii gravitatem magis exponat, dicit, ſe viſitaturum iniquitatem patrum in filiis, in tertiam & quartam generationem eorum qui ipſum oderunt. Quod quidem quò rectiùs intelligatur, jam illud videndum eſt, an ita cum illis, qui præceptum iſtud violant, agere, divinæ juſtitiæ ſit conſentaneum. Videtur enim nimis grave eſſe, & nihil planè cum divina æquitate conjunctum habere, legique illi, quam Deus ſibi ipſi quodammodo impoſuit, adverſâ fronte repugnare; nempe non portandam eſſe filio patris iniquitatem. (*Ezech: 18.20.*) Reſpondemus autem, tum demùm hoc ſupplicium, quo in iſtud hominum genus vindicatur, divinæ juſtitiæ parùm conſentaneum fore, cùm de ejuſmodi filiis orationem hoc loco haberi oſtenſum fuerit, qui ſceleratorum parentum veſtigiis minimè inſiſtunt. Atqui aliter ſeſe rem habere, vel ſolum Ezechielis modò memoratum teſtimonium convincit. Quod au-

tem nihilominus Deus iniquitatem patrum in filiis sese visitaturum dicit; intelligendum est, eum in puniendis liberis, non propriorum tantùm, sed & paternorum peccatorum rationem habere velle; & cùm cæteroqui liberis ipsis vel parcere, vel mitiùs cum illis agere posset, severè tamen in eos animadvertere, quòd non tantùm mali fuerint ipsi, sed & ex malis procreati; ut hac ratione simul etiam parentes in liberis quodammodo puniat. Quòd si ex piis
245. fuissent nati, fieri posset, ut tam graves peccatorum suorum pœnas non sentirent; præsertim si non prorsus enormis illorum fuerit malitia. Benefacit enim contrà etiam Deus parentibus piis in liberis. Unde hoc loco id pietati proponit præmium, ut dicat, se misericordiâ usurum in millesimam eorum generationem, qui ipsum diligunt, ejusque mandata conservant. Hoc autem ita præstare solet Deus, ut piorum liberos ac nepotes variis beneficiis cumulet, præsertim si ii parentum ac majorum suorum virtutem imitentur; & quamvis majores suos non planè referant, atque in pietatis cursu quandoque prolabantur, aut etiam graviter peccent, non tamen ita cum illis agat, ut meriti erant, sed sæpissimè vel ignoscat, vel castigatos atque afflictos tandem misericordiâ complectatur. Quam quidem Dei clementiam, tum in Davidem ejusque posteros extitisse, tum in universam Israeliticam nationem extituram aliquando esse, divinis oraculis luculentissimè docemur. Illud enim quàm præclarum est, ubi Deus Davidem, de ipsius semine verba faciens, hunc in modum alloquitur: (*2 Sam:7.14,15.*) *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Et illud: (*2 Reg:8.19.*) *Noluit tamen Iehova disperdere Iudam propter David servum suum, sicut promiserat ei, quòd daret ei lucernam, & filiis ejus,* (quantumvis plerumque malis) *cunctis diebus.* Huc spectat, quòd Paulus Israelitas, quamvis ob gratiæ divinæ contemptum rejectos atque induratos, charos tamen esse asserit, propter ipsorum majores, & aliquando misericordiam assecututos prædicit. (*Rom:11.28.*)

Cùm igitur, ut ad rem redeamus, Deus idololatriam tantopere aversetur, tamque vehementer vindicet; cavendum est, ne in tantum peccatum ulla ratione incidamus. Et quidem, quò faciliùs illud effugiamus, non abs re fuerit, paucis verbis, quo pacto idolis imaginibusque religiosus cultus instituatur, exponere. Intelligendum igitur est, totum hoc negotium his Dei verbis exprimi: *Non adorabis, nec coles ea*, seu, ut Hebræa verba sonant, *nec servias illis.* Duobus ergo modis inter se distinctis hoc scelus committitur, nimirum tum adorando, tum serviendo. Ac adoratio quidem simulachris tunc adhibetur, cùm homines religionis ergò coram illis procumbunt, genua flectunt, corpus incurvant. Servitus verò tunc illis tribuitur, cum iisdem sacrificia suffimen-

mentaque fiunt, vel cum ornantur, ac vestiuntur, candelæque ardentes ante ea statuuntur, ut hodiè fieri videmus. Servitus enim non in solo honore, qui ad adorationem sufficere potest, sed in ministerio, opere ac labore aliquo consistit.

Ad hoc autem Dei præceptum illud quoque adjungendum est, quod tum Paulus, (*1 Cor:10:14,20,21,28.*) tum Johannes (*1 Ioh: 5. ult.*) nos admonet, nempe ut fugiamus idola, illorumque cultum; ita nempe, ut non solùm idola nequaquam fabricemus, aut colamus; sed etiam tum loca, in quibus ea coluntur, præsertim tunc, cùm cultum illum institui novimus, caveamus; tum ab omnibus, quæ cum illorum cultu conjunctum quippiam habent, aut quacunque tandem ratione ad illum spectant, abstineamus, ut omnibus hominibus Deoque ipsi clarissimè pateat, quantopere omnia, quæ illi improbantur, aversemur, non solum quod ex se malum est, sed etiam mali speciem habet, summo studio declinantes. 246.

‡ *Secundum decalogi præceptum*] Quæ hic contra Imaginum cultum disputantur, in genere probamus. Sed primò ad instantiā petitam à Cherubinis & Serpente æneo, addi potuisset, ea quæ Deus tum præcepit, nihil revera continuisse quod secundò Legis mandato reluctaretur. Nam Cherubini & Serpens æneus fuerunt imagines duntaxat Symbolicæ, quibus vel natura & officium Angelorum in communi, nulla verò eorum singularis persona; vel futura Christi crux & beneficium inde manans, significabatur; quod illi figurarum tempori omninò inconveniens non erat. Secundò, perabsurda & impia est ratio quâ *Sanctorum mortuorum* cultum & imagines ideo rejicit Volkelius, quod *in statu sint mortuorum, & porrò nequaquā reipsâ vivant atque intelligant.* Licet enim corpora eorum jaceant mortua in sepulchris, animæ tamen vivunt, intelligunt, operantur: nam *vivunt Deo,* inquit Christus Luc:xx,38. Quare non repugnat nec *seipsum evertit*, aliquem *in mortuorum adhuc numero esse positum*, & tamen animæ respectu *ad cœlestia gaudia* translatum esse; nam & cupiebat Paulus dissolvi & esse cum Christo Phil: I, 23. & omnibus fidelibus gratum est potius *abesse ex corpore & adesse apud Dominum* 2 Cor: v, 8. Remanet anima post animal, nec animam trucidare possunt qui occidunt corpus Matt: x, 28. Annon Lazari anima in sinum Abrahæ delata per Angelos, ad gaudia Cœlestia fuit traducta? Luc: xvi, 22. Annon Latroni converso, à Christo dictum fuit in ipso mortis suæ articulo, *Hodie mecum eris in paradyso?* Luc: xxiii, 43. Annon *beati à modo* pronunciantur quotquot *moriuntur in Domino*, quod quiescant à laboribus suis, & opera sua sequantur eos? Apoc: xiv, 13. Sed de hoc Atheismo Socinianorum aliàs plura diximus. Tertiò pleraque ex iis quibus Volkelius imaginum usum rejicit, militant contra ipsummet, & Socinianos convincunt Idololatriæ in cultu Christi, quem merum hominem esse asserunt. Nam si *hujus mandati*, quo imagines prohibentur, *scopus alibi expressus is est, ut solus Deus adoretur, ipsique soli serviatur* Deut: vi, 13.14. Si *fluit hoc præceptum secundum aliquâ ratione ex primo, quo præter Iehovam NULLUM Deum habere jubemur*; Oportet 1. vel Christum esse Jehovam, vel pro Deo haberi, coli, adorari non posse: 2. Vel manere adhuc hoc mandatum primum de solo Deo adorando, vel secundum de simulachris non amplius obligare; Nam cessante legis ratione

tione & scopo, ipsam quoque legem cessare in comperto est. Adhæc si non potest hac ratione excusari *adoratio & cultus* imaginum, quod *in ipsius imaginibus* non terminetur, sed ad Deum referatur & in ipso terminetur, frustrà sunt Sociniani, dum Christi adorationem & cultum religiosum, omnemque suam in Christo fiduciam nolunt inChristo sistere, sed ultimatè ad Deum referri & in ipso terminari. Si non potest approbari distinctio inter *Duliam* & *Latriam*, eo quod *Paulus* Gal: IV, 8. *pristinam Galatarum idololatriam designans, ait eos servivisse iis qui naturâ non erant dii, verbo* δουλεύειν *utens*, debent Sociniani cultum simpliciter divinum, quo major non datur, deferentes Christo, quem naturâ Deum esse negant, Idololatriam suam evidenter agnoscere. Si *Petrum à Cornelio adorari noluisse accepimus* Act:x,25. 26. *propterea quod non minus quam Cornelius, homo esset*; Si *Angelus ille qui ne eodem à Ioanne cultu afficeretur recusavit*, ea de causa *quod conservus Iohannis esset & fratrum ipsius Prophetarum & eorum qui observant verba libri illius, Deum igitur adoraret* Apoc:XIX, 10. XXII, 8. 9. Angelis & hominibus majorem, adeoque non merum hominem, Christum esse oportet qui non tantum admittit, sed exigit adorationem, invocationem & religionis cultum. Si *enim Cornelius Petro, Iohannes angelo cum exhibere vellet honorem, qui propter nimiam abjectionem, religiosam saperet reverentiam, is rectè à Petro Angeloque recusatus fuit*, licet se *pro Deo* non haberi à Cornelio Petrus, à Johanne Angelus satis nossent, sed quod animadverterent *periculum esse ne summo illi Deo aliqua saltem gloriæ particula detraheretur, ad ipsosque per quandam incogitantiam transferretur*: non video qua ratione Sociniani se liberent ab evidenti Anthropolatria in Christo, quem merum hominem esse statuunt, dum illi deferunt honorem, non qui duntaxat *religiosam sapiat reverentiam*, sed quem revera & ex professo divinum & religiosum esse volunt. Annon metuerent Deum Zelotem qui *rivalis* est *impatientissimus*, & nihil ægriùs fert *quam cum homines, quos condidit, quos fovet, quos innumeris beneficiis sibi devincere arctissimoque amoris vinculo copulare semper studuit, tam turpiter ipsum deserunt, aliique* qui naturâ Deus non est, vel saltem quem talem esse negant, per turpe *adulterii* spiritualis crimen, *cultum ipsi SOLI debitum deferunt?* Adeo benè quadrant in Socinianos quæcunque ipsimet dicunt Imaginum & Sanctorum cultum improbaturi, ut nec Pontificii Doctores illis satis solidè queant demonstrare æternam divinitatem Christi, argumento desumpto ab illius adoratione & cultu, quod Veteres Ecclesiæ Doctores adversus Arrianos sępè urserunt, quamdiu volunt adorationem ac cultum religiosum Creaturarum tueri; nec Sociniani Pontificiorum cultum satis validis argumentis possint refutare, quamdiu negatâ Divinitate Christi, illum tamen licitè coli, adorari, invocari statuunt. Id porrò notandum, nihil potuisse Volkelium excogitare vel fingere, quod huic secundo Decalogi præcepto à Christo additum fuisse statueret. Quod enim citat ex 1 Cor:x, 14. 20. 21. 28. & 1 Joh:v,21. æquè strictè debebat servari sub V. T. Videatur Mæmonides *de Idololatria*, ex quo liquebit Judæos ad superstitionem usque ab Idolis & Idoleiis, ac Idolothytis omnibus, ex Legis reverentia abstinere.

CAP.

CAP. XIII.

De tertio Decalogi præcepto.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: quoniam neutiquam impunitum dimittet Dominus eum, qui assumserit nomen Domini sui in vanum.

HOrum verborum duæ sunt partes: quarum altera interdictionem quan-
dam, altera comminationem continet. Ad interdictionem quod attinet,
animadvertendum, tum quid sit *nomen Domini Dei assumere*; tum quid hoc sit
facere *in vanum*. Nomen igitur Domini Dei nostri assumere, nihil hîc aliud
est, quàm per illud jurare. Jurare porrò per Dei nomen est, Deum tum di-
ctorum testem, tum mendacii vindicem quodammodo invocare, & sic ejus
auctoritatem ad dictorum suorum veritatem confirmandam interponere. Quo
in loco primò videmus, Deum Israëlitas juramento nequaquam prohibuisse,
dummodò ne illud violarent; & alibi per nomen suum eos jurare jussisse com-
perimus. (*Deut: 6. 13. & 10. 20.*) Deinde intelligendum est, juramenta pro-
priè sic dicta, Israëlitis olim licita, non nisi per nomen Dei facta fuisse, il-
ludque sive suis literis expressum, sive verbis idem designantibus circumscri-
ptum; quo pacto Jacobus jurat per pavorem Isaaci, (*Gen: 31. 53.*) id est, ut
ex superioribus Jacobi dictis constare potest, (*ibid: v. 42.*) per Jehovam,
quem Isaacus metuebat; de quo & Esaias hunc in modum loquitur: *Deus sit
pavor vester.* (*Esa: 8. 13.*) Hinc colligitur, juramenta illa, quæ nec expressam,
nec aliis vocabulis circumscriptam Dei mentionem continerent, vel impia
fuisse, vel non usquequaque propriè juramenta dici potuisse. Impia, ut cùm
per Deos alienos jurabatur, qua quidem re Israëlitæ apud Mosen his verbis
prohibebantur: (*Exod: 23, 13.*) *Per nomen externorum Deorum non jurabitis; neque
audietur ex ore vestro.* Impropriè verò sic dicta, cùm verbi caussâ Joseph
(*Gen: 42. 15, 16.*) *per vitam Pharaonis* jurat: quale & illud apud Israëlitas valde 247.
tritum erat, *Vivit anima tua.* Quanquam hoc ita potest accipi, ut nullum pla-
nè juramentum, sed tantum vehementiorem ac constantiorem asseveratio-
nem effecisse censeatur. Causa porrò, cur per suum unius nomen juramenta
propriè sic dicta concipi vellet Deus, hæc erat, quòd solus & animos homi-
num mentesque perspectas haberet, & omnis mendacii ac fraudis accerrimus
vindex esset. Jam *Domini Dei sui nomen in vanum assumere*, nihil aliud est, quàm
falsum jurare, & sic perjurio sanctissimum Dei nomen violare. *Vanum* enim
apud Hebræos id significare, quod falsum fictumque est, ex illis scripturæ
testimoniis patet, quibus idem nomen, quod hoc loco vanitatis vocabulo
exprimitur, *falsum* ab interpretibus, ita exigente sententiæ perspicuitate,

versum

versum est. veluti sunt illa Dei verba: (Exod:23.1.) *Non suscipias vocem mendacii, nec junges manum tuam, ut pro impio dicas, falsum testimonium.* Item illud, quod in ipsomet decalogo infrà dicitur. (*Deut:5.20.*) *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

‡ *Nihil aliud est quam falsum*] Videtur tamen hanc *interdictionem* longiùs patuisse, adeoque nominis Dei in vanum assumpti reos esse, non solùm perjuros, sed etiam temerè vel jurantes, vel voventes, Verbi Divini quoslibet profanatores, apertè blasphemos, & similes. Opponitur enim hęc profanatio sive usurpatio in vanum nominis Divini, illius Sanctificationi, ut patet ex Es: VIII, 13. & ad quam vi hujus præcepti omninò tenemur. Sanctificari autem nomen Dei, non solum veracitate in juramentis, sed etiam multis aliis modis, nemo est qui diffiteri possit.

Sed jam alteram horum verborum partem, nempe comminationem examinemus, quæ sanè gravissima est. Sic enim de seipso Deus loquitur: *Non dimittet Dominus impunitum illum, qui assumserit nomen Domini Dei in vanum.* Solet enim Deus pro admirabili sua benignitate atque clementia, peccatorum nonnullorum pœnas à quibusdam hominibus minimè expetere, quia aliquas tamen virtutes in illis elucere videat, vel alias hujus rei causas à nostra intelligentia remotas habeat: perjurium autem tolerare nequaquam potest. Quid enim est, quod magis summum illum omnium rerum moderatorem offendere queat, quàm non solùm sanctissimum illius nomen rei turpissimæ, nempe mendacio, cui semper fuit infensissimus, prætendere, sed etiam per summum contemptum numen ejus divinissimum quasi irridere, horrendumque judicium despicatui ducere? Ut igitur, & quàm sanctum sit Dei nomen, & quantum periculum illis impendeat, quibus illud ludibrio despectuique est, intelligatur, luculentissimis verbis omnibus denunciat, se nequaquam inultos relicturum illos esse, qui tantum scelus in se suscipiunt.

‡ *Solet enim Deus pro*] Inepta est ratio Volkelii, *Dominus non dimittet impunitum illum qui assumpserit nomen suum in vanum:* Ergo *peccatorum nonnullorum pœnas* non solet reposcere. Nam qui pœnam uni crimini comminatur, eo ipso non pollicetur impunitatem aliis. Imò cum Deus cuilibet transgressori suæ Legis Maledictionem æternam denunciet Deut: XXVII, 26. sitque qui vel in uno impegerit damnas omnium Jac: II, 10. æquè verè dici posset Deum non dimissurum impunitum, qui dixerit falsum testimonium, vel occiderit, vel furatus aut mœchatus fuerit, ac eum qui nomen suum in vanum assumpserit. Itaque comminationis hujus additæ vera ratio non est, quam assignat hæreticus; quasi perjurium ex natura rei sit irremissibile, ut illud Deus condonare ac *tolerare* in suis electis, si ex infirmitate impegerint, *nequaquam* possit; (quanquam hoc dum statuit Volkelius, adstruit contra se & suos, saltem in hoc capite, naturalem Dei justitiã & cui repugnet minimùm scelus illud impunitum relinquere;) Quin videmus Levit: VI, 21. & seq. Sacrificium speciale pro eo constitutum qui perjurio & mendacio

dacio rem alienam intervertere & detinere studuerit: Et ab alia parte ea est & tam exacta Dei justitia, ut ei repugnet ullum peccatum simpliciter dimittere impunitum absque condigna satisfactione, ut alias demonstravi. Hoc est enim δικαίωμα Dei ut qui talia patrant omninò sint digni morte Rom: 1, 32. adeoque pœnam divinitùs constitutam & Lege denunciatam necessariò luere debeant, vel per se, vel per alium, qui se det ἀντίλυτρον pro ipsis: Quare à quibus *peccatorum nonnullorum pœnas minimè expetere* Deus videtur, iis & omnium peccatorum veniam proculdubio indulget, cùm veniam dimidiare non soleat ejus larga pietas; & hanc largitur impunitatem suorum peccatorum *quibusdam hominibus*, non per respectum ad eorum dignitatem vel merita, & quod *aliquas virtutes in illis elucere videat*, sed ex mera & indebita gratia, & solius Christi intuitu, qui factus vel futurus erat *peccatum* pro illis ut essent Justitia Dei in ipso 2 Cor:v, 21. Sed vera comminationis istius huic tertio mandato additæ ratio triplex potest assignari; Prima est, ut sic gravitas hujus criminis exaggeretur; prout etiam specialem habet comminationem præceptum secundum de simulachris nec faciendis nec colendis. Quamvis enim omnia peccata sint mortalia, non sunt tamen omnia æqualia, ut senserunt Stoici, & dicitur statuisse Jovinanus. Secunda est, quod cùm istius criminis ea sit indoles ut plerunque alios lateat homines, & ut loquitur Juvenalis *Sat.* 13. *Facile & pronum est superos contemnere testes Si mortalis idem nemo sciat*, plurimum interest Deum ipsum se illius vindicem constituere. Hinc apud Jurisconsultos disputatum num perjuri puniendi sint ab hominibus, juxta id quod extat *l.* 2. *C. de rebus cred. & jurei. Iurisjurandi contemta religio satis Deum ultorem habet.* Et ipsimet Ethnici non solum perjurium Deo exosum statuerunt, ut cùm dixit Phocylides, ψευδόρκον στυγέει θεός, verùm etiam exemplares & singulares vindicias hujus sceleris Deo assignarunt. Nam Hesiodus ἔργων *lib.* 2. dicit quintam diem cujusque mensis esse gravem & periculosam, eò quod credatur quintâ die, ἐριννύας ἀμφιπολεύειν, ὅρκον τιννυμένας, *Furias obambulare, perjurium vindicantes.* Tertia est, quod cum hoc tertium mandatū non ad perjurium modò extendatur, sed etiam ad juramenta temeraria, siquidē ille quoq; nomen Dei sumit לשוא *Leschave, in vanum*, qui licet non falsum dicat, tamen adhibet nomen Dei in re levicula, vana, futili, aut jurat διαπαντὸς ut loquitur Syracides XXIII, 14. voluit Deus eò specialiùs ostendere hoc sibi displicere, quò usitatius aliàs solet esse inter homines, & ab ipsis vel tacito consensu approbari, vel saltem pro re levicula nec eo usque improbanda haberi.

Quibus illud ludibrio] Illis autem etiam est *ludibrio & despectui* sacrosanctum Dei nomen, qui illud usurpant temerè ac promiscuè: Ut enim aurea vasa nonnisi usibus quibusdam extraordinariis adhibentur, ita Dei nomen nonnisi in causis gravioribus, & cum debita veneratione ac religione debet adhiberi.

Quo tamen in loco animadvertendum est, non nisi de illis juramentis sermonem haberi, quæ nihil continent impietatis, quorumque conservatio in ejus, qui jurat, potestate sita est. Aliter enim præstat juramentum malè juratum, quàm justitiam pietatemque violare; nec tunc est, cur comminatio ista, quæ jusjurandum violanti proposita est, metuatur: sed multò magis pœna metuenda est, si non modò ausus fueris rem, quam facere non licebat, juramento adhibito polliceri, sed etiam impiè promissam præstare. Ut enim Deus ju- 248.

stissimus est: ita juramenta iniquitatis vincula esse nequaquam vult. Et hanc ob causam David rectè, sineque pœnæ huic præcepto additæ metu, jusjurandum de interficiendo Nabale reliquit, & intercedente Nabalis uxore Abigail, divinitùs sese, ne tantum facinus committeret, impeditum asseruit; (*1 Sam:25, 22, & d.*) ut facilè appareat, quàm verum sit, quod modò diximus, nempe Deum nolle, ut jusjurandum de re iniqua susceptum conservetur. Quòd si eveniat, ut quispiam, jurejurando alteri id promiserit, quod non penitùs in sua potestate situm erat; & quominus promissa persolvat, ab illis impediatur, à quorum autoritate nutuque pendet; similiter nulla causa est, cur eum ob pœnam falsum jurantibus constitutam, nihilominus omninò velimus id, quod pollicitus fuerat, præstare. In quo numero est uxor v.g. ac filia, cujus si voto juramentoque, ut est apud Mosen, (*Num: 30. 4, & d.*) pater reclamaret, eo nequaquam tenebatur ampliùs. Neque verò convenit: ut qui in aliena sunt potestate, absque ulla conditione quippiam polliceantur, nedum ut ejusmodi promissionem jurejurando confirment.

Sed jam ponderemus, quæ huic præcepto Christus addidit. Ea autem duo potissimùm sunt, quorum alterum expressum est, alterum evidentissimâ ratione adjunctum esse convincitur. De priori sic Christus loquitur: (*Matt: 5. 33. & d.*) *Dictum est antiquis: non pejerabis: sed reddes Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, omninò ne jurate; neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolymam, quia Civitas est magni regis; neque per caput tuum jurabis, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non. quod autem abundantius est, à malo est.* Ex his verbis perspicuum est, ejus rei quam Christus huic mandato adjunxit, summam in eo consistere, ut non solùm, quemadmodum & Moses præceperat, nomen Dei in vanum, sed etiam in id, quod vanum falsumque minimè est, assumere ne audeamus; cùm Dominus Jesus luculentissimè dicat, *Omninò ne jurate*; non quidem ut omnia simpliciter juramenta extermi-net; cum videamus, Paulum Apostolum, qui sese nobis imitandum proposuit, non semel jurasse; (*Rom: 1. 9. cap. 9. 2. 2 Cor: 1. 23. 11. 31. 1 Thess: 2. 5.*) sed ut ab iis juramentis, quæ nulla postulat necessitas, nos penitùs arceat.

‡ *Sed jam ponderemus, quæ*] Falsum est Christum quicquam hac in parte adjecisse Legi Mosaicæ Matt: v, 33. & seq. Sed toto hoc capite præposteras Pharisæorum glossas, quas antiquæ interpretationis prætextu commendabant, studiosè refutat, & verum Legis sensum vindicat atque reponit in arce. Quia legerant Pharisæi Levit: XIX, 12. non esse jurandum per nomen Dei לשקר *Laschaker, ad falla-ciam*, vel *in mendacio*, putabant idem omnino esse, nomẽ Dei sumere לשוא *Lascha-ve, in vanum*, ac pejerare; ut cœtera juramenta per Dei nomen, utut quotidiana ac promiscua, & futilibus de rebus temerè suscepta, perjurium modò abesset, nihil habere culpæ suspicarentur. Præterea, utut scirent non esse jurandum

per

per falsos Deos, tamen solebant jurare per cœlum aliasque creaturas nobiliores, ceu τῆς θείας δυνάμεως ἀπεικονίσματα ut loquitur Philo, apud quem etiam occurrit mentio jurisjurandi per cœlum, astra, terram, mundum universum, *lib. de special. leg.* quod Judæis in more positum fuisse docet Origenes *contra Celsum lib.* 6. Quin ibi Philo carpit eos qui *tam faciles sunt ad jurandum & temerarii, ut præteritis nimiâ festinatione creaturis omnibus, ad ipsum Creatorem patremque universorum audeant illotis pedibus irrumpere.* Imò in eo errore videbantur versari Pharisæi, ut parum vinculi reponerent in juramento præstito per Creaturas plerasque, vixque illud pro juramento haberent; quod non solum liquet ex Matt: XXIII, 16. 17. 18. 19. 20. 21. sed etiam ex eo quod extat apud Martialem, qui obligandum Judæum ad Juramentum sibi inviolabile, sic compellat, *Iura verpe per Anchialum,* quo nomine supremum Numen, quale colebatur apud Judæos, & eorum חי אלה *Chai Eloah, vivit Dominus*, corruptâ tamen & inflexâ voce exprimi, norunt eruditi. Hos autem errores omnes præter & contra mentem Legis introductos Christus rejicit: Nam primò docet Lege vetari non solum perjurium, ut ipsi rebantur, (statuendo totũ Legis præceptum his verbis exprimi, οὐκ ἐπιορκήσεις, *non pejerabis*, prout etiam Syrus interpres istud reddidit, *Non mentieris in juramento tuo*,) sed quodlibet juramentum temerarium, sine gravi & sufficienti causa susceptum, damnari à Domino: Nam illud *in vanum*, amplius esse quam *falsum jurare* (etsi hoc etiam complectatur,) & extendi quoque ad promiscua & temeraria juramenta, sine sufficienti necessitate concepta, præter ipsam significationem vocis לשוא *Leschave*, quæ redditur hîc à Græcis Interpretibus ἐπὶ ματαίῳ, agnoverunt etiam saniores ex Hebræis: nam Syracides XXIII, 8. & seq. ita loquitur: *Iuramento ne assuefacias os tuum, & nominare Sanctum* ἐπὶ ματαίῳ (ut habet Codex Augustanus in Hœschelii editione) ne *assuefias*; *nam quemadmodum servus scrutans assiduè à vibice non minuetur*, οὕτως ὁ ὀμνύων καὶ ὀνομάζων διαπαντὸς, ἀπὸ ἁμαρτίας οὐ καθαρισθῇ. Ἀνὴρ πολύορκος πλησθήσεται ἀνομίας: & εἰ διακενῆς ὤμοσεν οὐ δικαιωθήσεται: & Chaldæus Paraphrastes Exod: XX, 7. prius illud לשוא *Leschave* reddidit למגנא *Lemagana*, quod idẽ est ac *Gratis, immeritò, sine causa.* Et Maimonides *in More Nevoch. p. 3. cap. 36.* dicit hoc tertio præcepto prohiberi nobis, *ne temerè, aut falsò per nomen ejus juremus.* Igitur Christus ostendit non solum τὸ ἐπιορκεῖν sive ψευδορκεῖν Lege prohiberi, sed etiam μὴ ὀμόσαι ὅλως: *non quidem*, quod benè dicit Volkelius, *ut omnia simpliciter juramenta exterminet, cũ videamus Paulum Apostolum, qui sese nobis imitandum proposuit, non semel jurasse; sed ut ab iis juramentis quæ nulla postulat necessitas nos penitùs arceat.* In eo autem certum est nihil novi dici à Christo, & quod ex ipsa Lege Mosis non evidenter colligeretur, imò quod naturalis ratio ipsismet Ethnicis non dictaverit; Philo Judæus *libro de Decal.* ad tertium præceptum ita loquitur: *Utilissimum fuerit & rationali naturæ convenientissimum* τὸ ἀνώμοτον, *omninò abstinere à juramento, & sic veritati assuescere, ut simplex sermo vim juramenti habeat;* δευτέρος δὲ φασὶ πλοῦς τὸ εὐορκεῖν. *Secundaria verò juxta proverbium navigatio, est rectè jurare. Iam enim qui jurat suspectus est de perfidia. Sit igitur cunctator & procrastinator, si forte differendo possit evitare ne juret. Quod si qua incumbat necessitas, dispicienda sunt curiosè singula de quibus fit controversia. Est enim jusjurandum, non exiguum negotium, tametsi contemnitur propter consuetudinem, videlicet testimonium Dei de rebus dubiis.* An hoc non est palam dicere ex Mosis

ſenſu & mente, *ab iis juramentis quæ nulla neceſſitas poſtulat* penitùs abſtinendum? Quod ſi Juſtinus ex hac Chriſti explicatione dixit Chriſtianos μὴ ὀμνύναι ὅλως, etiam *Mæmonides*, referente Grotio *ad Matt:5. ex antiquiſſimis Hebræorum magiſtris hauſit ſententiam, Optimum eſſe homini non jurare* כלל *Kelil, ideſt prorſus.* Multa quoque ex Platone, Chærilo, Menandro, Hierocle, his plane ſimilia *ibidem* corraſit Grotius, ex quibus patet vel ipſosmet Ethnicos ſapientes, cum Chriſto ſenſiſſe, omninò à Juramentis abſtinendum, (quod & tribuitur Eſſenis,) ni gravis & ſontica cauſa id exigeret. Sufficiat illud Epicteti *Enchir. cap.* 44. ὅρκον παραίτησαι εἰ μὲν οἷόν τε εἰς ἅπαν: εἰ δὲ μὴ, ἐκ τῶν ἐνόντων. *Juſjurandum recuſa, ſi fieri poteſt, omninò: Sin minus, quantum potes.* Cui addo illud Quintiliani; *In totum jurare niſi ubi neceſſe eſt, gravi viro parum convenit.* Apud Stobæum *ſerm.*25. Iſocrates nonniſi duabus de cauſis præſtandum juramentum arbitrabatur, *vel ut teipſum turpi ſuſpicione liberes, vel ut amicos ex magnis periculis eripias: pecuniarum verò gratiâ, etſi juſtam cauſam quis haberet,* jurari nolebat: planè congruenter Menandro, ὅρκον δὲ φεῦγε κἂν δικαίως ὀμνύῃς. Sanè concipi non poteſt Deum ſuà Lege minus præcepiſſe, quam quod faciendum homines Ethnici lumine naturali noverunt, aut Chriſtum Legi perficiendæ adjicere debuiſſe id quod ante ipſum mundo manifeſtatum totGentiles ſtatuerant. Igitur cùm omne juramentum prohibet Chriſtus quod *nulla poſtulat neceſſitas,* nihil addit Moſi, ſed genuinum ejus ſenſum explicat, carpens licentiam quotidianam temerariorum juramentorum, quam invexerat præpoſtera reſtrictio tertii præcepti ad perjuria. Secundò alium errorem Phariſæorum per creaturas jurantium, rejicit, dum prohibet jurare per cœlum, per terram, per caput noſtrum. Pertinet enim juramentum ad actus religionis elicitos, adeoque nonniſi per Deum omniſcium, omnipotentem, ſummè veracem & perjurii vindicem, legitimè præſtatur Deut:VI,13.Eſ: LXV,16. Nec deſunt viri docti, qui putent illam particulam ὅλως in textu Matthæi, ſine interpunctione conjungendam eſſe cum ſequentibus μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ &c. ac ſi Chriſtus non tam dicat omninò non jurandum, quã non jurandum omninò per cœlũ, vel per terram. Tertiò deniq; oſtendit Chriſtus etiam errare Phariſæos cenſentes juramenta per cœlum, terram, Hieroſolymas &c. concepta Dei nomine formaliter non expreſſo, citra perjurii crimen poſſe violari, opinione quadam non diſſimili ei quam fovebat qui dixit *Sceptrum non putat eſſe Deos.* Quamvis enim in his formulis peccaretur contra Dei Legem, attamen videbantur continere tacitam Numinis ipſius ceu omnipræſentis invocationem, adeoque æquè in illis præcavenda erat tum perjurii tum temeritatis & levitatis culpa, ac in iis in quibus expreſſa nominis Divini fiebat mentio. Dum autem Chriſtus docet interpretativè per Deum jurare qui jurat per cœlum, per terram, per templum &c. nihil dicit quod Ethnici ipſi lumine naturali non cognoverint: Nam Ulpianus *ff. de jurej. l.*32. monet quod *qui per ſalutem ſuam jurat, Deum jurare videtur; reſpectu enim divini Numinis ita jurat.* Itaque nihil aliud docet Chriſtus his verbis quam quod extat apud Prophetam Jer:IV,2. jurandum *Vivit Dominus in veritate, judicio, & juſtitia;* ubi Hieronymus advertit tres debere eſſe comites juramenti quod præſtatur in nomine Domini; nempe *Veritatem*, ne ſit mendax, dubium, doloſum, amphibologicum; *Judicium*, ne ſit incautum, ſed fiat ex neceſſaria cauſa, diſcretè, præmeditatè, providè, reverenter; & *Juſtitiam*, ne ſit iniquum & alterius noxæ per injuriam deſtinatum.

In

In antecedentibus enim verbis è Mose depromptis, quibus sua Christus ita opposuit, ut, quod in illis conceditur, in his prohibeatur; voluntaria revera juramenta, & quidem de rebus futuris suscepta, permittuntur. Unde facilè 249
apparet, Christum in sequentibus voluntaria juramenta, atque ea inprimis, quæ de futuris rebus suscipiantur, quæque ab aliquo impediri queant, penitùs prohibere. Itaque vocem *omninò* non ideo addidisse censendus est, ut quodvis juramentum, sive sive voluntarium, sive necessitate quadam nobis impositum prohiberet; sed ut omnibus modis, quibus juramentum suscipi potest, in isto rerum genere, de quo loquitur, nobis interdiceret. Satis enim apparet, verba sequentia, *neque per cœlum, neque per terram* &c. vocis *omninò* explicationem quandam continere, voluisseque Christum omnem jurandi rationem excludere, & pro omnibus rei istius modis, pauca hæc exempla supponere. Hinc insuper constat, Christum non solùm iis nos voluntariis juramentis prohibere, quæ vel expressam, vel implicitam Dei continent mentionem; sed etiam omnes religiosas asseverationes, quibus ejus generis res quæpiam commemoretur, quæ ad Deum ejusque honorem ac reverentiam spectet, vel in ipsius tantùm potestate sit posita, quamque, qui jurat, nequaquam flocci pendere, imò supplicium quoddam periculumque, si fallat, metuere videatur: ut quidem in jurandi formulis à Christo hoc loco positis fieri constat. Quibus eam ob causam hanc subjungit admonitionem: *Sit sermo vester, Est, est, Non, non.* quasi dicat, Sermo vester simplex, omnisque jurisjurandi expers sit. Quòd asseverare rem aliquam constantiùs aut vehementiùs vultis, pro juramento repetitâ utimini affirmatione, aut negatione.

‡ *In antecedentibus enim*] Sed nec *verbis è Mose depromptis sua Christus* opponit, uti jam visum, sed verborum Mosis falsæ interpretationi; Nec tam verba Mosis refert Christus, quam eorum detorsionem Pharisaicam, quâ Dei mandatum de suo nomine *in vanum* non sumendo ad perjurium restringebatur; Nec prohibet Christus quod Moses concedit, sed quod revera prohibitum à Mose, sibi concessum perperam Judæorum Magistri statuebant: Moses enim non concesserat ut jurarent per Creaturas; non concesserat, ut per Creaturas jurantes falsum dicerent vel promitterent; non concesserat ut temerè & sine gravi causa & nullâ postulante necessitate jurarent. At hæc sunt quæ Christus damnat & rejicit.

Voluntaria revera juramenta] Si per *voluntaria* juramenta intellexerit Volkelius ea ad quæ homines prorumpunt nullâ necessitate postulante, & quæ *temeraria* dicuntur tam Jurisconsultis quam Theologis, apud Tholosanum *Syntag. Iuris lib.* 50. *cap.*4. dubium non est, quin talia æquè sub V. T. fuerint interdicta ac sub N. F. quemadmodū ex superioribus liquet; Si verò *voluntarium* juramentum sumat, vel juridicè, pro eo judiciali juramento quod à parte litigante defertur adversario ad decisionem Controversiæ, vel politicè, pro eo ad quod quis ultrò se disponit, sive pravam de se suspicionem alteri exempturus, sive pacta conventa cum alio confirmaturus, sive promissioni alicujus momenti sigillum appositurus,

(ne dicam de variis speciebus juramentorum judicialium quæ *necessaria* dici solent, sive in alterius negotio, ubi testimonium est perhibendum, sive in proprio, ubi à Magistratu exigitur suppletorium, purgatorium, decisorium, quæ Christianis interdicta nolint Sociniani, Anabaptistis hac in parte molliores;) absurdissimè dicas Christum *voluntaria* juramenta prohibuisse: Imò hoc ubi asseruit Volkelius mox restringit & tantum non revocat, cùm addit non censendum esse Christum vocem *omninò* ideo addidisse *ut quodvis juramentum sive voluntarium sive necessitate quadam nobis impositum prohiberet.* Quare eò redit omnis subtilitas Sociniana, quod cum per Legem Mosaicam non prohiberentur *juramenta voluntaria de rebus futuris quæque ab aliquo impediri queant, suscepta,* Christus demum illa prohibuerit. Sed primò, illorum vel permissorum in Decalogo, vel prohibitorum in Mattheó, nec volam nec vestigium deprehendet unquam hæreticus. Quàre ad inanes conjecturas hæc ejus doctrina referri debet. Secundò, si hæc prohibeantur à Christo, ideo prohibentur, vel quia sunt *voluntaria,* vel quia sunt *de rebus futuris, quæque ab aliquo impediri queant.* Sed neutrum dici potest; Non prius; cùm ipse Volkelius neget per vocem *omninò* quodvis juramentum, *sive voluntarium, sive necessitate quadam nobis impositum,* à Christo prohiberi: Non posterius; quia pacta & conventa hominum, si cœterà legitima fuerint, quamvis fiant in futurum, juramento possunt utrinque confirmari; prout juramento fœdera in futurum sanciri, suo ipsius exemplo Deus satis comprobat; ut nihil dicam de omnibus juramentis promissoriis quorum exempla prostant in Scriptura, quæ non quadrare ad amussim à Christo positam, facilius foret dicere quam demonstrare. Cùm aliquid de futuris rebus possim stipulari, spondere, promittere, & recipere me hoc illud-ve facturum, non video qui non possim, necessitate ita exigente, id ipsum juramento promissorio confirmare, ad lites omnes præveniendas vel sopiendas; prout etiam adhuc sub N.T. *omnis controversiæ terminus est jurejurandum ad confirmationem adhibitum,* inquit Apostolus Heb: VI, 16. Vota similiter quæ habent aliquam juramentorum indolem, *de rebus futuris* ut plurimum nuncupantur; Ea tamen nemo sanæ mentis faciet illicita inter Christianos. Nec est quod dicas futurum non esse in nostra potestate, adeoque non posse sub juramento id promitti quod *ab aliquo impediri* queat. Nam 1. inde sequeretur juramentum promissorium, iis annumerandum quæ fiunt temerè nec cum judicio: Hæc autem non demum à Christo, sed ipsis Decalogi conceptis verbis esse prohibita, adeoque non magis olim quam nunc licita fuisse, suprà evicimus. 2. In juramentis quæ futurum spectant, non solum subintelligitur generalis illa conditio, quæ omnibus humanis consiliis est apponenda, ex Jac: IV, 15. *Si Dominus voluerit & vivamus, faciemus hoc aut illud;* sed etiam ex Jurisconsultorum sententia apud Tholosanum *Synt. Juris, lib. 50. cap. 4. §. 8.* censetur excepta auctoritas superioris: prout sub V. T. quod jam supra docuit ipse Volkelius, uxor vel filia vovens, si maritus pater-ve reclamaret, non amplius tenebatur Num: XXX, 4. & seq. nec rea erat ideo perjurii, quia in illo voto sive juramento promissorio, hæc conditio subintelligebatur, Voveo me facturã, si pater aut maritus non dissenserit. 3. Si quod futurum est, quia *ab aliquo impediri* potest non potest jurari, non poterit etiam promitti; quia *noster sermo debet esse Est, Est; Non, Non.* Et sic omnes pactiones & contractus de rebus futuris cessare debebunt inter homines, quia eorum executio potest impediri per vim majorem, aut authoritatem superiorum, quâ fiet quo minus contrahentium *Est* sit *Est,* vel *Non, Non.* Hoc verò quis admittet? 4. Ipsimet Ethnici viderunt difficultatem

tatem quam hic nectit Volkelius & sustulerunt. Nam Chrysippus, cujus verba laudantur à Grotio *ad 5. Matth.* censuit verba juramenti promittentis in futurum concepta, veritatem suam aut falsitatem habere, non ex eventu, qui sit incertus, sed ex animo jurantis: Nam falsò jurasse non est censendus, qui voluntatem habet præstandi id quod jurat & in ea perseverat constanter; etsi quo minus promissa executioni mandet, aliunde impediatur.

Satis enim apparet, verba] Si vocis *omninò*, verba sequentia *neque per cœlum, neque per terram*, &c. explicationem quandam continent, hinc potiùs sequetur prohibitionem Christi, non tam pertinere ad juramentorum materiam & res de quibus fas vel nefas est jurare, quam ad eorundem formam, eamque authoritatem quam in juramentis debemus adhibere. Nam *pauca hæc exempla* non spectant res de quibus juratur, sed eum cujus nomen & authoritas in juramento interponitur.

Hinc insuper constat] Hæc oratio est ita perplexa, ut vix lector illius sensum assequi queat: Nam distingui nequit inter juramentum & religiosam asseverationem; & falsum est, ut suprà visum, Christum voluntaria juramenta omnia prohibere; sed ea demum vetat quę temeraria, promiscua, nec satis gravi de causa forent, aut per Creaturas fierent. Licet enim *in jurandi formulis à Christo hoc loco positis*, eousque *implicita* Dei mentio contineatur, ut qui illas adhibuerit, non minùs sit perjurus si fallat, quam si expressam Dei ipsius mentionem fecisset, eas tamen vel hinc liquet improbari à Christo, in iis etiam juramentis quæ cæteroquin non improbat, quod juxta Scripturam in legitimo juramento, Dei solius nomen nec ullius Creaturæ debeat invocari. Ideo non dixit Christus, *Ne omninò jurate, neque per Deum, neque per cælum*, &c. sed Creaturarum duntaxat fecit mentionem, quod per eas vitiosè jurarent Judæi, ut ante dictum.

Sermo vester simplex] Igitur Christus hîc non spectat juramenta judiciaria, aut quæ iis forent analoga, sed ea quæ promiscuè & temerè quotidiano & familiari sermoni à Judæis inserebantur. Ita enim veracitati studendũ in omni colloquio, ut absq; ulteriori juramento assertorio, verba nostra rebus ipsis accuratè concordent.

Quod si asseverare] Non hîc formulam assertoriam præscribit Christus, cujusmodi illa est *Amen, Amen*, quâ sæpissimè utitur ipse in Euangelio; Sed vult primò, ut si quid vel affirmandum, vel stipulandum veniat per ναὶ, fiat quantum potest per solũ ναὶ; si quid negativè enunciandũ aut promittendum per οὒ, fiat per solum οὒ, citra ullius juramenti, vel formulę juratorię additionem: Nam inquit Dominus, τὸ περισσότερον τούτων, quod est ultra ναὶ καὶ οὒ, ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστι. Secundò, ut dicta rebus & fafaciamus ναὶ quod est οὒ, aut viceversa; factis conveniant; idest non dicamus aut sed pactis promissisque nostris idem sit robur, ac si firmata juramentis essent: Coram Deo enim (qui mentem non verborũ formulas respicit) negatio vel affirmatio simplex loco juramenti habetur; nec qui irritam illarum alterutram reddiderit, multo minore apud illum crimine obligatur, quam si adjurationibus omnique imprecationum genere se obstrinxisset. Vide 2 Cor: 1, 18. 19. In eo autem Christus & post eum Jacobus v, 12. nihil proposuerunt quod vel ipsum lumen naturale non dictaverit Ethnicis, aut jam ante tempora Christi incarnati, inter Judæos receptum non fuerit; ne quis hic somniet ullum ad Legem Moralem auctarium; Philo Judæus *de Decalogo*, optimum esse censet *sic veritati assuescere* ὡς τοὺς λόγους ὅρκους εἶναι νομίζεσθαι. Quamvis enim Philo coævus fuerit Christo, non ab ipso hoc didicit, sed ex suæ Gentis sapientibus hausit: Nam hoc erat Essenorum institutum, referente

ferente Josepho *lib. 2. de bello Iud. cap. 7. Lat. 12. Græc.* ut foret πᾶν τὸ ῥηθὲν αὐτῶν ἰσχυρότερον ὅρκου; unde aversabantur omnia juramenta in quotidiano conventu, (nam aliàs eos neminem adscivisse in suam societatem, quin priùs jurasset ὅρκους φρικώδεις se Deo serviturum &c. *ibid.* refertur) quod *jam mendacii eum condemnatum arbitrarentur, cui sine Deo non creditur.* Inter Ethnicos non solum Plauto notantur illi qui solent *perplexarier, Pactum non pactum est, non pactum pactum est, quod* ipsis *lubet*; sed Festus ad vocem *naucum* notat juxta quosdam *ex Græco* ναὶ καὶ οὐχὶ *levem hominem significari*: Fuitque Græcis hæc γνώμη tritissima, τῶν δικαίων ναὶ ἐστὶ ναὶ, καὶ οὒ ἐστὶν οὔ.

Causæ porrò, cur Christus tanta cum sollicitudine à juramentis voluntariis nos dehortetur, duæ potissimùm sunt. Prima est, ne summi illius omnium rerum Domini sanctissimum nomen profanum apud nos habeatur, nevé nimiâ rei istius familiaritate decepti putemus, nos per lusum & jocum cum Deo tanquam socio nostro agere posse, utpote quem, cùm libeat, queamus tanquam dictorum nostrorum testem advocare. Altera causa est, ne sæpè temereque jurando, in perjurium aliquando maximo nostro malo incidamus. Ex his omnibus apertissimè constat, ea juramenta, quibus non voluntate nostra simpliciter, sed vel à certis personis, vel quacunque necessitate impulsi, ad rem verissimam, & nobis probè cognitam atque exploratam, confirmandam utimur, nequaquam in eorum juramentorum numero esse, quibus nos Christus hoc loco prohibet. Ac personarum quidem nomine, vel magistratum, vel eos intelligimus, quorum in potestate vita fortunæque nostræ positæ sunt. Necessitates verò eas dicimus, quæ vel divinâ gloriâ, vel salute proximi, vel
250. re quapiam maximè urgente continentur. Ex quo fit, ut Apostolus minimè culpandus sit quem gloriæ divinæ amplificandæ, hominumque salutis constituendæ studio impulsum jurasse, ex locis suprà à nobis adductis perspici potest.

‡ *Causæ porrò, cur*] Atqui utraque hæc causa potest reddi cur in Decalogo interdictum sit sumere Dei nomen *in vanum*: Nec minus sub V.T. quam sub N.F. abstineri oportuit à Dei nomine profanando, & vitari debuit omne perjurii periculum. Et quis putet voluisse Deum majorem januam pandere perjurio, aut minus præcavere Sacro sancti Nominis sui profanationẽ sub V.T. quam quam sub Novo? Ut vel hinc *apertissimè* constet Christum & Mosem optimè in eo convenire, sed illum rejicere Scribarum & Pharisæorum glossemata, quibus verbis istius laxiorem justo sensum affingebant.

Ex his omnibus apertissimè] Ut in his assentior Volkelio, sic nego circa illa ullum discrimen inter Christum & Mosem posse observari. Nam in illis juramentis quæ *voluntate nostra simpliciter*, nec *vel à certis personis, vel quacunque necessitate impulsi* funderemus, nomen Domini in vanum sumeretur, quod in Decalogo prohibetur.

Vel eos intelligimus] Adde, vel eos apud quos nos turpi & iniquâ suspicione non gravari, quæ aliter eximi nequeat, vel ipsorum, vel nostrâ maximè interest.

Vel re quapiam maximè] Sic tamen ut non improbemus quod factum à Clinia

Pytha-

Pythagorico refert Basilius *de leg: Gentil. libris*, qui maluit trium talentorum mulctam incurrere, quam jurare, quamvis quod verum erat potuisset jurare citra ullum vel damnum vel periculum. Nam vir prudens omnia tentabit priusquam eò deveniat non compulsus à Magistratu, cujus est potissimum judicare de necessitate juramenti præstandi, vel exigendi.

Jam ut alterum, quod huic Dei præcepto additum dici potest, videamus; intelligendum est, nos hoc tempore etiam per nomen Christi jurare posse. Quæ quidem res quamvis expressa non sit, adjunctam tamen revera esse, manifesta ratio convincit, quæ hoc subnixa est fundamento: ideò nempe per Dei nomen jurare nos posse, quia is non solùm intimos animi nostri sensus introspiciat, sed etiam in perjurii flagitium gravissimè vindicare queat. Utriusque autem rei facultatem Christo concessam esse constat; cum & cordium scrutator in divinis literis appelletur, (*Apoc: 2. 23.*) & judex viuorum ac mortuorum constitutus sit. (*Act:10.42.*) Quo fit, ut qui per illum legitimè jurat, is nihil faciat divinæ voluntati contrarium, vel potiùs cum ea non conjunctissimum.

Iam ut alterum quod] Cùm Christus sit Deus naturâ, nec minus Jehova quam Pater, quoniam merus homo nequit statui *cordium scrutator* Apoc: 11,23. & *judex vivorum ac mortuorum* Act: x,42. eo ipso per ipsius nomen jurare, non tantum possumus, sed etiam debemus, prout ad illius invocationem religiosam eodem respectu nos teneri, suo loco est demonstratum: Non dixerit Volkelius juramentum per Christum nonnisi *implicitam Dei continere mentionem*; ut idem ipsi sit jurare per Christum, ac *per cœlum* aut *per terram*, aliasque creaturas sensu aut ratione carentes, & quarum nulli καρδιογνωσία & vivorum ac mortuorum judicium tribui potest: Igitur necesse est jurantem per Christum *expressam* Dei mentionem facere; adeoque ipsum pro vero Deo Patri coessentiali & coæterno habere.

CAP. XIV.

De quarto Decalogi præcepto.

QUartum Decalogi præceptum de Sabbatho olim Israëlitis traditum erat; estque ceremoniale reuera, non morale, ut suprà suo loco ostendimus; (*Lib: 2. cap. 15. & lib. 3. c. 29.*) & porrò ad Christi disciplinam nihil quicquam pertinet.

‡ *Quartum Decalogi præceptum*] Non nescio quidem esse nonnullos qui hodie disputent contra moralitatem Sabbathi, sed eam iisdem locis quo suum Lectorem remittit Volkelius, nempe *ad lib. 2. cap. 15. & lib. 3. cap. 29.* sufficienter adstruxi. Colendum esse Deum non solum privatim, sed etiam publicis conventibus, ipsum lumen rationis dictat evidenter. Publicis verò conventibus debet assignari tempus certum, quo cæteris occupationibus relictis ei uni rei vacetur: Tempus autem illius quietis, sive cessationis, homines non possunt certius sibi præfigere, quam illud ipsum, in quo Deus ipsis præluxit à suis operibus quiescendo septimo die, ut intra

ut intra septimanæ circulum illi sacræ quieti unus dies assignetur ad meditanda opera primæ & secundæ creationis. Et certum est septimæ diei observationem, (cujus plurima vestigia eruditi nonnulli apud ipsosmet Ethnicos annotarunt) & Mosaicâ Legislatione esse priorem ex Exod:xvi,5.22.23.26. & ab initio mundi apud ipsos Patriarchas viguisse ex Gen:ii,3. ut ipse *Catechismus Romanus* observat *p.3.cap.4 §.4.* *Cæremoniale* reverà fuit quod tam operosa & scrupulosa quies, idque præcisè ultimo potiùs quam secundo aut primo septimanæ, mandaretur à Deo; quo sensu à Lege Sabbathismi liberamur sub N. F. Gal:iv,10. Col:ii,16. Sed *morale* fuit quod una dies assignaretur cultui Dei publico, eaque, ad quandam imitationem ipsius Dei, (quam in talibus sectari optimum esse natura docet,) inter circulum hebdomadæ.

Quod tamen ea de causa in moralium præceptorum numerum asscriptum esse videtur, quòd Sabbathi observatio symbolum erat ac tessera quædam fœderis inter Deum & Israelitas; quos à labore atque ergastulo servitutis Ægyptiacæ ad quietem terrenam perduxerat, ut ex sac: literis constat. *(vid: Exod:31.13.& d. Ezech:20.20.*

‡ *Quod tamen ea de causa*] At verò in hac Symbolica significatione, Sabbathum *cæremoniale* fuit, adeoque sub hoc respectu nequivit *in moralium præceptorum numerum* adscribi. Nam hæc liberatio ex Ægypto ejusque commemoratio festiva, specialis fuit Israelitis: Quod vero morale est quà tale ad omnes pertinet.

Quanquam & ea potest subesse ratio, quòd Deus pro summa sua sapientia, etiam decalogum omni imperfectione nequaquam carere, subindicare voluerit; futurumque tempus illud, cum illi multa adderentur: ut quidem à Christo factum esse, partim jam vidimus, partim pleniùs adhuc intelligemus.

‡ *Quanquam & ea potest*] Id verò longè absurdissimum. Nam præterea quod Legem Dei imperfectionis arguere sit ipsimet Scripturæ contradicere Psal:xix,8. tantum abest ut inde suppetat argumentum ad Legem imperfectionis convincendam, ut potius schemate inverso, vel hoc ipsum adstrueret Decalogi perfectionem in moralibus, quod non tantum moralia contineret, sed etiam aliquod cæremoniale quod ad illorum observationem magis urgendam faceret. Non statim id in suo genere deficit cui aliquid heterogeneum admiscetur; quo sensu vulgò dici solet, *Superflua non nocent.* Neque id poterat portendere *futurum tempus illud cum* Decalogo *multa adderentur*, cum potius si cæremoniale fuerit, portenderit aliquid de Decalogo tollendum & auferendum, eo quod omnes cæremoniæ fuerint abolendæ. Sed & gratis supponitur additum aliquid à Christo ad Decalogum fuisse, *ut partim jam vidimus, partim pleniùs adhuc intelligemus.*

Sunt qui Dominicum diem, Deo sic ordinante, in Sabbathi locum successisse asserant. Verùm eos falli, ex eo intelligitur, quòd nullum hac de re Dei mandatum extet. Interim tamen ejus celebrationem, in antiquissimo more

positam

positam esse minimè diffitemur. Nam etiam Apostolorum ætate eum agitatum in Christi Ecclesia fuisse, certis quibusdam conjecturis assequimur: cùm non solùm primo post Sabbathum die, (*Act: 20. 7. conf. 1 Cor: 16. 2.*) qui à Johanne dies Dominicus dici videtur, (*Apoc: 1. 10.*) fideles convenisse scriptum legamus; sed etiam nullum post Apostolos tempus nominari possit, quo idem dies agi cœperit. Is igitur mos, quippe, ut diximus, antiquissimus, nequaquam contemnendus videtur; non quòd per se religione nos obstringat: sed quia in rebus ejusmodi, offensio proximi vitanda, & aliquid consuetudini, per se non malæ, sed aliqua etiam ex parte utili, dandum est.

‡ *Sunt qui Dominicum diem*] Nec malè id statuitur. Licet enim *nullum hac de re Dei mandatum* expressum *extet*, videlicet septimæ diei cultum in primæ observationem debere transferri, tamen cùm ab una parte præcisa septimæ diei cessatio, eaque tam operosa, fuerit cæremonialis, adeoque eo respectu, etiam ex Dei jussu abroganda; & ex parte altera unus, uti dixi, è septem diebus debeat necessariò cultui publico assignari; non potest non esse mandati vice ad translationem Sabbathi in diem Dominicum, ipsa praxis Apostolica, quam agnoscit Volkelius ex Act: xx, 7. 1 Cor: xvi, 2. Apoc: 1, 10. His enim locis agi de primo die Septimanæ, quo fideles conveniebant ad pietatis exercitia, & ab aliis probatum fuit, & ultrò fatetur is quo cum mihi nunc res est adversarius, nemoque potest ire inficias solemnitatem illam ab Apostolorum tempore inter Christianos viguisse. Illa autem praxis eò magis habet rationem mandati, quod & necessario, uti dixi, nititur fundamento generico de Sabbatho Judaico illinc abrogando, hinc uno è septem diebus retinendo pro Dei cultu; & quoad hunc diem speciatim fundetur in ipsiusmet Christi exemplo & praxi, adeoque reali si non verbali determinatione. Nam ut in sepulchro transegit totum Sabbathum, quasi illud quoad Cæremoniale cum universa Synagoga sepulturus, ita die Solis sive primo septimanæ resurrexit Joh: xx, 1. & eodem iterum iterumque apparuit suis discipulis Joh: xx, 19. 26. quasi eum sibi speciatim loco Sabbathi consecraturus. Nec potest commodior reddi ratio cur Apoc: 1, 10. *Dominicus* dicatur, quam quod in Dominicæ resurrectionis memoriã ex illius præscripto, Dominique honorem & cultum, Sabbatho veteri, quod etiam dies Jehovæ dicebatur, successerit. Quin si propiùs attendamus ad verba Pauli 1 Cor: xvi, 2. illa præceptiva esse deprehendentur. Vult enim ut *primo quoque die hebdomadis* collectæ fiant in usum pauperum, adeoque unà conveniant fideles ad cultum publicum. Itaque ad hujus diei, ceu Sabbathi Christiani, observationem omninò tenemur, non tantum quia *aliquid consuetudini per se non malæ, sed aliqua etiam ex parte utili dandum est*, ut nimis frigidè loquitur hæreticus, sed maximè *quod per se religione nos obstringat*, genericè ex quarto Decalogi præcepto, specificè verò ex Apostolorum praxi & instituto.

CAP. XV.

De quinto Decalogi præcepto.

‡ *Respondente ad hoc & duo sequentia capita* PAULO RAPPARDO, Clivo-Vesaliensi.

Quintum præceptum Decalogi hoc est:
Honora Patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

ADhuc prima Legis tabula fuit, in qua, quid Deo debeamus, docemur: sequitur, ut secundam tabulam suis ponderibus examinemus. Hæc igitur ea continet præcepta, quibus officia charitatis, quæ hominibus præstanda sunt, nobis præscribuntur. Ac primum quidem locum parentes sibi vendicant, quorum operâ in vitam ingressi sumus. In hos igitur ut quales nos esse oporteat intelligamus, ista, quæ de illis in decalogo habentur, verba in duas partes distribuemus. Primò enim videndum est, quantam pietatem illis præstare debeamus. Deinde præmium illis, qui officium faciunt, constitutum ponderabimus. Pietas igitur parentibus debita in duabus potissimùm rebus est constituta, quarum altera mens animusque est optimè erga illos affectus: altera verò in ipso amoris effectu consistit. Ut igitur de mente animoque priùs loquamur, eam liberi cogitationem suscipere debent, ut parentes suos singulari honore dignos existiment, certoque sibi persuadeant, honorem, quem illis habent, ipsi Deo haberi, utpote cum hic illorum operâ eos procreaverit, enutriveritque; ut facilè appareat, Deum in honore primum, parentes proximum quodammodo locum obtinere, eosque præcipuo quodam studio minimè colere, non minùs, imò aliqua ratione magis contra officium esse, quàm reges, quàm principes, aliosque his similes debitâ reverentiâ fraudare.

Effectus porrò ex tali mente existentes, vel in verbis consistunt, vel in factis. In verbis quidem ita, ut parentibus non responsemus, non maledicamus, non illudamus, cum illis non rixemur, aut in disceptationis arenam descendamus: sed ut summa in oratione modestia, ingenuus pudor in vultu, reverentia debita in gestu eluceat. Jam quod ad facta attinet, ea vel obedientiâ, vel auxilio parentibus debito continentur. Obedientia autem in omnibus rebus cerni debet, quæ à parentibus nostris, sed non contra officium, nobis præscribuntur. Aliter Deo obedientem esse præstat, quàm injustis parentum
252. mandatis parere. Auxilio quoque illis esse, honor est omnium maximus, & sine quo nihil valet is, qui verbis vultuque exprimitur; adeò ut qui parentes paupertate pressos deserit, cum illis præsidio esse possit, is si vel maximum pietatis studium præ se ferat, divinum hac de re mandatum per summam impietatem violare dicendus sit. Hanc enim ob causã Christus (*Matt: 15.3. & seqq.*)

Phari-

Pharisæos hoc præceptum Dei irritum fecisse asserit, docentes nimirum, filios parentibus neglectis ac destitutis, donaria ad templa conferre posse. Honoris autem nomine cultum victumque interdum significari, ex illis Pauli verbis colligitur, (*1 Tim: 5. 17, 18.*) quibus Presbyteros duplici honore dignos esse asserit; ut nimirum abundè vitæ ipsorum necessitatibus prospiciendum esse ostendat, ut ratio subjecta docet.

Veniendum nunc est ad præmium, quod iis, qui parentes debita pietate prosequuntur, propositum est; quod quidem in his verbis comprehenditur: *Vt sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Quæ quidem promissio, si Hebraica verba inspicias, duplici modo, ex hominum doctissimorum sententia, legi potest: nempè vel sic: *ut prolongentur dies tui in terra, quam Deus tuus dat tibi*: (jam enim tunc quasi dabat, postquam eos ex Ægyptiacis vinculis emisisset:) vel hunc in modum rectè legi putatur: *ut prolongent*, parentes nimirum, *dies tuos.* Vtraque autem lectio eandem sententiam continet; nisi quòd hæc posterior insignem habet emphasin. Indicat enim, penes parentes quodammodo esse vitæ nostræ productionem, ut nimirum ad illos etiam atque etiam amandos, omnique honoris cultu studiosissimè venerandos incendamur. Similis loquendi forma & apud Lucam reperitur, (*Luc:16.9.*) ubi, *Facite*, inquit Christus, *vobis amicos de mammona injusto; ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ubi animadvertendum, nequaquam esse verborum istorum sensum, ut pauperes propria quadam vi, in æterna tabernacula nos recepturos intelligamus: sed ideo ad istum modum Dominum Jesum loqui, quòd illi quodammodo causa existunt, ut in sempiterna tabernacula recipiamur. Eodem igitur pacto & parentes, tunc vitam nostram prolongare meritò dici possunt, cùm ejusdem rei causam nobis afferunt: idque vel ob eam rem, quòd Deus honori illis à nobis habito hoc præmium constituit; vel etiam, quia, cùm nobis benè precantur, fit, ut vitâ diuturnâ fruamur. Multum enim virium habet piorum parentum benedictio. Cujus rei exemplum inter alia in Noacho cernimus, (*Gen:9.25. & d.*) qui, quia Semo & Japhero filiis suis benè precatus erat, ideò sine dubio divinis opibus cumulati fuerunt, hocque præmium pietatis suæ, quam parenti præstiterunt, reportârunt; contrà verò in Chamum ejusque posteros, quia patrem despi- 253.
catui duxerat, maledictum contulit; ideoque is divino illo favore exclusus fuit. *Benedictio enim patris*, inquit Ecclesiasticus, (*cap 3.11.*) *firmat domos: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Huc & illud Salomonis spectat: (*Prov:30. 17.*) *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Ubi sanè nihil aliud Salomo illis, qui in auctores vitæ suæ ingrati sunt, denunciat, quàm fore, ut miserrimè vitam finiant. Quid, quòd & Deus in lege Mosaicâ publica talibus gravissima-

que constituit supplicia, ut cuilibet in prisci illius fœderis lectione vel mediocriter versato apertissimum est. (*Exod:21.17. Levit:20.9. Deut:21.18. & d. & cap.27.16.*)

Dicendum nunc de iis esset, quæ Christus huic præcepto addiderit. Verùm diligenter licèt inquirentibus, nihil tale occurrit. Nisi fortè ea, quæ de parentum, magistratuum, dominorum, maritorum; & contrà subditorum, servorum, uxorumque officiis, sacris literis prodita sunt, huc referri posse videantur: quæ tamen magna ex parte, vel in ipsa Lege fuerunt tradita, vel ipso rationis lumine cognoscuntur. Ac parentum quidem has esse partes docemur, ut liberos suos ne irritent, sed in disciplina & correptione Domini educent. (*Ephes:6.4.*) Tunc autem maximè liberi à parentibus irritari videntur, cùm aut immerentes ab illis puniuntur; aut pœna, quàm culpa, major est; aut nihil planè impunitum dimittitur; aut denique illis denegantur ea, quæ æquitas ac charitas naturalis tribuere illis suadet ac postulat. Ex quo, ut Apostolus innuit, (*Col:3.11.*) animi debilitas abjectioque existit. In disciplina porrò corruptioneque Domini, parentes ita liberos suos educare debent, ut eos ad Christianam pietatem instituant, id est, tum cohortationibus colloquiisque assiduis Christi legem illorum animis inculcent, tum Christianarum virtutum exemplis illis præluceant. Similia in Lege habes, quæ ita inter alia præcipit: (*Deut:11.19.*) *Ponite hæc verba in corde & animis vestris, suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros, ut ea meditentur, quando sederis in domo tua, ambulaveris in via, & accubueris, atque resurrexeris.*

Jam ut de reliquis ordinibus paulò antè memoratis agamus, primò inferiorum, id est, eorum officia considerabimus, qui superioribus subjecti sunt: veluti sunt subditi, servi, atque uxores. Ac subditorum quidem hæ sunt partes, ut magistratui obtemperent, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam; tributa vectigaliaque pendant; timorem honoremque superioribus tribuant. (*Rom:13. Tit:3.1. 1 Pet:2.13,14 17.*)

254. Servorum officium ab Apostolo his verbis (*Ephes: 6.5. & d.*) describitur: *Servi obedite Dominis secundùm carnem cum timore ac tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate: scientes, quòd unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.*

Uxorum denique partes his præceptionibus continentur: (*Ephe: 5.22. & d. 33. Col:3.8.*) *Uxores, propriis maritis subjectæ estote, sicut Domino: quia maritus caput est uxoris, sicut & Christus caput est Ecclesiæ; & ipse est servator corporis: sed quemadmodum Ecclesia subjecta est Christo: ita etiam uxores propriis maritis in omnibus.* & infrà: *Uxor metuat maritum.*

Sequitur, ut altera ex parte superiorum etiam officia explicemus: veluti sunt magistratus, domini, ac mariti. Ac magistratûs quidem officium in hoc potissi-

potissimùm consistit, ut autoritatem imperiumque, quod in subditos habet, non à seipso sese habere, sed divinitùs sibi datum esse cogitet, ad bonos fovendos, tuendos atque defendendos, malos verò ulciscendos. (*Rom: 13. 1 Pet: 2. 14.*)

Dominorum hoc officium est, ut quod æquum justumque est, servis præstent, minasque remittant; scientes, & ipsos Dominum in cœlo habere. (*Ephes: 6. 9. Col: 4. 1.*)

Maritorum denique munus est, ut uxores suas haud aliter diligant, ac corpora sua, quo pacto & Christus Ecclesiam, quæ corpus illius est, dilexit; (*Ephes: 5. 25. & d.*) easque ut infirmiora vasa honore afficiant, (*1 Pet: 3. 7.*) & nullam in eas acerbitatem exerceant. (*Col: 3. 19.*) Quo in loco animadvertendum est, de rigore juris, quod tum parentes in liberos, tum domini in servos, tum mariti in uxores olim habebant, sub novo fœdere multum detractum esse. Simili modo & de magistratus Christiani severitate judicandum videtur: quandoquidem tempora Novi Fœderis, tempora gratiæ sunt: cum ipse quoque Deus multum de vindicandi jure, deque severitate remiserit; quippe qui non tam rigidè, ut Legis tempore, cum hominibus agat, ut alibi à nobis demonstratum est. (*lib: 3. c. 10. & 12.*)

‡ *Adhuc prima Legis*] De hoc mandato non est quod cum hoc homine disputemus, siquidem ipse nihil reperiit quod *Christus ei addiderit*; prout nihil potuit invenire additum, vel quarto, vel secundo præcepto: Auctaria vero primi & tertii refutavimus. Tantum monemus hîc sub Parentum nomine intelligi omnes Superiores, in omni statu Oeconomico, Politico, Ecclesiastico: Ut non debuerit Volkelius hoc mandatum ad solos Progenitores coarctare: notum enim ex Scriptura, etiam Pastores, Heros, Principes, *Patres* appellari. Quod autem hîc sub finem monet, sub N F. *multum detractum esse de Magistratus Christiani severitate*, cum non aliò spectet quam extorquendo Magistratui suo gladio, quem tamen eum frustrà non gestare docet Apostolus Rom: XIII, 4. ex seipso concidit. Et quam falsò supponit adversarius *de rigore juris quod tum parentes in liberos, tum domini in servos, tum mariti in uxores olim habebant, sub novo fœdere multum detractum esse*, cùm religio Christiana nihil delibet de istorum jure quod vigebat per Dei Legem inter Israelitas, utpote naturali & immutabili, (nam quod in eo genere exercebatur sub juris titulo, contra jus & æquitatem naturalem, apud Romanos & alios Ethnicos, non moramur;) tam absurdè pertendit, parentum, dominorum, maritorum, magistratuum potestatem ideo sub religione Christiana esse imminutam, ex eo quod *tempora novi fœderis tempora gratiæ sunt*: Nam Gratia Dei salutaris in Christo, non pugnat cum natura, nec evertit ordinem lege naturali constitutum inter homines, ad eorum societatem tum Oeconomicam tum Civilem conservandam: *Non eripit terrestria qui regna dat cœlestia*; multo minùs aufert Magistratui suum gladium, ut per criminum impunitatem, Societas humana in latrocinium degeneret. Et præterea quod Magistratus Christianus tenetur justam severitatem contemperare aliquâ mansuetudine, prout tempus postulat aut res, falsum est quod nunc *ipse quoque Deus multum de vindicandi jure, deque severi-*

severitate remiserit. Nam manet semper sibi simillimus: & maluit iræ suæ calicem dilectissimò suo Filio propinare, nostraq; peccata severissimè in ipso vindicare, quam pati ut inulta remanerent; Quin *judicium sine misericordia* in impios & immisericordes Deum exerciturum testatur Jacobus II, 13. Ac quemadmodum austeritas quâ Deus agebat sub veteri Lege cum Israëlitis, prout infantes austeriùs & sub rigidiori disciplina solent haberi, quam adulti, nihil delibabat de ipsius misericordia erga suos, quam multis celebrat David Psal:CIII,9,10. & seq. sic etiam benignitas quam erga suos exercet in Christo, nihil imminuit de justa illius severitate in improbos, nedum de ea quam ex officio sibi demandato omnis Magistratus exercere tenetur Psal:CI, 8. Rom:XIII,4.

CAP. XVI.

De sexto Decalogi præcepto.

Quod sic sonat: *Non occides.*

HOc Dei præceptum duplicem habet considerationem: nimirum quatenus jam ad prisci illius fœderis, jam ad novæ pactionis tempora refertur, latiusque sub Christo, quàm sub Mose, patere intelligitur. Moses enim, cùm
255. populo Israëlitico illud traderet, non modò ei severitati, quâ in capitalibus suppliciis infligendis magistratus uti deberet, nihil derogavit; sed etiam cædem earum gentium, quarum regiones occupare populum Dei jusserat, (*Deut:7.1,2,24.*) uti & Amalecitarum, omninò excipi voluit; cùm eam alibi expressis verbis præceperit. (*Exod:17.14.16. Deut:25.17,18,19.*) Adde, quod nec injuriarum atrociorum, ab externo hoste illatarum ultionem, quæ sanguine illius constaret, hac lege prohibuisse censendus est. Quare nil aliud hac lege cavit Moses, quàm ne privato quisquam ausu proximum suum, ad cujus dilectionem secunda Decalogi tabula propriè spectat, vel etiam advenam quempiam, ullumvé earum gentium, cum quibus pacem colere liceret, hominem, ab atrociori injuria abstinentem, vitâ privaret, ejusque sanguinem funderet. Nam ad alios quoque præter Israëlitas, hæc lex extendenda est. Vigebat enim, & semper vigebit ratio illa, quam Deus legi huic tunc apposuerat, cùm eam Noacho omnique ipsius posteritati ferret; (*Gen:9.5,6.*) nimirum quia homo ad Dei imaginem conditus sit. Quæ quidem tanti apud Deum fuit, ut etiam casu quodam commissum homicidium impunitum discedere noluit, ut ex illis verbis (*Exod:21,22.*) perspicuum est: *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortum quidem fecerit, ipsa verò vixerit; subjacebit damno, quantum maritus mulieris & Arbitri judicaverint: sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima.*

‡ *Hoc Dei præceptum duplicem*] Hanc *duplicem considerationem* illi solum possunt admittere qui duos Soles vident in meridie. Nam hoc præceptum *latiùs sub Christo* quam

quam sub Mose patere, gratis & falsò assumitur.

Non modo ei severitati] Sed nec capitalia supplicia lex Christi abrogavit, cùm Magistratui gladium suum ejusque usum relinquat; Nec in cæde Amorrhæorum & aliorum hîc commemoratorum, populus Israeliticus se aliter habuit quam per modum executoris justitiæ divinæ, ex speciali Dei sententia & decreto. Hinc quod Deus dicit se facturum de Amalechitis Exod: XVII, 14. idipsum per Mosem demandat populo, ut faciat tempore opportuno Deut: XXV, 17. 18. 19.

Adde quod nec injuriarum] Falsum est. Mosem non prohibuisse sui privatam *ultionem*, quæ non minus olim quam nunc illicita fuit: *Ne ulciscitor, neque iram asservato in populares tuos* Levit: XIX, 18. & Salomon Prov: XXIV, 19. *Ne dicito quemadmodum fecit mihi ita faciam ei, reddam isti viro secundum opus ipsius.* Plura istius generis possent proferri ex V. T. Sed semper licuit semperque licebit, cum hoste publico, ex publica authoritate manus conserere, imò cuilibet privato, vim sibi illatam oppositâ vi ad legitimam sui defensionem repellere, modò servetur moderamen inculpatæ tutelæ.

Quare nihil aliud] Uno verbo, homicidium lege prohibitum est cædes alterius patrata directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè, privatâ authoritate ex appetitu vindictæ aut simili alio affectu vitioso: Quanquam non sola cædes actualis hîc prohibetur, sed quicquid ad cædem tendit, & injuriæ habet rationem.

Vigebat enim & semper] Ergo etiam *semper* vigere debet illa ipsa lex Gen: IX, 5. 6. de effundendo illius sanguine, qui proximi sui vitam temerarit & sanguinem ejus effuderit.

Ut etiam casu quodam] Hoc homicidium, cujus fit mentio Exod: XXI, 22. 23. merè casuale statui non potest: Licet enim animus rixantis non fuerit percutere mulierem gravidam, sed suum Antagonistam, tamen reatum homicidii, matre vel fœtu moriente contraxit, quia rei illicitæ operabatur, fuitque illius mulieris respectu in culpa latissima, quæ dolo solet æquiparari apud Jurisconsultos.

Jam ut, quo pacto hoc tempore præceptum istud intelligendum sit, videamus; ‡ primò videtur & Christianus magistratus eo ita comprehendi, ut à cæde ac sanguine, ut à bellis sit alienus, nec eâ severitate, quâ Moses olim magistratum uti voluit, supplicia infligat, nec quos servare emendareque posset, perdat; & sic gladium, quo ad salutem humani generis armatus est, ad ejus perniciem convertat. Etenim Christi temporibus, quæ, ut suprà diximus, tempora gratiæ sunt, non vindicta, non severitas, ut olim, sed gratia, sed benevolentia, sed summa misericordia viget, ab ipsoque Christo repræsentata fuit. Parumnè igitur liquet, qui illius sese vestigiis insistere profitentur, eos non modò ab omni crudelitate abesse; sed etiam ab illa severitate, quæ Mosaicæ disciplinæ consentanea est, ad clementiam ac lenitatem deflectere debere?

‡ *Primò videtur & Christianus*] Atqui Magistratum magis nunc sub hoc præcepto contineri, quam olim falsissimum est. Nam, uti modò dixi, lex illa de homicida capitaliter puniendo, quæ extat Gen: IX, 5. 6. debet adhuc vigere inter Christianos, siquidem eodem sensu dixit Christus, *gladio* legitimi Magistratus periturum qui privatâ authoritate ad sui vindictam *gladium acceperit* Matt: XXVI, 52. Adde

Apoc: XIII, 10. Et cum Dei judicium hanc exigat talionem, eamque sæpè rependat Magistratuum manu, etsi nonnulli vel dolo, vel vi, vel gratiâ, illi se subducant, non potest non censeri æquissima facinorosorum punitio capitalis ab iis quos Deus gladio armavit eum in finem: Nec potest non pertinere ad Magistratum Christianum quod dicit Paulus Rom: XIII, 4. *Non frustra gladium gerit, nam Dei Minister est, vindex ad iram ei qui quod malum est fecerit.* Ut Ibis avis sacra erat apud Ægyptios, quod serpentes necaret & regionem ab ea peste liberaret, ita Magistratus sacer erit in Rep. si *rescindat à Civitate Iehovæ omnes qui operam dant iniquitati* Psal: CI, 8. Reip. enim interest delicta impunita non manere, præstatque unum perire quam unitatem: Crudelis est misericordia parcere sontibus; *Immedicabile vulnus ense recidendum est ne pars sincera trahatur.* Et Cicerone judice, *Salutaris Severitas vincit inanem speciem Clementiæ.*

Ut à bellis sit alienus] Non debet equidem pius Magistratus bello delectari; Sed ad illud tamen potest bonâ conscientiâ devenire, si nulla alia ei supersit ratio vel suos tuendi, vel aliorum tyrannidem reprimendi. Johannes Baptista Luc: III, 14. milites ad se venientes atque percontantes quid sibi facto opus esset ad salutē consequendam, non jubet ut gladiū deponant & abjiciant vitam militarem ceu injustam, sed tantum ut in suis stipendiis acquiescentes, neminem concutiant vel dolo opprimant. Multis laudat Christus Matt: VIII, 9. fidem illius Centurionis qui se milites sub se habere profitebatur. Quin alter Centurio, scilicet Cornelius cum sua familia Act: X, 1. & seq. fuit primitiæ vocationis gentium: Neq; id illi impositum à Petro ut militiam abdicaret. Frustra quoque jussisset Paulus Rom: XIII, 7. *tributa præstare*, si omne bellum esset improbandum; cùm militiæ alendæ & Urbibus muniendis, tributa destinentur. Nemoque tantillum versatus in antiquitate Ecclesiastica negaverit in usu fuisse Christianis plurimis vitam militarem sectari, & stipendia mereri, etiam in castris Imperatorum Ethnicorum; vel id istud probet Tertulliani, alias à vita militari sat alieni, *Apolog cap.* 42. *Navigamus & nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur.*

Nec eâ severitate] Quamvis Magistratus non alligetur in suo foro ad leges forenses Mosaicas, quę illi Reip. speciatim erant accommodatæ, attamen non modò jure potest, sed etiam ex officio tenetur, gladio, quem accepit à Deo, in sontes animadvertere & tempestivæ severitatis exemplis legum authoritatem propugnare. *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*, & *justus ut sis*, inquit Seneca, *non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis.* Nam *invitat culpam qui peccatum præterit*, & *Bonis nocet quisquis pepercerit malis.*

Nec quos servare] Atqui primò solet etiā Magistratus mitiùs agere cū iis qui emendabiles videntur: Hinc apud Romanos olim fasces addiţ securibus; quò significaretur virgas expediri ad νυθεσίαν, securēs ad τιμωρίαν. Deinde præstat, ut modò dictum, unum perire quam unitatem. Nec in facinoroso debet considerari sit ne emendabilis nec-ne, sed quid commiserit contra leges, & quid ex illis sit commeritus. Non tam illius est habenda ratio, quam totius communitatis, cujus interest exempla statui, & crimina puniri, cùm *veterem ferendo injuriam invites novam.* Imò ipsis sontibus prodest ad salutem publicè plecti, quia hac ratione & à continuandis sceleribus abducuntur, & ad vitæ anteactæ seriam resipiscentiam deducuntur; & stultè agat qui lupum captum eâ spe dimittat quod gregibus in posterum sit parciturus.

Et sic gladium quo ad] Sed non video quem *gladium* relinquat Volkelius Magistratui, si *à sanguine* sontium privatorum & hostium publicorum debeat abstinere.

nere. Et cùm sit gladio *ad salutem humani generis armatus*, eum debet stringere ad bonorum defensionem ac tutelam, & malorum repressionem; Aliàs *parcit malis*, inquit Publius Syrus, *quicunque perdere vult bonos.*

Etenim Christi temporibus] Antea demonstravi Euangelium ordinem Reip. non evertere. Imo Deus peccata nostra in Christo vindicando, exemplo suo ostendit Magistratibus non debere eos criminibus impunitatem indulgere. Nec obest publicæ justitiæ, quâ æquè parum ac Sole vel Sale carere potest Resp. Christiana, misericordia ad quam passim invitamur; cum virtutes sibi contrariæ non sint. Quin potius immisericors & crudelis foret Magistratus in bonos, nisi malos ex debita justitia puniret & coerceret: eo quod *magna illecebra peccandi sit spes impunitatis*, ut etiam Romanus orator observavit. Adhæc non propugnamus eam Severitatem quę nullâ contemperetur lenitate & misericordiâ, sed eam demum quæ in bono Magistratu requiritur ab Apostolo, ut sit ἔκδικος, sive *vindex, ad iram, ei qui quod malum est fecerit. Vindicta* quæ appetitur ex odio & animi tui exsatiandi gratiâ, ac per teipsum privatim exercenda, est vitiosa. Sed ea quæ exercetur per Magistratum contra malos, bona est & licitè potest appeti ex Zelo Justitiæ: Nam ita Christo Luc: XVIII, 3. describitur vidua instans apud Judicem, eique dicens, *Vindica me ab adversario meo*; & Apoc: VI, 10. animæ martyrum introducuntur clamantes voce magnâ, *Usquequo Domine, qui sanctus es & verax, non judicas & sanguinem nostrum vindicas ab iis qui habitant in terra?* Et quamvis privati non debeant agere apud Magistratum ad vindictam, sed tantum ad damni illati reparationem, Magistratus tamen ex officio tenetur ad publicam vindictam, cùm sit ad id constitutus quasi vice Dei, qui dixit, *Mihi est vindicta & ego rependam* Deut: XXXII, 35. Rom: XII, 19 Heb: X, 30. Quæ loca ostendunt non minus *vindictæ* Divinæ, tam per se quam per Magistratum, quem Deus ad id constituit, locum superesse nunc sub Novo fœdere, quam olim sub Veteri.

Parum-ne igitur liquet] Sed primò non tam quæritur num in suppliciis exigendis, debeat Magistratus Christianus Legibus Mosaicis insistere, quam an ipsi fas sit sanguinem sontium effundere ad vindictam publicam, & conservandam Reip. quietem, ac authoritatē Legum. Secundò hoc nefas esse Magistratui Christiano colligitur perperā ab exemplo Christi, cujus *sese vestigiis insistere profitetur*. Nam Christus quidem nobis proponitur in exemplum quoad vocationem communem & ea quæ ad omnes ex æquo spectant; sed cum Magistratum non sustinuerit in terris, frustra petas ab illius exemplo, quid facere debeat Magistratus. Imò si in iis quæ specialis suæ vocationis sunt debet *vestigiis* Christi *insistere*, nequidem ei fas erit tribunal conscendere ad judicandas & dirimendas lites civiles: Nam cum quidam è turba ei diceret, *Magister dic fratri meo ut partiatur mecum hæreditatem*, respondit illi, *Heus tu qui me vobis judicem aut partitorem præfecit?* Luc: XII, 13. 14.

Deindę intelligendum est, id quod suprà docuimus, nullum esse hominem, qui proximus noster censeri non possit aut debeat; & porrò ut Israëlitis olim gentilem suum, utpote proximum, interimere non licebat: ita nunc nobis nemo, cujuscunque sit sive nationis, sive religionis, interimendus sit. Certè si cum omnibus hominibus pacem sectari ac colere debemus, uti expressis verbis præcipiunt sacræ literæ; (*Rom: 12. 18. Heb: 12. 14.*) patet, nullius hominis, 256.
cujuscunque tandem sit sive gentis, sive religionis, cædem nobis permissam esse nedum, ut Israëlitis olim, præceptam.

‡ *Deinde intelligendũ est*] Nec licuit olim Israelitis *privato ausu*, ut paulò ante loquebatur Adversarius, & vindictę privatę studio, ullum occidere vel extraneum vel gentilem; & agnoscimus etiamnũ nemini privato id licere. Si quis tamen privatus dum se defendit contrà vim illatam, alium occiderit, servato moderamine inculpatæ tutelæ, id ei impune esse debet. Debemus equidem pacem *cum omnibus* sectari ac colere, sed *quantum in nobis est*, inquit Apostolus Rom: XII, 18. Notum autem est nemini licere esse quieto, nisi quamdiu suo vicino placuerit. Quin nec fas est privatis pacem sectari & colere cum iis quos hostes publicos declaraverit Magistratus, ne pacis intempestivo studio in perduellionis crimen incidant. Si verò generaliter statuat Volkelius *nullius hominis cædem* permissam esse Christianis, etiam ex Magistratus decreto, aut in bello legitimo & necessario, falsò id asseri, jam suprà demonstravimus.

Verùm & alia sunt, quæ Christus huic legi adjecit, quibus non solùm nemini manus afferendas esse, sed etiam mentem atque linguam à proximi nostri ultione ita abstinendam docuit, ut nec illi irascamur, nec per contemptum durioribus illum verbis accipiamus. (*Matth:5.21,22.*) Et quidem ad iram quod attinet; intelligendum est, Christum hîc nequaquam de simplici ira, sive indignatione sermonem habere, ad quam homines absque ulciscendi consilio commoveri solent; veluti cùm vel quippiam perperam ab aliquo fit, vel cùm verbis factisque alicujus offendimur. Primò enim Paulus ejusmodi iram nobis concedit, quæ ab ulciscendi consilio absit, eamque per se à peccato sejunctam esse indicat, dum ait, *Irascimini, & nolite peccare.* (*Ephes:4.26.*) Interim tamen brevem & moderatam admodum vult esse, ne mentem nostram tam diu occupet, dum sol occidat, & sic diabolo locum relinquat. Neque enim fieri potest, quin indignatione in animis hominum durante, & quasi radices agente, Diabolo ad illos peccato implicandos facillimus aperiatur aditus. Deinde apertissimum est, Christum illo Matthæi loco de ejusmodi ira verba facere, quæ eodem, quod homicidis irrogatur, supplicio vindicanda sit. Luculentissimè enim asserit, eâ occupatos, judicii, id est, æternæ damnationis reos esse. Qualem eam, quam Paulus memorat, minimè esse hinc perspicitur, quòd & permittitur, & peccato opponitur. Tertiò, cuilibet hæc Christi verba attentè consideranti apparet, Christum ejusmodi iram sermone prosequi, quæ internum quoddam sit homicidium, idque tam grave, ut homicidio à Mose interdicto certa ratione æquipararì jurè queat. Qualis non est innoxia illa ira, & ab omni vindictæ, nedum cædis consilio semota: sed ea demum, quæ nocendi voluntas est ac consilium, & vel idem cum odio illo, quod Johannes homicidium nominat, (*1 Joh: 3.15.*) vel illi planè affine. Quod quidem odium, tametsi & antea in vitio ponebatur, nunquam tamen tanti sceleris loco numeratum fuisse, ut homicidium meritò appellari posset, inde colligi potest, quòd Moses nullam planè, nedum homicidii pœnam, peccato isti con-

isti constituit. Christus verò, ut hoc in loco cernimus, & ejusdem instinctu Johannes, eum, qui fratrem odio prosequitur, vel qui eum non diligit sempiternis suppliciis mulctandum esse affirmat.

‡ *Verum & alia sunt*] Hic nihil omninò debet fingi quod Christus huic legi adjecerit: Illa enim ira vitiosa quæ Christo damnatur Matt: v, 21.22. & homicidium dicitur 1 Joh: III, 15. conceptis verbis prohibetur Levit: XIX, 16 17. 18. *Ne ambulato cum detractione per populares tuos; ne instato contra sanguinem proximi tui; ego sum Iehova. Ne odio habeto fratrem tuum in corde tuo; liberè corripito proximum tuum, neque fertor in eo peccatum. Ne ulciscitor, neque iram asservato in populares tuos; sed diliges proximum tuum sicut te.* Nec dubium, quin lex Dei, cum sit Spiritualis, non externum tantum sed etiam *internum homicidium*, quod Christus hîc improbat, damnet & prohibeat: Nec aliàs diceret Johannes homicidam esse qui odit suum fratrem, nisi hoc odium, hæcque ira sanguinis sitiens, ea lege quæ prohibet homicidium, simul improbaretur & damnaretur: cùm vel solum lumen naturale id dictaverit Poëtæ Ethnico, *Scelus intra se tacitum qui cogitat ullum, Facti crimen habet.*

Quod quidem odium tametsi] Quod si idipsum jam *antea in vitio ponebatur*, utique falsò dicitur legem auctam ejus prohibitione per Christum. Et quamvis tum non habitum fuerit, prout nec hodie haberi debet, pro homicidio in foro soli, unde & Moses *nullam planè, nedum homicidii pœnam illi* per Magistratum infligendam *constituit*, quia voluntatum & cogitationum malarum punitio soli cordium & renum scrutatori est relinquenda; *Mediocritas humana*, inquit Tertullianus, *de factis solum judicat, quia voluntatis latebris par non est*; homicidio tamen jam tum accensebatur in foro poli, cùm & gradus proximus sit ad illud, & tantum mali fecerit quisque, quantum voluit. *Latro est*, inquit Seneca, *etiam antequam inquinet manus: Exercetur atque aperitur opere nequitia, non incipit.* Et illius Pater; *Incesta est etiam sine stupro, quæ stuprum cupit*: adeoque

Ut jam servaris bene corpus adultera mens est;
Omnibus exclusis intus adulter erit.

Et quamvis Moses nullam pœnam forensem illi peccato, quamdiu opere non aperitur, legibus suis constituerit, tamen ei denunciavit æquè ac Christus, mortem & maledictionem æternam, generali illâ clausulâ quæ extat Deut: XXVII, 26. Gal: III, 10.

Ex quo colligi posse videtur, vocem *temerè* apud Matthæum Christi verbis ab aliquibus, quia ea non benè intellexerant, fuisse appositam; nec de nihilo esse, quòd in vulgata Latina interpretatione vocabulum istud non habetur. Credibile enim est, inde id factum esse, quia illud in quibusdam saltem vetu- 257.
stis Græcis codicibus repertum non fuerit. Quod idem & magnus ille Erasmus sensisse videtur, qui Hieronymum negare ait, vocem istam in veris exemplaribus extare. Quod si ea vox hîc locum haberet, colligi posset, ulciscendi libidinem Christianis permitti; dummodo ne temerè sineque causa in animo nostro infixa sit. Quo quidem quid à Christiana patientia alienius cogitari potest? Quid, quòd ejusdem vocabuli additio, Christi sermonem suâ spo-

Christi concinnitate, atque elegantia? Cùm enim ira, quam isto in loco Christus ex suorum pectoribus extirpatam cupit, magnam cum homicidio conjunctionem habeat, atque adeò internum, ut suprà diximus, homicidium sit; omninò rationi consentaneum est, quemadmodum Moses externæ occisioni vocem *temerè* non adjunxit, ita nec Christum internæ eandem apposuisse.

‡ *Ex quo colligi posse*] Imò hæc particula εἰκῆ meritò addita est. Nam quamlibet iram non esse vitiosam vel prohibitam, modò Volkelius observabat ex Paulo Eph: IV,26. & indignatio ex amore virtutis & culpa peccantium, nemini potest improbari: Tum demum ille est in vitio, Aristotele teste, qui irascitur οἷς οὐ δεῖ, καὶ ἐφ' οἷς οὐ δεῖ, καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ. Talis irascitur εἰκῆ, sine modo, vel sine causa. Ideo hanc vocē Syrus Interpres tam propriam atque significantem hoc loco existimavit, ut retinere eam maluerit quam vertere. Extat quoque in omnibus Græcis Codicibus, eamque legerunt hîc loci vetustissimi Scriptores Christiani, Justinus Martyr *in epist. ad Zenam & Serenum* & Irenæus *lib. 2. contra hæres. cap.* 56. *& lib. 4. cap.* 31. Vulgatam versionem Latinam quod attinet, Lovanienses observarunt ad marginem editionis Plantinianæ factæ anno 1580. quod in quibusdam illius Manuscriptis exemplaribus hæc particula legeretur & redderetur *sine causa.* Erasmus rem videtur in medio relinquere, siquidem Hieronymo, opponit Chrysostomum & Augustinum hanc particulam retinentes.

Quod si ea vox] Imò verò meritò notatur à Christo ira temeraria & vitiosa, quæ ex libidine ulciscendi inflammatur, vel illam adjunctam habet: Aliàs non irascitur εἰκῆ qui indignatur crimini, & ex zelo justitiæ non vult illud impune abire: cùm hoc sensu Magistratus sit ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι. Non facit ergo Christus duplicem *ulciscendi libidinem*, aliam temerariam, aliam justam; sed ulciscendi libidinem, facit iram temerariam & vitiosam, quæ merito, ab ira justa, opportuna, tempestiva, moderata, distinguitur est.

Quid quod ejusdem vocabuli] Neutiquam. Nam illa demum ira qua quis irascitur εἰκῆ, *internum homicidium* est, adeoque unà cum externo prohibetur à Mose: quod Christus meritò notat contra larvatam Pharisæorum justitiam, qui putabant satis sibi esse ad observationem hujus Legis, si ab externa cæde & sanguinis effusione abstinerent: etsi interim, irâ, odio, invidiâ, æstuarent in suos proximos.

Sed jam videamus, quomodo à verborum asperitate temperandum nobis sit, ut ab omni peccato, quod cum homicidio affinitatem aliquam habeat, puri simus. Duobus igitur vocabulis Christus totam rei istius rationem complexus est: quorum primum est *Raka*; quo sine dubio illud genus conviciorum Christus prohibere voluit, quod ita in aliquem jacitur, ut homo vanus, inanis, omnisque virtutis expers nominetur. Deducitur enim vox ista, tam in Hebraica, quàm Syriaca lingua, quâ Christus tunc utebatur, ab eo verbo, quod vacuum inaneque significat. Alterum est vox *stulte*, ejusque generis maledictum continet, quo aliquem sine mente, sine cerebro, aut pecudum similem esse dicimus. Hæc convicia non minorem, quàm ira, ex qua profluunt,

fluunt, cum externo homicidio conjunctionem habent. Ut enim eadem ratione proferuntur, eodemque verborum complexu continentur: ita eâdem pœnâ vindicanda esse luculentissimè asseritur. Quæ pœna, tametsi jam judicium, jam consessus sive concilium, jam denique gehenna ignis appellatur: nihil tamen eam aliud esse, quàm sempiternam damnationem, inde constat, quòd nec Christi consilium fuit, civilium pœnarum, ut verba præ se ferre videntur, sed divinarum æternarumque metu nos à peccatis istiusmodi abducere; & Paulus Apostolus illos, qui in ira, conviciis, ac rixis vitam consumunt, à cœlestis patrimonii possessione exclusum iri affirmat. (*Gal: 5.20. & d. vid. etiam 1 Cor:5.11. & c.6.10.*)

‡ *Hæc convicia non*] Adeoque non minùs lege Mosaica prohibentur; quam per consequens Scribæ & Pharisæi perperam ad solum homicidium externum restringebant, ut eâ se defunctos & juxta illam irreprehensibiles putarent, si ad illud non devenissent.

At dicet quispiam, Apostolum de vitiorum istorum consuetudine, Christum verò de uno actu sermonem habere; idque tum ex verbo irascendi, tum inde constare, quòd idem verbum occisioni à Mose memoratæ opponitur, quæ certè non interimendi habitum, sed unum tantummodo actum designat; ideoque perperam hinc concludi, de sempiterno interitu Christum orationem habere. Respondemus, consecutionem istam malè constitutam esse; cùm, licet diversâ ratione peccata ista à Christo Pauloque explicentur, nihil tamen impediat, quominus eandem pœnam utrique delinquendi modo, diversâ ratione denunciatam esse credamus. Promissio namque vitæ æternæ tantum habet pondus, ut meritò absolutissimam requirat obedientiam; & sic unus etiam peccati actus eâ nos spoliaret, si Deus summo nobiscum jure ageret. Intellidum igitur est, Christum eo pacto idem cum Paulo supplicium commemorare, ut non tam quid omninò futurum sit, indicet, quàm quid jure fieri possit, & quanto in periculo, nisi nos Deus respiciat, etiam tunc versemur, cùm uno actu illius præceptum violamus, nobis ostendat. Paulum autem de eadem pœna ita loqui, ut eam omninò ab hominibus ejusmodi scelerum consuetudine implicatis expetendam esse asserat. Christus enim de reatu tantùm, Paulus autem de ipso pœnæ actu verba facit. 258.

At dicet quispiam] Hæc objectio falsò fundamento multifariam nititur. Nam nec verum est quod vulgò docetur à Socinianis, solam vitiorum consuetudinem, non unum alterum-ve eorum actum obesse saluti; cùm in genere stipendium peccati, qualecumque fuerit, sit mors Rom: 1,33. Nec verum est Apostolum Gal: v, 19. 20. & seq. *de vitiorum istorum consuetudine* & habitu duntaxat agere. Ipsa enim peccata in abstracto nominat, adulterium, scortationem, invidiam,

cædes,

cædes, excandescentiam &c. Hæc autem nomina vel uni actui convenire certum est.

Respondemus consecutionem] Ista responsio, multipliciter obest ipsi adversario. Hinc enim sequitur primò, vel unicum peccandi actum sufficere hominum damnationi, adeoque non solam peccandi consuetudinem damnationis periculum secum inferre: Secundò ad vitam æternam, *absolutissimam* requiri *obedientiam*, quæ cum nobis desit, in Christi merito & satisfactione venit quærenda. *Summo* enim *jure* Deum *nobiscum* non acturum, unde constabit, cum æternam maledictionem denunciet iis qui vel in uno ex suis mandatis impegerint Deut: XXVII, 26. Matt: V, 19. Jac: II, 10. nec uspiam se de suo jure remissurum testatus sit?

Intelligendum igitur est] Verum nec Paulus agit de istorum vitiorum consuetudine, ut modò visum, sed de singulorum merito; nec semper illam consuetudinem ipsa pœna consequitur, cùm etiam peccata consuetudine inolita, admittant duplex beneficium justificationis & sanctificationis 2 Cor: VI, 9. 10. 11. Nec potest *pœna reatum* non sequi, nisi interveniente gratuitâ remissione culpæ per & propter satisfactionem Christi.

Animadvertendum præterea est, cùm hoc præcepto illis prohibeamur conviciis, quæ ex animo vindictæ cupido ortum habent, (quæ quidem sola convicia propriè dici merentur;) nequaquam in hanc culpam illum incidere, qui animo paterno, divinæque gloriæ studio incenso, aut etiam consilio mores alicujus corrigendi, quempiam acriùs objurgat, reprehendit, castigat, & suis delicta ipsius ac scelera nominibus exprimit; maximè si vel potestatem quandam in eum habeat, vel singularem id faciendi auctoritatem. Aliter enim & ipsi Christus in hoc mandatum peccasset qui sæpè Pharisæos aliosque adversarios suos acriter reprehendit, durissimisque verbis accepit; (*vid: inter alia Matt: 23. Luc: 11.*) nec non suos discipulos tardos stupidosque appellavit; (*Luc: 24. 25.*) & Paulus gravissimo sese peccato devinxisset, qui Galatas dementes ac stultos nominavit. (*Gal: 3. 1, 3.*)

‡ *Animadvertendum præterea est*] Fateor statuere JCtos etiam *convicium* quandoque sumi in bonam partem: Sed hoc fit omninò abusivè: Nam quod dixit Martialis *de reditu Domitiani*, *Festa coronatis laudet convicia miles*, pertinet etiam ad petulantiam militarem quâ probra quædam suis Imperatoribus objiciebant in triumphis: ut patet ex Suetonio in *Iulio Cæsare cap* 49 *& seq.* ubi dicuntur milites ejus Gallico triumpho *inter cætera carmina qualia curruum prosequentes ioculariter canunt, etiam vulgatissimum illud* pronunciasse, *Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem. Ecce Cæsar nunc triumphat qui subegit Gallias; Nicomedes non triumphat qui subegit Cæsarem*; Item; *Urbani servate uxores, mæchum calvum adducimus; Auro in Gallia stuprum emisti, hic sumpsisti mutuum.* Et ipsæ leges docent *convicium injuriam esse* eamque vociferationem *quæ bonis moribus improbatur, quæque ad infamiam vel invidiam alicujus spectat, l.* 15. *ff. de injuriis & lib. fam* §. 3. & 5 Quare præposteræ est diligentiæ convicia *quæ ex animo vindictæ cupido ortum habent*, ab aliis, quæ talia non sint distinguere, eaque opponere reprehensionibus & redargutionibus liberioribus, quasi hæ, *saltem impropriè*, conviciis annumerari deberent.

Huic

Huic prohibitioni, de vitanda non modò cæde, sed etiam ira ac convicio, valde cognatum illud est, quod de vindicta, quam Moses Israelitis olim permiserat, non repetenda præcepit Christus. Id autem est ejusmodi, ut intelligamus, homini Christiano non solùm à privata, quâ Moses etiam interdixit, sed publica etiam injuriarum ultione planè abstinendum esse. Hoc autem pacto illud à Christo profertur, (*Matt:5.38,39. &c.*) *Audistis, quod dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente: Ego autem dico vobis, ne resistite malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam, prabe illi & alteram: & ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te angariabit ad milliare unum, abi cum eo duo.* Credibile est, non paucos fuisse, qui perinde legem 259.
istam Mosaicam de talione acceperint, quasi cuilibet, privatim etiam, injuriam sibi à quopiam illatam ulcisci liceret, dummodò ne pœna major, quàm culpa esset. Errasse tamen illos vehementer ex illis manifestum est, quæ Exod:21.24. Levit:24.20. Deut:19.21. scripta leguntur. Quibus testimoniis eam legis hujus mentem fuisse comprobatur, ut ultio ac vindicta permissa fuisse statuatur, modò per magistratum, non autem propria autoritate fieret. Cui quidem legi Christus sua verba opponens, omnem non modò privatam, sed etiam publicam vindictam abrogat; suisque præcipit, ut omnes corporis perpessiones, quæ alterius maxillæ obversione significantur; omnemque bonorum jacturam, quæ pallii dimissione innuitur; omnem denique molestiam, quæ coactione ad unum milliare designatur, ita ferant, ut similem denuò injuriam subeant potiùs, quàm illatam sive per se, sive per magistratum ulciscantur. Neque tamen inde colligi potest, Christianum hominem omni simpliciter ad magistratum aditu prohiberi; sed eo tantùm, qui ad ultionem ac vindictam spectat, aut spectare queat. Cæteroqui nullum dubium esse debet, quin homini Christiano magistratus auxilium tunc implorare liceat, cùm verbi causâ, vel defensione opus est, vel cum bonorum, nobis malis artibus vel per vim ereptorum, restitutionem quærimus. Quòd si tamen Christiano homini exploratum sit, defensionem illam, aut bonorum recuperationem absque vindicta contingere minimè posse, omnia præstat perdere, quàm tunc ad magistratum confugere. Vindicta autem est, cùm is, qui læsus est, vel præter restitutionem damni sui, vel eâ etiam omissâ, quærit, ut is, à quo læsus est, damnum doloremvé suâ caussâ sentiat. Hinc autem perspicuum est, defensionem, quæ cum ultione nihil habeat conjunctum, sed ad damnum injuriasque tantummodo propulsandas suscipiatur, Christiano homini concessam esse. Cavendum tamen diligenter est, ne per quandam imprudentiam, dum nos nostraque defendere cogitamus, in vindictæ crimen incurramus. Persuasum enim nobis esse debet, omnia perdere, imò mortem etiam oppetere satiùs esse, quàm ullum Christi præceptum violare.

‡ *Huic prohibitioni de*] Etsi Legem forensem talionis sancitã Exod: xxi, 24. Lev: xxiv, 20. Deut: xix, 21. Christus censeretur abrogasse Matt: v, 38. 39. & seq. inde tamen non sequeretur additum quippiam ab ipso ad sextum Decalogi præceptum, quod morale est & juris perpetui. Sed facile est ostendere primò, Christum illi *legi sua verba* non opponere, sed præposteræ duntaxat illius interpretationi; deinde illam Legem sano sensu sumptam nihil habuisse quod pugnet cum doctrina Servatoris. Quoad primum, cùm agnoscat Volkelius *non paucos fuisse qui perinde legem istã Mosaicam de talione acceperint, quasi cuilibet, privatim etiam, injuriam sibi à quopiam illatam ulcisci liceret, dummodo ne pœna major quam culpa esset*, nonne eo ipso verosimilius fit Christum huic vitio verba sua opponere, quam Legi per Mosem divinitùs latæ? Nec enim volebat Christus evertere subsellia Magistratuum, quibus in jure dicundo hæc lex lata fuerat; cum è contrario eodem capite Matt: v, 25. firmet authoritatem Judicum & jus eos adeundi; sed volebat tantum coercere petulantiam privatorum, id sibi sumentium quod erat Magistratus, & in vindictam illicò erumpentium ac seipsos præter jus & fas, actores, testes & judices in sua causa constituentium; cùm tamen *idcirco judiciorum vigor jurisque publici tutela videatur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem.* Quibus verbis Honorius & Theodosius Imperatores, id ipsum dicere voluerunt quod habet Lucretius *lib.* 5.

Acriùs ex ira quod enim se quisque parabat
Ulcisci, quam nunc concessum est legibus æquis,
Hanc ob rem est homines pertæsum vi colere ævum.

Quoad posterius, benè quidem in genere Volkelius distinguit inter ultionem *privatam* & *publicam*, sed distinctionem minus commodè applicat; Nam ultio privata, ea est quam quærit privatus vel per se, vel per alium, in levamen doloris sui ex dolore & damno ejus à quo putat se injuriâ affectum, prout plerisque *Vindicta bonum est vitâ jucundius ipsâ*, ut ait Juvenalis, & *Læso doloris remedium inimici dolor*, inquit Publius Mimus: Hæc ultio privata, *quâ Moses etiam interdixit*, agnoscente Volkelio, semper est illicita, sive quis eam quærat per se, sive eam quærat per Magistratum, quem nemini fas est constituere ministrum & executorem suorum affectuũ vitiosorum: Quin peccaret Magistratus si ex talionis lege, lædentis oculum curaret effodi, in solius læsi gratiam, & ut animum ejus odio flagrantem & vindictæ cupidum, tali spectaculo satiaret. Ultio verò publica ea est quam Deus ipse commisit Magistratui teste Paulo Rom: xii, 4. ut debitâ coercitione eorum qui aliis graves sunt & injuriosi, & Societatis humanæ tranquillitatem suis sceleribus turbant, Legum vindicent authoritatem & majestatem, quò constet nemini fas esse illas impune violare. Hæc ultio publica Magistratui demandata per legem Talionis, aliam-ve pœnam vel mulctam ei analogam, semper est licita, imò eousque necessaria, ut si eam neglexerit Magistratus, sive læsus queratur, sive non, officii sui neglecti reatum gravem contrahat coram Domino. Cùm ergo lex Talionis à Mose sancita, pertinuerit non ad privatam sed ad publicam ultionem Magistratui demandatam, non ut satisfiat animo vindictæ cupido privatorum, sed in gratiam totius universitatis, quod Reip. intersit delicta impunita non manere, quam falsum est Christum ordinem judiciorum publicorum velle turbatum aut eversum, tam falsum est Mosi repugnare quod sancit de ultione privata nec per se, nec per alium quærenda. At, inquies, læso fas erat queri apud Judicem & hanc ultionem expetere: Hoc autem non amplius faciendum ex Christi mandato; quia nullâ

ratione

ratione vult Christianos injuriam sibi *illatam sive per se, sive per Magistratum*, ulcisci. Respondeo, omnino hodie licere quod olim licuit, & olim id prohibitum quoque fuisse, quod hodie non licet. Etenim & nunc licet & semper licuit, homini læso & injuriam passo, queri apud Magistratum, ejusque auxilium implorare, ad defensionem & conservationem suæ vitæ, famæ, corporis, rei. In quo habemus nobis Volkelium consentientem: Quod enim largitur quoad *bonorum nobis malis artibus vel per vim ereptorum restitutionem* apud Magistratum quærendam, negare nequit quoad reparationem damni illati in corporis mutilatione, aut etiam in famæ graviori læsione. Sed nunquam licuit eo fine & animo adire Magistratum, ut teipsum ulciscaris, & saties te sanguine vel dolore alterius; Hoc enim foret affectui tuo malo Leges & Magistratum subjicere, & rem optimam rei pessimæ addicere, instar illius qui suam lucernam ad Jovis aram accendebat, ut ejus templum suppilaret. Igitur debemus hîc distinguere ea quæ sunt læsi, & ea quæ sunt Judicis: Læsus potest bonâ conscientiâ Magistratum adire, & de lædente queri, & adversus eum agere ad id quod interest & condignam reparationem injuriæ: non ut se ulciscatur, sed ut quod sibi periit in fama, in corpore, in sanitate, in opere, in re, recuperet quoad fieri potest per legum authoritatẽ. Huc illud facit ex tractatu Thalmudico *Bava Kama cap.* 8. §. 1. *Qui proximum lædit, in eo multis, idest quinque nominibus, tenetur, damni nomine, doloris, curationis, cessationis, & ignominiæ.* Si autem læsus sentiret se non posse ad ista agere absque affectu vindictæ ex parte sui, tum sanè *omnia præstaret perdere, quam ad Magistratum confugere*: Sed potest vindictæ studium abesse, etsi prævideat Magistratum acturum cum reo ex legibus, & eum *à quo læsus est damnum dolorem-ve suâ causâ* sensurum; modò non sistat in illo lædentis damno vel dolore tanquam in suo fine, sed id quærat tantum quod spectat damni sibi illati & injuriæ sibi factæ restitutionem ac reparationem, etiamsi ea non aliter ex legibus possit procedere quam per damnum & dolorem alterius, qui id omne sibi debet imputare. Ipse Volkelius fatetur *perspicuum* esse discrimen inter *ultionem* & *defensionem*; jam autem cùm idem effectus possit utriusque esse, non potest distinctio arcessi aliunde quam ex offensi intentione & animo. V. g. Qui se defendit contra latronem, potest illum occidere si aliter suæ vitæ in præsenti periculo consulere non possit: Quod si intendat mortem latronis propter se tanquam suum finem, peccat ex vindictæ studio; si verò eam intendat propter aliud, ceu medium sine quo (cùm aliud non subsit) suæ conservationi prospici nequit, manet intra terminos legitimæ & inculpatæ tutelæ. Hinc nostris hodie moribus nunquam læsus agit ad vindictam, sed tantum ad id quod sibi interest & ejus restitutionem; relictâ vindictæ publicæ actione & curâ, tum Fisco, tum Judici, qui ad eam tenetur ex nobili officio. Judex itaque ad læsi querelam, duo habet præstanda: Nam primum respectu damni privato illati, debet illius reparationem & restitutionem reo imperare, prout æquitas & leges voluerint. Deinde publici respectu, lædentem debet plectere ac punire, ut alii discant justitiam moniti, & norint omnes quod sibi fieri nolunt alteri faciendum non esse. Atque in eo consistebat æquitas talionis Mosaicæ, quæ etiam apud Romanos lege XII. tabulatum sancita fuerat. Lex sanè recta est, cum quis patitur quod fecerit ipse; & illius æquitatem multis comprobat Gellius *Noct. Att. lib.* 20. *cap.* 1. Optimè verò & nervosè Isidorus Pelusiota *lib.* 4. *epist.* 86. *Quod lege hac*, inquit, *cautum est, non est crudele neque immane; sed siquidem is sensus, qui primâ fronte apparet, accipiatur, justitiâ plenum est: si verò interior sensus expendatur,*

pendatur, etiam humanitate refertum est: nam ut eum qui alteri quid iniquè facere meditatur, compescat metu similis perpessionis & ita improbitatem reprimat; ideoque hoc jure meritoque ita sancivit. Quin sæpè factum ut cessantibus hominibus, Deus ipse extra ordinē egerit cum sontibus justâ talione; ut videre est Gen: XLII, 21. Jud: I, 6. XV, 11. Adde 1 Sam: XV, 33 2 Sam: XVI, 12. Es: XXXIII, 1. Habac: II, 13. Imò ex Novo Testamento Matt: VII, 2. XXVI, 52. Apoc: XIII, 10. XVIII, 6. Unde æquitas Talionis, si præsertim servetur in ea proportio Geometrica, non Arithmetica, facilè comprobatur. Ut nihil dicam quod juxta plerosque Judæos, in hac talione locum habuerit æstimatio & compensatio pecuniaria, imò non aliter observanda fuerit, ut censent Josephus *lib. 4. Antiquit. cap. 8.* Rabbi Kanan apud Paulum Fagium *ad Deut. 19.* & Ishac Atias *in Thes. præc. parte 1. præc. 236.* de quo non est hujus loci ut disputem. Summa huc redit, Christum cum Mose per omnia consentire; cùm uterque privatorum animis patientiam studeat instillare, & extirpare studium vindictę sive per seipsos sive per Magistratum faciendæ; relictâ tamen læsis libertate Magistratus auxilium implorandi, & huic authoritate crimina plectendi; unde sequitur Christum opponere sua verba Matt: V, 38. 39. & seq. non Legi Mosaicæ, quę normam continebat in Politia judiciorum publicorum, sed præposteræ ejus detorsioni, officio privatorum contrariæ: Benè enim ipse Tertullianus *contra Marc lib. 4.* docet quod etiam *disciplina patientiæ prædicetur penes Creatorem; Sic*, inquit, *per Zachariam præcepit ne unusquisque malitiam fratris sui meminerit, sed nec proximi. Nam & rursus, Malitiam, inquit, proximi sui, unusquisque ne recogitet: Multò magis patientiam indixit injuriæ, qui indixit oblivionem. Sed & quùm dicit, Mihi vindictam & ego vindicabo, proinde patientiam docet vindictæ exspectatricem.*

CAP. XVII. *De septimo præcepto.*

Non adulterabis.

EOrum, quæ hoc loco explicanda videntur, duo sunt genera: quorum alterum hujus præcepti proprium est: alterum verò ea complectitur, quæ
260. propter quandam affinitatem huc referri possunt. In primo genere videndum est, quid ex Legis Mosaicæ sensu fuerit adulterium, & quam ob causam prohibitum. Adulterium igitur nihil aliud est, quàm thori alterius violatio. Quod quidem scelus duplicī modo secundùm prisci fœderis rationem committebatur, nempe vel hoc pacto, ut vir seu maritus quispiam cum alterius uxore rem haberet, vel ut uxor præter maritum in cujuscunque alîus complexum veniret, sive is à conjugii vinculo liber, sive matrimonio devinctus esset. Unde perspicuum est, imparem tunc fuisse viri uxorisque conditionem. Viro quippe & plures uxores, & concubinas haberę concedebatur, nec quicquam id cum adulterio conjunctum habere existimabatur, dummodò alterîus uxorem non violaret. Uxoris verò longè alia erat ratio, utpote cui, ut diximus, nunquam cum alio præter maritum concumbere licuit, quin statim adulterio sese pollueret. Diversitas etiam conditionis conjugum ex divortio tunc concesso perspicitur. Utut enim viro quamlibet ob causam, multò magis autem ob com-

ob commissum adulterium, (quanquam si de eo constaret, morte id facinus à magistratu puniebatur,) uxorem dimittere licuerit: non tamen vicissim uxori concessum fuit maritum repudiare, quamvis præter ipsam pluribus sese adjungeret. Quæ tamen libertas quantopere & à sanæ mentis ratione abhorreat, & quàm Dei ipsius instituto contraria sit, infrà suo loco docebimus.

‡ *Quod quidem scelus duplici*] Nec aliter hodie id *scelus* in foro soli committitur; si enim conjugatus cum soluta rem habuerit, is quidem perfidè agit cum sua conjuge, & graviori se crimine implicat quam simplicis fornicationis vel stupri; nec tamen censetur à Jurisconsultis plerisque reus adulterii illius quod Lege Juliâ damnatum est, ut accuratè ostensum post alios ab Antonio Matthæo *tract. de Criminibus ad lib.* 18 *Digest. tit.* 3. *cap.* 1. §. 12. Hoc tamen scelus reductivè adulterio accensetur, quia tunc maritus it ad alterã, ut ad alterum it conjugata. Nec sanè *secundum prisci fœderis rationem* magis licebat marito stuprum inferre virgini aut viduę, aut cum scorto fornicari, quam hodie.

Unde perspicuum est] Hactenus par erat *viri uxorisque conditio*, quod viro non magis quam uxori liceret, datam fidem conjugii violare; Sed tamen in hac violatione disparitas magna est, graviusque multo peccat uxor quam maritus: Illa enim non solum fidem conjugalem datam marito violat, dum sui corporis quod in illius solius potestate debebat esse, copiam facit alteri; sed peccat insuper crimine falsi & suppositione partus, dum adulteri sui prolem, alendam & educandam obtrudit marito ac si ipsius foret, & mariti sui patrimonium ac hæreditatem transfert ad extraneos, cum evidenti damno legitimorum successorum. Hinc factum jure Mosaico ac Romano, ut solum adulterium illud esset capitale & propriè adulterium quod cum alterius uxore committitur, ob damnum inde majus emergens societati humanæ, quam ex eo scelere quo maritus cum innupta se jungens polluitur coram Deo.

Viro quippe & plures] Hæc polygamię & secundariarum uxorum, quæ *concubinæ* dicuntur, & divortiorum extra causam adulterii libertas non fuit concessa jure, quasi maritis plures simul habere conjuges Deus fecisset licitum; ipse enim Volkelius profitetur se infra ostensurum, *quantopere ista libertas & à sanæ mentis ratione abhorreat & Dei ipsius instituto contraria sit*, ut eam libertatem factam à Deo qui diceret, in ipsum foret contumeliosus: Conjugii institutione, duo, non plures, debent esse in carne una, & vir debet uxori suæ juventutis sic adhærere quoad vivit, ut in illam sit injurius, si vel eam citra causam sonticam dimittat, vel ei superinducat alteram: Et suo loco ostendam Deo semper improbatam fuisse polygamiam simultaneam, & licentiam divortiorum quæ ex sontica causa non procedebant. Interea tamen in foro fori, uxori *nunquam cum alio præter maritum concumbere* licebat, *quin statim adulterio sese pollueret*, quia prævalente polygamiæ publicâ tolerantiâ, mulier nubendo fidem dabat marito se illius solius futuram, at non ei promittebat maritus, quod nullam aliam esset domum ducturus. Hinc marito jus nascebatur uxorem dimittendi, non *quamlibet ob causam*, ut statuit Volkelius, nam divortium extra causam sonticam fuit semper vitiosum & culpabile, etiam ipsismet Judæis, sed *ob commissum adulterium*: At non *vicissim uxori concessum fuit maritum repudiare, quamvis præter ipsum pluribus sese adjungeret*, eo quod sub hac conditione vel tacita vel expressa nupsisset suo viro ut ei secum alias uxores vel concubinas habere liceret. Imò in jure divortii propter adulterium, nunquam id concessum uxori, quod conceditur viro, quia vir est caput mulie-

mulieris eamque habet in sua potestate & mancupio, nec tantum licet inferiori quantum superiori, ut ad hanc rem monet Ambrosius, sive quisquis apud eum commentatur in Epistolas Pauli, *ad* 1. *Cor.* 7.

Nunc verò, quam ob causam adulterium sit interdictum, considerandum nobis est. Hæc autem ea est, quòd Deus charitatem, quâ proximo astricti sumus, nullâ maculâ contaminari, sed ab omni impuritate integram salvamque conservari voluit. Vix autem ulla res esse videtur, quâ gravius proximus offendi possit, quàm si turpissimo stupro lectus illius contaminetur, illaque ei nefariè eripiatur, quam etiam parentibus suis prætulerat. *Deseret enim*, inquit Deus, *homo patrem & matrem suam, uxorique suæ adhærebit:* (*Gen:*2.24.) Cujus quidem rei nomine Nathan vates Davidem acerrimè reprehendit, mirum in modum sceleris istius gravitatem exaggerans. (*2 Sam:*12.1, *& d.*) Et quidem huic facinori Deum infensissimum esse, cùm inde perspicuum est, quòd lege sanxit, ut qui eo sese inquinarent, ii truculentissimo mortis genere mulctarentur: (*Levit:*20.10. *conf: cum Deut:*22.23,24,) tùm quòd, licet Davidi hanc tribuerit misericordiam, ut ex eadem lege in eum non animadverterit, non tamen planè impunitum reliquit. Fiebat enim justo illius judicio, ut quod David clàm commiserat, id Absolon filius ei in propatulo redderet, (*2 Sam:* 12,11.12.*&* 6.16.21.) idque tum illius concubinas palàm inque omnium oculis
261. turpissimè constuprando; tum ipsum ex regni possessione dejiciendo; tum denique ad necem eum quærendo.

‡ *Hæc autem ea est*] Sed non sola: Accedit enim fidei conjugalis violatio, instituti divini temeratio, suppositio partus, &c.

Ut ex eadem lege in eum] Verum illi pœnæ in foro externo non subjacebat David, cùm superiorem Magistratum non agnosceret qui eam ipsi infligeret. Sed Deus illi remisit pœnam mortis & maledictionis æternæ, quam solus potest infligere Matth: x, 28. & cujus reatum duplici isto crimine David contraxerat, 2 Sam: xii, 5.7.13.

Non tamen planè impunitum] Sic tamen, ut omnis hæc pœna Castigatoria fuerit, tum ad reparandum scandalum ex illo crimine datum, tum ad demonstrandum in illustri exemplo, quantum illud Deus detestetur; non verò Satisfactoria, sive propriè Judiciaria, ut vel inde constat, quod peccati sui remissionem à Deo consequutus David fuerat, Nathane ipso denunciante 2 Sam: xii, 13.

Sed jam de illis videndum est, quæ cum huc propriè non pertineant, tamen propter quandam vicinitatem hîc locum habere videntur. Hæc autem in duo genera distribui possunt: quorum alterum eos sive congressus, sive connubia continet, quæ vitæ castitatem ac puritatem apertè contaminant: alterum verò ejusmodi complectitur matrimonia, quæ homines à Dei cultu studioque avertendi maximam vim habent. Ac illa quidem, quæ vitæ puritatem commaculant, vel naturalia sunt, vel contra naturam. Naturalia porrò vel in affinitatem sanguinisque vinculum committuntur, incestûsque nomine appellan-

pellantur: vel affinitatem quidem aut cognationem non attingunt, detestabilia tamen diraque flagitia sunt. Ac illud quidem interdictum, gravissimasque pœnas eo obstrictis constitutas esse, ex divinis literis apertissimum est. (*Levit:20.11, 12,17, 19, & d.*) Hujus verò exemplum gravissimo supplicio vindicandi, fuit olim stuprum, in quo sacerdotis filia deprehenderetur, quam quidem vivam comburi Deus jusserat: (*Levit:21.9.*) nec non stuprum virgini viro desponsatæ illatum in civitate, quæ ut unà cum eo, qui intulerat, lapidibus obrueretur, divinâ lege sancitum erat; (*Deut:22.23,24.*) quibus addatur interdictum de meretricibus ac scortatoribus Israëlitici generis non ferendis. (*c. 23. 17.*) Jam quod ad ea, quæ contra naturam fiunt, attinet; ea sunt vel masculorum cum masculis, vel hominum cum belluis concubitus, quos quidem & prohibuisse Deum, & gravissimis suppliciis mulctari voluisse, Moses locupletissimus testis est; (*Levit:20,13,15,18.*) quibus addatur etiam congressus cum muliere in fluxu menstruo, istiusmodi flagitiis insertus. (*ibid:18.*)

‡ *Quibus addatur etiam congressus*] Istius cum menstruata conjuge congressus prohibitio, non tam moralis fuit quam cæremonialis, quod ex tali coitu vir immunditiem Leviticam & typicam contraheret, sicut ex contactu morticinii vel leprosi, ut liquet ex Levit:xv,24. Nam mulier menstruorum suorum tempore, polluta erat & omnia polluebat suo contactu, unde qui cum ea nescius concubuisset immundus manebat per septem dies: At si sciens & volens contra Dei expressum mandatum, utut cæremoniale tantum, deprehensus fuisset cohabitasse mulieri menstruatæ, ambo capite plectebantur, prout sub pœna mortis vetitus erat eius sanguinis & adipis Levit:vII,15.16. quamvis hoc interdictum cæremoniale esset, ad solos Judæos spectans, non morale & commune. In hac enim sanctione, non tam rei turpitudo moralis in se, quam protervia adversus Legislatorem, in considerationem veniebat.

Jam ut de iis matrimoniis agamus, quæ divinum cultum violant, hominesque à Dei studio abstrahunt; intelligendum est, ea potissimùm illa fuisse, quæ Israëlitæ cum extraneis nationibus inibant. Quæ quidem ob causam jam dictam prohibita fuisse, multis sacrarum literarum testimoniis confirmari potest. (*Exod: 34.15,16. Deut: 7. 3, 4.*) In quibus omnibus hæc eadem apposita causa est, nempe ne populus à Deo suo ad alienos deos colendos abduceretur. Cujus rei experimentum nimis evidens in Achab apparuit, qui à Jezabella in uxorem ducta circumventus, Baalim coluit, veri Dei cultu ex populo Israëlitico, quantum in ipso fuit, exterminato. (*3 Reg:16.31.*) Quid verò de Solomone dicam, qui licèt Deum bis in somniis sibi apparentem vidisset, eumque in omnibus propitium expertus esset, ac præterea omnes Reges admirabili sapientiâ longè multumque superaret; ductis tamen in matrimonium uxoribus alienigenis, (*1 Reg:11.2.& d.*) eâ depravatus fuit dementiâ, ut à Deo ad idolorum falsorumque deorum cultum turpissimè defecerit, sibique & suis posteris 262

maximum

maximum malum conflaverit. Cujus rei argumentum illud regni Israelitici dissidium erat, Solomoni vivo adhuc denunciatum, ipso autem mortuo Roboamo filio ejus immissum.

‡ *Ut à Deo ad Idolorum*] Neque finalis neq; totalis fuit Salomonis defectio à Dei cultu, sed tepor & remissio vehemens, dum indulsit suis Conjugibus sua Idoleia, & permittendo ac tolerando *idolorum falsorumque Deorum cultum*, Idololatriæ publicè favit, eamque fovit & quantum in se approbavit; unde 1 Reg: XI, 4. dicitur non fuisse *cor ejus perfectum coram Iehova Deo suo, sicut fuerat cor Davidis patris sui*; quatenus nempe multum remisit de illius zelo. Ubi illud debet in memoriam revocari quod dicit Seneca *epist.* 100. *Non statim pusillum est, si quod maximo minus est*; item *epist.* 70. *Ut non est bonitas pessimis esse meliorem, ita non est pravitas optimis esse deteriorem.*

Hîc quæres, cur Deus alienigenam mulierem bello captam in uxorem Israëlitis ducere permiserit, (*Deut: 21, 11, 13.*) si hæc res tantum in se continet mali? Respondemus, illud planè singulare, utpote ex singulari causa ortum fuisse, nempe quia mulier illa maximo labore summoque periculo acquisita erat, & sic valdè consentaneum videbatur, ut ei, à quo ducebatur captiva, quasi laborum periculorumque præmium obtingeret, & eo pacto populus in præliandi officio retineretur. Unde nequaquam consequitur, tale matrimonium ideo tunc concessum fuisse, quòd cum divina mente congrueret: sed quòd Deus, ut in multis aliis rebus, ita & in hac, populi illius infirmitati indulgere voluerit. Hoc autem ita esse inde perspici potest, quòd iis legibus conditionibusque Deus rem istam concesserat, quæ magnam vim haberent ad talem mulierem repudiandam. Nam & caput illam radere jussit, quo nihil fœdius aut turpius; & vestem, in qua comprehensa erat, cujusque ornatu vir ille fortè illectus eam duxerat, mutare, & per integri mensis spacium patrem matremque suam lamentari voluit; & denique non nisi istis peractis viro cum ea jungi, & si minùs placeret, eam liberam dimittere concessit. Has omnes conditiones, quam, quæso, aliam ob causam latas esse putabimus, nisi ut viro isti consilii mutandi præberetur occasio; & porrò apertissimè pateret, ejusmodi connubia non ex mera Dei voluntate fluxisse? Hujus igitur exempli singularitas nequaquam tantam vim habuit, ut universale tolleret mandatum, quod de fugiendis hujusmodi matrimoniis populo illi traditum erat.

‡ *Respondemus illud plane*] Fateor responsionem esse quoq; ex parte quorundã Hebræorum, ut videre est in erudito tractatu D. Buxtorfii *de Sponsalibus & Divort.* § 32. *partis* I. Sed & iidem Hebræi statuunt, tum apud eundem Buxtorfum, tum apud Seldenum *de jure nat. & gentium, ad leg. Heb: lib.* 5 *cap.* 13. non potuisse captivam duci in uxorem, nisi fieret proselyta Justitiæ, idest Orthodoxam religionem amplecteretur & sacris Ethnicis renunciaret; Potuerunt autem hi ritus ad proselytismum mulieris captivæ spectare, quo sic patriis ritibus valedixisse, & patriorum

rum sacrorum oblitam se fuisse profiteretur; non verò ut suo domino propediem viro futuro, illius fastidium injiceretur, eique hujus *consilii mutandi præberetur occasio*: Proselytarum istiusmodi mulierum non infrequentia occurrunt exempla in sacris literis: Tales fuerunt inter alias Rahab, Ruth Moabitis, Maacam filia Regis Gessur, quæ nupsit Davidi, filia Pharaonis quam duxit Salomon, cui ideo nonnulli dictum volunt Psal:XLV,11. *Audi filia ac vide & inclina aurem tuam; obliviscereque populi tui, & domus paternæ tuæ.* Non erant igitur absolutè prohibita conjugia cum extraneis omnibus, sed tantum cum solis septem nationibus Anathemati devotis; cum cœteris verò permissa erant sub conditione proselytismi; quò spectat casus ille alienigenæ bello captæ Deut:XXI,11.12.13. non ante ducendæ quam per proselytismum civium libertate & juribus donata fuisset.

Intelligendum autem est, præceptum istud divinum eo præcipuè subnixum fuisse fundamento, quòd Deus pro summa sua sapientia, omnem populo illi à sese ad idolorum cultum deficiendi voluit subtrahere materiam. Quòd si autem matrimonia cum externis nationibus inita, hanc præcipuè ob causam prohibita tunc fuerunt, quòd idola colerent; apparet, ne cum illis quidem tunc matrimonia contrahenda fuisse, qui licet ex eodem Israëlitico populo oriundi essent, idolis tamen cultum exhiberent. Quo factum esse videtur, ut postquam Jeroboam Israëlitis, quibus imperabat, idololatriæ causam attulisset, nequaquam licuerit Judæis Roboamo adhærentibus, cum illis, qui Jeroboamum sequebantur, connubii vinculis sese constringere.

† *Quo factum esse videtur*] Video quidem malè cessisse interdum Regibus Judæis societatem nimis arctam cum Achabo, cujus filiam Athaliam matri Jezabeli simillimam pessimo eventu duxit Rex Joram Josaphati filius; sed cum in Israële distinguerentur ii qui Baalem colebant, ab iis qui Jehovæ adhuc adhærebant, quamvis in vitulis Dane & Bethele per Jeroboamus erectis, non putem probari posse quod *nequaquam licuerit Iudæis Roboamo adhærentibus, cum illis qui Ieroboamum sequebantur, connubii vinculis sese constringere.* Quamvis enim Samaria adultera evasisset, nondum tamen libellum repudii ita erat consequuta, ut ejus incolæ populo Dei accenseri non possent. Etiam Achabi tempore multi supererant in illis partibus qui Baali non flexerant genua, nec à puriori cultu penitùs defecerant; & diu adhuc postea Ezechias solenne illud Pascha celebrans quod commemoratur 2 Chron: XXX, 1. & seq. etiam curavit Israëlitas, idest eos qui cæteroquin quoad politiã continuabant in Jeroboami secessione, ad ejus festi celebrationem secum invitari. An ergo detrectassent pii è Judæis, cum piis Israëlitarum connubia conjungere, quos ad eorundem sacrorum communionem invitabant?

Hinc colligitur, omnem cum altero societatem, ex qua morum consequitur depravatio, & à pietatis studio adversio, vitandam esse; & sic non ab iis tantùm matrimoniis abstinendum, per quæ idololatriæ contagione pollui possimus: sed etiam ab illis, quæ in easdem cujuscunque impietatis tenebras nos deprimere valeant, sedulò nobis cavendum esse. Unde porrò constat, nequaquam cum illis etiam connubio nobis coëundum esse, qui Antichristi qui- 263.

 dem

dem errores; & sic etiam idolorum cultum valere jusserunt, in aliis tamen peccatis persistunt. Nec quicquam ad contrariam sententiam valet, quòd fieri possit, ut ejusmodi matrimoniorum vinculis idolorum cultor errore liberetur, vel homo flagitiis deditus ad frugem reducatur; cum hoc Dei sapientissimi præceptum semper in oculis habendum sit; & quicquid contra illud, quantumvis optimo consilio, committitur, id in malis habendum. Mala verò ut bona eveniant, nequaquam facienda esse, & res ipsa docet, & Paulus egregiè monet. (*Rom:3.8*) Peccant autem in hoc præceptum non solùm illi, qui ipsi talibus implicant sese matrimoniis; sed etiam qui vel autores aliis ad eam rem sunt, vel qui, cùm consiliis de ea susceptis sua autoritate occurrere atque obsistere possint, connivent tamen in tanto facinore, hominumque interitûs causa existunt. Veluti sunt parentes, qui vel filios in talia matrimonia conjiciunt, vel filias suas illis collocant, qui peccatis paulò antè memoratis sunt contaminati. Quod tamen non nisi ea ex parte à nobis affirmatur, quatenus qui in nostra sunt potestate, in iisdem errorum & peccatorum tenebris minimè versantur.

‡ *Hinc colligitur, omnem*] In generè disparitas cultus, est causa semper impediens Matrimonium contrahendum; *Si cui nubere voles nube pari*; non est tamen causa dirimens matrimonium contractum.

Sed jam tempus est, ut quæ Christus mandato huic adjunxerit, videamus. Ea igitur duplicis sunt generis. Quædam enim ad animum etiam hominis ab omni adulterii contagione expurgandum pertinent: quædam verò ad corporis ipsius castitatem puritatemque spectant. Primò igitur quæ mentem etiam puram efficere possunt, illo Christi præcepto continentur, quo uxoris alienæ concupiscentiam prohibet; asserens, eum qui illius cupiditate flagrat, jam illam animo adulterasse. (*Matt:5.28.*) Quæ sua verba cùm Dominus Jesus Mosis legi de non adulterando latæ, tanquam diversum quippiam prohibentia apposuerit; constat, alienæ uxoris cupiditatem olim adulterii loco ductam minimè fuisse. Adde, quod alienæ uxoris cupiditas, non hoc, quo adulterium prohibetur, sed alio separato præcepto interdicatur.

‡ *Sed jam tempus est*] Quicquam additum fuisse à Christo ad hoc præceptum quod sub illo non contineretur, & in V. T. vitii loco non haberetur, omninò pernegamus,

Primò igitur quæ mentem] Uxoris alienæ concupiscentiam, qui negaverit sub V. T. ceu vitiosam damnari & prohiberi, is toti Scripturæ sacræ reluctabitur: Levit: XIX,2. Job: XXXII,9 10. Jer:v,8.

Quæ sua verba cùm] Hæc Christi verba Matt:v,28. non apponuntur *legi de non adulterando latæ, tanquam diversum quippiam prohibentia*, sed tanquam illius legis mentem explicantia, atque demonstrantia, legem ut pote spiritualem, non solum facta vitiosa damnare, sed etiam ipsas

sas inordinatas cogitationes; adeoque falli Pharisæos & Scribas, qui neminem violatæ hujus legis reum censerent, nisi de facto & ipso opere suam libidinem cum alterius conjuge explevisset, etsi cæteroquin haberet *oculos adulterii plenos*, ut loquitur Apostolus 2 Pet:II,14.

Constat alienæ uxoris] Præterea quod contrarium conceptis verbis docet Christus, & apud Deum mentium exploratorem, is qui scelus voluit illud fecisse censeatur, quia exercetur atque aperitur opere nequitia non incipit, hoc ipsum quod dicit Christus videlicet *alienæ uxoris cupiditatem* revera & apud Deum *adulterii loco* meritò duci, solum lumen rationis persuasit ipsis Ethnicis: & oculi qui dicuntur Petro ex Christi disciplina μεςοὶ μοιχαλίδος, appellantur à Valerio Maximo *lib.2.cap.1.§.de Usu vini mulieribus interdicto, subsessores alienorum matrimoniorum.* Et Seneca Pater, *Incesta est*, inquit, *etiam sine stupro quæ cupit stuprum.*

Nam scelus intra se tantum qui cogitat ullum
Facti crimen habet, inquit Juvenalis; & alius de muliere impudica;
Ut jam servaris benè corpus adultera mens est,
Omnibus exclusis intus adulter erit.

Adde quod alienæ] Atqui si illa *alienæ uxoris cupiditas*, quæ judice Christo in foro poli, utut non in foro soli, *adulterii loco* ducitur, etiam *alio separato præcepto* Decalogi interdicitur, id ipsum magis probat Cupiditatis illius prohibitionem inter additamenta Legi per Christum facta vitiosè recenseri. Sed præteria, primò non repugnat hanc cupiditatem vitiosam implicitè prohiberi septimo mandato, & explicitè decimo: Siquidem decimi præcepti ea est indoles, ut *furti & adulterii fontem atque originem extirpare instituat*, ut infra dicet ipse Volkelius *cap.20.* & hoc cœteris additum est, tum ad præcedentia præcepta in foro conscientiæ expressius explicanda & applicanda, tum ad naturam Legislatoris & obsequii Deo debiti meliùs connotandã. Secundò, Cupiditas alienæ uxoris, quæ in foro poli æquiparatur per Christum adulterio, est concupiscentia quæ jam *concepit*, uti loquitur Jacobus 1.15. & in qua ad primam Suggestionem accessêre Delectatio morosa & Consensus; at ea quæ alio separato præcepto interdicitur, intelligenda est quæ in sola Suggestione & titillatione prima adhuc consistit; Nam priorem esse peccatum, ipsi Ethnici, ut probatum est, luce naturali noverunt; at de hac posteriori dicit ipse Paulus Rom:VII,7. nesciturum se eam esse peccatum *nisi lex dixisset, Non concupisces.*

**Cupiditas porrò, quam hîc Christus vetat, non omnis illa est, quæ animum hominis invadit: sed est media quædam inter duas extremas cupiditates constituta; quarum altera repentino quodam animi motu continetur, qui ex im-
provifo per hominis cor pervadit, nequaquam autem ita in eo implicatur, ut 264.
illi voluntas assensum præbeat; sed statim evanescit, atque ex animo expellitur. Hanc cupiditatem non solùm peccatum istud non esse, quod Christus hoc in loco vetat, & adulterio accenset; sed etiam peccatum appellari verè non posse, hinc constat quòd ad verum peccatum committendum, tum voluntatis nostræ assensus requiritur, tum ut rem eam, quæ in peccatis habenda est, vitare in nostra situm sit potestate. Quorum cum neutrum in subita ista cupiditate locum habeat, consequens est, eam in peccatis veris numerandam non esse. Altera extrema alienæ mulieris cupiditas est, quâ quis ita in eam**

inflammatur, ut omnia faciat, quæ ad turpissimum istud facinus committendum requiruntur, adeò ut per illum nihil stet, quominus deliberatissima illius voluntas exitu concludatur, aut etiam eò deventum sit, ut sese, quod animo proposuerat, per errorem ipso actu perficere persuasum habeat, quamvis casu quodam impeditus, revera non perficiat. veluti si quis vel cum uxore sua, vel aliâ quapiam liberâ fœminâ concumbat, credens, se cum alterius uxore concumbere. De quo quidem solo concupiscendi genere hîc sermonem non haberi, inde patet, quòd illud nequaquam simplex, sed cum ipso facinore ita conjunctum est, ut ab eo parum aut nihil differat: Christum autem etiam de simplici quadam cupiditate sermonem habere, argumento est verbum *aspiciendi*, quod tam flagrans desiderium, cumque tanto conatu, qualem descripsimus, conjunctum, haudquaquam denotat. Cupiditas igitur, à qua hoc in loco Christus nos abducit, est desiderium alienæ uxoris, quo quis ita tenetur atque oblectatur, ut de eo explendo cogitationem suscipiat, vel saltem ex ipsa cogitatione impura voluptatem quærat, & animum eâ titillet. Habet enim cupiditas illa gradus suos, quorum licet quilibet adulterium quoddam contineat, quò tamen propiùs quis ad externum adulterii effectum accedit, aut etiam quò longiùs ab eo abest, eò vel graviorem, vel leviorem illius culpam sustinet.

‡ *Cupiditas porrò, quam*] Non sunt multiplicanda Entia absque necessitate: Agnosco dici posse *cupiditatem* hic prohibitam à Christo, non tam spectare ad evanidum istud desiderium rei illicitæ *quod repentino quodam animi motu continetur*, quam ad illud *quo qui ita tenetur atque oblectatur, ut de eo explendo cogitationem suscipiat, vel saltem ex ipsa cogitatione impura voluptatem quærat, & animum eâ titillet*: quia Christo potius propositum est eam cupiditatem damnare quæ formaliter impingit in septimum præceptum, quod Pharisæi perperam ultra ipsummet actum externum adulterii nolebant extendere, quam eam quæ potius ad decimum præceptum pertinet. Sed primò nego tres cupiditatis rei illicitę species esse constituendas: Siquidem uxoris alienæ concupiscentia fixa & in actu secundo, sic habet *gradus suos*, ut eorum *quilibet adulterium* in foro poli *contineat*; etsi alter *propiùs ad externum adulterii effectum* accedat, alter paullò *longiùs* absit, quatenus animus sistit in ipso desiderio, nec quærit & tentat media illius explendi. Secundò falsum est cupiditatem illam quæ *repentino animi motu continetur*, & *ex improviso per hominis cor pervadit*, sic ut *statim* evanescat, *atque ex animo* expellatur, *peccatum appellari verè non posse*: Nam hæc doctrina contradicit ex professo Apostolo Paulo, quemlibet talem motum primò primum concupiscentiæ, peccati nomine sæpiùs insignienti, idque ex ultimo Decalogi præcepto *Non concupisces*. Rom. VII, 7. 8. 9. 11, 13. 14. 17. 20. Nec potest negari id esse vitiosum & peccatum, quod est ex peccato & inclinat in peccatum. Unde etiam illa ipsa Concupiscentia in actu primo, quæ *lena vitiorum* dicitur Ambrosio, describitur à Jacobo I, 14. 15. ut fœcunda mater & matrix omnium aliorum scelerum & peccatorum. Et cùm non sit ex Deo, sed ex mundo, ut docet Johannes

I. II, 16.

1.11,16. jure merito peccatis accensetur in sacris literis. Neutra vero Volkelii ratio valet in contrarium. Non prior, *quod ad verum peccatum committendum* requiratur *voluntatis assensus*, qui non comparet in illo primo motu: Nam 1. falsum est nihil habere rationem peccati quod voluntarium ex pleno consensu & antecedenti deliberatione non fuerit: Quis enim neget sæpiùs homines peccare ex errore, ex ignorantia, ex subreptione? Sufficit ad peccati constitutionem, ut in dictis, factis, cogitatis nostris, imò facultatibus nostris naturalibus, insit ἀνομία & aberratio quædam à rectitudine quæ ex Legis constituto deberet eis inesse. Diu est quod protritum jacet hoc Pelagianum argumentum quo hoc prætextu negatur peccatum originale, quia formaliter voluntarium in infante ante usum rationis dici nequit. 2. Falsum est repentina illa desideria nullo modo voluntaria dici posse; cùm in ipsamet facultate appetente sive voluntate excitentur, & tamdiu volitionibus, sive ut alii malunt loqui, velleitatibus debeant annumerari quamdiu durant, & per contrarium actum voluntatis regenitæ & sanctificatæ non reprimuntur. Sanè qui cupit aliquid, ille hoc ipsum vult, maximè ubi est appetitus non merè naturalis, cujusmodi sunt fames & sitis, sed etiam moralis & rei illicitæ. Non posterior quod requiratur ad peccati veri constitutionem, *ut rem eam quæ in peccatis habenda est vitare in nostra situm sit potestate*; Siquidem nostra potentia vel impotentia non est officii nostra norma, sed Dei Lex; neque ex præsentibus quæ supersunt post peccatum viribus debemus æstimare peccatum, sed ex ipsa rei turpitudine & ἀνομίᾳ. Non est nunc situm in nostra potestate Deum diligere ex toto corde & ex tota anima; Qui tamen hoc non præstiterit reus est peccati. Etsi nunc in depravata natura per peccatum, non sit in hominis, quantumvis etiam regeniti, potestate, impedire primos illos concupiscentiæ motus sub quibus gemebat Apostolus, non faciens bonum quod vellet & faciens malum quod nollet, tamen certum est illis vitiosis & peccaminosis motibus, prævertentibus usum rationis, locum non fuisse futurum in statu integritatis, & potuisse hominem ante lapsum illos omninò prævenire: Nam appetitus inferior voluntati, voluntas rationi, ratio Deo, absque difficultate fuisset tunc obtemperatura. Quare cùm non naturæ simpliciter, uti fuit condita, sed depravatę & corruptæ, uti evasit post peccatum, hi motus primò primi concupiscentiæ sint adscribendi, dubium non est quin inter πλημμελήματα & vitia nostra debeant recenseri: peccato enim hoc nunc debetur quod non audiat currus habenas. Tertiò non satis prudenter negat Volkelius, Christum hîc non improbare, illam *alienæ mulieris* cupiditatem, quæ *cum ipso facinore* ita conjuncta est, *ut ab eo parum aut nihil differat*. Nam illud verbum *aspiciendi*, quo Dominus utitur, idest *contentis & tumentibus oculis prosequi*, ut in re simili Suetonius loquitur, ita extenditur ad primos quosque gradus concupiscentiæ vitiosæ in actu secundo, ut etiam & potissimum complectatur vel quantumlibet *flagrans desiderium* sceleris perficiendi. Nam fatetur ipsemet hæreticus, cupiditatem *à qua hoc in loco Christus nos abducit*, esse *desiderium alienæ uxoris quo quis ita tenetur atque oblectatur ut de eo explendo cogitationem suscipiat, vel saltem ex ipsa cogitatione impura voluptatem quærat & animum eâ titillet*. Etenim qui eo desiderio tenetur cum delectatione morosa, proximè quantum in se est *ad externum adulterii actum accedit*, ut revera *per illum nihil stet, quominus deliberatissima illius voluntas exitu concludatur*. Quartò ad meram cupiditatem non pertinet, quod hic proponitur à Volkelio, de homine qui eò devenit, *ut sese quod animo proposuerat, per errorem ipso actu perficere persuasum habeat, quamvis*

casu quodam impeditus, *revera non perficiat. Veluti si quis vel cum uxore sua, vel alia quapiam libera fœmina concumbat, credens se cum alterius uxore concumbere.* Hic enim præter vitium cupiditatis, accedit aliud peccatum, alterius ordinis & naturæ: Nam peccat gravissimè in suam conjugem, qui eâ utitur tanquam si altera esset & adultera; qui verò cum alia concumbit, animo adulterii perpetrandi cum uxore proximi sui, addit ad stuprum vel fornicationem adulterium mentale: & sic dici nequit intra merę cupiditatis orbitam se continuisse. Quanquam de neutro hoc peccato dici possit, ita *conjunctum* illud esse *cum ipso facinore* desiderato, *ut ab eo parum aut nihil differat.* Nam ipsum facinus nequit expleri, absque uxoris alienæ quam concupiscit, crimine ac scelere. Sed alterutrum horũ homo impurus potest committere manente innocentissimâ & castissimâ matronâ quam concupiscit. Deniq; per has distinctiones Volkelianas, non probatur τὸ κειμένον, videlicet Christum adjecisse septimo mandato Decalogi hoc interdictum de uxore alterius aspicienda, quasi nihil tale obtinuisset in Veteri Testamento, cujus contrarium jam suprà evicimus: Nam & damnantur Jer: v, 8. qui *ad uxorem proximi sui adhinniunt*, & Job noverat se ex Lege teneri pacisci cum suis *oculis ne respicerent ad virginem*, & volebat sibi retaliari, suamque uxorem alteri molere, si uxorem proximi concupivisset, Job: xxxi, 9. 10.

Quia verò impura hæc cupiditas externis quibusdam rebus excitatur, fovetur atque alitur: ideo Christus adversus eorum vim nos portò munit, easque nobis tradit præceptiones, quæ libidinum incitamenta à nobis propulsent. Primò igitur libidinoso nos aspectu prohibet illis verbis: (*Matt: 5. 28. 29.*) *Qui aspexerit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo. Si verò oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, ac projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Quæ quidem verba hanc sententiam continent; præstare nimirum oculos à mulieris alienæ aspectu adeò remotos habere, ut eos tibi eruisse quodammodo & abjecisse dici possis, quàm eam intuendo animum cupiditate incendere, & adulterio quodam contaminare, ex quo fiat, ut in gehennam, quæ adulterii merces est, conjiciaris. Quòd autem non utrumque, sed alterum tantùm oculum, eumque dextrum nominat, &, si peccandi nobis occasionem præbiturus sit, eruendum potiùs & abjiciendum esse ait: id partim ideò ab eo fieri existimandum est, quòd oratio elegantior sit, si unius tantùm membri, quàm si plurium amissio, *totius corporis* conservationi opponatur: partim verò eam ob causam, ut potiùs charissimam quamque rem, qualis est oculus dexter, qui sinistro aliquâ ratione videtur esse charior, perdendum esse ostendat, quàm tanto cum periculo alienam mulierem aspectemus.

‡ *Primo igitur libidinoso*] At hunc libidinosum aspectum in quo illud obtinet, *Ut vidi, ut perii*, æquè Deus interdixerat sub V. T. Æquè etiam tunc illius vitandi gratiâ oculus dexter fuisset potiùs eruendus, & pes potiùs præcidendus, quam eò venire ubi vel illius periculum adiri poterat: Adeoque nunquam audire licuit illud Ethnici, *Casso saltem delectamine amare liceat, si potiri non licet.* Eodem

ferè

ferè sensu cum iis quæ hîc habet Christus dictum à Seneca; *Projice quæcunque cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum erat.* Et notum illud Ciceronis in *Philippicis*: *In corpore si quid ejusmodi est quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur, ut membrum aliquod potius quam totum corpus intereat*: Nihil autem hîc novi à Christo mandari & quod ipsis Ethnicis sapientioribus jam olim non allubuerit, patere potest vel ex *l.225. ff. de Verb. signif.* ubi Tryphonius monet, *furem, adulterum, aleatorem*, dici posse, *etiam eum qui nunquam alienam rem invito domino subtraxerit, nunquam alienam matremfamiliâs corruperit, si modo ejus mentis sit ut occasione datâ id commissurus sit.*

Eadem ratio & sermonis impuri atque obscœni est, quem Christus per Paulum nobis prohibet. (*Ephes: 4.29, & 5.4.*) Nam & animi impuri argumentum est, & sæpè fit, ut mentem alioqui purissimam miserandum in modum depravet, & ad omne libidinum genus meditandum impellat. Quod quantopere ab animo Christiano abhorreat, qui totus in vitæ castitate ac sanctimonia, rerumque divinarum contemplatione defixus esse, qui ædificare, ut sac. literæ loquuntur, omnes, corrumpere neminem debet, quivis facilè videt. Itaque omnis verborum obscœnitas vitanda nobis ita est, ut nec ipsa eâ utamur, nec utentibus aures præbeamus. Corrumpunt enim, inquit idem Apostolus alibi, (*1 Cor:15.31.*) bonos mores colloquia prava.

‡ *Eadem ratione & sermonis*] Atqui sermones impuros & obscœnos, nemo dixerit ante tempora Christi licitos fuisse, nec lege Dei prohibitos. Multa sunt apud Salomonem in proverbiis de linguæ regimine & moderamine: Et illa ipsa verba Apostoli quæ citat Volkelius ex 1 Cor: xv, 33. continent Menandri, Poëtæ Ethnici, senarium; ut observatum Hieronymo.

Huc & alienæ uxoris, aut cujusvis alterius fœminæ contrectatio, quæ impuram libidinosamque cogitationem in nobis excitatura esset, pertinet, quam Christus illis verbis interdicit: *Si dextra manus tua scandalizat te, amputa eam, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus mittatur in gehennam.* (*Matt: 5.30. & cap.18.8. & Marc:9.43.*) Quod quidem Christi pronunciatum, tametsi ad alia etiam nos docenda alicubi adhibitum fuisse credibile est: tamen si materia, de qua in loco nostro agitur, ponderetur, perspicuum est, Christum, ut oculorum aspectum planè à muliere aliena removendum potiùs esse, quàm in flagitium perniciemque sempiternam incidamus, asserit: ita & manum dextram amputandam, id est, vel minimam contrectationem planè vitandam docet, si sceleris vel animo concipiendi, vel opere perficiendi, causam nobis sit allatura.

‡ *Huc & alienæ*] Neque hîc quicquam novi aut non damnati Lege Dei: Ab ea sane debemus manus continere, à qua oculi sunt avertendi: Quam etiam omnis inhonesta contrectatio Lege Dei damnaretur, vel ex eo liquet quod Deut: xxv, 11. 12. debebat resecari manus ejus mulieris, quæ ausa fuisset virum, cum suo marito pugnantem, per verenda apprehendere.

Ad

Ad hunc autem locum non immeritò referri possunt & comessationes, à
266. Christo & Apostolis interdictæ: partim quidem, quia eodem cum libidinibus genere continentur, atque ad belluinas corporis voluptates spectant; partim verò, quia libidinum & impurarum cupiditatum solent esse caussæ. Est autem comessatio in sac. literis interdicta, nihil aliud quàm ejusmodi cibi potusque usus, qui eò revera spectat, ut corpus nostrum voluptate titilletur, non verò ut vires illius reficiantur, ac valetudo conservetur. Usus vero hujusmodi nimius est ac immoderatus; & porrò, ut nihil in omni vita moderatum efficere potest; ita hominum animis maximum turpissimarum cupiditatum affert incendium. Sapientissimè igitur ipse filius Dei hunc in modum suos alloquitur; *Cavete, ne fortè obruantur animi vestri crapulâ & ebrietate, & hujus vitæ curis, atque ita vos nec opinantes illa dies opprimat.* (*Luc:21.34.*) Paulus autem ita inter alia, quæ apud ipsum hac de re habentur, præcipit: (*Rom:13.13.14.*) *Ut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & lascivиis*; & mox: *carnis curam ne gerite ad concupiscentiam.* Voluit quippe Deus, nos à luxuria abducendo, tum aliis sceleribus, quæ ex ea nascuntur, obviam ire, tum præcipuè libidinum faces extinguere. Quare cum vitæ fruendæ modum nobis præscripsit, qui necessitates nostras minimè excedat, quique ad nefarias cupiditates refrænandas, ad preces Deo ritè adhibendas, ad animos denique nostros in rerum cœlestium meditationem erigendos, sit accommodatus. Ad eam autem rem perutile videtur, interdum corpori nostro nonnihil denegare eorum, quæ ad illius conservationem requiruntur, ut nimirum, quoad ejus fieri potest, à cibo potioneque abstineamus. Quæ quidem rei jejunii nomine à divinis autoribus exprimitur; commendaturque tum ab ipso Christo, (*Matt: 6.18:17.21.*) tum ab Apostolis; (*1 Cor:7.5.*) non quidem ut planè ad salutem necessarium esse statuatur; sed ut ejus religionem ad ea, de quibus paulò antè mentionem fecimus, ritè perficienda mirum in modum conducere existimemus. Quorum illud ideò à nobis commemoratur, ne protinus scelere illum sese adstringere putemus, qui, quòd valetudinis est imbecillioris, à cibo potuque abstinere non potest.

‡ *Ad hunc autem locum*] Ut ista in genere probamus, sic nihil continent novorum officiorum per Christum & Apostolos præscriptorum, & quod non fuerit laudatum ipsis-met Ethnicis; apud quos mille extant sententiæ adversus comessationes & ebrietatem, ceu libidinis nutriculas; juxta illud *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Extabant quoque olim Leges à Deo præscriptæ de jejuniis & sæpè Prophetæ invitant populum ad ea celebranda, adeoque etiam suam habent necessitatem ad salutem, si non medii saltem præcepti, si non singulorum respectu & in actu exercito, saltem respectu communitatis fidelium & in actu signato.

Hoc verò ea re subjunximus, ut jejunium multò magis nostris his, quàm

priscis

priſcis illis ſub veteri fœdere temporibus convenire intelligamus: cùm in vetuſto illo fœdere, nec precum religio lege ſancita fuerit: nec tanta caſtitas ſanctimoniaque vitæ ab illius ætatis hominibus fuerit exacta, quantâ præditum eum eſſe oportet, qui ad ſempiternam vitam aſpirare cupit. (*Act:13.2 31. & 14.23. 1 Cor:6.5 11.17.*) Quanquam haud ſanè diffitemur, jejunia olim viguiſſe: ſed illud tantùm aſſerimus, ea hodie magis videri obſervanda. & hanc quidem ob rem Apoſtolos, alioſque homines divinos non ſemel jejunâſſe legimus. 267.

‡ *Hoc vero ea re ſubiunximus*] In genere falsò dicitur *jejunium multò magis noſtris his, quam priſcis illis ſub Veteri fœdere temporibus convenire;* Nam ſub Novo Fœdere nullæ ſunt latæ leges ſpeciales de jejuniis, ut ſub Veteri; & Chriſtus disertè profitetur, noluiſſe ſe id jugum imponere ſuis diſcipulis Matt: IX, 14 15. Imò hæreticis annumeravit Antiquitas Montanum, Tatianum, Euſtathium & ſimiles, qui leges ſpeciales jejuniorum primi inter Chriſtianos voluerunt promulgare: Potiſſimum intereſt ut vita omnis noſtra cum ſobrietate & temperantia tranſigatur, ſitque juge illud jejunium myſticum quod laudat & commendat Propheta Eſ: LVIII, 6.7. Equidem legimus *Apoſtolos alioſq; homines divinos non ſemel iejunaſſe;* Nec inficiamur etiam nunc eſſe jejunandum, ut tempus exigit & res, tum privata tum publica: Sed cum pariliter legamus quoque jejunaſſe Prophetas & ſanctos Dei viros ſub V. T. & fateatur Adverſarius etiam *jejunia olim viguiſſe,* nulla ex Apoſtolorum praxi ſubeſt ratio quâ conſtet *ea hodie magis videri obſervanda*: Et id quod *videtur* duntaxat, tam facile poteſt negari quam affirmari. Speciatim vero falſum eſt quod *in vetuſto illo fœdere, precum religio lege ſancita non fuerit,* cùm ipſa jejunia maximè fuerint adhibita precum ergo, ut vel ex Dan: IX, 3. Joël: II, 15. 16. Jon: III, 7. ne plura congeram, evidenter liquet; & ſuo loco demonſtrarim etiam tum mandata expreſſa extitiſſe de Deo invocando; Falſum quoque quod *nec tanta caſtitas, ſanctimoniaque vitæ ab illius ætatis hominibus fuerit exacta, quantâ præditum eum eſſe oportet qui ad ſempiternam vitam aſpirare cupit;* cùm & debuerint etiam illius ætatis homines aſpirare ad vitam æternam, ac revera omnes pii ex illis ad eam firmiter aſpirarint; & non minor ab illis ſanctimonia & caſtitas exigeretur quam à nobis: Siquidem illis dicebatur, *Sancti eſtote quia ſanctus ſum* Levit: XIX, 2. Nec putem ullum Socinianum tam abſurdum fore qui ſtatuat, magis tum quam nunc licuiſſe ſcortari, aut concupiſcere uxorem alterius, aut eam inhoneſtè contrectare, aut ſpurcè loqui.

Ut autem magis rem iſtam explicemus, intelligendum eſt, duplicia eſſe jejunia, privata nimirum, & publica. Privata ſunt, quibus ſinguli ſeorſim utuntur. Publica, quæ publicè, cumque conſenſu omnium ſuſcipiuntur. Utrumque porrò jejuniorum genus ferè eoſdem fines ſibi propoſitos habet, nimirum ut vel aliquid exoremus, ſive illud ad divinam gloriam amplificandam, ſive ad aliquam Eccleſiam juvandam, periculiſque eripiendam, ſive ad proximum noſtrum quacunque ratione ſublevandum, ſive denique ad nos ipſos divino aliquo munere afficiendos ſpectet; vel ut ad res divinas peragen-

das magis appositi simus. Atque etiam alius jejunii finis est, quem suprà ad hoc præceptum maximè spectare diximus, nempe qui in domanda cupiditate consistit. Verùm hic non tam in publicis, quàm in privatis jejuniis locum habet: cùm publica jejunia promiscuè & communiter omnibus indicantur, sive cupiditatum compressione illis opus sit, sive non. Adde quòd, cùm publicum instituitur jejunium, multi esse possunt, qui per valetudinis naturæ-vé imbecillitatem à cibo abstinere nequeant. Constat igitur, ut eò revertamur, unde egressi sumus, magnam hodie à nobis requiri continentiam; quam ut tueri possimus, & immoderatus ciborum potionumque usus nobis interdicitur, & jejunium, ut videmus, nobis commendatur. Quanto ergo mentis errore ducuntur illi, qui otia, qui jocos, qui lusus, saltationes, aliasque continentiæ pestes, nequaquam in vetitis numerandas esse ajunt, iisque sese oblectare nihil verentur? Cùm enim ista omnia ad excitandas libidines magnam vim habere, ipsaque libidine nos prohiberi constet; quomodo, quæso, quæ hujus causam nobis afferunt, in prohibitis minimè habenda sunt? Quid, quòd ea etiam prohibita censenda sunt, quæ prohibitis sunt similia; utpote ad rerum interdictarum genus spectantia. Cùm enim Paulus (*Gal:5.21.*) omnia carnalium operum genera, propter illorum multitudinem, enumerando percensere non posset, & ideo paucis rem perstringere necesse haberet, his verbis sententiam finivit, *Et his similia*. Huc accedit, quòd vanæ actiones, verborum vanitatem vel superent, vel saltem æquent. Cùm igitur hac prohibeamur, (*Matt:12.36. Ephes: 4.29. & 5.4.*) quid tandem de illis existimabimus? Neque enim protinus à prohibitorum numero excludenda ea sunt quæ expressis literis non vetantur: cùm satis sit, hoc implicita quadam ratione fieri.

‡ *Constat igitur, ut eò*] Nec major *hodie* continentia à nobis requiritur quam à Judæis, qui etiam tenebantur, *sua vasa possidere in sanctificatione & honore, μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, sicut gentes quæ non norunt Deum* 1 Thess: IV, 4.5. Nec magis ad sobrietatem quam illi adstringimur, nec amplius quam illis *jejunium nobis commendatur*; Nec demq; minus illi quam nos tenebantur fugitare omnia libidinis incentiva, quæ hîc commemorantur. Quis enim dubitet Deum prohibendo scortationes & adulteria, ac similes impuritates, unà porhibuisse omnia illa quæ ejusmodi impuritatibus ciendis aut fovendis inserviunt? Cur non æquè in V.T. valebit ac in N. regula hæc adversarii quâ statuit non *protinus à prohibitorum numero excludenda ea esse, quæ expressis literis non vetantur, cum satis sit hoc implicità quadam ratione fieri?* Quod si Volkelius hujus sui axtiomatis benè meminisset. non frustra se fatigaret vel in iis non admittendis ceu necessariis ad salutem, quæ tantum implicitè & per evidentem consequentiam ex Scripturis habentur; vel in iis adinveniendis, quæ Christus adjecerit singulis Decalogi preceptis, cùm illa ipsa quę fingit a Christo addita de novo, reverâ, *implicità* saltem *quadam ratione*, Decalogo ipso contineantur.

Ut igitur tandem hanc explicationis nostræ partem concludamus, animadvertendum est, omnia ista, quæ vel expressè, vel implicitè nobis interdicta esse

esse hactenus diximus, id est, & comessationes & eas comitantia, hæc nimirum, quæ modò enumeravimus, olim Israëlitis indulta fuisse; quia tunc, nec ad cœlestia assiduè contemplanda, abductis animis à rebus terrestribus, incitabantur; nec tantam illis vitæ continentiam atque castitatem Deus imperabat; nec denique, ut suprà etiam diximus, in assiduo precum studio versari jubebantur. Hodie autem, cum contra à nobis fieri oporteat, evenit, ut quæ olim in peccatis non habebantur, quævé pœnâ in lege propositâ non coërcebantur, gravissima sæpè peccata existimanda sint. 268.

‡ *Animadvertendum est omnia*] Hæc animadversio est planè impia: Nam *comessationes & eas* comitantes continentiæ pestes & lasciviæ ac luxuriæ fomites ac incitamenta, quæ commemorantur Adversario, Deum olim Israëlitis indulsisse, est falsissimum: Si quæ sacra convivia illis præceperat Dominus, vocabantur in illis non ad insolens gaudium, sed ad sanctam & gravem lætitiam coram ipso: Et quis nisi planè impius statuat Deum unquam indulsisse suis fœderatis comessabilitatem & comessationes, quas ipsi-met Ethnici turpissimis vitiis, semper annumerarunt? Quam infames apud illos fuerint comessationes, notat Stukius *Antiquit. Conv. lib.* I. *cap.* 10. Quare eas Paulus Rom:XIII,13 Gal:V,21. & Petrus 1 Pet: IV, 3. gravioribus sceleribus accensent, quorum Deum licentiam unquam fecisse suis fœderatis, citra contumeliam in ipsum dici nequit. Imo ubi Deut:XXI,20. fertur lex de filio immorigero capite plectendo, inter alia crimina quæ illi parentes possunt apud Magistratum objicere, hoc unum commemoratur Mosi, quod *vacet comessationibus*. Imò vini potatores & comessatores damnantur conceptis verbis Salomoni Prov: XXIII,20. & XXVIII,7. Sic Propheta vehementer invehitur in eos qui lautè & molliter convivabantur, nec condolebant *super contritione Iosephi* Amosi VI. 3. 4. 5 6. Etiam Israëlitæ ad preces assiduas æquè ac nos tenebantur; unde David se precatum *septies* de die profitetur Psal: CXIX, 164 & Daniel *ter* de die vacabat precibus Dan: VI,10. Ac prout ad parem nobiscum *vitæ continentiam atque castitatem* obligabantur, ita non minus *ad cœlestia assiduè contemplanda, abductis animis à rebus terrestribus, incitabantur*: cùm illa ipsa terrestria beneficia quæ illis conferebantur à Deo, debuerint ipsis esse cœlestium imagines, & tenerentur hac parte imitari Mathematicos, qui ex umbris terræ syderum magnitudinem metiuntur.

Ut quæ olim in peccatis] Falsum est ea nunc peccatis annumerari, quæ *olim in peccatis non habebantur*. Nam semper eadem Lex viguit & vigebit, quæ est norma recti faciendi & obliqui declinandi. Nec ideo in peccatis statim id non habebatur, quod *pœnâ* aliqua *in lege* forensi *propositâ* non coercebatur. Omnibus enim peccatis quæ in Deum committi possunt, & revera committebantur sæpiùs, pœnæ civiles & in foro externo non erant constitutæ; sed gravioribus duntaxat criminibus, quibus Societas humana apertiùs violabatur. Quanquam & capitalem pœnam filius immorigerus ob suas *comessationes*, nominatim, ex lege Dei debebat sustinere, ut modò visum. Uno verbo nec Deus olim comessandi facultatem fecit Israëlitis, cùm hoc ipsum honestiores è Gentilibus solo naturæ lumine turpissimum reputarent, nec abstulit *hodie* nobis omnem facultatem convivandi & hilaria celebrandi, pro cujusque conditione & facultate, absint modò luxus & temulentia. Potest addi ad poculum necessitatis, poculum hilaritatis, modò tertium quod est ebrietatis non sequatur. Christus

ipse promiscuè variis interfuit conviviis, etiam nuptialibus Luc:v, 29. Joh: II, 2. XII, 2. & dicit de se quod venerit *edens & bibens*; nec refugerit ideo calumniam suorum adversariorum, qui inde eum traducebant tanquam comessatorem Matth: XI, 19. Et Paulus jubet ut si quis *fidelium* nos invitaverit, comedamus de omni eo quod nobis fuerit appositum; non ut tali convivio penitùs abstineamus I Cor:x, 27. Non semper arcum tendit Apollo: Nec interdicitur Christianis omnis honesta recreatio, si modesta fuerit, & in apertam lasciviam ac ebrietatem non proruperit.

Quanquam autem ista olim etiam prohibita fuisse multi censent: tamen secùs sese rem habere facilè constabit, si illud testimonium justis ponderibus examinabimus, quod opinionis istius confirmandæ causâ in medium afferri solet. Extat autem locus iste apud Esaiam vatem, qui hunc in modum loquitur: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis: cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.* (*Esa: 5. 11.*) Item: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* (*Ibid: v. 22.*) Quo in loco animadvertendum est, nequaquam simpliciter comessationes ebrietatemque prohiberi; sic enim & usum quoque musicorum instrumentorum interdictum tunc fuisse, præsertim in conviviis, concludendum esset, quod nemo, ut arbitramur, concesserit. Ex ea igitur parte comessationes illæ apud Esaiam vituperantur, quatenus comessatores illi, ut ibidem dicitur, voluptatibus penitùs immersi, opus Dei non respexerunt, & opera manuum ejus non considerârunt, adeoque Deo metum non præstiterunt, nec illi, qui omnium bonorum fons origoque est, ut par erat, gratias egerunt. Adde quòd, si maximè vates istos, quos alloquebatur, rebus hîc memoratis prohibuisset; non tamen protinus ad omnes omnium temporum Israëlitas id spectaret: cùm quæ Israëlitas generatim omnes devincirent, nequaquam ex vatibus, sed ex fœdere cum omnibus per Mosen facto petendâ fuerint.

‡ *Quanquam autem ista*] Ex iis quæ hactenus disputavimus satis liquet, comessationes & temulentiam earumque comites prohibitas fuisse: Nec alias Moses ebrietatem & Noæ & Lothi retulisset, nisi inde voluisset Spiritum Sanctum nobis constare, etiam quandoque bonum Hometum dormitare, nec sanctissimos ex Patriarchis suis nævis & vitiis caruisse. Ebrietatem autem damnari in V. T. comprobat inter alia hoc *illud testimonium* Prophetæ Es:v, 11, 12. ex quo hic conatur se extricare Adversarius: Quæ enim invectiva major posset fieri in comessatores & ebriosos? Annon debuit ebrius fuisse Volkelius, cum ausus est negare, hîc loci *comessationes ebrietatemque* damnari & prohiberi? Nec tamen sequetur *usum quoque musicorum instrumentorum interdictum tunc fuisse, præsertim in conviviis*: Nam nec convivia, nec vinum, nec musica, simpliciter damnantur à Propheta, ut nec à Christo: sed damnatur vini & musicæ abusus in comessationibus illis impuris, quibus immersi ebriosi & temulenti homines, Dei obliviscebantur, *& opus ejus non respexerunt*: Ecquid enim est vitiosum & damnandum amplius in comessa-

comessationibus, nisi quod per illas homines ita libidini & voluptatibus suis mancipantur, ut nec Deo *gratias* agant, *ut par erat*, nec ipsi *metum* ac reverentiam debitam præstent; quo fræno semel excusso, bestiarum instar ruunt in omne nefas, & nihil est quod non polluant. Quod si non sufficit hoc testimonium Esaiæ adversus ebrietatem, addantur ei sequentia, Es:XXVIII,7.LVI,12. Hos:IV, 11. Prov:XX,1.

Adde quod, si maximè] Verum nihil absurdius hoc effugio: Nam si comessationibus & ebrietati indulgere licuisset usque ad tempora Esaiæ, nullo jure potuisset eas vitiis annumerare & tam vehementer reprehendere. Imò ex hac illius reprehensione constat rem semper fuisse odiosam & illicitam etiam tempore Mosis, quo ebrietatem, & petulantiam Israëlitæ adjecerunt suæ Idololatriæ, Exod: XXXII,6. 1 Cor: X,7. Saltem cum Prophetæ jam suo tempore ebrietatem & comessationes improbarint, inde liquet earum primam prohibitionem, per modum additamenti ad Legem Mosaicam, Christo non esse adscribendam.

Hactenus ea exposuimus, quæ ad mentis etiam castitatem tuendam, huic Mosis præcepto addita sunt, aut ob affinitatem quandam huc referri jure possunt. Sequitur, ut ea videamus, quæ ad ipsum corpus ab impuritate integrum conservandum pertinent. Primò igitur statuendum est, omnes generatim loquendo libidinum expletiones, quæ extra matrimonii vinculum fiunt, (*1 Cor:6.9. Gal:5.19. Ephes:5.3,5.*) interdictas ita esse, ut qui illis sese contaminant, contaminareque pergunt, à cœlestis regni possessione arceantur: veluti est scortatio, & alia hujus generis flagitia. Deinde speciatim omnes 169.
eas vetamur turpitudines, quibus matrimonii puritas, ad novum fœdus respectu habito, violari potest. Hoc autem duplici ratione fieri constat; quarum prior, cum intra matrimonii limites sese contineat, in matrimonii tamen puritatem haud leviter peccat, nimirum connubii usus immoderatus. Neque enim ita uxori operam dare homo Christianus debet, ut mundanorum hominum more, aliquam felicitatis partem in venerea voluptate constituat; sed ut necessitati serviat, scelusque vitet. Quod ita, ut dicimus, esse, Paulus non obscurè docet, (*1 Cor:7.29.*) cùm, qui uxores habent, eos ita sese gerere jubet, ac si non haberent: quo pacto & qui plorant, eos perinde esse vult, ac si non plorarent; & qui gaudent, ac si non gauderent; & qui emunt, ac si non tenerent; & qui utuntur hoc mundo, ac si non utantur. Quibus verbis sine dubio Apostolus id agit, ut nos à rerum istarum abusu abducat, taciteque moneat, minimè rationi consentaneum esse, ut quibus sempiternæ felicitatis exploratissima spes ostensa est, ii in fluxis momentaneisque voluptatibus beatæ vitæ partem contineri existiment.

‡ *Hactenus ea exposuimus*] Nec Legi Mosaicę ea addita sunt de quibus antea egit Author, & *generatim loquendo*, sub V. T. æquè ac nunc, *omnes libidinum expletiones quæ extra matrimonii vinculum fiunt*, interdictæ fuerunt, sub pœna maledictionis æternæ.

Quibus matrimonii puritas] Atqui illæ

 turpi-

turpitudines quibus violatur matrimonium, æquè illitæ fuerunt & vitiosæ sub V.T. ac sub Novo: Nec magis licuit Israëlitis esse adulteris suarum conjugum quam Christianis; Et dictum illud Pauli 1 Cor: VII,29. quod citat Volkelius, non minus olim debuit vigere in piis conjugibus, maximè temporibus durioribus Ecclesiæ, quam hodie. Uti licet illis voluptatibus, frui non, ut aliquando dixit Augustinus.

Sed jam alteram matrimonii violandi rationem, quæ matrimonii vinculum vel penitus, vel aliquo modo convellit, perpendamus. Hæc autem rursus vel in divortiis non legitimis, vel in plurium uxorum, ut ita dicam, habitione constituta est. Ac de divortiis quidem Christus hæc facit verba: (*Matt: 5. 31.*) *Audistis quòd dictum est, Qui uxorem suam repudiabit, det ei libellum divortii. Ego verò vobis dico, Qui uxorem suam repudiat (exceptâ stupri causâ) in causa est, ut ea adulteret; & qui repudiatam ducit, adulterat.* Hinc perspicuum est, istam uxoris dimissionem planè irritam esse; & porrò uxorem repudiatam nequaquam cessare uxorem ejus esse, à quo sine adulterii culpa repudiata est. Quam quidem doctrinam suam Christus ex divini instituti ratione deduxit. (*Matt:19.3. Marc:10.2.*) Ab instituto enim Dei rem istam planè abhorrere Christus luculenter ostendit, ab initio non ita fuisse asserens; sed Deum ab ipso principio ita marem fœminamque creasse, ut duo essent caro una. Quod quidem institutum Dei constare non potest, si uxorem ob quamvis causam dimittere licet. Cùm enim hîc arctissima duorum conjunctio declaretur, certè quælibet causa eam dirimere minimè potest; cùm nihil tanto necessitudinis vinculo magis contrarium esse possit. Quòd tamen non exigua divino huic instituto vis illata fuit, Deo quasi connivente; id ad Judæorum obstinationem revocandum esse Christus ait. Quid, quòd ipsi etiam Pharisæi animadvertisse videantur, divortia ejusmodi, qualia inter Judæos usitata essent, non injuria
270. riâ reprehendi posse. Dicuntur enim Christum tunc tentasse, cùm ex eo quæsiverunt, an uxorem qualibet de causa dimittere liceret. Unde colligitur, eos Domini hac de re sententiam exquirere voluisse, ut quicquid tandem diceret, ejus accusandi materiam haberent; ac proinde rationem in promtu habuisse, quâ viderentur rectè Dominum reprehensuri, & erroris eum convicturi, si id, quod passim fieret, licere affirmasset.

† *Quam quidem doctrinam*] Sed inde perspicuum est, hanc *doctrinam* non recens traditam à Christo, sed jam olim à Deo fuisse propositam in ipsa Conjugii primæva institutione; adeoque toleratam quidem fuisse sub V. T. licentiam divortiorum, neutiquam verò concessam vel permissam permissione juris: nisi statuamus cum Manichæis Deum V. T. sibi contrarium fuisse, & suo ipsius instituto hanc permissionem divortiorum opposuisse; Siquidem primum *institutum Dei constare non potest, si uxorem ob quamvis causam dimittere licet.* Quare *divino huic instituto* fuit *vis illata* à Judæis, *Deo quasi connivente*, idest pœnas violati sui instituti non exigente in foro soli per Magistratum, neutiquam tamen consentiente

vel

vel approbante: Et cùm agnoscerent Pharisæi, *divortia ejusmodi, qualia inter Iudæos usitata essent non injuriâ reprehendi posse*, hinc liquet eorum reprehensionem & prohibitionem, Christo Mosem corrigenti non esse adscribendam. Imò jam olim per Malachiam II, 14. 15. eadem extiterat reprehensio; & scopus Pharisæorum hîc tentantium Christum fuit eum vel erroris convincere, si *licere affirmasset*, quod noverant ex instituto divino, cui Moses non fuit contrarius, esse vitiosum; vel invidiæ publicæ exponere, si virorum libertatem in mutandis suis uxoribus videretur restringere, & eos dãnare ad supplicium Mezentii qui corpora mortua vivis jungebat ut miseriùs perirent; Hinc discipuli auditâ illâ condemnatione divortiorum per Christum juxta Dei institutum, quod ab ævo debuisset obtinere, dicunt attoniti Matt: XIX, 10. *Si ita est negotium viri cum uxore, satius foret uxorem non ducere.*

Hîc verò dicet fortasse aliquis, Paulum uxoris dimissionem approbâsse; (*1 Cor: 7. 15.*) quinimò & hoc addet, rem ipsam efflagitare, ut, si uxor ad matrimonii societatem ab ipso statim initio prorsus inepta sit, eam dimittere liceat; propterea quòd hæc connubii præcipua causa esse videatur; ideoque hoc vinculo soluto, matrimonium constare minimè possit. Hîc respondemus, istos casus nihil cum hoc Christi præcepto de non dimittenda uxore commune habere. Dimissio enim, quam Christus oratione complectitur, veri & legitimi aliàs matrimonii dissolutio est, à pura mariti voluntate pendens, qui, licèt uxore frui possit, renuit tamen eamque contemnit. Atqui ea matrimonii dissolutio, de qua Paulus agit, nequaquam à viri profluit voluntate, sed ab uxoris protervitate, propter religionis diversitatem cum viro ætatem agere nolentis. Ea verò disjunctio, quæ oritur ex rei ad matrimonii vinculum necessariæ defectu, qui ab ipso societatis illius initio extiterit, nec divortium verè appellari potest, cum nec societas antegressa pro vero matrimonio fuerit habenda; nec à pura viri voluntate pendet.

‡ *Hic vero dicet aliquis*] Duo sunt casus in quibus Divortium est licitum: primò adulterium, ex dicto Christi Matt: v, 31. Conjugem enim adulteram jure potest vir Christianus repudiare, imo tenetur ex Hieronymi sententia; quæ tamen rigidior est. Deinde malitiosa desertio, ex Paulo hîc loci: Sed neutra Matrimonii dissolutio *à pura mariti voluntate* pendet; verum ad eam adigitur injuriâ & contumaciâ suę conjugis. Cum ae verò *quæ ad matrimonii societatem ab ipso statim initio prorsus inepta sit*, ut si non fuerit viri potens vel immeabilis, ut Canonistæ loquuntur, nullum verum Matrimonium potuit fieri; adeoque ibi non habet locum dissolutio matrimonii quod verum fuerit, sed tantum declaratio nullitatis ejus quod perperam contractum videbatur.

Atqui ea matrimonii] Sic etiam ea quam permittit Christus adulterii causâ, nequaquam à mera viri voluntate profluit, sed ab uxoris crimine, quo moraliter adigitur ad eam domo suâ exigendam; cum eâ *frui* tutò & honestè amplius non *possit*.

Jam ut ad illud, quod altero loco propositum nobis erat, veniamus; intelligen-

telligendum est, plures uxores citra adulterii flagitium habere nemini licere. Id quod tum ex Christi testimonio paulò antè adducto, tum ex aliis sanctarum literarum oraculis manifestum est. Ac Christi quidem testimonio, duobus modis res ista comprobatur. Primò enim Deum ab initio marem & fœminam ita condidisse ait, (*Matt: 19. 3.*) ut duo essent in carnem unam. Quod sanè fieri nullo pacto potest, si plures unà uxores habere licet. Ut enim duo in carnem unam sint, non solùm duo, & non plures esse oportet, sed etiam necesse est, ut vir totus minimeque in diversas quasi partes distractus, tanto vinculo cum uxore sua conjunctus sit, ut unum corpus esse meritò dici possint. Voluit quippe Deus hanc viri cum conjuge copulationem arctissimam esse, quæ sanè nonnisi inter duos consistere potest. Pluribus enim adhærere, est partim huic, partim illi, nulli autem totum addictum esse. Adde, quòd Deus ab ipso initio, ut Christus eodem sermone docet, non plures creaverit fœminas, & Adamo adjunxerit; sed unam tantùm uni: cùm tamen tunc
271. longè major videatur fuisse causa, plures uxores eidem parenti nostro, ex quo tota hominum natio propagari debebat, adjungendi. ut nimirum tantò citiùs humanum genus multiplicaretur, & totum terrarum orbem compleret; id quod jam abundè præstitum est. Quòd si ergo tunc Deus unam unius mariti uxorem esse voluit; idem multò magis hodie eum velle intelligendum est. Alter modus probandi, plures uxores habere nequaquam hodie concessum esse, ex ea sermonis Christi particula petitur, quâ asserit, (*Matt:19 9.*) eum, qui uxore aliam ob caussam, quàm ob adulterium, dimissâ, aliam duxerit, adulterium committere. Id enim dici non posset, si plures simul uxores habere liceret. Nam si plures simul uxores habere licet, adulter haudquaquam censendus est, qui sive retentâ, sive dimissâ uxore unâ, ducit aliam. Dimissio quidem uxoris erit illegitima, idque non minùs ante, quam post repetitas nuptias: sed virum nequaquam efficiet adulterum. At si statuas, plures simul uxores sine adulterii crimine duci haberivé non posse; rectè asseretur, eum, qui illegitimè uxorem dimiserit, & aliam duxerit, mœchari. quandoquidem ea, quam dimisit, uxor ejus esse non desiit. Sed & alia ejusdem rei, ut diximus, testimonia extant, ex quibus illud Pauli omnium luculentissimum est. (*1 Cor:7 5.*) *Uxor sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quod quidem à vero alienissimum est, si plures uxores habere licet; cùm sic nequaquam uxor sui viri corporis potestatem haberet, utpote cujus usum ipse pro arbitratu suo, jam huic, jam illi mulieri concedere posset. Ex his, quæ diximus, simul colligitur etiam eum adulterii scelere se obligare, qui cùm uxorem habeat, cum alia, quantumvis libera & matrimonii lege soluta concumbit. Vir enim in novo fœdere hactenus æquali ac pari cum uxore jure,
quem-

quemadmodum vidimus, tenetur, ut non solùm uxor, sed etiam vir sui corporis potestatem minimè habeat; id quod coutrà olim fiebat, cùm vir sui corporis absolutus quodammodo dominus esset. Ex quo constat, virum hodiè haud aliter adulterare, si cum alia, præter uxorem, rem habeat, ac olim uxor adulterio sese obstringebat, quæ in ullius extra maritum complexum veniebat.

‡ *Plures uxores citra adulterii*] Fateor Polygamiam esse vitiosam & primæ institutioni Matrimonii directè contrariam. Sed primo nimis crudè dicitur *plures uxores citra adulterii flagitium* haberi non posse: Peccarunt proculdubio Patriarchę & Patres sub V. T. quod plures ducerent uxores; Quod etiam non uno loco improbatur in V. T. nę Monogamiam credamus solo jure positivo Euangelii niti, ac primum à Christo incarnato promulgatam. Gen: IV, 19. Polygamiæ primus author Lemech ex posteris Cain, nigro notatur lapillo. Lev: XVIII, 18 juxta plerosque interpretes, priori conjugi aliā superinducere omnibus prohibetur; Ipsimet Regi interdicitur Polygamia Deut: XVII, 17. & Salomon, licet supra modū Polygamus, sapienti suo suadet ut in una conjuge sua acquiescat, Prov: V, 18 9. 20. Eccl: IX, 9. Adde Mal: II, 14. 15. Ut tamen dicamus Polygamos illos veteres, quos inter fuerunt viri quidam cœterà piissimi, in perpetuo adulterii flagitio vixisse, nec veritati, nec charitati satis consonat: Nam is demum propriè & ἀκριβῶς loquendo, ex stylo legum & Scripturæ adulter est, qui alienam conjugē constuprat, quod his non convenit Polygamos quoq; simultaneos adulteros non dicendos esse, ipsi docent JCti, ut videre est apud Anthonium Matthæum *tract. de Criminibus, c. 1. ad l. Iuliam de Adult.* § 13. Nec haberi poterant pro adulteris aut scortatoribus in foro soli, cùm error publicus faceret jus; quamvis tamen abrepti pravâ consuetudine jam inolitâ, & quadam ignorantiâ juris, à Dei institutione non sine culpa gravi recesserint. Secundò illæ ipsæ rationes quæ proferuntur à Volkelio contra Polygamiam, satis evincunt eam semper vitiosam & illicitam fuisse, adeoque primam Legem adversus illam, Christo non esse adscribendam: Nec obstat quod in patribus sub V. T. olim tolerata fuerit: Nam etiam Apostolorum tempore debuit tolerari in pluribus Christianis neophytis, siquidem speciatim in futuris Ecclesiæ Ministris requiritur ut sint Monogami 1 Tim: III, 2. 12. Tit: 1, 6. Unde patet Polygamiam in aliis, non quidem approbatam, sed tamen toleratam fuisse, maximè si jam Polygami ad fidem accessissent. Nam si jam conversi plures simul ducere voluissent, censuræ publicæ subjiciebantur, ut ex variis Canonibus veteribus contra Digamos liquet: Hos enim velle intelligere qui tales sint successivè, post prioris conjugis funera, esset veterem Ecclesiam in hac parte disciplinæ suæ accusare, cùm Digamia successiva luculenter approbetur in Dei verbo.

Alter modus probandi] Certè non diffiteor crimen mariti qui consuescit cum altera, quamvis secundum JCtos & stylum Legis Mosaicæ, adulterium propriè dictum non sit, proximè ad illud accedere: cùm per legem conjugii æquè corpus suum vir tradiderit suæ uxori, ac ipsa illi suum: Verum nego primò Christum novam hîc speciem peccati constituisse, quæ antea peccatum esset: Nam quocunque nomine appelletur illa culpa quâ vir unâ conjuge non contentus plures ei superinducit, ea non minus culpa fuit coram Deo ante Christum, quam post ipsum: Imò tantum habet culpæ & vitii, quoad fidem conjugalem, ac ipsummet adulte-

adulterium; licet hoc in eo sit gravius, quod præter fidei conjugalis violationem, & corporis sui traditionem alteri qui in illud jus non habet, contineat quoque crimen falsi & suppositionem partus, in quantum marito supponuntur educandi liberi qui sui non sunt, & alienigenæ fiunt ipsius hæredes, contra omnem rationem & æquitatem: quod non habet locum in eo crimine quo maritus se polluit cum innupta, aut priori conjugi superinducta muliere. Secundò nego illum concubitum viri cum uxore superinducta priori à Christo vocari simpliciter & absolutè *adulterium*; Quod enim dicitur Matt: XIX, 9. quod *qui dimiserit uxorem suam* μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, μοιχᾶται & Luc: XVI, 18. μοιχεύει, videtur intelligendum per Hebraismum in sensu transitivo, quatenus ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι ut habetur Matt: V, 32. Est enim *mos Hellenistarum*, inquit Grotius *ad* 19. *Matth: verba formæ Hiphil per activa exprimere*: Ideo quod dixerat absolutè Matthæus cap. XIX, 9. μοιχᾶται, Marcus cum quadam circumspectione dixit μοιχᾶται ἐπ' αὐτὴν Marc: X, 10. ἐπ' αὐτὴν inquit *ibi* Grotius, *idest ipso facto quod in ipsam committit.* Si tamen omninò quis pertenderit etiam Christo dici *adulterum* maritum qui aliam superinducit & sic it *ad alteram*, non vehementer refragabor, cùm potiùs de nomine tota hæc sit quæstio, quam de re: modò id largiatur Adversarius, semper ejus peccati quod hîc adulterium vult dici, reos fuisse in foro poli, quotquot unâ suâ conjuge contenti non fuêre.

Nam si plures] Certum est nunquam id licuisse de jure, & id probant sufficienter argumenta Adversarii: adeoque connubiales leges violasse, &, si ita placet, adulteros fuisse in foro poli, idest similis criminis reos in suas conjuges, quod illæ perpetrant in suos viros cum mœchantur, quotquot unquam Polygami simultaneè fuêre.

Ex his quæ ante diximus] Peccatum id agnoscimus grave, contra fidem conjugalem: Adulterium formaliter sic dictum, quod cum sola nupta, vel saltem sponsa alterius committitur, non putamus: Si tamen adulterium vocari placuerit, licet minus atrox, quam quod committitur ab uxore, per me licebit.

Vir enim in novo fœdere] Sed id non minus de jure obtinuit in Veteri fœdere, quam hodie in Novo: cum & tunc suæ uxori deberet adhærere maritus, & duo demum non plures deberent esse in carne una. Nec vir magis esset *de jure* communi, dominus *absolutus* sui corporis, quam uxor, quamvis de facto, majorem sibi facerent hac in parte libertatem viri quàm mulieres, & reipsâ harum peccatum semper sit gravius & atrocius.

Ex quo constat virum] Atqui quodcunque *hodie* in eo perperam facit vir, etiam olim vitiosè & perperam fiebat, licet ex inolita consuetudine, id vulgò non putaretur. Erat enim revera injurius in fidem priori conjugi datam qui aliam ei superinducebat, ut ejusdem fidei violatæ rea est mulier quæ alium adsciscit, vivente marito. Interea tamen cum grano salis sumendum est quod dicit Volkelius, *haud aliter virum adulterare si cum alia præter uxorem rem habeat, ac olim uxor adulterio sese obstringebat quæ in ullius extra maritum complexum veniebat.* Nam longè gravius esse peccatum uxoris quam viri, etiam coram Deo, est extra dubium: Cum in peccato viri, sola sit defraudatio uxoris, sed in crimine mulieris accedat ad fidei conjugalis violationem, fœda seminum confusio, adulterinorum suppositio, dedecus familiæ, totiusque civitatis: Ideo in Veteri Ecclesia marito repudianti suam uxorem adulteram, fas erat aliam ducere; sed uxori discedenti à marito propter ejus scortationes & vitam impuram, non licebat transire ad alia vota, ut liquet ex Commentatore *Epist. Pauli* apud Ambrosium *ad* 7. 1. *Cor:* Concilio Elibertino *Can.* 9. Hierony-

Hieronymo *ep. ad Amandum*, & exemplo Fabiolæ apud hunc *in illius Epitaphio*, quæ quod nupserat secundo viro, post divortium factum à priori ob illius vitam impuram, pœnitentiam publicam agere debuit.

Hæc omnia, quæ dicta à nobis hoc loco sunt, ad maritos præcipuè spe-
ctant. Itaque operæ pretium est, ea etiam oratione nostrâ complecti, quæ
ad uxores in officio retinendas pertinent. Animadvertendum igitur est, impa-
rem ratione divortii viri uxorisque conditionem, quam olim fuisse diximus,
non solùm & hodie salvam integramque manere, ut nimirum uxori cum viro,
quantumvis officium deserente, divortium facere non liceat: sed etiam ne 272.
simplex quidem à viro separatio concessa sit. Paulus enim non se, sed Domi-
num imperare asserit, ut mulier à viro non separetur. (*2 Cor:7.10.11.*) Quòd
si tamen fortè contingat, ut ab eo separetur, ne hoc suum peccatum graviori
scelere cumulet, sed innupta maneat; vel cum viro in gratiam redeat, omnes-
que illius molestias devoret potiùs, quàm alteri nubendo adulterium com-
mittat. Quòd si non uxoris revera, sed mariti vitio fiat, ut cum illo habita-
re non possit; jam ista segregatio non ab ejus voluntate proficiscitur, sed ex
ipsius rei defectu erumpit; ideoque verè proprieque divortium, si innupta
maneat, appellari non potest; nec porrò ad præsentem quæstionem pertinet.

‡ *Imparem ratione*] At si manet hæc imparitas *ratione divortii*, necesse est *aliter*, contra quam modò dicebat Adversarius, adulterare uxorem quam virum. Si par enim esset omninò crimen, par quoque jus deberet esse divortii utrobique.

Quantumvis officium deserente] Hoc nimis universaliter dicitur: Nam præterea quod viri eruditi nonnulli censent tantum juris competere mulieri ad divertendum à viro, si fidem conjugalem sibi non servaverit, quantum maritus habet juris eo casu ex Christi declaratione, dubium saltem non est; quin si maritus fuerit reus, non solum violatæ cum aliqua innupta fidei conjugalis, sed etiam desertionis malitiosæ, ut suæ conjugi nullo modò cohabitare velit, jus huic sit divortium petendi à Magistratu, & per illud consequendi facultatem ad alia vota transeundi. Nam quod eo casu Paulus concessit marito, concessit itidem uxori ab infideli desertæ, his verbis 1 Cor:VII,13.15. *Si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: Et mulier si quæ habet virum infidelem & consentit habitare cum illa, non dimittat eum*, &c. *At si infidelis discedit, discedat; non servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.*

Sed etiam ne simplex] Quod Paulus habet 1 Cor:VII,10.11. spectat separationem mulieris à suo viro, volente ei cohabitare, susceptam ex impetu muliebri, prout tum moris erat ut mulieres divortium facerent à suis viris levissima de causa, illisque id mandarent, *Res tuas tibi habeto.* Itaque Apostolus vult mulierem, citra causam sonticam à suo viro ex mera morositate aut impatientia discedentem, ei reconciliari, aut si maneat pertinax, & se jure tum recepto tueri velit, innuptam manere, nec transire cum Ecclesiæ approbatione & benedictione ad nova vota. Hinc factum ut divortia citra sonticam causam, jure Romano concessa, improbarent primi Christiani, & tales digamos ad pœnitentiam publicam adigerent, ut obtinuit in Fabiola apud Hieronymum, quod priori repudiato marito,

rito, alii nupsisset. Et quamvis in Veteri Ecclesia concederetur viro, uxorem adulteram repudiare & alteram ducere, tamen non licuisset mulieri à suo viro diverten-ti propter ejus scortationem & mores minùs honestos, illo vivente nubere alteri, ut patet ex *Can.*9. Concilii Elibertini, & verbis Commentatoris Epistolarum Pauli, inter Ambrosii opera *ad* 7.1.*Cor.* Ast ubi intercedit malitiosa desertio, jus est æquale uxoris & mariti, ex iis quę modò retulimus.

Ideoque verè proprieque] Sed eo ipso patitur divortium, & habet jus petendi auxilium Magistratus, ut iniquè & malitiosè deserta, *innupta* manere non teneatur. Quam autem latè pateat malitiosa desertio, quam etiam illius quadantenus reus sit, qui abalienato à sua conjuge animo illicitis implicatur amoribus & libidinibus, non est hujus loci vel instituti nostri fusiùs explicare.

Hîc non abs re fuerit, præsertim tantâ nobis datâ occasione, pauca de cœlibatu dicere. Est autem cœlibatus nihil aliud, quàm vita quæ extra matrimonium traducitur. Qua de causa tam viri uxoribus carentes, quàm mulieres viris destitutæ cœlibes nominantur. Qui quidem vitæ status per se consideratus laudabilis valdeque utilis est. Ideoque Apostolus (*1 Cor:7.1.*) bonum esse asserit, mulierem non tangere: respectu tamen ad diversas hominum, quantum ad rem propositam pertinet, qualitates, variaque illis concessa munera, habito, intelligendum est, eum aliis quidem non exigua commoda afferre, aliis verò perniciosum esse. Constat enim, quosdam ita esse comparatos, ut extra conjugii vinculum puram castamque vitam ducere queant; quibusdam verò hoc concessum non esse; uti tum res ipsa, tum Christus Paulusque testificantur. Ille enim, cùm discipuli ex sermone ipsius de divortio collegissent, non esse utile ducere uxorem, subjicit: *Non omnes capiunt sermonem hunc, sed quibus datum est*, & paulò post iterum: *Qui potest capere* (inquit) *capiat.* (*Matt:19.12.*) Hic verò: *Velim omnes homines esse, ut & ipse sum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita, alius autem ita.* (*1 Cor:7,7.*) Ex quo fit, ut illis prioribus hic vitæ status utilis admodum; his verò funestus sit. Ut igitur de illis, qui ad cœlibatum sunt apti, simulque de ejusdem utilitate primò dicamus; intelligendum est, etiamsi plura sint eorum, qui in cœlibatu vivunt, genera, eos tamen vel solos laudem ex ea re mereri, qui semetipsos, ut Christus loquitur, castrarunt propter regnum Dei, hoc est, qui vitæ æternæ studio, tanquam si castrati sint, ita ab omni voluptate ejus, de quo loquitur, generis, quamvis aliàs licitâ, sese abstinent. Nam qui cum naturâ ad matrimonium apti sint, tantam tamen vim, beatæ immortalitatis amore
273. incensi, sibi ipsis inferunt, ut omnem libidinis ardorem prorsus extinguant; eorum singularis virtus hac in re mirum in modum elucet. Id quod de illis, qui naturâ sunt abstinentes, dici non potest; cùm quæ naturalia sunt nullum virtutis contineant argumentum. At hujusmodi continentiam inprimis à Paulo commendari, (*ibid:v.32. & d.*) satis ex eo constat, quòd eam potissimùm

ob cau-

ob causam cœlibes Christianos vivere cupiat, ut ad Domino serviendum sint aptiores; eosque qui præstare id queant, ad id faciendum non obscurè hortetur.

‡ *Qui quidem vitæ status*] Imò *per se* est indifferens, & ab ipso Hieronymo, utut iniquiore nuptiis, benè dictum *lib.* 1. *contra Iovin. Ut Circumcisio nihil est & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei, sic nihil prodest absque operibus cœlibatus & nuptiæ; cum etiam fides quæ propriè Christianorum est, si opera non habuerit mortua esse dicatur, & hac lege Virgines quoque Vestæ & Iunonis univiræ in sanctarum queant ordine numerari.*

Ideoque Apostolus bonum] Bonum hoc intelligitur 1 Cor:VII,1. commodum & jucundum ac utile, non simpliciter honestum & laudabile in genere morum.

Aliis verò perniciosum] At quod per se laudabile est, nemini *perniciosum* statui debet, nisi ex accidenti. Sed cum Cœlibatus sit indifferens, fit vel utilis & commodus fideli qui continet, vel perniciosus, si incontinens & impurus fuerit.

Cum quæ naturalia sunt] Nec etiam illa continentia quâ quis nullo ducitur desiderio rei venereæ, virtus dici debet; etiam in eo qui aliàs frigidis & maleficiatis non est annumerandus: Nam si cœlibatus continens virtus est, Conjugium cui opponitur vitiis erit accensendum, quod nemo dixerit qui contradicere nolet Apostolo Heb:XIII,4. *honorabile* statuenti *conjugium inter omnes & cubile impollutum.* Itaque debet potiùs statui charisma speciale, ad vitam commodiùs tranquilliùsque in Dei cultu transigendam divinitùs concessum, quam virtus propriè dicta.

Dices fortè, quo pacto autem ea res donum Dei rectè nominabitur, quæ summis conatibus laboribusque immensis comparatur? Respondeo, vel non ipsum cœlibatum, seu perpetuam ab omni voluptate ejus, de quo loquimur, generis abstinentiam, ab Apostolo donum Dei appellari, sed vires, quas quispiam ad tantam rem præstandam à Deo acceperit accipiatvé; vel si ipsa abstinentia ita ab Apostolo fuit designata, id ideò rectè fieri, quòd Deus ita laborantibus auxilium fert, ut, quod quærunt, assequi possint; adeò ut ipsa illa continentia, divinâ ope acquisita, meritò Dei donum nuncupari queat. Quam quidem Dei gratiam illi nequaquam assequuntur, qui non omni studio, Dei ope imploratâ, in eam curam incumbunt, uti castitatem sanctissimè tueantur. Apertissimum namque est Deum ordinariè beneficia sua nonnisi in eos conferre, qui omni studio laboreque ea appetunt. *Petite*, enim, inquit Christus, *& dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* (*Matt:7.7*)

‡ *Dices forte, quo pacto*] Sanè in hac objectione supponitur falsum, videlicet donum continentiæ *summis conatibus laboribusqus immensis* comparari. Nam ubi sunt summi conatus laboresque immensi, ibi adest ustio expugnanda: At verò si hæc adsit, homo vocatur per ipsam non ad cœlibatum, invitâ, quod ajunt, Minervâ sectandum, sed ad Conjugium, ex mente Apostoli dicentis, satius & melius esse *nubere* quam *uri* 1 Cor:VII,9.

Respondeo vel non ipsum] Certum est

 primò

primò non ipsum *cœlibatum*, quiscunque fuerit, *donum Dei* ab Apostolo appellari, sed cœlibatum continentem, ab omni impuritate & ustione importuna liberum. Secundò perperam opponuntur à Volkelio ipsi continentiæ vires continendi, cùm donum continentiæ in illis viribus extraordinariis situm sit. Tertiò non solvit Volkelius nodum quem strinxit, quî videlicet dici debeat donum Dei, vel ipsa continentia actualis, vel facultas continendi, si sit virium nostrarum, & nostro conatu laboreque comparetur? Si dicas Deum esse illius authorem, quod *ita laborantibus auxilium ferat ut quod quærunt assequi possint*, debebis explicare quid illud Dei *auxilium* adjiciat nostro labori & conatui, & unà fateri quod cùm illud auxilium nec debitum sit nec promissum, aut tantum efficiet ut quis laborans & connitens faciliùs contineat, non simpliciter ut contineat, quod fuit dogma Pelagii, aut ita erit necessarium ut absque eo nemo queat continere, quod doctrinæ tuæ de Libero arbitrio palam adversabitur. Quartò supponit author annitendum esse & laborandum cuique magno conatu ad illud auxilium consequendum. Sed ità laborare & conniti, debet esse ejus cui certò sit persuasum se divinitùs ad cœlibatum vocari: Unde verò ulli mortalium hoc innotescet? Nam tantum abest ut quis ex præpostera persuasione debeat existimare se vocari ad cœlibatum, quo sic connitatur ad continentiæ donum à Deo obtinendum, ut potiùs è contrario tum demum quis sentiat se eò vocari qui se illo dono eatenus pollere novit, ut nullas vehementiores ustiones, nullos importuniores carnis aculeos, in se experiatur.

Quam quidem Dei gratiam] At verò cum Deus nemini promiserit se hoc donum petenti indulturum, talis precatio in fide peragi nequit. Equidem Deus promisit se singulis petentibus tantum gratiæ indulturum, quantum oportet ad salutem suam cum timore & tremore perficiendam; sed cùm hoc continentię donum non pertineat ad eam gratiam sine qua salus non potest obtineri, non video quî illud quispiam sibi certò polliceri & confidenter petere ausit à Domino. Promissio Christi, quam refert Volkelius ex Matth: VII, 7. non ad quævis divina dona debet extendi; quis enim inde dicat quemlibet fidelium debere conniti ad donum Prophetiæ illudque instanter petere à Domino? sed demum ad ea quæcunq; singulis in sua conditione & vocatione sunt necessaria ad salutem. Adhæc, vera est assertio Volkelii, quoad ea beneficia quæ sunt etiam pars officii nostri, illa *Deum ordinariè nonnisi in eos conferre qui omni studio laboreque ea appetunt*, sed falsum est de aliis quæ *gratiæ gratis datæ* stylo Scholasticorum possunt appellari. Hæc enim ut plurimùm præveniunt non prærequirunt laborem, preces & studium hominum. Præterea Christus hic loci, ad beneficia salutaria & nobis necessaria obtinenda, non prærequirit summos nostros conatus laboresque immensos, sed tantum assiduitatem & fervorem in precibus. Denique valdè iniquum est quod studium & desiderium cœlibatus illis tribuit Volkelius, *qui in eam curam incumbunt, uti castitatem sanctissimè tueantur*: quasi pii conjuges, in honesto matrimonio remotiores sint à castitate, nec eam *sanctissimè tueantur*.

Veniendum nunc est ad utilitates, quas ex casto cœlibatu emergere innuimus. Eæ igitur vel omnium temporum communes sunt, vel certorum temporum propriæ. Ac communes quidem hæ esse videntur: quòd nimirum primò cœlibes calamitates tantas, quantas, qui matrimonio sunt implicati, sustineant necesse est, in carne sua non experiuntur. veluti est cura liberorum, rei domesticæ

domesticæ solicitudo, aliæque similes molestiæ, quæ huic statui adhærent. Ex hac cœlibatûs utilitate manat deinde altera. Nam cum ii, qui hoc statu constricti minimè sunt, sine cura (nimirum hujus mundi) sint, ut Apostolus ait, (*1 Cor: 7. 32, & d.*) quia videlicet minimè necesse habeant ea, quæ ad uxoris, liberorum, familiæque victum ac cultum pertinent, prospicere; ideo ad res divinas curandas, quo pacto nimirum Domino placeant, benè appositi sunt: cum huic uni rei invigilare, curamque suam impendere perpetuò queant.

Jam ut eas perpendamus utilitates, quæ certorum temporum propriæ sunt; intelligi facilè potest, tunc maximè prodesse in cœlibatu vivere, cum persecutiones instant. Facilè enim fieri potest, ut imminentibus rebus adversis, ii,
qui matrimonii vinculo adstricti sunt, uxoris liberorumque amore, & earum 274.
rerum, quibus vita illorum indiget, retinendarum cupiditate, ab ardente religionis studio, à libera fidei confessione avocentur, imò ad veritatem cœlestem religionemque penitùs abjiciendam adducantur: cui periculo cœlibes non ita sunt obnoxii. Quòd si etiam fixum immotumque animo sedeat, omnia illa, licèt cæteroqui charissima, veritati pietatique postponere, & quidvis potiùs pati, quàm ut Deum offendas: facilè tamen est videre, cœlibes minùs, quàm eos, qui in conjugio vivunt, molestiæ ac doloris tum temporis sentire: id quod non postremæ utilitatis loco habendum esse, nemo non videt.

‡ *Veniendum nunc est*] Atqui hæ omnes *utilitates* quæ recensentur à Volkelio efficiunt quidem ut vita cœlebs commodior, non tamen ut honestior & sanctior sit vitâ conjugali.

Sequitur, ut de his posterioribus videamus, quibus suprà cœlibatum funestum propterea esse diximus, quòd munere extra conjugium purè casteque vivendi destituantur. Quod quidem ut quale sit intelligamus, duo potissimùm hoc in loco consideranda sunt. Primò enim videndum est, quî fiat, ut isti hoc Dei donum non habeant. Deinde, quanta ex hujusmodi hominum cœlibatu mala exoriri possint, ponderandum. Ac causa quidem, cur dono isto careant, ubi à natura ipsa discesseris, hæc potissimùm est, quòd, ut ex suprà dictis facile colligi potest, vel nihil quicquam, vel minùs, quàm necesse erat, de eo assequendo laborant; idque tum eam ob causam, quòd una ex parte difficile admodum, ne dicam, impossibile esse, si rei ipsius naturam spectes, judicant, tantam vim sibi ipsis afferre: ex altera verò parte sese ad tantam continentiam per se non obstringi intelligunt; quippe quæ tantùm ab illis exigi videatur, qui ad summam perfectionem adspirant; cùm divinum spiritum nequaquam eis laqueum injicere, (*1 Cor:7:15.*) sed, nullo peccati, & ideo nec damnationis metu proposito, matrimonii libertatem ipsis concedere, animadvertant. Ut igitur illi priores cœlibatum matrimonio propter causas enumeratas præferendum,

rendum, suadente Apostolo, existimant: ita & hi matrimonium cœlibatui præponendum statuunt: idque ut ad alterum hoc loco à nobis propositum veniamus, propter mala, quæ ex cœlibatu eorum, qui continentiæ munere à Deo donati non sunt, existant necesse est. Primò enim necesse est homines, qui, cum castitatis donum non possideant, cœlibatum tamen eligunt, uri, id est, libidine æstuare, illiusque stimulis vehementer exagitari, & inquietos reddi: unde ferè fit, ut laxatis cupiditatis habenis, nihil cogitent, nihilque spirent, prætet turpissimas libidinum expletiones. Quæ quidem etiamsi casu aliquo obstante in actum non erumpant, pro ipso tamen facto eas apud Deum
275. haberi suprà docuimus. Adde, quòd fieri nequaquam posse videtur, quin isti frequentissimè ipso facto scortationis adulteriique flagitiũ committant, aut alio aliquo impuræ voluptatis genere sese contaminent, tantâ nimirum cupiditatis vi in illis existente, ut, quemadmodum Paulus loquitur, sese continere nequeant. qua de causa Apostolus: *Bonum est*, inquit, *mulierem non tangere: propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum habeat*: (*1 Cor:7.1,2.*) Et paulò pòst haud obscurè indicat, etiam illos, qui in matrimonio vivunt, si diutiùs, propter certas causas ibidem allatas, ab ejusdem usu abstineant, à Diabolo tentari posse propter suam incontinentiam: (*v.5.*) Istis verò peccatis qui tenentur irretiti, à sempiterna felicitate excluduntur. Quantum ergo in eorum, qui tanto numero per complura secula continentiam sunt professi, hodieque profitentur, cœlibatu ponendum sit, aliorum judicium esto.

‡ *Ac causa quidem cur*] Non hæc est *causa* quam fingit Volkelius; sed quod citra specialem Dei vocationem & ex considerationibus hujus sæculi præferunt cœlibatum vitæ conjugali, & voto temerario ejus capistrum sibi injiciunt: Ac si quis voveret se nunquam ægrotaturum, vel si ægrotaret non admissurum ea remedia licita & honesta quæ morbis propulsandis constituta sunt. Et supponit Volkelius falsò hoc donum esse in singulorum potestate, si laborare & anniti voluerint, cum tamen de eo dixerit Christus, *Non omnes hoc capiunt*, &, *Qui potest capere capiat.*

Quippe quæ tantum] Falsum est exigi continentiam ab iis *qui ad summam perfectionem adspirant*. Nam debemus omnes ad summam perfectionem adspirare ex Christi mandato Matt:v, 48. nec tamen ab omnibus nobis vita cœlebs exigitur. Plus habet utilitatis & minus molestiæ cœlibatus continens quam vita conjugalis, sed non plus habet sanctimoniæ vel perfectionis moralis. Et statuunt ipsimet Scholastici quod in statu Innocentiæ, continentia laudabilis non fuisset, apud Thomam *1. p. q. 98. art. 2.*

CAP.

CAP. XVIII. *De octavo Decalogi præcepto.*

Non furtum facies.

‡ *Respondente ad hoc & duo seq. cap.* JOHANNE JACOBO Hemmanno Helvetio Bernensi.

VT hoc præceptum rectè intelligatur, duo animadvertenda sunt. Nam & quid sit furtum, & quam ob rem eo prohibeamur, videndum est. Quod ad prius attinet; vulgo etiam notum est, furtum propriè dictum esse interversionem seu ablationem rei alienæ, inscio & invito ejus domino factam. Et istud est, quod hoc præcepto propriè interdicitur. Veruntamen propter similitudinem quandam revocari huc posse videntur etiam alii modi, quibus commoda aliena intervertuntur, in Lege prohibiti. Sunt autem ii duplices. Vel enim directè commoda aliena intervertuntur, vel obliquè. Directè, cùm aperta quadam vi res alienæ auferuntur. Obliquè, cùm quispiam malis artibus sub recti specie suis alterum bonis defraudat. quod cùm pluribus modis fieri possit, duo tamen potissimùm sunt, quos Deus olim prohibuit. Primus consistit in contractibus, nimirum in vendendo, emendo, conducendo, locando, & aliis his similib: de quorum aliquibus Levit: 19.35. Deut: 25. 14. scriptum legimus.

‡ *Furtum propriè dictum*] Debet addi ad hanc definitionem *Lucri faciendi gratiâ.* Nam aliàs potest auferri gladius invito Domino irato, ne lædat suum proximum: possunt & res invito auferri legitimè, ut cum abigitur præda in hostico, aut creditor ex authoritate Magistratus pignora capit à debitore qui mali est nominis, nec vult solvere.

Directè cum aperta quadam vi] Sed ubi *apertâ vi* quis grassatur est latrocinium; furtum vero simplex clam committitur & ex insidiis.

Primus consistit] Hi contractus non sunt modi fraudandi alterum, sive *obliquè* furandi, à Deo prohibiti: Sed Deus non vult dolum vel fraudem ejusmodi contractibus intervenire.

Secundus continet usuram, seu fœnus, quo Deus Israëlitas prohibuerat, ne sese invicem (nam ab extraneis id exigere licebat) exhaurirent, atque ut ita loquamur, morderent. Moses enim iis in locis, in quibus usuram prohibet, ferè utitur ejusmodi voce, quæ morsum quendam significat, ut videre est Exod: 22.25. Levit: 25.36,37. Deut: 23.36,37. Quare cum hæc Dei mens in fœnore prohibendo fuerit: facilè est intelligere, quid hac in parte Christianis liceat, vel non liceat. Omne enim usuræ genus, quo proximus revera læditur atque mordetur, in vetitis habendum est: quod tale non est, per se licitum 276.
censendum: præsertim si à fratre paupere, qui liberalitate nostra sublevandus est potiùs, quàm ullâ usurâ gravandus, non exigatur. Animadvertendum enim est, Deum fœnore à paupere fratre exigendo nominatim interdixisse,

duobus prioribus in locis à nobis paulò antè adductis. Pauper autem ille censendus est; qui rebus ad victum necessariis destituitur, vel saltem ægrè per seipsum vitam tolerat. Hic exiguo licèt fœnore morderi lædique facilè potest. At si quis rebus ad vitam honestè ac liberaliter sustentandam instructus, res tamen meliores ac lautiores quærat; vel eas, quas habet opes, ultra veram necessitatem retinere cupiat; is nec pauper existimandus est, nec protinus læditur ac moraetur, si partem aliquam lucri, quod ex ære alieno capit, creditori pendat: imò ipse potiùs in creditorem injurius videretur, si ei æquam lucri partem negaret. Hujusmodi ergo ex pecunia credita fructus Christianis per se nequaquam illicitus censeri debet; respondetque aliquo modo ei lucro, quod ex societate percipitur istiusmodi, in quam alter pecuniam, alter operam suam ac laborem confert, quod ipsis inter se Israëlitis interdictum fuisse, nemo facilè concesserit. Cavendum autem est, ne id, quod usuræ nomine exigitur, eo lucro, quod ex justa societate petitur, sit iniquius, & sic præceptum divinum, de fratre fœnore non opprimendo violetur. Quod quidem tunc ferè fit, cùm aut morem consuetudinemqui civilem in accipiendo pecuniæ creditæ fructu excedimus; vel cùm eum, cui pecuniam concedimus, nihil lucri, imò jacturam nullâ suâ culpâ facere constat, ita premimus, ut non solùm de summa nihil ei remittamus, (quod quidem si id res illius exigant, nostræ autem ferant, meritò à nobis fieret,) sed insuper etiam, quasi plurimum lucraretur, usuram ab illo integram extorqueamus. Utrobique enim morsum quendam fieri, nemo non videt. Quòd si quis illis Christi verbis omnem pecuniæ mutuæ fructum interdictum esse putet, quibus mutuum dare jubemur, nihil inde sperantes; (*Luc:6.35.*) is non parùm errat. Agit enim ibi Christus, ut contextus ipse convincit, non de usura tantùm, sed de ipso etiam pecuniæ creditæ capite, seu sorte, quam, generatim loquendo, exigere licere nemo negat. Non enim de libero prorsus cum altero contractu, veluti hoc pecuniæ negotium est, loquitur; sed de re quodammodo coacta, quam nimirum, quantumvis inviti, potiùs tamen quàm in majus malum incidamus, suscipere debeamus. Docet quippe eo in loco, quomodo nos adversus inimicos gerere debeamus; interque alia ostendit, nostrarum partium esse,
277. potiùs, quàm ut illos irritemus, & sic illis quidem occasionem præbeamus injuriæ inferendæ, nobis verò reponendæ, etiam pecuniam mutuam illis dare, licet nulla spes sit, eos aliquando reddituros; cùm & ipse Deus, cujus filii sumus, ingratis etiam & malis benignè facit.

† *Secundus continet usuram*] Peculiaris fuit ratio usuræ prohibendæ Israëlitis inter se, fuitque illa prohibitio juris potiùs forensis, quam naturalis; Deus enim volebat quadantenus cessare inter illos hæc duo vocabula *Meum* & *Tuum*, & quo magis gratuitum debebat esse mutuum inter eos, eò parciùs obtinebat;

Nam

Nam nec pudor permittebat multum petere mutuo, nec res satis accisæ aliorum permittebant eis multū mutuo dare: Itaq; quilibet hac consideratione adigebatur ad agellum qui sibi obtigerat diligenter excolendum, & sectandam αὐτάρκειαν. Malebat enim Deus suos Agriculturæ vacare, ceu innocentiori, quam Mercaturæ, cujus fœtus & adjunctum necessarium fœnus esse solet. Usuram verò prohibitam fuisse, *ne se invicem morderent*, gratis dicitur: Nam ut Græcis τόκος ac Latinis *fænus* dicitur quasi *fœtus*, pecuniæ scilicet alteri elocatæ, ita Hebræis נשך *Neschech*, dicitur a נשך *Naschach*, *momordit*, non tam quod mordeat debitorem, quam quod aliquid admordeat supra sortem: quo sensu etiam רבית *Ribbith* & תרבית *Tharbith* appellatur à רבה *Rabba*, quod est *multiplicare*. Hinc eadem voce נשך *Nescheb quæ morsum quendam significat*, utitur Moses de ea usura quam ab *extraneis* exigere licebat, Deut: XXIII, 29. quos tamen mordere & exhaurire contra officium charitatis & humanitatis, licebat nemini. Quanquam in genere agnoscam, omnem usuram, *quo priximus revera læditur atque mordetur*, Christianis esse illicitam, cùm nemo debeat ex alterius damno & cum ejus injuria locupletior fieri; etsi hoc illicitum non sit nullius vocis; siquidem omne fœnus, quodcunque sit, habet rationem τοῦ נשך *neschech*. ex intrinseca sua constitutione & natura.

Animadvertendum enim est] Nam cum paupere quà tali, non initur contractus ullus mutui, vel justitiæ commutativæ, sed eleemosinis merè gratuitis est sublevandus. Id verò non obest Trapeziticæ publicæ, quæ pecuniam credit quibuslibet sub fœnore; Nam eo non veniunt pauperes, quà pauperes, stipem emendicaturi, sed quà homines, qui per res quasdam sibi vacivas & inutiles tamdiu oppignoratas, suæ œconomiæ, aliisque negotiis domesticis, ex pecunia mutuatia sub usurâ recepta, volunt subvenire.

Cavendum autem est] Ut vero id rectè caveatur, modus est ponendus usuris à Magistratu, & intra hunc modum creditores se debent continere.

Non enim de libero] Benè monet Author hunc locum Luc: VI, 35. nihil facere contra usuras, & spectare ipsam sortem: Sed malè id refert ad inimicos, quos non debeamus irritare, verum omni beneficentiâ emollire, etiam dando *pecuniam mutuam*, *licet nulla spes sit eos aliquando reddituros*. Nec enim inimicorum favorem debemus redimere cum rei familiaris damno; Sed duo habet isthîc Christus quæ præcepit; Unum ut diligamus etiam inimicos; Alterum ut omnibus benefaciamus, etiam iis à quibus non speremus paria recepturos: Videturque maximè hæc pericopa, ἀγαθοποιεῖτε καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες, commendare pauperum curam & liberalitatem in egenos.

Causa porrò, cur Deus legem de furto non committendo, deque commodis proximi nullo modo intervertendis tulerit, est, quòd ut ipse justus est, ita nihil ab hominibus velit fieri, quod non sit cum justitia conjunctissimum. Quid verò magis contra justitiam est, quàm ea, quæ proximi nostri sunt, in rem nostram convertere? Cum justitia in suum cuique tribuendo constituta sit. viget autem vel inprimis in hoc præcepto, ejusque quasi fundamentum est.

Sed jam ea cognoscenda sunt nobis, quæ Christus huic præcepto adjunxit. Intelligendum igitur est, Christum velle, ut ea omnia, quæ honestissimo

etiam pacto comparata à nobis sunt, vitæ tamen nostræ necessitates superant, non nostra, sed aliorum esse censeamus: quod ut faciamus, charitatis in N. Fœdere nobis præscriptæ summo jure admonemur. Quod quidem ne à nobis violaretur, Christus ipsiusque Apostoli summopere laboraverunt, tum avaritiæ crimen, tum luxum omnem severè notando; quæ res duæ, cæteroquin à se invicem longissimè distantes, in eo tamen conveniunt, quòd liberalitatem pauperibus debitam impediant, quanquam non semper æqualiter. Nos de utraque hîc nonnihil disseremus.

‡ *Intelligendum igitur est*] Nimis liberaliter hac in parte loquitur Volkelius: Et si respicit ad mandatum factum superbienti illi Juveni, quod extat Matt:XIX, 21. debuisset scire fuisse illud particulare & probativum, ad denudandam illius hominis avaritiam, & ostendendum quam procul esset ab ea perfectione quam jactabat. Christus suo exemplo commendavit parsimoniam, etiam respectu futuri, cum voluit ut recolligerentur quæ superfuerant *fragmenta* panum à se miraculosè multiplicatorum, ne quid periret Joh:VI, 12. Et Paulus docet quod sit bonorum parentum *thesaurizare* pro suis liberis 2 Cor:XII, 14. eo magis quod si quis *suis & maximè domesticis non providet, fidem abnegavit & est infideli deterior* 1 Tim: V, 8. Equidem vult Dominus ut qui abundant & diffluunt opibus, sint liberaliores in egenos 1 Tim:VI, 18. Sed tamen ut quæ *vitæ necessitates superant, non nostra, sed aliorum esse censeamus*, nusquam dicitur in Scripturis: Imo nisi *nostra* essent, ex iis aliorum necessitatibus subvenire jure non possemus. Videtur hîc noster Apotacticorum hæresim ab orco revocare, qui bonorum suorum proprietati omni renunciabant eamque abdicabant. Remanet sane piis suum jus in sua, etiam postquam sibi ex illis prospexerunt, non ut illis incubent instar Canum fœno incubantium, qui nec eo vescuntur & allatrant tamen cum quis propiùs accesserit, sed ut illis utantur prudenter & liberaliter in aliorum subsidium, eò magis quod beatius sit dare quam accipere, & omne bonum sit sui diffusivum & communicativũ. Cæterùm ita debent se spargere foras fontes & rivi piorum divitum, ut sint illis seorsim, juxta monitum Sapientis Prov:V, 16. 17.

Tum Avaritiæ crimen] Parsimonia & frugalitas boni Patrisfamilias, non statim sonat avaritiam, ut nec luxum vitiosum, lautities & magnificentia. Nam Euangelium Christi non sustulit discrimina Politica inter homines, juxta quæ alii magis ad comparcendum, alii magis ad distribuendum, secundum suas fortunas & distinctam Dei benedictionem, invitantur.

Primò igitur ad avaritiam quod attinet; tum quid ea sit, tum quot in partes distribuatur, advertendum est. Ut porrò quid sit intelligamus, illa Christi admonitio nobis ponderanda est: (*Luc: 12. 15.*) *Videte*, inquit, *& cavete ab avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet*; nec non illa verba Pauli animo agitanda sunt: (*1 Tim: 6. 8. 9*) *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. Qui autem volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, inque multas insanas ac noxias cupiditates, quæ homines in perniciem interitumque demergunt. Radix enim omnium malorum est avaritia.* Quo loco docecemur,

cemur; avaritiam esse voluntatem, seu mavis, cupiditatem ditescendi, ac plura vitæ commoda, quàm ad ejus conservationem opus est, habendi. quod etiam πλεονεξίας vocabulum, quod plura habendi significationem habet, indicat. Cupiditas autem intelligitur ejusmodi, quæ non ita sit moderata castigataque, ut in animum & sua sorte contentum, & in beneficentiam admodum propensum, adde etiam plenum fiduciâ erga Deum, & ardenti religionis studio incensum cadat. Vitæ verò conservatio, cujus in ista avaritiæ descriptione mentionem fecimus, nec unius tantummodò hominis, sed omnium, qui ad illum respiciunt, utpote uxoris, liberorum, familiæque sustentatione 278.
continetur: ita ut tum demum avaritiæ culpa in aliquem meritò conferatur, cùm iis, quæ ad omnem illius familiam alendam pertinent, minimè contentus, plura cupit, eaque sollicitè vel quærit, vel asservat, nec, cum opus est, in pauperes erogat.

‡ *Primò igitur avaritiam*] Quæ dicuntur in genere de avaritia fugitanda, omninò probamus: Sed negamus Christum priorem eam damnasse, siquidem multa extant in V.T. quibus & αἰσχροκέρδεια & πλεονεξία luculenter rejiciuntur, prout etiam ipsismet Ethnicis solo lumine naturali instructis, & quos plura novisse de officiis erga Deum & proximum præstandis, quam ipsos Israëlitas Dei fœderatos, nemo sanus dixerit, utrumque vitium semper sorduit. Quoad V.T. consulantur modò loca quæ extant contra id genus vitii Exod: XVIII, 21. XX, 17. Levit: XIX, 13. 1 Sam: VIII, 3. Psal: CXIX, 36. Prov: XV, 27. XXVIII, 16. Es: LVI, 11. Jer: VI, 13. VIII, 10. XXII, 17. Ezech: XXXIII, 31. Hab: II, 9.

Cupiditas autem intelligitur] Saltem videtur fateri Volkelius quod hæc *cupiditas* possit esse ita *moderata castigataque* ut etiam cadat in *animum suâ sorte contentum*, &c. de quo viderit ipse.

Quæ ad omnem illius] Nec tantum vir frugi, prudens & pius, debet cogitare de familia sua *alenda* dum vivit, sed etiam de illa conservanda & propaganda post suum obitum.

Sunt enim, ut ad id, quod secundo loco de avaritia dicere proposuimus, accedamus, duæ illius partes: quarum altera in quærendis opibus, altera in retinendis sita est. Cùm verò sub Vet: Fœdere magna bonorum terrenorum copia Israëlitis, tanquam pietatis ipsorum merces, promissa fuerit, ut suo loco à nobis est demonstratum, (*lib: 2. c. 19.*) nec tam profusa in omnes beneficentia præcepta; facilè est intelligere, utroque genere longè plus illis, quàm hodie Christianis licuisse. Itaque modò quis ab omni fraude atque injuria abstineret, & certa illa benignitatis genera, quæ Lege sunt definita, non omitteret, in immensum etiam opes cumulare ac recondere permissum erat. Quòd enim Esaias de illis conqueritur, qui domum domui, agrum agro adjungebant; (*Esa: 5 8.*) nequaquam ita intelligendum est, quasi hoc simpliciter facere nefas tunc fuerit: sed quòd hoc per aliorum injuriam fieri divinus vates animadverterit; uti ex præcedentibus, quibus hæc veluti exempli loco subjiciuntur,

perspici potest. Hodie autem, postquam sempiterna nobis ac cœlestia bona sunt promissa, & interdictus mundi; atque eorum quæ in mundo sunt, amor; contrà verò ardens atque assiduum religionis studium, summa in omnes charitas præcepta; & thesauros colligere vetamur, & apertè monemur, ut ea etiam, quæ possidemus, vendamus, atque in beneficentiam convertamus. Ita enim ait Christus: (*Luc:12 33.*) *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Quæ tamen Christi verba non ita sunt accipienda, ac si nobis omninò præciperet, ut omnibus simul divenditis, universam pecuniam, & quidem statim, in pauperes erogemus: cùm & res ipsa, & sacræ literæ satis apertè moneant, licere nobis ea retinere, quæ ad vitam honestè ac sine molestia traducendam sunt necessaria. Neque verò Christus omnes possessiones commemorat, sed possessiones indefinitè; eas nimirum intelligens, quibus ipsimet ad vitam sustentandam non indigemus. quas quidem, si in verborum ipsius scopum animum intendamus, tunc vendi præcipit, cùm, nisi id fiat, in pauperes benefici esse non possumus. Quòd si absque possessionum venditione, pauperibus debitum officium persolvere possumus; intelligendum nihilominus est, omnes superantium bonorum fructus, in illorum usus insumendos esse. Hoc enim perinde
279. quodammodò erit, quasi opes illas vendidissemus; cùm illis jam non ut nostris, sed tanquam alienis utamur. ne dicam, hoc in rem pauperum magis futurum esse; cùm sic benignitas nostra exhauriri non possit.

‡ *Cùm verò sub Veteri*] Nec *bonorum terrenorum copia* promittebatur tum Israëlitis, *tanquam pietatis ipsorum merces*, quasi Deus nihil ultra illis polliceretur, eosque haberet loco porcorum saginandorum in diem mactationis; sed potiùs promittebatur illis in typum & figuram bonorum cœlestium, omnibus piis utriusque Testamenti per Christum obventurorum, ut suo loco visum est; Nec minor illis quam nobis incumbebat cura liberalitatis in egenos, quam passim Moses ipsis inculcavit, Exod: XXII, 25. XXIII, 11. Levit: XIX, 10. XXIII, 22. XXV, 39. Deut: XV, 4. 7. 10. XXIV, 14. 19 20. Quare simpliciter falsum est plus licuisse Israëlitis quam nobis, vel *in quærēdis opibus*, vel in illis *retinendis*. Quamvis enim benedictiones terrenæ nobis nunc non proponantur, ut olim, in typos cœlestium, tamen ei pietati nobis invigilandum quæ habet promissiones *& vitæ presentis & vitæ futuræ* 1 Tim: IV, 8.

Itaque modo quis] Nec illa opum collectio *in immensum* tam facilis erat eo in populo, quem Deus à Mercatura ad Agriculturam αὐταρκείας matrem, revocabat, imperato quoque singulis septenniis agrorum Sabbathismo; Nec simpliciter interdictum est Christianis ditescere per honestas artes & sub benedictione divina, modò *ab omni fraude atque injuria* abstineant. & eam pauperum curam honestam habeant quam Dominus ipsis commendavit.

Nequaquam ita intelligendum] Atqui neque hodie simpliciter *nefas* est *domum domui, agrum agro* adjungere, modò id non fiat *per aliorum injuriam*, aut cum vitiosa illa cupiditate rei alienæ quæ prohibetur ultimo Decalogi præcepto.

Hodie autem postquam] Sed etiam piis sub V. T. promissa erant *sempiterna ac cœlestia bona*, & æquè illis tunc ac nobis hodie fuit *interdictus mundi, atque eorum*

quæ

quæ in mundo sunt amor, quo nomine intelligitur apud Johannem 1.11,16. *cupiditas carnis, & libido oculorum, & fastus vitæ*, & quicquid Deo ac Dei verbo adversatur. Hinc etiam David in V.T. se & pios distinguit *ab hominibus è mundo & quorum portio est in hac vita* Psal: XVII,14. Ut nunquam piis licuerit diligere mundum & ea quæ in mundo, cùm teste Johanne I. II, 15. *si quis diligit mundum, non sit charitas Patris in eo.*

Et thesauros colligere]. Non magis absolutè hoc nunc prohibetur quam sub V. T. Nam aliàs patrum est *filiis thesauros recondere* 2 Cor:XII,14. & illis providè prospicere de necessariis in futurum: Quare Christus eodem sensu prohibet ne *thesauros* recondamus *in terra* Matt:VI, 19. quo ibidem 25. & 34. prohibet ne simus *soliciti de crastino*; Non quò socordiam & rei familiaris negligentiam inducat; contrarium suadet Paulus 1 Tim:v,8. sed quò diffidentiam & anxietatem eliminet; nosque abducat ab eo vitio quod Horatius notat in Staberio, qui

—— *quoad vixit, credidit ingens*
Pauperiem vitium, & cavit nihil acrius, ut si
Forte minus locuples uno quadrante periret,
Ipse videretur sibi nequior.

Et apertè monemur, ut ea] Christus Luc:XII,33. nonnisi comparatè est intelligendus, potiùs videlicet ipsas possessiones esse distrahendas in usum pauperum, quam eos negligendos: Et ipsemet Volkelius id agnoscit quadantenus, negans Christum *omninò* præcipere, *ut omnibus simul divenditis, universam pecuniam, & quidem statim, in pauperes erogemus*: Sic enim fieret permutatio bonorum inter homines: Nam pauperes evaderent qui antea fuerant divites, & in divitum bona pauperes succedentes, pauperes esse desinerent. Quin & *res ipsa & sacræ literæ satis apertè monent, licere nobis ea retinere,* non tantum *quæ ad vitam honestè ac sine molestia traducendam sunt necessaria*, cuique in sua conditione, sed etiam ea quibus posteris & hæredibus nostris, ut illis quoque in sua conditione commodè sit, prospiciatur: dicente Apostolo, eum esse infideli pejorem & fidei abnegatorem, *qui suis & maximè domesticis non providet*, 1 Tim: v, 8. Et notum quid Petrus dixerit Ananiæ quantum ad prædium de cujus pretio mediam partem interverterat, *Nonne si servasses manebat tibi, & venundatum in tua erat potestate?* Act: v,4.

Neque vero Christus] Atqui propositio indefinita æquipollet universali; Et mandatum fuit universale quod factum fuit illi Juveni prædiviti Matt:XIX,21. *Abi & vende quæ tibi suppetunt & da pauperibus*; Si enim dictum Christi intellexisset demum de iis possessionibus, quibus ipsemet ad vitam suam sustentandam non indigeret, tam vehementi tristitiâ non fuisset affectus, ut eum valde tristem discessisse refert Euangelista. Quare verba Christi apud Lucam XII, 33. sunt intelligenda eo demum sensu, quo supra proposui; potiùs vendenda omnia in usum pauperum; & nos ipsos quasi illis erogandos, quam ut eorum curam negligamus.

Intelligendum nihilominus est] Et hoc nimis universaliter dicitur; quasi bonus paterfamiliàs non possit jure augere sua bona, redituum quos non consumit aliquam partem impendendo rei familiaris honestæ accretioni, & fragmentorum reliquias asservando, quò sic etiam possit cum tempore plus prodesse pauperibus, & eorum curam suis quoque liberis relinquere.

Si autem quispiam illud, quod superest, ideò in pauperes erogandum esse neget, quòd futuri temporis habendam esse rationem existimet: posse enim multa incidere, in quæ sumptus fieri oporteat: veluti est liberorum educatio, filiarum

ſiarum elocatio, totaque adeò futura, tum noſtra, tum eorum, qui ad nos reſpiciunt, vivendi ratio: Reſpondemus, futurum hujus ſeculi tempus eſſe duplex. aliud enim eſt proximè futurum, & quodammodo præſens appellari poteſt: aliud verò eſt longè futurum, de quo, an unquam venturum ſit, dubibitari poteſt; cùm utrùm nos noſtrique ad illud vitam producturi ſimus, planè incertum ſit. Si igitur ad proximè futurum tempus reſpectus habeatur; non dubitamus, quin liceat Chriſtiano homini parare ea, quæ ſuppeditent ad cultum, & ad victum, & ſibi, & liberis. Hoc enim nequaquam de illo, quod ſuperat, faciet; cùm quæ ad nos noſtroſque ſpectant curandos, ea ſupereſſe minimè dicantur. Secùs autem de tempore longè futuro judicandum eſt. Neque enim Chriſtianus homo, rerum ad hanc vitam ſpectantium ratione, tam longè in poſterum proſpicere debet: idque tum propter cauſam ſuperiùs memoratam, tum quia illius officium eſt, in Deo omnem ſpem fiduciamque locatam habere, qui ipſi & omnibus illius poſteris, modò ne officium prodant, ſemper ſeſe ad futurum eſſe promittit, ut præter multa alia divina teſtimonia, Autor Epiſtolæ ad Hebræos luculentiſſimè docet: *Sit*, inquit, *vitæ ratio ab avaritia aliena, contenti præſentibus. Ipſe enim dixit, Non te deſeram, neque derelinquam; ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor; neque timebo, quid faciat mihi homo.* (*Heb:13.5,6.*) Et Chriſtus in eandem ſententiam ſic ſuos alloquitur: *Ne ſitis ſolliciti in craſtinum. craſtinus enim dies ſollicitus erit de rebus ſuis. ſatis eſt ſua cuique diei malitia.* (*Matt: 6. ult.*) Ubi ſine dubio per diem craſtinum, tempus illud longè futurum intelligendum eſt. Chriſtus enim pro ſua in nos charitate, vult nos ſine anxiferis curis, præſertim ſupervacaneis ferè & inutilibus, eſſe, quales ſunt, quæ de longè ſecuturo tempore ſuſcipiuntur; cùm præſens hoc tempus ſatis curarum afflictionumque habeat. Adde quòd, niſi Chriſtum audiverimus, non ſolùm ſine ullo fructu, ſed etiam cum ſempiternæ ſalutis detrimento, in ejuſmodi curis verſabimur. Nam hoc pacto reſtricti, contra Chriſti diſciplinam erimus, & pauperes officio debito defraudabimus, & ſic benefaciendi tempus per ſummam ſtultitiam effluere ſinemus, immemores divini
280. illius moniti: (*Gal:6.10.*) *dum tempus habemus, benefaciamus omnibus; maximè autem domeſticis fidei.* Hoc enim ſi fecerimus, tum demum fiet, ut æternâ illâ mercede, iis conſtitutâ, qui in præclaris actionibus verſantur, minimè excludamur.

‡ *Reſpondemus futurum*] Hæc duplicis futuri diſtinctio eſt nimis coacta: Nec etiam στοργὴ naturalis parentum & pia de illis ſollicitudo, ſiſtit in liberis, ſed ſe extendit ad ſeros uſque nepotes, id eſt ad natos natorum & qui naſcentur ab illis. Nec minus debet Chriſtianus homo, *in Deo omnem ſpem fiduciamque locatam habere*, reſpectu proximioris futuri, quam remotioris; quare illa ejus ſpes & fiducia non magis obſtat prudenti ejus proſpicientiæ in nepotes, quam in filios. Quam-

vis

vis illa cura non debeat extendi in infinitum. Nam *est modus in rebus sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Subtiliùs quoquè quam satis solidè dicitur, non *superesse* Patrifamiliâs quod in futurum reponit. Nam illud revera ei superat ex quotidianis suis sumptibus, quod asservat pro suis liberis in futurum. Locus Heb: XIII, 5. 6. ita *αυταρκειαν* commendat cuique in sua fortuna, ex fiducia auxilii divini, ut tamen non prohibeat parsimoniam, frugalitatem & diligentiam, ac honestum studium rei familiaris, per licita media, conservandæ & augendæ sub benedictione divina. Quoad dictum Christi Matt: VI, versu ult. ita anxiâ sollicitudine de crastino, quæ cum diffidentia conjuncta foret, vult nos liberare, ut tamen nolit nobis torporem & rei familiaris negligentiam suadere. Perabsurdè vero illud *crastinum* referas ad futurum illud longè remotius, de quo vix homo prudens solet cogitare, quasi interea liceat se macerare *anxiferis curis* nec sine diffidentia adversus Deum, circa proximè futurum. Quin Christus respicit eam sollicitudinem, quæ spectat victum & amictum, *quid edemus, aut quid bibemus, aut quomodo amiciemur* Matt: VI, 32. quam non spectare illud *longè futurum* de quo disserit Volkelius, res ipsa loquitur.

Hîc res ipsa quodammodo nos admonere videtur, ut de Eleemosyna paulò explicatiùs dicamus. Est autem eleemosyna, si vim verbi spectes, misericordiæ exercitium; ut intelligamus, nos beneficentiam in miseriâ oppressos, animo ad commiserationem propenso conferre debere. Aliter enim vix aut ne vix quidem, quantavis apud aliquem beneficia posita, nomine isto digna existimanda sunt, nec ad præmium à Deo obtinendum, ejusque favorem homini conciliandum valent: cùm Paulus (*1 Cor: 13. 3.*) eum, qui charitatis expers sit, si vel omnes facultates suas in pauperes alendos eroget, nihil tamen esse asserit. Eleemosyna igitur à Christo nobis præscripta, est beneficium, eo, quo diximus, animo in pauperes de facultatibus nostris collatum. qua in re quàm longè debeamus progredi, jam superiùs dictum est. Cùm verò hoc loco dicatur, eleemosynam tribuendam pauperibus esse; providendum est, ne in illos hanc conferamus gratiam, qui verè pauperes nequaquam sunt. Multi enim sunt, qui mendicitate delectati, cùm laborando victum quærere possint, aliis, qui verè sunt pauperes, beneficentiam istam per summam injuriam præripiant. Quod ne fiat, inquirere convenit, qui homines verè in egestate sint; ut nec ipsi in eleemosyna conferenda erremus, & sic verâ beneficentiæ laude privemur; nec egentibus hominibus injuriam faciamus, id quod illis quodammodò debebatur, in alios erogando; nec denique istis, qui egestatem simulant, ad turpissimum otium aperiamus fenestram. Quos quidem notans Apostolus, beneficentiâ istâ prohibendos ait, hunc in modum loquens: (*2 Thess: 3. 10. & d.*) *Cùm essemus apud vos, hoc vobis edicebamus, si quis operari nollet, eum ne comedere quidem debere. Audimus enim, quosdam apud vos ambulare inordinatè, & nihil operari, sed supervacanea agere. Iis autem, qui ejusmodi sunt, edicimus, eosque per Dominum nostrum Iesum Christum hortamur, ut quietè operantes, sibi victum*

quærant. Item: *quòd si quis non obtemperat dictis nostris per Epistolam eum notate, & ejus commercio abstinete, ut eum pudeat.* Illi porrò, apud quos rectè beneficia ista ponuntur, vel valetudinarii sunt, aut ægroti, vel membris capti, vel senio confecti, vel qui in assiduis quidem laboribus versantur, non tamen uxori, liberisque alendis sunt pares; vel quibus ratio se suosque sustentandi, quam aliàs libenter amplecterentur, deest: vel denique qui quamcunque aliam ob causam ad hoc faciendum sunt inepti. In hos igitur liberales esse debemus, si-
281. ve ex eorum numero sint, qui ad Christi disciplinam se contulerunt, sive minimè: cùm ejus simus filii, qui & malos & bonos benignitate suâ complectitur; ideoque hanc ipsius perfectionem imitari à Christo jubeamur. (*Matt:5. 45,48. Luc:6.35,36.*) Qua tamen in re is delectus habendus est, ut, quemadmodum ex Paulo superiùs monuimus, maximè fidei domesticos beneficiis afficiamus. (*Gal: 6. 10.*) Hi enim Christi personam sustinent, qui sibi tunc à nobis benefieri prædicat, cùm de fidelibus benè meremur. (*Matt:25.40,45.*)

Ex iis autem, quæ diximus, facilè apparet, quomodo intelligenda sint verba Pauli, cùm loco antea citato præcipit, ut, dum tempus habemus, *omnibus* benefaciamus. Omnes enim eos intelligit, qui benignitate alienâ revera egent, qualescunque ii aliàs sint, fideles, infideles, noti, ignoti, amici, inimici. Obstringimur autem hoc Apostoli præcepto, quoties ejusmodi se offert benefaciendi occasio, modò eæ sint facultates nostræ, ut de illis absque insigni nostra domesticorumque nostrorum injuria, pauperibus benignè facere possimus. Illa etiam Christi verba, *Omni petenti da*, (*Luc:6.30.*) nequaquam simpliciter prolata ab ipso sunt, nempe ut promiscuè communiterque omnibus, etiam ope nostrâ non indigentibus, dandum esse intelligamus, idque tum, cùm eis tutò beneficium negare possumus: sed vel idem hujus præcepti est sensus, qui Paulini modò à nobis explicati; vel subaudiendum est, potiùs, quàm petita negando petentem irritemus, & quasi ad nos injuriâ aliquâ afficiendos provocemus. Quam quidem istis verbis sententiam contineri, ex aliis in eodem verborum contextu pronunciatis colligi potest. Ad extremum, quod suprà diximus, eleemosynam de illo, quod nobis superat, pauperibus tribuendam esse; id quidem ad ordinariam generatimque consideratam beneficentiam referendum est: potest tamen incidere ejusmodi casus, isque extraordinarius, ut nisi subitò proximum nostrum extremè laborantem, etiam illo juvemus, quod nobis non superest, sed quo ipsimet indigemus, is funditùs pereat. Tunc igitur nequaquam committendum est, ut pro quo vitam etiam profundere, si opus sit, debemus, eum in tanta calamitate deseramus.

His igitur, quæ ad eleemosynæ definitionem spectabant, ita constitutis, consequens esse videtur, ut eam in privatam & publicam distinguamus. Privata est, quæ à singulis separatim exercetur, non adhibitis in societatem cæ-

teris

teris ejusdem Ecclesiæ aut communitatis membris. Quod quidem benignè
agendi genus, licet Christus maximè, atque adeò solum laudare nobisque
commendare videatur, dum monet, (*Matt:6.1,& d.*) ne benignitatem in ho-
minum conspectu exerceamus, ut ita nos illis ostentemus; itemque, ut nobis 282.
liberalitate in quempiam utentibus, nesciat sinistra, quid faciat dextra, id
est, ut rem eam quàm maximè dissimulemus atque occultemus: Animadver-
tendum tamen est, ista non publicæ eleemosynæ, cujus quispiam alios quo-
que cogatur habere conscios, si ea absque ulla ambitione exerceatur, oppo-
ni, sed vanæ tantùm, ut verba ipsa satis apertè indicant, ostentationi, ad pietatis
ac liberalitatis laudem aucupandam comparatæ. Hanc ergo ut in quovis beni-
gnitatis genere vitemus, præcipit Christus; ac porrò ut quatenus res ipsa patitur,
liberalitatem nostram occultemus, monet; ne dum gloriolam venamur ali-
quam, mercede eâ nos privemus, quam alioqui fuissemus à Deo reportaturi.

Publica eleemosyna est, quæ publicè, seu à toto Ecclesiæ aut communi-
tatis alicujus corpore exercetur, quam non modò licitam, sed & necessariam
interdum esse inde patet, quòd alioquin eorum, qui aliena ope indigent,
usibus ac necessitatibus satis prospici non possit. Quare si ea non ex ambitio-
ne ac gloriæ alicujus cupiditate, sed ex sincero proximi amore, ejusque ju-
vandi studio proficiscatur, nullum est dubium, quin & Deo sit gratissima, &
eam exercentibus maximè salutaris. quod idem etiam de illis beneficiis sta-
tuendum est, quæ licet privata sint, occultari tamen vix ac ne vix quidem
possunt. In universum autem tanta beneficentiæ, si ea ritè colatur, apud
Deum vis est, ut Salomo asserat, (*Prov: 15.27.16.6.*) misericordiâ ac fide,
seu veritate, purgari peccata, & iniquitatem redimi; & Daniel Nabucho-
donosori suadeat, (*Dan:4 24.*) ut peccata sua redimat eleemosynis, & ini-
quitates suas benignitate in pauperes. Adde, quòd & Petrus ait, charitatem,
quæ per beneficentiam inprimis exercetur, operturam peccatorum multitu-
dinem. Sed quid multis opus? cum ipse Christus affirmet, (*Matt:25.34,& d.*) se
in adventu suo, justos quidem, ob præstita beneficentię opera, in cœlestis regni
possessionem; injustos verò atque impios, ob eadem neglecta, in ignem æter-
num esse missurum. Quod tamen nequaquã ex ea parte dicitur, quasi eleemo-
syna per se sufficientem salutis causam afferat: sed intelligendum est, reliquas
etiam virtutes charitati aut beneficentiæ adjunctas esse debere: interim tamen
singularem quandam in charitate ac beneficentia vim esse ad efficiendum, ut
nobis peccata ex divina benignitate remittantur, & cœleste regnum donetur.
Quòd si tamen alicubi benignitatis studio per se considerato, multorum pec-
catorum condonationem ascribi volumus; intelligendum erit, Deum homini-
bus, quamvis à vera religione ac pietate alienis, dummodò in liberalitate sese
exerceant, multas pœnas temporarias remittere, & hujus vitæ commodis eos 283.

ornare. Liberatio autem à pœna æterna, vitaque sempiterna, nemini sine fide viva, & omni bonorum operum genere fœcunda, ex Dei decreto contingit.

‡ *In universum autem tanta*] Hæc loca Salomonis & Danielis præposterè citantur, nec sonant quod illis affingit Volkelius. Primum quod attinet nihil tale extat Prov: xv, 27. in originali textu, sed tantũ in Vulgata versione ex interpretibus Græcis, sic satis passim vitiosis, qui ita habent, ἐλεημοσύναις καὶ πίστεσιν ἀποκαθαίρονται ἁμαρτίαι, quod Latinus ita reddidit. *Per misericordiã & fidem purgantur peccata*; Sed ejus libri xvi, 6. id legitur, quod adfert hæreticus: Verùm alio planè sensu quam sibi imaginatur: Quamvis enim non inficiemur homines reddi propitios sibi mutuo beneficentiâ & fide, & sic induci facile ex eorum mente memoriam priorum offensarum, uti dicitur charitas operire multitudinem peccatorum Prov: x, 12. 1 Pet: iv, 8. tamen satiùs est id sumere de propitiatione peccatorum coram Deo, quæ in solidum venit adscribenda non nostris eleemosynis, sed suæ in nos summæ misericordiæ & fidei, à qua omnis hæc propitiatio omninò est expectanda. Non debet autem transferri ad nostram in alios misericordiam & fidem, quod tam palam dicitur de gratuita misericordia & fide Dei erga nos, ut patet ex Rom: iii, 24. Quantum ad locum Danielis iv, 24. primò verbum פרק *Parach* quod est in textu originali, minus commodè redditur *redime*, cùm potiùs significet *abrumpe, dissolve*; adeoque nihil aliud Nebucadnetzari consulitur à Propheta, quã ut beneficentiæ & justitiæ studio *abrumpat* illam iniquitatis telam, quam suâ tyrannide & violentiâ hactenus texuerat. Doctissimus L' Empereur in *notis* suis ad Jacchiadem *hoc loco*, monet de hoc verbo *quod etiam simpliciter* Remove *significet*, laudatis testibus Onkelos, Abarbanele & Kimckio, citatoque loco Gen: xxvii, 40. *Quocirca*, inquit, *tantum significatur removenda & separanda esse peccata per opera contraria: unde nihil superest quo Iudæorum error obveletur.* Quod si quis tamen mordicùs urgeat, verbum *redimendi* extare apud interpretes Græcos & in Vulgata Versione Latina, dicam non tam consuli Regi ut redimat sua peccata, quod valde catachresticè diceretur, cum malam hanc mercem potiùs abjicere quam redimere oporteat, quam illi persuaderi ut se liberet & asserat in libertatẽ à suis peccatis, studio resipiscentiæ per suos fructus declarandæ & contestandæ; metaphorâ desumptâ à captivis qui effracto ergastulo & ruptâ catenâ se in libertatem asserunt; ut hæc Danielis ad Regem exhortatio haud absimilis sit ei quæ legitur Act: ii, 40. viii, 22. Heb: xii, 1.

Adde quod & Petrus] Charitas juxta Petrum operit multitudinem peccatorum, non ejus qui eam exercet, sed eorum erga quos exercetur, nec apud Deum propitiando pro illis, sed apud homines ea contegendo & obliterando ne appareant: Patet quod dico ex Prov: x, 12. unde Petrus illam desumpsit sententiam, ubi ita legimus; *Odium suscitat rixas, & universas prævaricationes operit charitas*, quia videlicet ingeniosa est in excusandis & facilis in condonandis aliorum delictis, etiam *septuagies septies* in die Matt: xviii, 22. Huc faciunt elogia illa Charitatis quæ prolixè referuntur 1 Cor: xiii, 4. 5. 7. quod *iram cohibet, benigna est, non inflatur, non exacerbatur, non cogitat malum; omnia tegit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Hinc Mercerus ad eum Salomonis locum ex quo Petrus hanc sententiam desumpsit, ita loquitur; *Præceptum ad alendam inter homines mutuam concordiam utilissimum, de noxis condonandis vel dissimulandis; ut Athenienses ἀμνηστίαν injuriarum decreverunt. Hoc autem correctionem fraternam non tollit: Nam de privatis injuriis in nos & offensis sermo est.*

Sed

Sed quid multis opus?] Falsissimum est Christum Matt:xxv,34.& seqq. affirmare se justos *ob præstita beneficentiæ opera* in cœli possessionem admissurum: Nam quæ ibi legitur particula *enim*, non est causalis, sed tantum rationalis & illativa; sive, ut vulgò loquuntur in Scholis, non notat causam consequentis & essendi, sed tantum consequentiæ & cognoscendi, quatenus bona opera sunt fructus & notæ publicæ illius veræ fidei in Christum, cui nostra justificatio & salus regulariter tribuitur. Hinc Christus ibid. veras salutis æternæ obtinendæ causas, repetit à Dei benedictione, gratuita illius adoptione & æterna electione. Et nunquam legas in Scripturis Deum suis conferre vitam æternam *ob* vel *propter* eorum opera: cum sint illa via ad regnum non causa regnandi, & nequidem dicamur uspiam *propter* fidem justificari, sed tantum *per* illam. Nec si mala opera impiorum sunt illis causa meritoria mortis æternæ, debent censeri bona opera piorum ipsis mereri vitam æternam: Nam cum impiorum condemnatio sit opus Justitiæ, debet refundi in eorum demerita: Sed cum piorum glorificatio sit opus Misericordiæ & Gratiæ Rom: vi, 23. non debet adscribi eorum meritis, ex regula Pauli xi, 6. juxta quam non benè conveniunt nec in una sede morantur Gratia indebita, & merita operum. Adhæc in singulis peccatis impiorum, tum omissionis, tum commissionis, satis est reatus & culpæ ad pœnam æternam justè referendam: Sed in omnibus operibus bonis sanctorum non est satis perfectionis & dignitatis ad vitam æternam consequendam: quod satis liquet ex Luc: xvii, 10. Rom: viii, 18. In operibus malis impiorum nihil est latentis bonitatis ex qua excusentur: Sed in operibus bonis piorum multum superest latentis vitii & imperfectionis, unde juxta rigorem justitiæ divinæ possent accusari, ut Deus multum iis rependat si ipsis condonet.

Quod tamen nequaquam] Ergo non est simpliciter verum quod *ob præstita beneficentiæ opera* mittantur justi in possessionem vitæ æternæ: Sunt illa necessaria ad salutem adeundam, non tamen conficiendam, sive, quod idem est, habent necessitatem præsentiæ non efficientiæ. Imò nec reliquæ *virtutes*, quas in hoc imperfectionis statu adjungunt pii suæ *charitati aut beneficentiæ*, eam habent vim, ut ipsis suam salutem conficiant, cum ea Dei beneficentiæ per Christum, nobis indebitæ, non nostræ erga pauperes à nobis debitæ veniat adscribenda.

Interim tamen singularem] Hoc nuspiam dicit Scriptura: Neque charitas & beneficentia nostra in pauperes *efficit* ut *nobis peccata remittantur & cœleste regnum donetur.* Sic enim remissio peccatorum non amplius procederet ex *divina benignitate* omninò indebita, nec veniret ulteriùs adscribenda in solidum sanguini Christi, ut fit tam expressè Eph: 1, 7. Matt: xxvi, 28. Imò non tam nobis donaretur *cœleste regnum*, quam illud nobis nostris meritis & eleemosynis acquireremus.

Quod si tamen alicubi] Cùm nuspiam hoc dicatur, de illius sensu non debemus esse solliciti. Et falsò supponitur homines *à vera religione & pietate* alienos, eo usque suâ *liberalitate* posse placere Deo, ut inde pœnarum ullarum relaxationem, aut ullorum beneficiorum collationem ab ipso mereantur. Nam quod fit sine fide, sine qua impossibile est placere Deo, peccatum cùm sit, ipsi nullo modo gratum & acceptum esse potest Rom: xiv, 23. Heb: xi, 6. Et si quæ beneficia terrena videtur quandoque Deus conferre liberalitati infidelium, hoc non est adscribendum ejus Justitiæ distributivæ aut compensativæ, sed ejus sapienti Providentiæ, per quam prospicit Societatis humanæ conservationi, & dat operam ne in speluncam latronum penitùs degeneret. Addo quod ex hypothesi Socinianorum, concessa possibili pœnarum temporaria-

rum remissione infidelibus, nihil illis ultrà superesset metuendum, cùm pœnas æternas rideant hæretici; & aliàs iniquum sit pari loco post hanc vitam haberi eos quibus tot pœnas Deus remiserit & tot beneficia contulerit intuitu suarum virtutum, cum cœteris omninò perditissimis ac nequissimis.

Liberatio autem à pœna] Hæc toto cœlo differunt, videlicet nemini absque bonis operibus, veræ & salvificæ fidei effectis ac indicibus, obtingere vitam æternam, quod ultrò largimur; &, *ob* beneficentiæ & charitatis opera eam nobis conferri, quod falsò, vitiosè & contra totam Scripturam asseruerat paulò ante Volkelius.

Ad benignitatem autem pertinet etiam hospitalitas, quam divinus spiritus summopere nobis commendat. Paulus enim hac de illa verba facit: *Hospitalitatem sectamini*: (*Rom*: 12. 13.) Petrus autem: *Este*, inquit, *alii in alios hospitales sine murmurationibus*: (1 *Pet*: 4. 9.) Et divinus ille Autor: *Hospitalitatis memoriam ne deponite. Per hanc etiam nonnulli inscienter angelos hospitio exceperunt.* (*Heb*: 13. 2.) Quid, quòd & ipse Christus se hospitem aliquando fuisse, & à suis hospitio tunc acceptum dicet, cùm ii minimos etiam illius fratres exceperunt. (*Matt*: 25. 35.) Hinc consequitur, Hospitalitatem à Christo nobis præscriptam ejusmodi esse virtutem, quâ fiat, ut homines egenos ac famelicos, atque inprimis Christi caussâ extorres & in exilium pulsos, vel Christi negotium agentes, & ejus rei gratiâ peregrè profectos, vel denique alios quoscunque Christianos, quia Christiani sint, cùm id usus exigit, humaniter tum excipias, tum tractes. Quamquam enim hospitalitas etiam erga alios homines exerceri à nobis potest, imò sæpè etiam debet; postulante id vel propinquitatis, vel amicitiæ, vel ipsius humanitatis, quâ omnibus hominibus devincti sumus, jure; præsertim tunc, cùm ii hoc humanitatis officio aliqua ratione indigent, quod hominibus etiam opulentis peregrè proficiscentibus contingere potest: tamen non hæc potissimùm nobis à Christo & Apostolis commendatur hospitalitas, sed illa, quam paulò antè descripsimus. Illa verò hospites ad comessationes ac compotationes invitandi consuetudo, quæ vulgò hospitalitatis nomen assumit, longè à Christianis hominibus arcenda est. Huic enim non modò nullum est præmium apud Deum propositum, sed pœna etiam constituta. Quin etiam illud cavendum est, ne sponte nostra eos invitemus aut convivio excipiamus homines, quos ad temulentiam adeò pronos esse novimus, ut non facilè intra sobrietatis ac modestiæ limites sese continere queant: ne gulæ atque intemperantiæ ipsorum servire, multaque & audire, & videre cogamur, à quibus hominis Christiani animus abhorrere debet; ut alia incommoda, quæ consequi inde facillimè possunt, nunc taceamus. Ad hospitalitatis autem, de qua nos agimus, legem, illa Christi verba spectant: (*Luc*: 14. 12.) *Cùm*, inquit, *prandium cœnam-vé facis, ne vocato amicos, nec fratres, nec cognatos, nec vicinos, nec divites, ne illi te vicissim invitent: sed cùm convivium celebras, voca pauperes, mutilos, claudos, cœcos; & felix eris quoniam illi*

te re-

te remunerare nequeunt. reddetur enim tibi in resurrectione justorum. ‡ Quod tamen, ut vel ex suprà dictis constat, non ita intelligendum esse arbitramur, quasi non nisi pauperes unquam invitare liceat: sed hanc sententiam verba ista continere videntur: si sponte tua covivium instruis, ut Deo rem gratam facias, pauperes tantùm invitato: alioqui mercedem à Deo non es accepturus. 284.

‡ *Quod tamen, ut vel*] Imò hæc est mens Christi Luc: XIV, 12. & seq. eum melius facturum qui in egenos alendos conferat potiùs rem suam, quam in superflua convivia ad magnificentiam ostentandam apud eos, qui paria postea parati sint rependere. Is enim ex mente Christi facit epulum mendicis & pauperibus, non qui lautam ipsis erigit mensam, in formali convivio, sed qui iis largitur unde se se sustentent, alant & vestiant in sua necessitate & indigentia.

Jam ut, qua ratione hospes, præsertim Christianus, accipiendus nobis sit, videamus; intelligendum est, necessitati atque indigentiæ illius pro facultatibus serviendum esse, & ex eo, quænám ei officia præstare conveniat, quamdiu in ædibus fovendus alendusque sit, æstimandum. Quare si exulem v g. domo excipias, nec quisquam præter te sit, qui ei necessaria humanitatis officia exhibere aut possit, aut velit, tu verò ei rei sufficere possis; nequaquam satis est, semel atque iterum cibo ac potione illius famem sitimque depellere, aut etiam, ut unam alteramque noctem in ædibus tuis traducat, concedere: sed cùm nec habeat unde vivat, nec ubi pedem ponat; nonné & ipsa res, & jus charitatis postulat, ut eum nequaquam tam subitò domo tuâ exire permittas, sed tam diu, quàm diu opus est, eum retineas, omnibusque, quantum in te est, officiis augeas? Ad ea officia lotio illa pedum hominum sanctorum seu Christianorum pertinet, quam Apostolus in illis requirit viduis, quæ ali ab Ecclesia debeant. (1 *Tim*: 5. 10.)

Sed jam tandem ad luxum, quem alteram beneficentiæ pestem esse suprà diximus, accedamus. Ejus autem duæ potissimùm sunt formæ, quarum altera in comessatione, mensaque conquisitissimis cibis extructa cernitur: altera verò in iis rebus, quæ ad vitæ fastum potissimùm spectant; quanquam huc etiam non rarò magnificæ referuntur epulæ. Etsi enim de comessatione, quatenus libidinis ministra est, suprà egimus: (*cap. praced.*) tamen & hoc loco, quatenus benignitatem exhaurit, paucissimis verbis commemoranda est. Statuendum igitur est, homini Christiano ita cibo potioneque utendum esse, ut plus, quàm naturæ ác valetudinis ratio postulat, nequaquam capiat; nec præpostera illa, cujus mentionem paulò antè fecimus, hospitalitate illis, qui mediocri cibo potioneque contenti esse possent, luxuriæ causam afferat. Ut enim alias istius frugalitatis ac temperantiæ, quæ etiam propter seipsam colenda est, causas reticeam; omne id, quod hoc in genere præter naturæ ac valetudinis necessitatem, tum in nos ipsos, tum in alios impenditur, id pauperibus,

peribus, quibus id ex Christi lege debetur, eripitur. Nec tamen hoc loco simpliciter omnibus paulò suavioribus au delicatioribus cibis nos prohiberi existimandum est: cum valetudini, quæ nonnunquam exquisitiorem victum postulat, serviendum esse constet; dummodo gula luxusque absit. Quanquam si periculum est, ne in luxuriæ suspicionē alicui venias, præstat interdum etiam in valetudinem paulò inclementiorem esse, quàm aliis scandali materiam præbere. Multò autem magis lautiori cibi potusque usu abstinendum illis est, qui eâ sunt naturâ valetudineque præditi, ut simpliciori victu absque ullo incommodo uti possint. Aliter enim eos & temperantiæ limites transgredi, & restrictiores esse in pauperes necesse est. Plura de comessatione dicendi hîc locus non est, cùm suprà de ea satis dictum sit.

Sequitur igitur, ut de vitæ fastu, iisque rebus, quæ ad eum spectant, sermonem instituamus. Is autem nihil aliud est, quàm immoderatum honoris studium. Quod cum per se Christianæ modestiæ maximè contrarium est, tum ad pauperes injuriâ afficiendos magnam vim habet. Nam qui ambitioni deditus est, illum & de vestium luxu, & equorum famulorumque magnifico apparatu, & rebus aliis his similibus laborare oportet; & sic non solùm ab illis virtutibus, quæ Christianam vitam maximè constituunt, (modestiâ nimirum, temperantiâ, & frugalitate,) abesse, sed etiam indigentibus, quæ illorum propria censeri debent, adimere. Quod tamen nequaquam tunc fieri existimandum est, cùm necessitas quædam exigit, ut homo Christianus ordinarium vitæ cultum nonnihil excedat, & ea quoque ratione dignitatem suam tueatur: præsertim tum, cùm vel gloria divina, vel aliorum salus atque incolumitas agitur, cui, si dignitatem nostram tueamur, patrocinium aliquod præstare possimus. Extra hos tamen similesque casus, etiam contemptu aliquo proposito, vitæ modestia atque temperantia semper tuenda est nobis, majorque tum religionis, tum virtutum suprà memoratarum, atque imprimis beneficentiæ, ratio habenda, quàm contemptûs. Is enim, quamquam nimio quodam neglectu ac sordibus provocandus non est: non semper tamen etiam fugiendus est; sed tunc, ut diximus, cùm vel Dei gloria, vel ardua res aliqua agitur. Unde colligitur, falsissimam illorum opinionem esse, qui, ut quis maximè opibus præstat, ita vel vestium splendore, vel famulorum, quorum nullus nisi ad ostentationem quandam sit usus, abundantiâ, reliquis eum antecellere debere existimant: cùm non nisi ob eam causam in ampliore fortuna quispiam collocatus sit, ut eos, qui ab opibus sunt inferiores, liberalitate pauperibus debita superet. Aliter enim dubium non est,
286. quin ea, quæ divino jure aliorum sunt, in suum usum transferat, & beneficentiæ præmio seipsum defraudet.

‡ *Cum necessitas quædam exigit*] At verò nulla potest fingi *necessitas* quæ exigat *ut homo Christianus excedat* circa vitæ fastum, iisque rebus quæ ad eum spectant. Sed hac in parte quisque debet tenere modum convenientem suæ conditioni, vocationi & sorti; nec censendus est excedere qui τὸ πρέπον servat, ad *dignitatem* suam tuendam, & se à contemptu apud alios vindicandum; Et quamvis iste contemptus non sit nimis studiosè fugiendus, tamen nec est accersendus nimio situ & neglectu, & prudens Christianus debet se in eo accommodare plurimùm locis, temporibus, consuetudini receptæ, vasis aureis utendo ac si essent fictilia, & fictilibus si ita sors ferat ac si aurea & argentea forent.

Vel famulorum quorum nullus] At qui magnam familiam suæ opulentiæ convenientem alit, ad dignitatem suam tuendã, eo ipso sustentat multos egenos; cùm aliàs istis famulis vix aliunde suppeterent necessaria ad victum & amictum: Et ita fit ac debet fieri, juxta Salomonem, ut ibi sint multi comedentes ubi sunt multa bona Eccl. v, 11. Nec Deus benedictiones suas ampliores confert in quosdam, ad Liberalitatem tantum sed etiam ad Magnificentiam, quæ celebratur in Salomone, nec uspiam à Christo improbatur.

CAP. XIX.

De nono Decalogi Præcepto.

Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.

AD hoc præceptum rectè intelligendum, primò videbimus; quo sensu per Mosem traditum fuerit: deinde quàm latè pateat sub Christo. Ac Moses quidem nonnisi ea falsa testimonia prohibuisse videtur, quæ proximum vel in vitæ, vel fortunarum, vel honoris discrimen adducunt. Quod quidem dupliciter fieri potest: cùm nimirum vel coram magistratu in falsum crimen quispiam vocatur; ad quod falsorum testimoniorum genus præcipuè videtur respexisse Moses; vel apud alios etiam ipsius nomen falsò defertur. In quo genere sunt omnes calumniæ, obtrectationes, susurrationes, quibus proximi fama violatur, ipseque in periculum aliquod adducitur. Ex quo consequitur, alia mendacia hoc genere minimè comprehensa, non usquequaque à Mose interdicta fuisse.

‡ *Ac Moses quidem*] Ut Deus prohibens adulterium, prohibet etiam fornicationẽ & omnem alium Veneris actum extra legitimum conjugium, ita prohibens hîc *ea falsa testimonia quæ proximum vel in vitæ, vel fortunarum, vel honoris discrimen adducunt*, prohibet etiam sub hac deteriori specie, omnia reliqua mendaciorum genera, quæ etiam ipsis Ethnicis semper turpia visa sunt. Ipse Carsilides in genere ita loquitur, τὶ μισητόν; ψεῦδος. *Quid odiosum? Mendacium.* Et Phocylides: ψεύδεα μὴ βάζειν, τὰ δ' ἔτυμα πάντ' ἀγορεύειν. *Mendacia noli dicere, sed vera omnia loquere.* Cleobulus & Menander, ψεῦδος δὲ μισεῖ πᾶς φρόνιμος καὶ σοφός. *Mendacium odit omnis prudens & sapiens*; & Aristoteles *Eth. lib.* 4. Omne *mendacium pravum est & fugiendum.* Quin

 à Mose

à Mose omnia omninò *mendacia interdicta fuisse*, non illud tantum quod habet rationem falsi testimonii contra proximum, patet liquidò ex Exod: XXIII, 1. Lev: XIX, 11. ubi in genere dicitur Mendacium esse fugiendum; Et mille sunt in Scripturis V.T. loca in genere & citra exceptionem adversus mendacium, qualia extant Psal: V, 7. XV, 2. Prov: XIX, 5. XXX, 8. Hos: IV, 2. Zach: VIII, 16. Plura non addo, cum in re clara diligentia sit superflua, & constet Deum ita esse lucem & veritatem, ut quicquid ab ea helice tantisper declinat, debeat aversari; Diabolum verò hac notâ insigniri, quod sit mendax & pater mendacii.

Quin etiam quædam sunt, quæ vulgò officiosa mendacia solent appellari, quæ cum ad injuriam alterius non spectent, interim tamen prodesse cuipiam non parùm queant, pro illicitis nunquam fuere habita, nec à nobis habentur; præsertim si videatur necessitate quadam expressa, & ad quempiam vel periculo, vel damno non exiguo liberandum pertineant; modò omne absit juramentum, aut quippiam simile, quod ad divini nominis contumeliam spectare possit. Neque enim ullius hominis damnum aut periculum perjurio, aut aliâ aliquâ divini nominis contumeliâ redimendum est.

‡ *Quin etiam quædam sunt*] Id verò est longè falsissimum, cùm nequidem pro Deo forti liceat mentiri Job: XIII, 17. & in omnibus debeamus ἀληθεύειν Eph: IV, 15. Nec magis licet in gratiam proximi quam adversus illum falsum testimonium dicere, prout non magis licet in gratiam viduæ & orphani jus pervertere quam contra illos Levit: XIX, 15. & regula est constans Apostoli Rom: III, 8. non esse facienda mala ut bona eveniant: Et prout oportet ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, ita oportet ἀγαπᾶν ἐν ἀληθείᾳ & usque ad aras: siquidem Charitas injustitiâ non delectatur sed gratulatur veritati 1 Cor: XIII, 6. Aut debet mendacium quod officiosum dicitur pro mendacio non haberi & everti rerum natura, aut fatendum illud in Dei verbo omninò prohiberi. Nam omne mendacium, citra distinctionem aut restrictionem, esse deponendum docet Paulus Eph: IV, 25. Et Christus ita vult nostrum *etiam* esse *etiam*, & *non* nostrum *non*, ut quicquid huic normæ non quadrat *à malo* sit Matt: V, 27. Et sanè cùm omne quod asserimus, tale debeat esse, ut si opus fuerit, & id exigant ii in quorum sumus potestate, juramento queat confirmari, eo ipso quod fatetur Volkelius *nullius hominis periculum vel damnum perjurio redimendum* esse, debet quoque fateri nullum mendacium ab officiositate posse excusari; Si enim officiositas nequit facere non peccatum ex perjurio, nequibit idē præstare ex mendacio.

Atque ad hoc innoxium mendaciorum genus pertinet illud obstetricum Ægyptiacarum, quo Judæorum infantes servabant; (*Exod: 1. 19.*) & illud factum Rachabæ, quæ per mendacium exploratores illos à morte vindicavit: (*Jos: 2. 4, 5.*) & Micholis prudentia, quæ mendacio maritum conservavit: (*1 Sam: 19. 17.*) & denique Jonathani pietas, qui simili ratione ac viâ Davidem de manibus Sauli liberavit. (*cap. 20. 6, 28, 29.*)

‡ *Atque ad hoc innoxium*] Verùm missis quæ ad singula hæc loca possent annotari, cum non desint Interpretes qui saltem obstetrices Ægypti excusent à mendacio,

nem

non exemplis debemus regi & vivere, sed regulis: Nec statim sanctum est & immune ab omni labe, quod à sanctis cæteroquin personis factum legimus: Sæpè talia eveniunt in quibus res ipsa sit bona & Deo grata, sed modus quo fit, habeat aliquid scoriarum & nævi. Ac sicut placuit Deo quod filius Mosis circuncideretur, non approbato modo agendi ex impetu, quem in eo servavit Sephora Exod: IV, 25. ita placuit Deo quod obstetrices ab infanticidio abstinuerunt Exod: I, 15. quod Rahab hospitum suorum securitati consuluit Jos: II, 4. 5. quod Michol mariti I Sam: XIX, 17. Jonathan amici vitæ I Sam: XX, 6. 28. 29. prospexerunt; Sed modus agendi in istis bonis operibus, per mendacium aliquod, infirmitatis fuit humanæ, nec omni vitio caruit corā Deo. Nec inficior eas quidem interdum objici difficultates hominibus ut inter sacrum & saxum constituti, malint in veritatem peccare, quam in charitatem: Sed licet eo casu à tanto excusentur, non tamen à toto veniunt excusandi; & juxta ipsos Philosophos Morales, si non vituperio, saltem commiseratione digni sunt; laude in eo digni non sunt. Placet ad hanc rem quod olim dixit Augustinus *Enchir. ad Laur. cap. 22. Non ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando aliquando alicui prodesse, si pauper cui palam datur sentit commodum, & dives cui clam tollitur non sentit incommodum.* Item, *Non ideo mendacium poterit nonnunquam laudari, quia nonnunquam pro salute quorundam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale,* (apud homines scilicet) *quod benevolentia excusat, & ideo fallacia damnat. Plurimum quippe ad bonum profecisse homines, qui nonnisi pro salute hominis mentiuntur, non est negandum: Sed in eorum tali profectu meritò laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia, non fallacia, quæ ut ignoscatur satis est, non etiam ut prædicetur, maximè in hæredibus Novi Testamenti* (post veritatem magis elucidatam,) *quibus dicitur, Sit in ore vestro Est, Est; Non, Non: Quod enim amplius est à malo est: Propter quod malum, quia subrepere in hac mortalitate non desinit, etiam ipsi cohæredes Christi dicunt, Dimitte nobis debita nostra.* Sed Sociniani, qui ex veteribus hæresibus suam Theologiam fabricati sunt, debuerunt & hanc laciniam mutuari à Priscillianistis, qui similiter docebant licitum esse aliquod mendacium, ut monet Augustinus *in Psal: 5. & de Mendacio ad Consent. cap. 15.*

Alterius autem generis sunt sermones parabolici, in quibus aliquid factum narratur, quod factum non est; idque eum in finem, ut homines vel ad rerum divinarum notitiam instituantur, vel ad præclara facta incitentur, vel alia quapiam ratione erudiantur. Sermones enim hi figurati potiùs atque allegorici censendi sunt; qui si cæteroqui sint honesti, liciti prorsus sunt; & licèt res, quæ apertè narratur, conficta sit; sententia tamen vera, & rei apertè narratæ similis, verbis illis subest. Tales sunt plurimæ Christi parabolæ: talis etiam est illa Nathani vatis, quâ adulterium à Davide commissum, homicidio auctum, exaggerat. (*2 Sam: 12. 1. & d.*) Ad figuratos etiam sermones pertinent illa verba, quibus olim Michæas Propheta Achabi animum explorare instituebat, hunc in modum loquens: *Ite, Deus est vobiscum.* (*1 Reg: 22. 15.*) Ironia enim est, quâ voluit ea ex Rege elicere verba, quæ sibi illius coarguendi materiam præberent. Huc referendi sunt omnes sermones hyperbolici, om- 287.

ci, omnesque allegoriæ, quæ in sacris voluminibus frequenter occurrunt. Tam enim figurato, quàm proprio loquendi genere, vera sententia exprimi potest. ut frustra sint illi, qui istiusmodi in sacris literis dicendi figuras reperiri, contra manifestam veritatem negant, verentes scilicet, ne mendacium illis ea ratione impingatur.

‡ *Alterius autem generis*] Revera insanus sit, qui Parabolas, Apologos, Jronias, Hyperbolas, similesque loquendi tropos & figuras, Mendaciis velit annumerare.

Explicuimus hucusque, quæ mendacii genera Moses prohibuerit, quæ secùs. Restat nunc explicandum, quid huic præcepto in Christi doctrina adjectum censeri queat. Istud autem est, quòd Christus etiam illud mendacii genus, quod temerè profertur, & ex levitate quadam animi proficiscitur, etiamsi alteri non noceat, prohibuerit: cui adjungi possunt eæ, quæ in gestu factoque aliquo consistunt, simulationes dissimulationesque, frustra sineque justa causa susceptæ: & si quæ sunt similia. Quæ quidem à Christiani hominis gravitate prorsus abhorrent, nec ei conveniunt, qui veritatis esse debet tenacissimus.

‡ *Istud autem est quod Christus*] Atqui hæc omnia quæ Ethnici ipsi lumine naturali improbarunt, ut dixerit Nigidius apud Gellium, *Vir bonus præstare debet ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat*, etiam sub V.T. fuisse improbata, ex iis quæ ante diximus satis apparet: Nec minus tunc quam nunc à singulis honesta *gravitas* in factis & dictis requirebatur.

Inprimis autem huc referri debent damnationes judiciaque illa, quibus apud Matthæum Christus nos prohibet: (*Matt:7,1.*) ubi quidem non de publicis privatisque judiciis legitimè factis: sed de illis sermonem esse, quæ ab ira, odio, aut malignitate quadam animi, vel saltem ex charitatis quodam defectu proficiscuntur, res ipsa satis monet. Eo peccati genere se obstringunt, quicunque in deteriorem partem rapiunt, quod in meliorem accipere possent, ac nimis rigidi alienorum sunt morum ac factorum censores.

‡ *Inprimis autem huc referri*] Sed quis dubitet temeraria illa judicia, quæ Christus prohibet Matt:VII,1.2. *& quæ ab ira, odio, aut malignitate quadam animi, vel saltem ex charitatis quodam defectu proficiscuntur*, æquè ac nunc vitiosa fuisse sub V.T. sub quo præposteri isti affectus æquè erant Deo exosi, & ipsius verbo improbati?

CAP. XX. *De decimo Decalogi præcepto*,

Non concupisces domum proximi tui; nec concupisces uxorem illius, nec servum, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec omnia, quæ illius sunt.

HOc præcepto Deus duorum peccatorum suprà prohibitorum, nimirum furti & adulterii fontem atque originem extirpare instituit. Interdicit enim

enim hoc loco cupiditatem nefariam, ex qua utrumque flagitium nascitur. 288.
Concupiscere quippe alterius uxorem, atque bona aliena, hoc loco est, id animo agitare, deliberataque voluntate in id incumbere, ut quocunque tandem pacto illis perfrui possis. Neutra tamen concupiscentia, vel furti, vel adulterii loco numerabatur. Qua de causa & separatum hoc de concupiscentia earum, circa quas furtum & adulterium versantur, præceptum traditum est. Quod quidem ideò superioribus additum esse videtur, quòd, ut sanæ mentis ratio dictat, quæ habere minimè convenit, ea nec concupiscere licet, iisque inhiare.

in

‡ *Hoc præcepto Deus*] Sed primò, concupiscentia vitiosa hoc præcepto prohibita multo latiùs extenditur quam ad furtum, vel ad adulterium; cùm non sit verosimile, motus eò spectantes sensisse Paulum Apostolum, etsi sentiret motus aliquos inordinatos concupiscentiæ, uti patet ex Rom: VII, per totum. Nec dubium ex mente Apostoli ibid. com. 7. quin latiùs pateat concupiscentia, hoc ultimo præcepto damnata, quam *furti & adulterii fontem*, licet per Synecdochen & exempli gratiâ, fiat mentio uxoris & rei alienæ; tum quia Apostolus, hoc Præceptum exprimit generatim his verbis, *Non concupisces*, tum quia ex stylo Scripturæ hæc sunt synonyma, *caro*, *vetus homo*, *corpus peccati*, *φρόνημα σαρκός*, *lex membrorum*; Jam autem carnis fructibus accensentur hæreses, æmulationes & similia, quæ *spiritualia* peccata vulgò dicuntur I Cor: III, 3. Gal: v, 19: Hinc quod Rabbinis dicitur יצר הרע *Iatsar harang*, & יצר חטאת *Iatsar Chatthath*, *figmentum malum* & *figmentum peccati*, Lexicographi reddunt *Concupiscentiam malam*; qua de re videatur Buxtorfius in *Lexico Thalmudico-Rabb. ad vocem* יצר & Galatinus *lib. 6. de Arc. Verit. Cath. cap. 5.*

Hoc loco est id animo] Quin hic potius prohibetur non tam Concupiscentia actualis & formata, quæ habet *deliberatam voluntatem* sceleris complendi, quæ interdicitur satis superque in præceptis quibus Adulterium & Furtum vetantur, ipso Christo interprete, quam habitualis ejusque motus primus volatilis, necdum planè deliberatus, qui tamen in se est damnabilis & vitiosus; ut suprà ad septimum Præceptum satis probatum dedimus.

Neutra tamen concupiscentia] Imò ipsos-met Ethnicos hoc furti & adulterii loco habuisse, ante visum est. Et quamvis eo loco tunc non veniret, ut neq; nunc, in foro fori & apud homines, qui pœnas non stringunt in cogitationes & desideria animi quamdiu se opere non produnt, tamen eo loco venisse apud Deum Christus luculenter testatur Matt: v, 28.

Qua de causa & separatum] Falleris: Nam hoc Præceptum additur ad præcedentia, quia cùm illis, etiam ex natura Legis quæ spiritualis est, satis superque prohiberetur deliberata voluntas adulterii & furti, opus fuit amplius isto præcepto, quo constaret etiam motus concupiscentiæ primos ac indeliberatos, eorumque fomitem ac fontem omninò damnari & prohiberi: Unde profitetur Apostolus se nesciturum concupiscentiam esse peccatum nisi lex dixisset, *Non concupisces* Rom: VII, 7. cùm aliàs concupiscentiam deliberatam rei vel uxoris alienæ, peccatum esse, ipsismet Ethnicis ex solo lumine turæ notum fuerit.

Quæ habere minime] Cum verò hoc *sanæ mentis ratio* dictet, dictat quoque iisdem præceptis quibus ista *habere* prohibetur, unà prohiberi *ea concupiscere iisque inhiare.*

 Huic

Huic autem præcepto in novo fœdere hoc adjunctum esse videtur, ut non solùm ardenti incitatoque studio ea quæ proximi nostri sunt, minimè appetamus; sed ne simplicem quidem de iis ad nos pertrahendis cogitationem, quæ animis nostris fortè obrepere possit, foveamus, eâve nos oblectemus ac veluti titillemus: sed potiùs, simul ac in animum nostrum illabitur, illicò ei obsistamus, & eam haud secùs ac funestissimam pestem ejiciamus.

† *Huic autem præcepto*] Tantum abest *ut huic præcepto in novo fœdere hoc adjunctum* sit, quod refert Volkelius, ut è contrario, ex Novo Fœdere constet, hoc ipsum esse quod isto præcepto ultimo prohibetur: Quod liquet luce meridianâ clariùs ex loco Pauli Rom: VII, 7. Imò eo non tantum prohibemur *fovere*, eâ-ve nos oblectari atque titillari, *simplicem de iis ad nos pertrahendis cogitationem, quæ animis forte obrepere posset*, sed etiam ejusmodi obrepentes cogitationes malæ, ex naturæ nostræ corruptione oriundæ, damnantur & improbantur; Unde Apostolus ita eas sibi obrepere, licet quadantenus invito & reluctanti, (tantum abest ut eas foveret, iis-ve ve titillaretur.) ideo ferebat ægerrimè, quod eas esse vitiosas intelligeret ex Lege dicente, *Non concupisces.*

Ex hoc autem ultimo decalogi præcepto, quemadmodum & ex aliis innumeris, quæ apud Mosen scripta leguntur, perspicuum est, bonorum distinctionem olim sub Lege maximè viguisse; & porrò nullam talem apud gentem Israëliticam eorum fuisse communionem qualem hodie quidam adinvenerunt, sibique servandam existimant, qui ea de causa Communistæ appellantur. Quinimò jus proprietatis, quod unusquisque habeat, adeò salvum ratumque esse Deum voluisse intelligimus, ut proximi bona non solùm minimè ad se rapere, sed ne concupiscere quidem cuipiam liceret. Quod præceptum cùm Christus adeò non abrogaverit, ut etiam aliqua ratione auxerit; apparet, eum nullâ lege bonorum communionem introduxisse, eorundemque distinctionem abrogasse. Errant autem ii, quos diximus, non leviter, dum ut charitatis legem inviolatam servemus, necesse esse ajunt, ut bonorum distinctione sublatâ, omnia nostra divendamus, inque commune conferamus. Manifestum quippe est, & Israëlitas charitatis lege obstrictos fuisse: quippe cum illis Deus, ut proximum sicut seipsos diligerent, disertissimis verbis præceperit; & tamen, ut modò docuimus, propria possidere, citra ullam talem communionem, jurè potuerunt: ut facilè appareat, proximi dilectionem absque ista communitate consistere posse. Dicet quispiam, hodie majorem perfectioremque charitatem à nobis requiri, quàm olim Israëlitis. Rectè sanè. at ne hinc quidem omnium venditio communioque colligitur: cùm satis is in exercenda charitate Israëlitas superet, qui non solùm amico, sed inimi-
289. co etiam benignè facit; omneque quod ipsi superest, in pauperes erogare paratus est; atque adeò, cùm opus est, erogat: quorum neutro gens Israëlitica obstringebatur.

† Ex

2 *Ex hoc autem ultimo*] Quæ hîc contra Communiſtas, ſive Socinianorum fraterculos, in genere diſputantur, ultro admittimus: Monemus tamen, I. *Ius proprietatis quod unusquiſque* habet rerum ſuarum, everti quadantenus iis quæ ſupra *capite* 18. ferventer aſſerebat Volkelius, noſtros non eſſe ſed pauperum, *omnes ſuperantium bonorum* noſtrorum *fructus*. II. Falsò ſtatui, Chriſtum hoc præceptum de alieno non concupiſcendo, *aliqua ratione* adauxiſſe; cùm nullam iſtius augmenti per Chriſtum facti, vel volam vel veſtigium reperiant Adverſarii in Scriptura, & reclamet ei aſſertioni Apoſtolus, qui ſubrepentes cogitationes vitioſas, quibus tamen nec delectabatur, nec acquieſcebat, iſtâ lege damnari διαῤῥήδην agnoſcit. III. Perperam concedi à Volkelio Communiſtis *majorem perfectioremque charitatem à nobis requiri quam olim ab Iſraëlitis*, cùm major non poſſit exigi eâ quam Lex præcipit, ut quilibet proximos ſuos ſicut ſeipſum diligat Rom: XIII, 8. 10. 1 Tim: I, 5. Nec dubium quin Iſraelita olim teneretur *non ſolum amico ſed etiam inimico benignè* facere Prov: XV, 21. Rom: XII, 20. & eandem curam habere pauperum quæ nobis imponitur. Quamvis neque Iſraëlita neque Chriſtianus abſolutè teneatur omne id *quod ipſi ſupereſt* ex neceſſitatibus quotidianis, *in pauperes erogare*. Utriuſque enim fuit & eſt officii non ita dietim vivere, quin ſuis & ſuæ familiæ in futurum proſpiciat.

Adde, quòd charitas, quæ in beneficentiæ ac liberalitatis ſtudio maximè conſiſtit, id potiùs exigit, ut aliquid habeas tuum, unde in pauperes benignus eſſe poſſis: eamque ipſam ob cauſam Apoſtolus (*Epheſ: 4 28.*) eos, qui antea furati fuerant, amplius furari vetat, contrà verò manibus ſuis, quod bonum eſt, laborare jubet, ut habeant, unde tribuant indigenti. Quo in loco verba iſta, *ut habeant*, conſideranda ſunt: quippe ex quibus evidentiſſimè colligitur, non ſolùm habere ſua prohibitum minimè eſſe; ſed etiam eos, qui non habent, curare debere, ut habeant, unde & ſe alere ſuſtentareque, & pauperibus benefacere poſſint. Ex quo intelligitur, omnium bonorum venditionem, inque commune collationem, etiamſi tum, cùm fit, charitatis aliquod argumentum contineat; (quamquam ejus vis quodammodo perit, ubi nemo, niſi hac lege, in Eccleſiæ ſocietatem recipitur:) tamen in poſterum beneficentiæ privatæ uſum tollere, ipſamque adeò charitatem valdè imminuere. Quomodo enim verbi causâ, qui nihil habet proprium, eſurienti, ſitientique cibum potumque præbebit, aut nudum veſtiet, aut hoſpitem excipiet? Dices, hoc ipſius nomine à ſenioribus, quibus hæc cura demandata ſit, fieri poſſe. Reſpondeo autem, hominem Chriſtianum, ardentem bonorum operum ſectatorem ſeſe præſtare debere, & ideo omnium excellentiſſimo modo, ut alias virtutes, ita & beneficentiam exercere; ut nimirum ſingularis erga proximum amor in ea eluceat. Cùm igitur per alios, quippiam egentibus tribuere, ſi non tuo, ſed illorum id fiat arbitrio, multò frigidius fit, quàm ſi ipſe animo hilari amoreque incenſo de tuo illis largiare; quis non videt, eam ipſam ob cauſam, multò ſatius eſſe, te quod tuum eſt poſſidere? ut nimirum

ſecun-

secundùm Pauli doctrinam, *(2 Cor:9.7.)* prout destinâsti in corde tuo, pauperibus auxilio esse possis. Id quod in communione à quibusdam excogitata fieri nequit. Neque verò usquam scriptum legimus, Christianos propria bonorum suorum possessione prohibitos fuisse, aut eos, qui proprias suas facultates tenebant, ejus rei nomine fuisse reprehensos. Quinimò ex multis Apostolorum sermonibus, aliisque circumstantiis haud obscurè intelligitur, planè unicuique sua possidere liberum fuisse, ut cuilibet in Actis Apostolorum, aliisque eorundem scriptis vel mediocriter versato, apertissimum est. Ex quo
290. apparet, stante bonorum proprietate, charitatem Christianam optimè consistere posse. At inquient, *Charitas non quærit sua*, ut Apostolus testificatur. *(1 Cor:13.5.)* Certè: at particulâ *sua* apud Apostolum, non ad facultates, aut necessaria hujus vitæ subsidia spectat: sed ad ea, quibus carere absque detrimento nostro possumus, absque alterius autem detrimento, aut scandalo, vel quærere, vel usurpare non possumus; complectiturque imprimis gloriam, & voluptates corporis, per se quidem licitas, sed cum offensione infirmiorum conjunctas. Simile huic est illud ejusdem Apostoli pronunciatum, *(Phil:2.4.)* *Non quæ vestra sunt singuli spectate; sed etiam ea quæ sunt aliorum quilibet.* Ubi de non abutendo donis spiritualibus ad nostram gloriam aliorumque contemptum aut offensionem, sed ea in alienos potiùs usus convertendo, sermonem esse, ipse verborum contextus indicat. Quò & comparatio Ecclesiæ Christi, cum diversis unius corporis membris referenda est: *(1 Cor: 12.12.)* quippe quæ similiter, non tam bonorum terrestrium, quàm donorum spiritualium quandam veluti communionem nobis ob oculos ponit, eoque ab Apostolo adhibita est, ut, qui divinis muneribus sunt ornati, non ad propriam gloriam, sed ad universæ Ecclesiæ utilitatem ea convertant; aliique alios non contemnant, sed debito honore afficiant, ut cuilibet totum illud caput legenti perspicuum esse potest. Non negamus tamen, ut jam innuimus, eò quoque pertinere illam comparationem, ut alii aliorum indigentiæ succurramus, & in usus fratrum necessarios liberaliter de nostro erogemus. Hoc enim pacto ea, quæ dominii jure nostra sunt, usu quodammodò fiunt communia. & hæc demum Christianis hominibus digna communio est. Hîc verò, qui diversum sentiunt, urgebunt nos tum mandatis, quæ Christus hac de re dederit, tum piorum hominum exemplis. Ad mandata enim quod attinet, primò illud afferent, quod Luc:12.33. scriptum legitur hunc in modum: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam,* Verùm ut isti, quod volunt, obtineant, tum de omnibus possessionibus simpliciter vendendis Christum hîc loqui, tum ex eo necessariò consequi istam, quam fingunt, communitatem, probandum illis est. Ac illud quidem eos facere non posse, jam suprà in octavi præcepti explicatione demonstravimus, ad quam lectorem remittimus. Hoc verò alterum consequens

sequens minimè esse, res ipsa evincit: cùm nemo non videat, aliud esse dare eleemosynam, aliud res suas in commune conferre, & ejusmodi cum aliis inire societatem, ut & tu illorum, & illi tuis utantur fruanturque facultatibus; quo pacto facilè fieri potest, ut longè plus etiam lucreris, quàm perdas. Sed fortasse id, quod priori loco diximus, non esse nimirum intelligendum, omnes protinus facultates esse vendendas, & pauperibus dandas, aliis s. scripturæ testimoniis refutari, suamque sententiam confirmari existimabunt. Proferent enim in medium illa Christi verba: (*Luc:14.33.*) *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus*; & illa ejusdem, quibus 291.
indicat, nos omnia vendere debere, ut regnum cœlorum, quod margaritæ ac thesauri est instar, emamus; (*Matt: 13, 44, 46.*) & denique ista, quibus adolescentem opulentum monuit, ut omnia sua bona venderet, & daret pauperibus. (*Luc:11.22.*) Sed in primo loco *renunciare* non significat vendere, aut jus dominii reipsa abdicare, simul ac Christi discipulus fieri velis: cum isto loco per ea quæ possidemus, non tantùm facultates nostræ, sed etiam anima seu vita nostra, & homines nobis conjunctissimi, ut parentes, fratres, sorores, uxor, liberi, intelligantur, ut superiora indicant, ad quæ comprobanda hæc subjunguntur. (*vid. Luc:14.26.*) sed *renunciare* isto loco est, animo res omnes quadammodo abdicare, & pro suis adeò non habere, ut paratus sis Christi causâ ea deserere, ac penitus relinquere. Idem revera indicatur in altero loco, in quo regni cælorum adipiscendi causâ omnia nos vendere debere, parabolico sermone indicatur. Quod ad tertium locum attinet, is speciale monitum continet, ad animum adolescentis illius explorandum & in apertum producendum, adhibitum: quo pacto Deus olim Abrahamum (*Gen: 22.*) speciali mandato de mactando sacrificandoque filio tentavit, quamque fidelis esset, tum ipse expertus est, tum toti mundo patefecit. Fuisse autem præceptum istud adolescenti huic à Christo datum, si modò, ut consentaneum est, propriè accipi debet, planè singulare, ex eo percipitur, quòd plurimi Christianorum absque ulla, ut suprà ostendimus, reprehensione bona sua tenuêre. Quid, quòd Apostoli ab illis, qui hujus temporis aut seculi, seu mavis, mundanas divitias possident, nihil ampliùs requirunt, quàm ut ne sublimè sapiant, nevé spem ponant in divitiis incertis, sed in Deo vivo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruendum; ut benè agant, divites fiant in bonis operibus, ad dandum communicandumque sint faciles, thesaurizentque sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam illam æternam. Verùm esto, (quod tamen nullo pacto concedimus) obstringat id Christi monitum, adolescenti illi datum, omnes in universum Christianos; num protinus communitas ista eo comprobabitur? Nequaquam: quippe cùm non solùm nulla hîc ejus mentio fiat; sed longè etiam aliter bona vendita in

usum pauperum transferri, quàm communitati isti serviendo. Adde, quòd id ad eum modum, quem isti urgent, fieri non potest. quandoquidem qui pecuniam in commune conferunt, id ita faciunt, ut & ipsi communionis par-
292. ticipes sint; & porrò tantâ tum suorum, tum alienorum bonorum parte perfruantur, quantâ illis ad vitæ cultum opus est. Quomodo igitur omnia, quæ vendiderunt, pauperibus eos dare rectè vereque dici potest? ut nihil dicam, non omnes verè pauperes esse, qui communitate ista comprehenduntur; cùm singuli ferè, quod habent, in eam comportent, & labore assiduo rem augeant; & porrò pauperum nomine censeri vix ac ne vix quidem possint. Eodem modo ad omnia eorumdem hominum argumenta, ex iis Christi mandatis ducta, quibus pauperibus benignè faciendum præcipit, respondendum est, ea nimirum citra communionem istam præstari posse, atque adeò debere. Hîc verò, ut mandatis istis nos ad communionem impelli doceant, Ecclesiæ Hierosolymitanæ exemplum proferunt, de qua sic scriptum extat: (*Act: 2. 44.*) *Omnes qui credebant, erant pariter,* (seu *unà*) *& habebant omnia communia; possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Item: (*Act:4.32.*) *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.* Respondemus primò, hoc Hierosolymitanum factum, illud non esse, quod urgent ii, cum quibus hîc disputamus, cùm hîc nequaquam scriptum extet, eos omnes planè possessiones vendidisse, nullâ sibi relictâ: sed indefinitè dicatur, eos possessiones substantiasque vendidisse. (*Act:4.34.*) Adde, quòd domus eos retinuisse, & ideò non omnia, quæ habebant, vendidisse, ex eo colligitur, quòd, teste eodem Luca, (*Act: 2. 45. 46.*) domatim panem fregerunt, id est, Dominicam cœnam celebrârunt. Quòd verò nihilominus domos agrosque vendidisse dicuntur, id, si modò veracem Dei spiritum, sibi ipsi contradicere nolis, de iis domibus agrisque intelligendum est, qui illis supererant, seu quibus carere poterant. Atqui, inquient, Barnabas teste Luca, (*Act:4.36,37.*) unum agrum habuit, & tamen eum vendidit, pretiumque ante pedes Apostolorum posuit. Respondeo, ex verbis Lucæ non constare, illum præter agrum istum nihil habuisse, puta pecuniam, aut domum, aliaque ad vivendum necessaria. Verùm esto nihil præter agrum habuerit Barnabas, (quod tamen probari non potest,) & porrò hoc ipsius factum singulare quiddam sit; quid, quæso, hoc ad alios, quos domos retinuisse jam ostendimus, generatim ad omnia planè, quæ habuerunt, vendenda adstringendos, virium habere potuit? Jam quod illi, de quibus Lucas loquitur, (*Act:4.46.*) & unà fuerunt, & cibum cum gaudio ceperunt, id similiter communionem istam, de qua disputamus, nequaquam constituit: cùm & dies noctesque eos unà fuisse, & sic etiam in una eademque domo dormitasse, (ut ii, qui communistæ dicuntur, faciunt) ex istis divinis testimoniis evinci

evinci minimè possit; & insuper longè alia ratione unà esse non solùm potuerint, sed etiam reipsa fuerint; idque tum in templo unanimiter, ut testatur Lucas, perdurando; tum domatim (& sic non in certa quadam domo) panem frangendo, cibumque cum gaudio capiendo; non intermittendo & alia pietatis exercitia, in doctrinis cohortationibusque constituta. Quod quidem cum communione ista nihil conjunctum habere, imò absque ea commodissimè & factum fuisse, & etiamnum à piis fieri, satis clarum est. Jam quòd neminem, quæ possidebat, sua esse dixisse, sed omnia illis communia fuisse, Lucas ait; (*Act*: 4. 22.) id quoque communionem istam nequaquam confirmat: propterea quòd disertissimè hîc asseritur, Christianos illos ea, quæ possidebant, non quæ vendiderant, sua esse non dixisse; quia communem eorum usum omnibus Christianis esse voluerunt, quo pacto olim fuit dictum, Amicorum omnia communia esse. Quo quidem dicto possessionum proprietates minimè exterminari, sed officiorum studiorumque vicissitudines commendari, palàm est. Nihil igitur prohibet, quominus omnia Hierosolymitanis illis communia fuisse, neminemque, quæ possidebat, sua nominasse intelligamus, quòd non sibi tantummodò, sed & aliis, maximè autem pauperibus sese illa habere, & perinde possidere, quasi non possiderent, ostendere voluerint; non pro dominis facultatum suarum, sed pro dispensatoribus se gerendo. 293.

Satis, ut videtur, ostendimus, istos, contra quos disputamus, ex Hierosolymitana Ecclesia nullum communionis suæ exemplum petere posse: cum multum inter hos illosque ea in re, de qua agitur, intersit. Verùm, quò magis istorum error coarguatur, demus sanè, illam Christi Ecclesiam eandem planè cum his communitatem servasse: num protinus consequens fuerit, eam ad hoc faciendum lege quadam generatim Christianis impositâ adstrictam fuisse? Nequaquam verò. Contrarium enim ex iis apparet verbis, quibus Petrus, (*Act*:5.3.) Ananiam ob fraudem commissam reprehendens, utitur: *Nonne*, inquit, *manens* (prædium) *tibi manebat, & venditum in tua potestate erat?* unde liquet, licuisse ei vel prædium ipsum, vel pretium integrum sibi servare. Deinde si lex ejusmodi unquam fuisset, non solùm Hierosolymitanam, sed universam etiam Christi Ecclesiam, ubivis terrarum degentem obstrinxisset. Id quod contrà esse, ex eo apparet, quòd non solùm nulla alia Ecclesia proferri possit, quæ Hierosolymitanos ea in re fuerit imitata, aut quia id non fecerit, in reprehensionem quandam incurrerit; sed etiam, ut suprà dixi, omnes earum Ecclesiarum circumstantiæ, Apostolorumque sermones, longè aliter sese rem habere, evidentissimè demonstrant. Et quidem, 294.
ut alia jam suprà memorata hoc loco reticeamus, unus Ecclesiæ Corinthianæ, quantùm ad hanc rem attinet, status, maximo argumento esse debet, nullam

lam legem iſtius communitatis ei impoſitam fuiſſe. Nam & domos proprias Corinthios habuiſſe, ubi comederent biberentque, Paulus teſtatur, *(1 Cor:11. 20.)* & de pauperibus Hieroſolymitanis ſublevandis non ſeniores, qui communitati, ut apud iſtos fieri ſolet, præſint, ſed ſingulos univerſoſque admonet, ut unuſquiſque illorum primo quoque die hebdomadis apud ſe deponat, prout ei res benè ſucceſſerit, ne tum demum collectæ fiant, cùm venerit. *(1 Cor:16.2,3.)* Item: ut unuſquiſque, prout deſtinavit in corde ſuo, agat, non ex neceſſitate, aut triſtitia. Hilarem, inquit, datorem diligit Deus. *(2 Cor: 9. 2.)* Hæc omnia an hodiernam communitatem redoleant, cordatorum eſto judicium.

Afferuntur ab illis multa alia, quæ quia & infirma per ſe ſunt, & his, quæ diximus, bene perceptis, facillimè dilui poſſunt, ſciens volensque prætereo: niſi illud fortè aliquid ponderis habere exiſtimes, quòd Chriſtus ſe non habere, ubi caput reclinet, aſſerit. *(Matt:8,20.)* Atqui ad id, quod volunt, concludendum, non ſatis eſt, oſtendere, Chriſtum certum habitandi locum minimè habuiſſe: ſed etiam in ejusmodi communitatem ſeſe dediſſe, quam iſti urgent, probandum eſt. Id verò tantum abeſt ut probari poſſit, ut etiam hoc ipſum, quod ad probandum affertur, id penitus convellat, & eos, qui hoc communionis genus ſequuntur, Chriſto hac in parte admodum diſſimiles eſſe oſtendat. Quomodo enim, qui in loco certo cum aliis habitat, & communibus fruitur bonis, non habet ubi caput reclinet? Unde apparet, illos, cum quibus nobis res eſt, iſta Chriſti conditione ſtatuvé nec ſeſe tueri, nec alios hoc ipſius exemplo in ſuam ſententiam pertrahere poſſe. Non ſequitur præterea, Chriſtum nihil proprium habuiſſe, nimirum pecuniam, aut tale quid; quia propter Euangelium jam hîc jam illic prædicandum, & propter ingratorum malevolorumque hominum odia, nullam certam ſtabilemque ſedem habuit. Nec tandem, ſi maximè utroque caruiſſet, idem omnino & nos ſequi oporteret; cùm hoc nos facere nunquam juſſerit. Hîc verò, poſtquam ſibi omnia illa cauſæ ſuæ præſidia erepta eſſe animadverterint, ad hoc tandem quaſi aſylum confugient, ut ſi ſempiternæ felicitatis communione frui aliquando cogitamus, abſurdiſſimum eſſe aſſerant, nos iſtarum, ut ita dicam, quiſquiliarum communitatem refugere. Sed non animadvertunt, longè diverſam eſſe hac in parte cœleſtis illius felicitatis, & terreſtrium bonorum ra-
295 tionem. Nam quominus futurum illud bonum omnibus fidelibus ex omni parte commune ſit, nihil impedire poterit. At ejuſmodi terrenorum bonorum communitatem, qualem illi volunt, impediunt multa, &, ne ea inſtituatur, prohibent; adeò quidem, ut generatim loquendo, haud paulò rectiùs ii faciant, qui eâ non utuntur, quam qui utuntur. Interea tamen nos veram ac laudabilem terrenarum opum communionem nequaquam rejicimus, nimi-

rum

tum eam, quæ facit, ut quæ proprietate nostra sunt, usu quodammodò fiant communia, dum nostra aliis hilari animo impertimus, & in pauperes sublevandos atque alendos liberaliter impendimus. Cui communioni, cùm ista certorum hominum communitas, ut suprà demonstravimus, magna ex parte adversetur; quippe quæ & officiorum vicissitudinem, & liberam exque hilari in pauperes animo profectam beneficentiam vel tollit, vel enervat; dum eam repudiamus, nequaquam in istam, quam dicunt, absurditatem incidimus; nisi volumus, omnes Christianos, qui Apostolorum ætate propriis bonis usi fuêre, absurditatis istius incusare; quod nec ipsum Christum Apostolosque fecisse, satis jam suprà à nobis demonstratum est.

His Decalogi præceptis ita consideratis, haud alienum fuerit hoc loco Dei animadvertere sapientiam, quæ in pulcherrimo eorum ordine elucet. Quem quidem ordinem si invertas, ita ut ab ultimo præcepto initium facias, & usque ad primum, singula suis ponderibus examinando, pervenias, comperies, singulas virtutes in hac divina lege præscriptas, alias ab aliis gradibus quibusdam superari, & quò longiùs quæque à primo præcepto abest, eo perfectiorem esse. Majorem enim in proximum charitatem declaro, si ipsius uxorem opesque ne concupisco quidem, quàm si reipsa illi nullam injuriam infero. Majorem item, si ne falsum quidem de illo testimonium dixero, quàm si ipsius facultatibus manus non inferam. Majorem etiam, si bona illius minimè ad me rapio, quàm si ab uxore illius abstineam. Item, si ne uxorem quidem illius attingere cogito, ne dum ipsum interficere. Sic si alios homines nullâ afficiam injuriâ, nedum parentes, quorum operâ in hanc lucem prodii. Item, si ne Sabbathum quidem olim Israëlita quispiam violare voluit, nedum pejerare; & ne pejerare quidem, nedum Dei cultum ad inania simulachra transferre, vel quod caput est, plures uno Deos habere.

Quòd si recto ordine progrediaris, & à primo præcepto exorsus ad ultimum usque pergas, intelliges, scelera hac divina lege prohibita alia aliis 296.
esse detestabiliora. Gravius enim peccatum est, Deos plures habere, quàm fabricare colereque imagines. Fieri namque potest, ut qui hoc facit, interim unum tantùm esse credat Deum. Et imaginibus cultum exhibere, gravius esse videtur, quàm Dei nomen in vanum usurpare, seu falsum jurare; quia idolis faciendis colendisque, honor Deo debitus tollitur, & ad res alias transfertur, quod non fit falso jurando. Falsum porrò jurare gravius est, quàm Sabbathum non observare: & hoc rursum gravius tunc erat, quàm parentes debito honore non afficere: cum illud ad Dei injuriam & contemtum spectare censeretur. & parentes contemnere gravius est, quàm quemvis alium debitâ benevolentiâ fraudare, & nominatim quidem parricidium simplici homicidio longè est scelestius: cùm qui nos genuerunt, multò

 chariores

chariores nobis esse debeant, quàm quivis alius. & homicidio sese obligare magis capitale scelus est, quàm adulterare: cum per hoc honor quidem adimatur, & amor ac fides conjugalis lædatur, per illud autem vita. Et adulterium furto gravius est: cùm honor, amorque personarum nobis conjunctissimarum, ac fides, bonis fortunæ longè præstet. Et furti se astringere catenus saltem gravius est, quàm falsum testimonium in aliquem dicere, quòd illud proximo semper noceat: hoc verò nec semper, nec necessariò. Et idipsum denique gravius existimandum est, quàm teneri cupiditate, vel uxoris, vel aliarum rerum proximi nostri; quandoquidem mendacium in proximum dicere eidem plurimum officere potest: ea vero, quæ illius sunt, concupiscere, per seipsum ei nocere non potest, licet ad damnum ejus res spectet.

CAP. XXI.

De Christi præceptis seorsim traditis.

‡ *Respondente ad hoc caput & duo sequentia* JOHANNE TILIKINGIO, *Groningano.*

SEquitur tandem, ut ea Christi præcepta explicemus, quæ seorsim suis tradidit. Quæ quidem vel moralia, vel ceremonialia sunt. Ac moralia quidem tria potissimùm numerantur: quorum primum nostri ipsius præscribit abnegationem: alterum ad crucis afflictionumque tolerantiam nos instituit: tertium denique Christi nos docet vestigia persequi.

‡ *Ac moralia quidem tria*] Sed revera in his tribus nihil novi præcepit Christus ad quod antea fideles non tenerentur, & cujus praxis non jam reperiatur in V. T. Quoad *nostri abnegationem*, luculentum ejus habemus exemplum in Davide Ps: CXXXI, 2. Ne dicam quod ipsum Præceptum de Deo diligendo ex toto corde &c. istam nostri abnegationem implicet necessariò: Sunt enim amor Dei & amor sui, quod duo poli in universo, ita ut unius elevatio sit depressio alterius. Quantum ad *crucis afflictionumque tolerantiam*, ipsa Numinis reverentia eam secum trahit necessariò. Hinc in V.T. docebantur bona & mala venire à Domino Lam: III, 38. utraq; ab ejus manu esse sumenda Job: II, 10. & adversa præsertim sustinenda silenter & patiēter Psal: XXXIX, 10. utpote quę perferre bonum sit & salutare Lam: III, 27. Psal: CXIX, 71. Adde loca Prov: III, 11. Job: V, 17. ipsi Paulo ad hanc rem citata Heb: XII, 5. 6. & exempla quæ idem profert piorum crucem tolerantium in genere sub V. F. Heb: XI, 35. 36. 37. 38. & Mosis in specie Heb: XI, 25. 26. qui elegit potius *affligi cum populo Dei* quam frui ad tempus deliciis peccati, & potiores divitias duxit *opprobrium Christi*, quam thesauros totius Ægypti. Quantum ad imitationem Christi, primò certum est illam nihil aliud à nobis exigere quam exercitium earum virtutum quæ Lege Dei præscribuntur: Is verò nihil addit ad regulas, qui proponit exempla quibus inhæreamus in illis servandis. Etiam Paulus vult nos esse sui imitatores 1 Cor: XI, 1. citra novorum mandatorum institutionem. Deinde & illud certum, nihil majoris perfectionis in schola Sociniana posse continere

acre imitationem Christi ad quam nunc invitamur, quam imitationem Dei præscriptam à Mose Levit: XI, 44, 45. & ab ipsomet Christo Matt: V, 48 Quin & tertiò id debet esse in confesso, Messiam promissum sub V.T. descriptis virtutibus instructum quæ nostro Iesu tribuuntur in Evangelio; & obligatos fuisse fideles illorum temporum ad earum virtutum præstationem, quibus inclytus erat futurus ille Messias quem in Sospitatorem suum debebant expectare. At quid hoc aliud erat quam obligari ut ad fidem in Christum venturum, ita ad illius *vestigia* premenda & imitationem sanctam? Ut satis superque ex istis appareat nulla in his tribus fingenda nova *Christi Præcepta, quæ seorsim suis tradiderit*: quod solum hic venit in controversiam: cùm cæteroquin ad hæc tria nos obligari, ultrò fateamur.

Abnegatio nostrimet, eam designat vitæ nostræ mutationem, quâ fiat, ut propemodum à nobis ipsis discessisse, & nosmetipsos, quod quidem ad carnem attinet, odio prosequi videamur. Cùm enim nonnisi illis delectari nostrum sit officium, quæ apud Deum pondus aliquod habent: Deo autem tantùm magni sint, quæ non fluxa atque momentanea, sed solida sempiternaque sunt; consequens est, ut & nos ipsos, qui pulvis & umbra sumus, 297. contemnamus; & sic omnibus cupiditatibus nostris, utpote inanibus, terrenis ac futilibus, abjectis, totam mentem studiumque omne in Deum dirigamus; nihil interim cogitantes, quid de nostra fama generisque nobilitate, quid de opibus fortunisque nostris, quid de corpore, quidque de hac vita nostra futurum sit: nedum ut vel inani gloriæ comparandæ, vel opibus congerendis, vel denique voluptatibus operam nostram dicemus. Quinimò si nobis ipsis penitùs valediximus, omnes etiam carnalis erga nosmetipsos amoris radices ita ex animis nostris evulserimus necesse est, ut nulla voluptatum, divitiarumque, ac mundanæ gloriæ occasione, quâ plærumque animi hominum, quales sint, explorantur, titillari, nedum ab officio deduci possimus. Hinc colligitur, eos nequaquam seipsos abnegâsse, qui Christianum nomen usurpant illi quidem, pietatemque ac sanctimoniam præ se ferunt, & dum materiâ sibipsis indulgendi destituuntur, omnia mundana egregiè contemnere videntur; ut primùm verò rerum istarum occasio datur, nequaquam eam prætermittunt, imò mordicùs tenent. Ad quantum autem singularissimæ pietatis fastigium is ascenderit, qui seipum abnegavit, nemo non intelligit. Qui enim hac, qua diximus, ratione seipsum destituit, is facilè reliqua duo Christi præcepta exequi poterit, de quibus nunc dicemus. Primò enim crucem quotidie nullo negotio feret, id est, singulis diebus omnia acerba, veluti est infamia, injuria, fortunarum spoliatio, exilium, verbera, mors denique truculentissima, subire paratus erit; quippe qui jam eo præditus sit animo, ut omnia, quæ illi eripiuntur, bona, pro nihilo reputet, & sese meliore, quàm Dominus ac Magister ipsius fuerit, fortunâ dignum esse minimè judicet.

dicet. Adde, quòd eum, qui bona hæc terrena contemsit omnia, iisque valedixit, certam exploratamque bonorum cœlestium ſpem habere neceſſe eſt. Neque enim bona hæc contemnere, niſi ſpe non dubia meliorum poſſumus. Quare, niſi ſibiipſi renunciavit, ſpe tantorum bonorum confirmatus, non ſolùm omnia adverſa leviſſima ducet, ſed etiam in illis gloriabitur; intelligens nimirum, illis premi & quotidie exerceri in rem ſuam maximè eſſe, ut ex illis Apoſtoli verbis perſpicuum eſt: *Gloriamur in calamitatibus, illud ſcientes, quòd calamitas patientiam parit: patientia probationem: probatio ſpem. Spes autem non pudefacit, quòd Dei amore perfuſi ſunt animi noſtri per ſpiritum ſanctum nobis datum.* (*Rom:5.3.& d.*) Quibus verbis hæc continetur ſententia: tanta eſt vis juſtificationis noſtræ, quam per fidem adipiſcimus, (ejus enim rei fructus iſto loco
298. enumerat Apoſtolus,) ut non ſolùm in ſpe gratiæ futuræ Dei, ſed etiam in afflictionibus gloriari poſſimus. Tantum quippe abeſt, ut afflictiones ſtatum noſtrum convellant, ut etiam ad felicitatem ſempiternam nobis proſint: propterea, quòd afflictiones patientiam in nobis, qui fidem Chriſto habemus, quodammodo pariunt, eamque in apertum proferunt. Niſi enim inſectationes variæ, exercendæ patientiæ occaſionem materiamque nobis præberent, nunquam ſeſe opere ipſo probaret, atque in actum exiret, utut patiendi animus non deeſſet; nec eo nos animo eſſe præditos appareret. Occaſio quippe, omnium tum virtutum, tum vitiorum intus latentium, exploratrix quædam eſt; tumque maximè intelligitur quo quisque ſit animo, cùm vel ad præclaras actiones, vel ad ſceleris impuritatem datur anſa. Ex patientia porrò probatio exoritur. Nam & ſuam ipſius fidem virtutemque homo explorat; & Deo ſuam probat conſtantiam; & denique quanti à Deo fiat, hoc exprimento cognoſcit, quòd non ſolùm tam arduam ſibi ab illo provinciam imponi videt, ut nimirum conſtantiâ ſuâ ipſius gloriam amplificet; ſed etiam in rebus adverſis, ſæpeque adeò deſperatis, admirabile ipſius auxilium, incredibilem bonitatem, ſummamque fidelitatem nunquam non experitur. Atque hinc exploratiſſima ſpes erumpit, nempè certò futurum eſſe, ut in cœleſtis hæreditatis poſſeſſione conſtituamur. Si enim qui nihil in vita deguſtant adverſi, dummodò Chriſto fidem adjungant, inque eo ſpem ſuam collocent, vitam ſempiternam aſſecuturi ſunt; quid de illis exiſtimandum nobis eſt, qui pro tuenda juſtitia tot inſuper mala, tot ærumnas, tot calamitates perferunt? In hanc autem ſpem per ſpiritum ſanctum excitati ſumus; utpote quo de ſumma erga nos charitate Dei abundè nobis perſuaſum eſt.

Jam ut de Chriſti imitatione dicamus; intelligendum eſt, noſtrarum partium eſſe, ut quoad ejus fieri poteſt, omnem vitam noſtram ad illius imaginem effingamus. Quod quidem tunc fiet, cùm ipſius ſequemur cogitationes, ſermones, & facta. Ad cogitata enim quod attinet, conſtat, Chriſtum non ſolùm

solùm nihil impurum, terrenum, Deové contrarium unquam animo concepisse: sed etiam ea semper mente contemplatum fuisse, quæ sancta, quæ cœlestia, quæ divina erant. Eodem pacto igitur & nos, tum animum ab omni impuritatis cogitatione perpurgatum, à rerum terrestrium atque fluxarum studio abstractum, ab omnium, quæ Deo improbantur, meditatione abductum habere convenit; tum de virtute, de justitia; de bonis sempiternis atque cœlestibus, denique de omnibus, quæ Deo probari exploratum habemus, assiduam diligentissimamque cogitationenem suscipere, omnemque 299
adeò mentem in futura illa Republica nostra defigere, eam sitienter appetere, eam unam cogitare, par est. Quod si fecerimus, facilè etiam Christi sermones imitabimur. Ex abundantia enim cordis os loquetur. (*Matt:12.24.*) Quid autem in omni Christi sermone aut obscœnum fuit, aut profanum; contrà verò non sanctissimum, non gravissimum, non verissimum, non denique & summum Dei spirans amorem, & ardentissimum futuræ felicitatis desiderium? Quin igitur ejus vestigiis insistimus, linguamque nostram ab omni sermonis futilitate, obscœnitate, spurcitie, vanitate, mendacio, obtrectandi denique ac maledicendi studio continemus, & ea sermonibus nostris celebramus, quæ pura, quæ honesta, quæ sancta sint, quæ ad homines divinarum rerum notitiâ instruendos valeant, quæ divinam gloriam amplificent, quæ fidem spemque nostram, quæ denique ardentissimam sempiternæ beatitatis cupiditatem exprimant?

Jam quid de Christi factis dicam? Nullum certè reperies, in quo summa sanctitas, summa justitia, summa & perfectissima omnibusque suis numeris absoluta obedientia, quam Deo debebat, non eluceret. Nullum unquam vel minimum sceleris actum commisit, nedum ullam peccandi consuetudinem habuerit; contra omnia fecit, quæ incredibilis in Deum fiduciæ & amoris, inauditæ tam in inimicos, quàm in amicos charitatis, inusitatæ prorsus mansuetudinis, humilitatis, patientiæ denique, argumenta continebant; quæ hoc loco fusiùs persequi supervacaneum est, cum superiùs ea sint à nobis explicata, ex quibus hæc intelligi satis possunt. Illud igitur potiùs hoc loco agendum est, ut nos ad illius imitationem exuscitemus; nihil interim morantes illorum sententiam, qui contra apertissima sac: literarum testimonia Christi vestigia persequi nos posse negant: sed ipsius tum hoc in loco, tum alibi de sese imitando mandatum nobis traditum firmissimè tenentes, (*Matt: 10.38.11.29: 16.24: Ioh:14.26:13.15,34.15.10,12.& d.*) omninoque persuasum habentes, eum pro summa sua sapientia atque justitia, nequaquam ea nobis imperare, quæ præstare nullo pacto possimus. Qua de causa & Apostoli Christum nobis induendum, (*Rom: 13. 14.*) id est, ipsius vitam moresque imitandos, itaque nobis ambulandum esse docent, ut ipse ambulavit:

(1 Ioh:2.6.) & Christum pro nobis passum esse: nobisque exemplum reliquisse, ut ejus insistamus vestigiis. (1 Pet:2.21.) Quid quòd & Paulum, & Thessalonicenses Christum imitatos fuisse apertissimè scriptum legimus. (1 Cor:11.1. 1 Thess:1.4.)

‡ *Nihil interim morantes.*] At verò non statim debemus nostras vires ex mandatis Dei metiri; sunt illa officii nostri norma, non mensura virium nostrarum. Nec sequitur nos ad divinam perfectionem posse conscendere eo quod jubeamur à Christo Matth: v, 48. esse perfecti sicut Pater noster qui est in cœlis perfectus est: Notum enim illud *sicut* importare duntaxat similitudinem aliquam, non omnimodam æqualitatem. Si possibilis nobis foret exacta Christi imitatio, tum possemus esse in hac vita absolutè ἀναμάρτητοι, ut non deberemus ampliùs dicere quotidie, *Dimitte nobis debita nostra;* imò possemus satisfacere pro peccatis aliorum, & eos redimere nostro sanguine, quod quam nobis sit impossibile, nemo non videt. Equidem largior ultrò fideles & debere imitari Christum, & id *præstare* posse quodam *pacto;* Sed nec illa imitatio Christi quæ tribuitur quandoque sanctis, omnibus numeris fuit absoluta, aut talis in qua nihil omninò Deus posset desiderare; cùm etiam puellus imitetur quantum potest suum Ludimagistrum in pingendis literis, etsi hæc imitatio non inferat absolutam similitudinem inter manum discipuli inchoantis, & magistri; Nec ullus dabitur in hac vita mortali, qui ejus vestigiis sic institerit, ut nunquam impegerit, aut horsum vel illorsum declinaverit.

Verùm eos, qui Christum imitari nos posse negant, illud decepisse vide-
380. tur, quòd imitationis naturam non satis intellexerunt; arbitrantes nimirum, imitari idem esse, quod planè exprimere; & sic non similem alicui sese ea in re, qua de agitur; sed omnino parem, atque adeò eundem præstare. Quod sanè falsissimum esse, cuilibet intelligenti homini facilè patet: cùm ut rectè aliquem imitari dicamur, satis sit, nos easdem cum illo, quem sequimur, qualitates habere, quantumvis eæ haud paulò præstantiore ratione ab illo possideantur. Ex quo fit, ut, qui ideo nos Christum imitari posse negant, quòd is vel summus ille Deus sit, aut certè quòd nos tum propter nascendi modum divinissimum, tum propter singularissimam vitæ puritatem & sanctimoniam, longè multumque superet, illi rationes malè subducant: præterquam quòd priores illi unum errorem altero accumulent. Quòd enim Christus summus ille Deus dicitur, id & magno errore implicatum est, ut suo loco docebimus; (*lib. 5. c. 9. & d.*) & si vel verissimum esset, nihil ad Christi imitationem excludendam momenti afferret. Nam & ipsum Deum imitari nos debere, tum Christus, (*Matt:5.45,48. Luc:6.35,36.*) tum Apostoli, (*Eph:5.1. 1 Pet:1.15,16. 1 Ioh:1.7.*) luculentissimè docent. Si igitur ipsius summi Dei majestas ejus imitationem non impedit; quid, quæso præstantissimus Christi nascendi modus ad hanc rem ponderis afferre potest? Nisi fortè singularis-

gularissimam Christi sanctitatem, secundo loco à nobis commemoratam, ex ea generandi ratione ortum habere, & propter istam singularitatem imitabilem minimè esse volumus. Hîc fatemur quidem, Christum singularissimâ vitæ innocentiâ & sanctitate præditum fuisse, atque adeò divinissimâ quadam ratione à summo illo salutis nostræ architecto, ab omni scelerum contagione integrum fuisse conservatum: verùm non protinus hoc ad singularissimam illius nativitatem referendum est; cùm citra eam hoc commodissimè divinâ potentiâ fieri potuerit, & sine dubio factum sit: nec, si hoc ad ortus illius dignitatem revocetur, statim consequens fuerit, nos Christi integritatem ac sanctimoniam sequi nequaquam posse, ut ex iis, quæ hactenus diximus, perspicuum est.

‡ *Verum eos qui Christum*] Hic equidem eam nobis proponit Christi imitationem, quam & suo sensu cadere in fideles ultrò largimur: Sed errat gravissimè Hæreticus, dum eos erroris insimulat qui Christum naturâ Deum esse statuunt; uti videbimus eo loci quo nos remittit. Adhæc cùm, ipso fatente, eodem modo nobis incumbat imitatio Christi, quo *ipsum Deum imitari* jubemur, inde sequitur, ad istius imitationis culmen & perfectionem, neminem nostrum posse conscendere. Eò autem facit plurimum *præstantissimus Christi nascendi modus*, qui cum eum præstiterit immunem ab illa labe originali quæ reliquis inest, eo ipso illum inimitabilem, imitatione perfectâ, fecit cœteris in justitia & sanctitate.

Hic fatemur quidem] Mitto quod hîc Christum *à summo nostræ salutis architecto* perperam distinguit Volkelius; cùm Christus sit summus noster Servator & ipsissima nostra Salus Act: IV, 12: Sed iniquè & perabsurdè negat Hæreticus, ad *singularissimam* Christi *nativitatem*, quâ videlicet conceptus fuit ex Spiritu Sancto & natus ex B. Virgine, *referendum* quod *ab omni scelerum contagione* fuit immunis; cùm illius singularissimæ nativitatis nulla propior ratio queat assignari quam quod debuit carere omni labe & quod si natus fuisset solito more, ex lege generationis suæ, fuisset eadem originali corruptione nobiscum infectus, juxta id quod ipsemet dicit Joh: III, 6. *Quod natum est ex carne caro est*, & istud quod extat Jobi XIV, 4. *Quis dabit mundum ex immundo?* Quare falso statuit Hæreticus, quod Christus potuerit *citra eam* singularissimam nativitatem, *commodissimè divinâ potentiâ* immunis fieri ab omni peccato, *& sine dubio factus sit*. Nam positâ corruptione nativâ & originali, quæ lege generationis ordinariæ venit propaganda in singulis, prout eadem lege propagata fuisset justitia originalis, si homo perstitisset in officio, tam impossibile est hominem viâ ordinariâ genitum præstari immunem ab eo originali vitio, quod intimè adhæret ipsi naturæ, quam impossibile est hominem peccatorem non generare filium ad imaginem & similitudinem suam Gen: V, 3.

Nec si hoc ad ortus] Imò hinc *perspicuum est*, nos ideo non posse conscendere ad plenam Christi *integritatem & sanctimoniam*, quod cum ille per *ortus* sui *dignitatem* fuerit immunis ab omni originaria labe, nos è contrario per conditionem ortus nostri sumus naturâ filii iræ, proclives ad omne malum & inepti ad omne bonum, & debeamus ad finem usque vitæ nostræ luctari cum illa lege membrorum quæ pugnat cum lege mentis, & in varias cæspitationes ac prolapsiones incidere.

Quinimò quicquid hac in parte fecit Deus, id adeò fecisse censendus est, ut viam salutis per eum nobis ostenderet, & nos, ut eum sequi, & per ejus vestigia incedere vellemus, hoc pacto permoveret. Nequaquam verò consentaneum est, Deum, cùm id ageret, tantâ Christi voluntatem necessitate astrinxisse, ut nonnisi ea cogitare, expetere, molirique ulla ratione posset, quæ recta, quæ decora, quæ sanctitati omni ex parte consentanea essent: sed eum potestati suæ relictum tanto spiritus sui præsidio sepsisse atque confirmasse, tanto divinæ sapientiæ lumine illustrasse, tanto denique virtutis studio incen-
301. disse, ut liberrimâ voluntate cùm esset, semper tamen ad summam vitæ sanctimoniam, quàm ad peccatum inclinare maluerit. Nihil enim divinæ sapientiæ magis congruum erat, quàm omni ratione providere, ne via salutis per Christum monstranda desperari posset. Quod quidem incommodum haud omni ex parte vitari potuisset, si Christus omni libertate ita fuisset orbatus, ut nihil prorsus cogitare, nihil conari, nihil efficere potuisset, quod non esset cum summa virtutis excellentia conjunctum. Sic enim maxima esset inter nos & illum dissimilitudo: cum nos & libero voluntatis arbitrio præditi simus, & ipsorum sensuum vi ad voluptates, & res cæteras, quæ carni sunt gratæ, & cum peccato aliquo conjunctæ, rapiamur.

† *Quinimò quicquid hac in*] Debuit quidem esse sanctissimus & immunis ab omni labe ἀρχηγὸς salutis nostræ, qui si ipse fuisset reus debendi, pro aliis solvere nequivisset. Sed non debet supponi Christum non alium in finem fuisse sanctissimum, quam *ut viam salutis nobis ostenderet, & nos ut eum sequi & per ejus vestigia incedere vellemus, hoc pacto permoveret.* Nam Christus non nobis propositus est tantum in exemplar quod imitemur, sed etiam in Redeptorem plenum & λύτρον perfectum, cujus pretio liberemur. Quod si via salutis in perfecta Christi imitatione sita est, nemo erit qui debeat confidere se eò perventurum, cum nemo sit, vel erit vel fuerit unquam, qui illud Christi ausit usurpare Joh. VIII, 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* In nisu quidem & conatu ad conformitatem cum Christo, quantum patitur humana imbecillitas, potest collocari via ad regnum, licet non causa regnandi; sed qui sibi persuadebit, se posse plenè & perfectè *per ejus vestigia incedere*, & ad ἀναμαρτησίας Pelagianæ culmen conscendere, eo ipso procul aberit ab illius vestigiis, & jam lapsus fuerit ex superbia, quod pertendat posse se ex infirmitate non labi.

Nequaquam vero consentaneum] Hoc est Diabolicum & Achristianum virus quod sub pectore coquunt Sociniani, dum Christum audent facere peccabilem; ne liberi sui arbitrii idolum, cui litant, labefactare videantur: Quasi verò posse peccare & deficere ab officio, pertineat ad perfectionem, non potius ad imperfectionem arbitrii; aut repugnet ejus libertati intrinsecæ, omnis necessitas, vel benè agendi vel malè. Necessitas incumbit dæmonibus & quibuslibet peccatoribus ante regenerationem, malè agendi, cum arbor mala, non possit bonos fructus proferre; & vice versâ Angeli beati sunt extra periculum omne prolapsionis, ut nihil aliud possint quam benè agere: Neutrorum tamen libertati, quicquam eâ ratione decedit. Ut qui ergo peccabilem

cabilem

cabilem facies Chriſtum, eo quod *liberrima voluntate cum eſſet, ſemper ad ſummam vitæ ſanctimoniam inclinare,* & eadem ratione ab omni peccato declinare voluerit? An quia Deus ſemper liberrimè facit quod juſtum eſt & æquum, & eadem libertate declinat ſemper quod iniquum & injuſtum eſt, inde concludes, ergo poſſe Deum ſeipſum abnegare, & aliquid iniqui & injuſti ſtatuere aut facere?

Nihil enim divinæ] Atqui via ſalutis *per Chriſtum monſtranda* non ſita eſt in omnimoda & perfecta ſanctitate & imitatione abſoluta perfectionis Chriſti; ſed in fide & reſipiſcentia; quæ etiam Dei donis merè gratuitis eſt adſcribenda. Aliàs jure merito *deſperari poſſet.*

Quod quidem incommodum] Primùm abſoluta impeccabilitas Chriſti, nihil omninò delibavit de ipſius libertate: Siquidem cum nos etiam verè liberi & liberati erimus, cum extra peccandi periculum omne, in Patria cœleſti, fuerimus conſtituti. Deinde negandum erit Chriſtum fuiſſe ſeparatum a peccatoribus, ut aſſerit Paulus Heb: VII, 26. ſi potuerit aliquid *cogitare, conari, efficere, quod non eſſet cum ſumma virtutis excellentia conjunctum.* Adhæc non pertinet hoc ad perfectionem aut libertatem arbitrii, ſed potius ad illius ſervitutem ſub peccato, quod *ipſorum ſenſuum vi ad voluptates & res cæteras quæ carni ſunt gratæ, & cum peccato aliquo conjunctæ, rapiamur:* Id enim non habiturum fuiſſet locum in ſtatu innocentiæ. Et cum ſimilitudo quam voluit Chriſtus habere nobiſcum, fuerit in omnibus ad naturam humanam ſpectantibus, excepto peccato Heb: IV, 14. non debuit ſubeſſe illi Arbitrii ſervituti, per quam fit ut corpus quod corrumpitur aggravet animam, prout Philo loquitur Sap: IX, 15. & juſto liberaliùs peccato inhabitanti ſerviamus, atque *ipſorum ſenſuum vi ad voluptates, & res cæteras quæ carni ſunt gratæ, & cum peccato conjunctæ, rapiamur.*

Quæ quidem diſſimilitudo, ut animos noſtros maxima Chriſti imitandi deſperatione frangeret, deque ſuo ſtatu prorſus dejiceret: ita nihil eſt, quod majorem vim mentes noſtras ad optimam ſpem erigendi habeat, quàm planè perſuaſum habere, Chriſto libertatem arbitrii ereptam haudquaquam fuiſſe, eique non minùs, quàm nobis, ad ſumma pietatis officia præſtanda divino auxilio opus fuiſſe. Hoc enim firmiter conſtituto, haud facilè nobis in mentem veniet dubitare, quin ſimiles evadere duci noſtro, divinâ ope accedente poſſimus; & quin is, qui duci noſtro in re tàm ardua opem auxiliumque tulit, nobis quoque quos illius veſtigia perſequi juſſit, nequaquam ſit defuturus. Quòd ſi dicas, plura Deum Chriſto ad ſanctitatem colendam adjumenta dediſſe, quàm nobis; reſpondebimus, plus etiam Deum ab illo requiſiviſſe, quàm à nobis. Quemadmodum enim non par, ſed ſimile nobis cum Chriſto auxilium ferre conſtituit: ita etiam non parem, ſed ſimilem à nobis pietatem atque obedientiam exigere decrevit.

† *Quæ quidem diſſimilitudo*] Imò niſi illa agnoſcatur, omninò res nobis redit ad reſtim, & omni ſpe ſalutis per ipſum obtinendæ excidimus. Et ille inſanus ſit & parum edoctus de Chriſt ὑπεροχῇ & ſua propria infirmitate ac labilitate, qui inanem ſpem auſit concipere *Chriſti* in ſua *ἀναμαρτησίᾳ imitandi.*

Chriſto libertatem arbitrii] Inſaniat oportet, qui neget Chriſtum arbitrii libertate

bertate præditum: Sed æquè sit mente captus, qui putet illic demum vigere *libertatem arbitrii*, ubi est vel facilitas, vel facultas peccandi; Blasphemus verò omninò habeatur, qui cum Volkelio dixerit Christo *non minus quam nobis, ad summa pietatis officia præstanda, divino auxilio opus fuisse*. Christus enim & personaliter & originaliter sanctus erat, nec egebat, uti nos, eo auxilio Gratię medicinalis, absque quo nunquam ex potestate tenebrarum ad regnum admirandæ suæ lucis transferri potuissimus.

Quin similes evadere] Non diffiteor nos Christo *similes* evasuros in cœlo Phil: III, 21. Rom: VIII, 21. 1 Cor: XV, 48.49. servatâ analogiâ convenienti, inter caput & membra, redemptorem & redemptos. Sed posse nos in hac vita eniti ad similitudinem absolutam & parem impeccantiam cum Christo, illud est cujus respectu nec spem concipere nec opem divinam nobis polliceri debemus. Quamdiu enim in hoc cœno reptamus, variis prolapsionibus sumus obnoxii Jac: III, 2. & quotidie intercurrentium peccatorum veniam debemus deprecari, quod nunquam Christo incubuit.

Quod si dicas] Præstabat Christum immunem à peccato dignitas personæ, unio hypostatica carnis cum τῷ λόγῳ conceptio miraculosa ex Spiritu Sancto, plenissima inhabitatio Deitatis in ipso σωματικῶς Col: II, 9. Quæ omnia, in neminem nostrum, vel cadunt, vel cadere possunt; ut hactenus nec *par*, nec etiam *simile nobiscum cum Christo auxilium*, queamus nobis polliceri. Itaque hic admittimus sano sensu quod ait Adversarius, *plus Deum ab illo requisivisse quam à nobis*: Cum enim deberet luere pro aliis, & satisfacere justitiæ divinæ pro peccatis nostris, accurata & plenissima sanctitas ab ipso requirebatur Joh: XVII, 19. A nobis verò *similem* quidem *obedientiam* exigit, quoad synceritatem & conatum, sed *non parem* quoad effectus, vel gradus; cum omnis nostra justitia in hac vita potius in peccatorum nostrorum remissione, quam in virtutũ perfectione veniat collocanda.

CAP. XXII.

De ceremonialibus Christi præceptis, & quidem de sacra ejus Cœna.

ADhuc Moralia Christi præcepta fuerunt: sequitur ut de Ceremonialibus agamus. Unum autem tantummodo datum à Christo nobis est, nimirum Cœnæ ipsius sanctissimæ religiosa celebratio. Quam quidem aliquid habere oportet eximium, utpote à Christo, qui omnes alioqui ceremonias exterminavit, institutam, fideliumque nationi traditam. Quam ut rectissimè intelligamus, tum de nominibus quibus insignitur, tum de re ipsa istis nominibus expressa disseremus. Nomina autem, quibus hæc ceremonia insignitur, alia divinis literis consignata, alia verò non expressa quidem sunt, sed tamen
302. cum illis conveniunt, adeoque à piis hominibus jam olim fuerunt usurpara.

‡ *Adhuc Moralia Christi*] Sed hæc nulla ratione discrepasse à Mosaicis & iis quæ jam lata fuerant sub V. T. hactenus demonstravimus. Quin possimus dicere etiam *Ceremonialia* olim lata, ipsius fuisse ex Gal: III, 19.

Unum autem tantummodo] Id falsum est: Nam & Ordinatio Ministrorum Ecclesiæ, & ritus sacri Baptismi, debentur institutioni Christi Matt: XXVIII, 19. 20.

Ac prio-

Ac priora quidem hæc tria numerari solent: Cœna Dominica, mensa Domini, & fractio panis. Et Cœna quidem Dominica ea re appellatur, quòd ab ipso Domino Jesu Christo, peractâ ultimâ cum discipulis ante mortem cœnâ, instituta præceptaque est, pertinetque non ad profanum aliquem usum, sed ad ipsius Domini commemorationem perpetuamque charitatis ipsius in morte nobis præstitæ laudem ac honorem. Quâ quidem appellatione admonemur, ut actionem istam nequaquam profanam ducamus, idque vel eam negligendo, vel infra nostra negotia ponendo, vel denique debitâ animi devotione ac religione minimè peragendo. Mensa autem Domini eam ob caussam dicitur, quòd non modò tunc, cùm Dominus eam primùm instituit, Discipuli unà cum ipso ad mensam accubuerint; sed etiam postmodum cum Apostoli, tum Ecclesiæ Christi idem factitârint, ut ex hoc Pauli testimonio perspicuum est: (*1 Cor:11.21.*) *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Quòd verò non simpliciter mensa, sed mensa Domini appellatur, id, ut paulò antè jam indicavimus, ideo fit, ut eam à reliquis mensis profanis plurimùm differre intelligamus. Appellatur & fractio panis per synecdochicam dicendi figuram. (*Act:2.42,46. & 20.7.*) Nam & ab ipso Domino, & ab hunc sequentibus Apostolis Ecclesiisque panis frangebatur, (*Matth:26.26. 1 Cor: 10.16. item 11. 24.*) ut & Christi perpessiones, morsque truculentissima, quâ miserandum in modum quasi frangebatur, & arctissimum fraternitatis nostræ vinculum, per unius panis fracti distributionem ac participationem quodammodò repræsentaretur. De Cœna porrò Domini, & nequaquam de vulgari aliqua panis fractione in istis Actorum, (*d. l. Act: 2. & c. 20.*) ad quos respicimus, locis sermonem haberi, inde perspicitur, quòd in eadem verborum complexione res ad ad religionem spectantes commemorantur, veluti est Apostolorum doctrina, & precum studium. Nec nihili faciendum videtur, quòd tum Latinus, tum Syriacus interpres, de priore testimonio idem planè statuunt, dum ille legit, *eos durasse in communicatione fractionis panis*: hic verò sic habet: *Et communicabant in precibus, & fractione Eucharistiæ.*

‡ *Sed ad ipsius Domini*] Et Dominicæ mortis commemorationem 1 Cor: XI, 26. Quo respectu benè dictum à Wesselo Groningensi *de Sac. Euch. cap. 5. Quod commemoratione reficimur, & ab omnibus debitis absolvimur.*

Mensa autem Domini] Imò ex antithesi Paulina 1 Cor: X, 21. inter *mensam Domini* & *mensam dæmoniorum*, constat hoc nomine indigitari, quod sicut in mensa dæmoniorum ei qui accumbebant epulabantur ex Idolothytis & iis quæ fuerant idolis & dæmonibus oblata, ita in hoc convivio mystico epulamur ex iis quæ fuerunt Deo oblata in cruce pro nobis, & in Augustissimi illius Sacrificii pro nobis in morte Christi celebrati, intimam communionem devenimus. 1 Cor: X, 26.

Illa autem vera hujus actionis nomina, quæ à piis viris inventa sunt, quatuor

tuor poriſſimùm numerantur, nempe Euchariſtia, Synaxis, Sacra menſa, & Memoria Domini.

Et Euchariſtia quidem, jam inde ab Eccleſiæ primordiis, ceremonia iſta rectiſſimè dicta eſt, quòd eam celebrando, Deo Chriſtóque ſolennes agimus gratias, pro incredibili utriuſque in nos amore, quem ille, filium unigenitum
303. noſtræ ſalutis conſtituendæ causâ acerbiſſimæ morti ſubjiciendo; hic verò voluntariè, ut nobis prodeſſet, eandem mortem ſubeundo, declaravit.

‡ *Et Euchariſtia quidem*] Imò non deſunt qui id nominis deſumant ex ipſo Paulo 1 Cor: XIV, 16. 17. exiſtimentq; quod ibi τὸ ἐυλογεῖν & ἐυχαριςεῖν, ſit ipſam ſacram Cœnam ritu ſolemni celebrare.

Ut nobis prodeſſet] Imò ut nos à morte & maledictione liberaret; quod beneficium in ſacra Cœna nobis obſignatur.

Synaxis, ſeu quod idem planè eſt, fidelium hominum in unum locum congregatio, ea de cauſa nominatur, quòd ad eam ſolenni quadam religione celebrandam, homines Chriſti diſciplinæ addicti confluere ſolent.

Sacra menſa autem ideo à veteribus dicebatur, ut à menſis profanis diſtingueretur, & ſimul innueretur, panem vinumque in hac Chriſti Cœna appoſitum, non vulgarem, ſed ſanctum quendam cibum ſanctamque potionem eſſe, ac cum ſingulari quadam religione uſurpandum. Hæc appellatio non multùm differt ab ea, quâ Menſa Domini vocatur.

Jam Domini memoria nequaquam ea de cauſa nominabatur, quòd Chriſtum Dominum ejuſque mortem ſubinde nobis ipſis, qui eam celebramus, in memoriam redigat, ut infrà docebimus: ſed quia eſt ritus à Chriſto ideo inſtitutus, ut perpetua ipſius memoria inter homines vigeat.

‡ *Iam Domini memoria*] Caſaubonus *Exercit.* 16. *contra Baronium* cum cura enotavit varia nomina quibus Sacra Cœna inſignitur à Veteribus; ſed non videtur hujus meminiſſe. Quamvis huc poſſint apprimè facere verba Hieronymi, *in 1 Cor: 11.* ſi modò Hieronymi ſint illi Commentarii; *Accepit panem & gratias agens &c. hoc eſt benedicens etiam paſſurus, ultimam nobis commemorationem, ſive memoriam dereliquit; Quemadmodum ſi quis peregrè proficiſcens, aliquod pignus ei quem diligit derelinquat; ut quotieſcunque illud viderit, poſſit ejus beneficia & amicitias memorari: quod ille ſi perfectè dilexit, ſine ingenti deſiderio, non poteſt videre vel fletu.* Quid porrò ſit diſcriminis inter hæc duo, quod Sacra Cœna *Chriſtum Dominum ejuſque mortem ſubinde nobis in memoriam redigat*, & quod ſit *ritus à Chriſto inſtitutus ut perpetua ipſius memoria inter homines vigeat*, adeo ut prius negare, poſterius affirmare queat Volkelius, viderit ipſe. De eo ſaltem videbimus ſuo loco.

Hæ ſunt Cœna Dominicæ appellationes, quæ partim literis divinis ſunt conſignatæ; partim non ſolùm illis ſunt conſentaneæ, ſed etiam verum iſtius rei uſum illuſtrant. Verùm cum Sathanas ſanctiſſimæ huic actioni everſionem

nem

nem afferre institueret, alias adhuc istius ceremoniæ appellationes induxit, iis, quas recensuimus, vel obliteratis, vel vero illorum significatu ex memoria hominum magna ex parte deleto.

Nomina porrò præter veram hujus ceremoniæ rationem inducta, ut de iis quoque nonnihil dicamus, quatuor potissimùm sunt: nimirum, Sacramentum altaris, Sacramentum corporis Christi, Sacrificium corporis & sanguinis Christi, & Missa. Hæc enim nomina nec rei nominatæ naturam explicant, nec quicquam cum ea conjunctum habent. Quod enim ad primum, nempe Sacramenti altaris vocabulum attinet, illud huic actioni minimè convenire inde perspicitur, quòd nec Sacramenti definitio, quam illi ipsi constituunt, qui ritum hunc isto modo appellant, ei competat, nec ullum ad hanc ceremoniam requiratur altare. Volunt enim illi, qui Sacramenti nomine abusi, ad ritus quosdam sacros id transtulerunt, Sacramenta non signa tantummodo, sed etiam obsignationes confirmationesque divinæ gratiæ, atque adeò ejusdem in nos conferendæ instrumenta quædam esse. Id quod à vero Cœnæ Dominicæ usu planè abhorret: quippe quæ nec ullam nobis Dei gratiam donet, nec obsignet; sed jam donatæ obsignationem adumbret, & ideo sit instituta, ut ista Dei benignitas solenni commemoratione ac gratiarum actione celebretur. 304.
Altaris quoque vocabulum nullum hîc locum habere potest; cùm vel solo mensæ vocabulo excludatur; nec Deo res istæ, quibus hic ritus continetur, offerendæ sint, ut suo loco demonstrabitur. Altaria autem solis sacrificiis destinata esse nemo ignorat.

‡ *Nomina porro præter*] Parum necessaria est contentio de nominibus si de re convenit: Quoad nos, ex his quatuor, solum secundum absolutè probamus: quamvis in cœteris, si de re conveniret, non foremus difficiles. Posset dici *Sacramentum Altaris*, tum quatenus Catachresticè Sacra mensa eodem sensu *Altare* dici potest, quo ipsa Sacra Cœna *Sacrificium* posset nuncupari, voce Sacrificii generaliùs sumptâ pro qualibet sacra actione, & quatenus Veteres adferebant & quasi offerebant in usum hunc sacrum, panem & vinum, distribuenda toti populo, quæ inde *oblata* solent appellari: Ne dicam in Sacra Cœna, & offerri à nobis sacrificium Eucharisticum, quod *eam celebrando*, ut paullò ante dicebat Volkelius, *Deo Christoque solemnes agimus gratias*, idest revera sacrificium laudis offerimus, *pro incredibili utriusque in nos amore*; & solemnem fieri commemorationem illius Sacrificii cruenti, quod ἐφάπαξ oblatum est in cruce ad nostram redemptionem conficiendam & peragendam. *Missæ* vocabulum sequiora introduxerunt sæcula, quod priusquam celebraretur Eucharistia, dimitterentur Catechumeni & Pœnitentes, & ipsi fideles, ubi erat celebrata, unde etiamnum hodie Canon Ecclesiæ Romanæ, hac terminatur clausulâ, *Ite Missa est*; Et quod hodie aliò perperam hæc vox applicetur, non debet ipsi rei esse præjudicio.

Quod enim ad primum] Sed nulla est causa, cur *Sacramenti* nomen improbent Sociniani, cum ei evenerit, ut pluribus aliis vocibus, quæ aliquid augustius sonant in Ecclesia quam in foro: ac miror non placere nomen *Sacramenti* iis quibus no-

bus nomina *Synaxeôs* & *sacræ mensæ* non displicent, cùm illud non minus quam hæc sit in usu frequenti apud Veteres.

Volunt enim illi] Fateor nomen *Sacramenti* quod apud Latinos, partim pro juramento militari, partim pro pecunia quæ à litigantibus deponebatur apud Pontificem cessura ei qui in causa triumpharet, ideo traductum *ad ritus sacros* in Ecclesia, quod aliquid sacri suo significatu involuat, & aptum visum fuerit exprimendæ significationi vocis Græcæ μυςήειυ, quâ iidem ritus sacri Baptismi & Cœnæ solent apud Veteres designari: Sed cum hodie ex communi Scholarum & Ecclesiarum Christianarum consensu, ad illam significationem non omninò inconcinnè traductum sit, hominum est vitilitigatorum, de vocis proprietate contendere, cùm satis constet voces non φύσει, sed θέσει significare.

Sacramenta non signa] Atqui ita loquitur de Circumcisione Paulus Rom:IV,11. quod fuerit *signum & sigillum* justitiæ fidei. Nec dubium quin hoc respectu Sacramenta Ecclesiæ Christianæ, quæ significant ex instituto divino, sint *instrumenta* quædam moralia, gratiæ Dei nobis obsignandæ, adeoque rei significatæ, suo sensu & modo, nobis conferendæ & exhibendæ, juxta illud Bernardi *serm. de Cœna Dom. Sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum, diversis sunt traditæ Sacramentis.* Hinc in Eucharistia, dicitur panis quem frangimus esse κοινωνία corporis Christi 1 Cor:x,16. quia illam nobis significat & obsignat. Quare falsum est quod dicit Volkelius Sacram Cœnam, *nec ullam nobis Dei gratiam donare, nec obsignare*; Nam in illa & per illam traducimur in mysticam Christi communionem & spiritualem manducationem carnis ipsius, quæ non fit premendo dente, sed credendo corde, adeoque nobis obsignat nostram communionem cum ipso, nostramque redemptionem illius morte. Nec repugnat quod sit *instituta ut Dei benignitas* quæ apparuit in nostra Redemptione, *solemni commemoratione ac gratiarum actione celebretur*; ac simul nobis sit in pignus certum istius redemptionis, nosque deducat ad communionem cum Christo fortiùs adstringendam.

Hinc satis constat, nec alteram appellationem, nimirum Sacramentum corporis Christi, veram esse. Si enim hæc actio ne sacramentum quidem est, quo pacto, quæso, corporis Christi sacramentum erit?

[*Hinc satis constat*] Imò ut Sacramentum dici potest, sicut modò visum, ita potest nuncupari Sacramentum corporis Christi, quod panis sacer qui frangitur in illa sit & dicatur corpus Christi, Sacramentaliter & obsignativè.

Jam ad tertiam appellationem, nempe corporis sanguinisque Christi sacrificium, quod attinet; eam certè falsissimam esse hinc intelligitur, quòd illam rem continet, quæ & verum Cœnæ Dominicæ scopum prorsus tollit, ut suo loco videbimus; & divinis oraculis planè repugnat. Negant enim sacra volumina, Christi corporis oblationem iterari posse; idque tum propter summam sacrificii istius perfectionem, tum quia Christum sæpiùs pati occidique oporteret; negant, plures præter ipsum Christum existere ejusmodi Sacerdotes, qui hoc munus administrent; negant denique Christi corpus in terris offerri posse.

Iam

‡ *Iam ad tertiam appellationem*] Largior non offerri Deo sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem Christi in Sacrificium propitiatorium pro peccatis. At si diceretur *corporis sanguinisque Christi sacrificium*, commemorativè, significativè, repræsentativè, nollem cum quoquam funem contentionis ideo ducere. Sed ideo potissimum rejiciunt Sociniani hanc nomenclaturam, quod veritatem sacrificii Christi in ipsius morte pro nobis redimendis oblati proterviter impugnent, nec patiantur illud commemorari in Cœna Dominica, licet ad hanc potissimum commemorationem instituta fuerit.

Atque hinc perspicuum est, nec ultimum ceremoniæ istius nomen, nimirum Missæ vocabulum, prout hodie usurpatur, cum veritate conjunctum esse. Missam enim Christi corporis sanguinisque oblationem pro vivis ac mortuis libatam nominant, licet vox ista nihil minus, quàm istud, significare videatur: qua de re plura dicere nihil attinet.

‡ *Atque hinc perspicuum*] Et nos id nominis missum libenter facimus quo sensu hodie usurpatur: Sed si mansisset in priori suo significatu, facilè pateremur totam Liturgiam Ecclesiasticam ita synecdochicè appellari. Sed has Controversias hîc non tractamus, contenti Socinianismum debellare.

Jam ut ad rem ipsam accedamus; intelligendum est, Cœnam Domini nihil aliud esse, quàm actionem sacram, quæ fractione ac comestione panis & potione è poculo, à Christi fidelibus perficitur, ab ipso Christo institutam, in solennem perpetuamque ipsius mortis, perque hanc testatæ erga nos charitatis commemorationem ac celebrationem. Quo in loco, præter alia multa jam à nobis explicata, tria potissimùm consideranda proponuntur. Primò enim docemur, hanc sacram actionem à Christo institutam præceptamque esse. Deinde, quo pacto sit administranda, ostenditur. Tertiò, quis ejus sit scopus, monstratur; simulque docetur, quales illos esse oporteat, qui ritè ac convenienter ad hanc sacram mensam accumbere volunt.

‡ *Perque hanc testatæ*] Adde & peractæ nostræ Redemptionis, cujus signa, sigilla & pignora, in sacra hac mensa consequimur. Quæ porrò hîc sumit sibi explicanda Volkelius, sunt omninò digna quæ considerentur; sed meliori fide quam sit ab ipso, cum quo tamen vix ullam habemus litem, nisi de tertio capite: licet in aliorum etiam tractatione Volkeliana, nonnulla subinde occurrent breviter observanda.

Ac ad primum quod attinet; apertissimum est, Christum de hac ceremonia universale perpetuumque mandatum Ecclesiæ dedisse; cum & disertissimis verbis discipulos suos eam facere jusserit in sui commemorationem; & Apostolus Paulus explicatiùs ea de re loquens, sese illam à Domino acceptam 305.
Corinthiis tradidisse asserat, (1 Cor: 11, 23.) ut nimirum tum panem fractum comedendo, tum bibendo è poculo, Christum commemorarent, seu ut ipse

 sese

sese explicat, mortem Domini annunciarent. (v. 26.) Id quòd perpetuò in Christi Ecclesia usque ad ipsius adventum fieri debere, ibidem luculentissimè docet. Sunt tamen, qui hoc Christi mandatum eludere conentur, verbumque ποιεῖτε, quo Christus discipulos alloquens est usus, ita interpretentur, ut non *facite* sed *facitis* significare asserant. Atqui hanc Christi verborum interpretationem consistere non posse, ex eo apparet, quòd hæc commemoratio, Christivé mortis annunciatio, tunc fieri non poterat. Res quippe commemoranda, nimirum mors Christi, nondum extabat. Atqui commemoratio, quæ Græcè est ἀνάμνησις, rei est præteritæ, non futuræ. Apparet igitur, Christum de re futura orationem habere, ideoque non *facitis*, sed *facite* (in posterum scilicet) dixisse, idque, ut Paulus à Christo edoctus addit, donec Dominus veniat. Adde, quòd Apostoli, antequam hac à Christo dicerentur, adhuc nescirent, quorsum ea ceremonia pertineret, quemvé in finem instituenda esset. Quare non poterat Christus affirmare, illos ista jam facere in sui commemorationem; sed edocere eos debebat, quem in finem ea facere deberent, & ut in posterum facerent, mandare atque præcipere.

‡ *Atqui hanc Christi verborum*] Certum quidem est voculam ποιεῖτε esse modi imperativi, ut ab omnibus interpretibus semper agnitum. Nec dubium quin Apostoli idem fecerint genericè aut facere debuerint in prima Cœna, ad quod & nos hodie invitamur, manducando scilicet corpus Christi & bibendo ejus sanguinem, tum Sacramentaliter, usurpatione sacrorum illorum symbolorum, tum Spiritualiter, communicando fide carni & sanguini Christi per illa symbola significatis, & vim, meritum atque efficaciam imminentis suæ passionis, sibi applicando in alimentum vitæ. Communicarunt autem illis symbolis non quidem formaliter & physicè uti nos, sed saltem eminenter & moraliter in commemorationem mortis Christi, quæ licet nondum tunc prætererat, tamen cùm jam instaret & mox futura esset, moraliter pro jam facta habebatur: prout secundum Jurisconsultos jamjam cingendus pro cincto habetur, & in sponsa alterius, quod mox sit futura ejus conjux, adulterium committitur. Et id quod primâ vice fecerunt cum respectu ad instantem Christi mortem, porrò faciendum restat propriè in ἀνάμνησιν illius.

Sed edocere eos debebat] Igitur ea fecerunt in illum *finem* genericè in quem facienda esse, eos ipsamet institutione & distributione Sacramenti perspicuè edocebat.

Hîc verò, esto sanè, inquiet aliquis, mandaverit hoc Christus fieri; num ideò consequens fuerit, hoc ipsius præcepto universam Ecclesiam obstrictam esse, & non potiùs solos Apostolos; quippe quibus solis ceremoniam istam tunc tradiderit? Hîc respondemus, si ex eo, quòd solis Apostolis primùm tradita fuerit, argumentum ducatur, consecutionem istam vitiosissimam esse: Christus solos Apostolos ad suam Cœnam tunc admisit, eamque illis tradidit; Ergo nonnisi Apostolis præcepta est. cùm fieri possit, ut aliquid solis Apostolis primùm

primùm fuerit traditum, quod tamen non ad solos Apostolos, sed ad alios etiam spectaverit. veluti illud est, quòd assumptis duodecim, unaque cum illis Hierosolymam iter faciens, suas afflictiones, mortem, & resurrectionem eis prænunciat. (*Matth: 20.17. & d.*) Quam quidem rem ad reliquos ipsius discipulos pertinuisse, nemo arbitror negabit. Adde, quòd interdum tres tantùm suos discipulos illis rebus interesse voluit, quæ itidem ad alios spectabant: veluti fuit (*Matth: 17. 1, & d.*) illa ipsius glorificatio in monte facta, cumque Elia Moseque de ipsius morte colloquium, & divinæ illius vocis de cœlo factæ auditio: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit: hunc* 306.
audite. Causa autem hujus rei hæc esse videtur, quòd Christus Apostolos singulariter ad laborum itinerumque societatem elegerat, illisque omnium primò divina mysteria credere instituerat, ut ea postea reliquis, quippe ipsius legati, annunciarent. Id quod ut reliquis in rebus præstiterunt, ita & in hoc ipso negotio factum ab illis esse, ex Luca satis apparet, (*d. l. Act: 2.42, 46. c. 20.7.*) dum discipulos, qui ab iis de religione Christiana instituti fuerant, aut etiamnum instituebantur, domatim panem fregisse, eaque in re perseverasse, alibi autem, ad idem faciendum convenisse, ait. Quod quidem non de profano communique ciborum usu, sed de cœna Dominica accipiendum esse, suprà ostendimus. Hanc autem rem discipulis illis per Apostolos traditam fuisse, res ipsa ostendit; cum, uti jam indicavimus, horum cohortationibus, aliisque factis ad Christi disciplinam amplexandam perducti, & in ea instituti fuerint. In quam sententiam Paulus, qui similiter Apostolus fuit, sese ceremoniam istam à Domino accepisse, Ecclesiæque Corinthianæ tradidisse ait. (*1 Cor: 11.23.*) Huc accedit, quòd ipse cœnæ Dominicæ finis ac scopus, de quo infrà suo loco dicemus, magno argumento est, eam non Apostolis tantùm præceptam fuisse, sed toti Ecclesiæ Christi: cùm Christi commemoratio ejusque mortis annunciatio omnibus conveniat. Ex quo intelligitur, Apostolos tunc mensæ Domini accumbentes, totius Ecclesiæ personam sustinuisse.

Verùm & cum illis agendum est paucis, qui ideò nos ad istam ceremoniam aliquo Christi mandato adstringi negant, quòd Paulus ejus usum in fidelium libera voluntate arbitrioque positam esse, illis verbis docere videatur: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis.* Atqui animadvertendum est, Apostolum nequaquam dicere, nobis Cœnâ Domini liberum esse uti, vel non uti: sed docere, quid faciamus, quotiscunque eam ex Christi præcepto celebramus; nimirum nos Christi mortem annunciare. Ut facilè appareat, libertatem, quam Apostolus innuere videtur, non in ceremonia ista vel conservanda, vel negligenda sitam esse: (alioqui sibi ipsi adversaretur, qui ceremoniam istam à Domino acceptam, Corinthiis, & porrò aliis etiam Ecclesiis, his similibus, tradidisse asserat, ut ad Christi usque adventum in fidelium cœ-

tibus vigeret:) sed si de libertate, quæ in hujus ritus celebratione cernatur, quippiam ex his Pauli verbis colligi potest, eam in temporis, quo celebrari debeat, electione consistere censendum est. Neque enim omnia præcepta,
307. præsertim affirmantia, ad certum tempus adstricta sunt. Quapropter statuendum erit, significare voluisse Apostolum, in Ecclesiæ arbitrio positum esse, tempus, quo sacram hanc actionem peragi expediat, eligere.

Jam ad alterum, nimirum istius ceremoniæ celebrandæ modum, quod attinet; intelligendum est, eorum, quæ hîc fieri debent, duo esse genera: quædam enim spectant ad actionis istius rationem omnibus suis numeris ac partibus absolvendam, ita ut sine iis, vel penitus tollatur, vel mutiletur; quædam verò minimè. Ac illa quidem Christi fidelium in unum locum convocatione ac congressu, panisque fractione ac comestione, nec non bibitione è poculo continentur. Quare vel uno istorum mutato aut sublato, ceremoniam hanc vel penitùs tolli, vel mutilari, necesse est; velùti est, quòd Pontificii sacerdotes soli in Missa panem & vinum, ut ipsi ajunt, Deo offerunt, vel quòd calicem populo non præbent, qui tamen pars est Eucharistiæ à Christo institutæ dimidia. id quod tum per se unicuique liquet, tum ex eo cerni potest, quòd ejusdem cœnæ summa in Christi mortis repræsentatione consistit. Cùm igitur Christi mors cruenta fuerit, ideoque non solùm corporis ipsius contusione ac crucifixione, quam fractionis nomine Paulus effert, (*1 Cor. 11. 22.*) sed etiam sanguinis effusione contineatur; consequens est, panem tantùm, calice prætermisso, qui sanguinem Christi effusum repræsentat, comedere, nequaquam satis esse ad Christi mortem repræsentandam; & sic Pontificios Dominicam cœnam seu Eucharistiam, ejusque legitimum usum, jure sibi tribuere minimè posse. Nec quicquam illis movemur commentis, quibus totum Christum in utraque specie contineri, totamque sacramenti rationem in una inveniri asseritur, ita ut haud major ex utriusque, quâm unius speciei sumtione, hauriatur utilitas. Apertissimè enim hîc pro concessis sumuntur ea, quæ à vero alienissima sunt; nimirum Christum sub panis vinique specie realiter, quod dicunt, existere; & ejusdem corpus verè proprieque in sacra cœna comedi, sanguinemque bibi; maximumque nos ex cœnæ Dominicæ celebratione fructum percipere potiùs quàm pro jam percepto, Deo Christoque gratias agere. Id quod cum Christi mente veroque ritûs istius fine apertissimè pugnare, partim jam demonstratum est, partim luculentiùs adhuc demonstrabitur. Quin potiùs ex eo, quòd Christus non modò panem edi, sed etiam è poculo bibi voluit, & Paulus utriusque rei ad Corinthios scribens mentionem facit, concludunt, fieri non posse, ut Christus realiter sub utraque, ut vocant, specie subsistat: siquidem aliàs alterutra supervacanea prorsus esset, ut ipsimet judicant,

dum

dum alteram populo Christiano negant; nec minùs hæc ratio in sacerdotibus, 308.
quàm in populo valeret.

‡ *Maximumque nos ex Cœnæ*] Ista optimè conveniunt, ut in Cœnæ Dominicæ celebratione, & pro jam *percepto* beneficio morte Christi, *gratias* Deo agamus, & simul ex illa commemoratione practica mortis Christi, & Sacramentali ac Spirituali carnis suæ in Sacra Cœna perceptione, *maximum fructum* percipiamus; nempe fidei nostræ confirmationem, & salutaris cum ipso communionis, ac remissionis peccatorum nostrorum in illius morte, divinam obsignationem.

Ea porrò, quæ ad actionis istius essentiam extrinsecus accedunt, vel doctrinæ sunt, quibus, quorsum illud pertineat, quod Christi imperio perficimus, erudimur; vel cohortationes, quibus ad mortem Christi pro nobis susceptam, ad summam tum ipsius Christi, tum Dei erga nos charitatem, quæ ea in re eluxit, religiosè celebrandam, ad fraternam, quam eâdem ceremoniâ profitemur, conjunctionem ac dilectionem colendam, aliaque pietatis officia incitamur. Quòd si ista prætermittantur, non exiguam quidem de conveniente huic actioni ornatu ac dignitate decessionem fieri necesse est: ipsa tamen rei summa salva integraque permanet.

‡ *Quod si ista prætermittantur*] Imò non erit Dominica Cœna & Sacramentum corporis Christi, si tota actio muta fuerit. *Adde verbum elemento & fiet Sacramentum*, inquit Augustinus *tract.* 80. *in Ioh.*

Jam ut ea videamus, quæ cum ipsa Cœnæ Dominicæ essentia nihil conjunctum habent: hoc primò intelligendum est, illa propter hanc ipsam caussam indifferentia seu adiaphora meritò appellari posse, utpote quæ pro personarum, temporum, atque locorum circumstantiis, vel retineri, vel omitti, vel etiam mutari possint, absque ulla vel sacræ hujus actionis eversione, vel decoris ei convenientis neglectu. Ea autem quinque potissimùm sunt, quorum primum temporis ratione continetur; de qua dupliciter agemus. primò enim videndum est, an ideò vesperi omninò, ut Veterum nonnulli existimârunt, vel etiam noctu Cœna Domini celebranda sit, quòd Christus tali tempore eam constituit. Dicimus autem, id consequens nequaquam esse: cùm quod tunc Christus fecit, si tempus illud respicias, propter Paschalis agni esum, cui Eucharistiæ institutionem subjicere voluit, fecerit. Lege enim sancitum erat, ut agnus Paschalis, inter duas vesperas immolaretur, ac noctu comederetur. (*Exod:* 12, 8.) Deinde quæri potest, an certo omninò die, aut diei horâ hæc actio sit peragenda? Respondemus autem, minimè ita esse; cum nullum nobis à Domino Jesu præceptum traditum sit, quo de certa die, certavé hora ritus istius celebrandi erudiremur; Paulusque satis habuerit dicere,

Quoties

Quotiescunque comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis. Ex quo, ut suprà diximus, colligi posse videtur, in arbitrio Ecclesiæ positum esse, tempus huic ritui accommodatum eligere.

Alterum est, quòd Christus sedendo, cumque discipulis suis ad mensam accumbendo, sacram istam cœnam peregit. Quem quidem ritum ad longum tempus in Ecclesia durasse credibile est, & hodie etiam à nobis retinetur; ita tamen, ut minimè illos damnemus, qui stando, quàm sedendo, ceremo-
309. niam istam administrare malunt; dummodo absit omnis idololatriæ species.

Tertium est, quòd Dominus pane azymo secundùm Legem fuerit usus; vino autem puro, & aquâ nequaquam mixto, usum fuisse consentaneum est. Quæ quidem res cum cœna Dominicæ essentiâ minimè contineatur, non ita nos obstrictos tenet, quin qualiscunque panis, & qualecunque vinum haberi potest, tali utamur. Imò si cujuspiam natura vinum respuat, nihil vetare existimem, quominus aquâ is utatur ‡: cùm sic de Cœnæ Dominicæ summa nihil detrahatur.

‡ *Imò si cujuspiam natura*] Hic est justo liberalior. Possunt quidem abstemii, contenti esse altero tantum Symbolo, nempe pane; quia necessitas, ut vulgò loquimur, legem non habet; nec præcepta Christi positiva, vim inferunt naturæ: Sed iis non putem concedendum ut *aquâ* utantur: Cum in aqua non servetur analogia signi ad rem signatam: Hinc multis impugnarunt Veteres, nominatim Cyprianus, *Aquarios* & *Hydroparastatas*, hæreticos, qui rejecto vino, meram aquam in calice sumebant.

Quartum est, quod viri denudatis capitibus ceremoniæ istius religionem conficere solent. Quæ quidem res tametsi ad vitandum scandalum, ex contemptûs suspicione profectum, magnam vim habet: ‡ si tamen altera ex parte justæ sint causæ, cur caput tegatur, satis fuerit, in ipso initio illud aperiendo, reverentiæ atque honoris significationem dare.

‡ *Quartum est, quod viri*] Non video, cur id quod requiritur *in ipso initio* hujus sacri ritus, *reverentiæ atque honoris* ergo, non debeat continuari à communicantibus, usque dum absolucrint.

Quintum certi cujusdam hominis electionem continet, nimirum Ecclesiæ pastoris, qui reliquis cœnam Domini dispenset: quæ sanè res adiaphora est, cùm neque à Christo nobis imperata sit; nec ulla dari causa possit, cur omninò fieri debeat. Quod tamen non perinde à nobis dicitur, quasi hanc rem ab Ecclesiæ ministro commodissimùm administrari negemus: cum apud nos hoc omninò fiat; tum quia simile quippiam in prima hujus ritus institutione factum est; tum quia hoc pacto τὸ εὐσχῆμον, seu decorum, cujus Paulus in Ecclesia rationem haberi vult, observari omnium facillimè potest ‡: sed ut religio-

religionis puritas ab omnibus superstitionibus vindicetur. Administretur igitur hoc sacrum negotium per Ecclesiæ ministrum, non quidem necessitatis, sed ordinis causâ: hac tamen cautione adhibitâ, ne quis putet, ministrum ea in re Christi personam atque auctoritatem sustinere, illiusque loco hoc facere, & actioni huic vim ac dignitatem quandam conciliare. Nam proprius actionis hujus finis, quem commemorationem Christi, seu annunciationem mortis ipsius esse mox docebimus, nullam ejusmodi sive vim, sive dignitatem postulat: & cum actio frangendi panem, non obscurè ipsis Christi fidelibus generatim in sac: literis tribuatur, (*dd. l. Act: 2. & 20.*) apparet, ministrum Ecclesiæ in frangendo pane eorundem vices obire. Cujus rei gratiâ providendum verbi divini ministro est, ne unquam per oblivionem à pane & vino abstineat; ne videatur Christi ipsius munus obire velle, qui ipse cœnâ illâ usus non fuit, sed reliquis eam tantùm dispensavit.

1 *Quintum certi cujusdam hominis*] Id verò nullâ ratione est adiaphorum. Nam Christus conjunxit Sacramentorum administrationem cum præconio Euangelii, quod Pastoribus commissum est Matth: XXVIII, 19. 20. 1 Cor: IV, 1. Sunt Pastores constituti in reliquum famulitium, ut tempore constituto dent illis σιτόμετριον sive *demensum* suum Luc: XII, 42. Atqui ad demensi nostri Spiritualis maximam partem pertinet quoque Cœna Dominica: quare illius administratio non minus quam præconium Verbi Divini, cùm æquè pertineat ad animarum nostrarum pabulum, jure divino incumbit Pastoribus. Est Sacramentum verbum visibile, ut Euangelium est Sacramentum audibile; quare utriusque distributio spectat ad Ministros Ecclesiæ. Ipse Volkelius paulò ante agnoscebat, multum decessurum *de conveniente huic actioni ornatu ac dignitate*, si non accedant *doctrinæ quibus quorsum illud pertineat quod Christi imperio perficimus, erudimur; vel cohortationes quibus ad mortem Christi pro nobis susceptam, ad summam tum ipsius Christi, tum Dei Patris erga non charitatem, quæ in ea re eluxit, religiosè celebrandam, ad fraternam, quam eadem ceremonia profitemur conjunctionem ac dilectionem colendam, aliaque pietatis officia, incitamur.* Has porrò doctrinas & exhortationes proponere, incumbit ex officio Ecclesiæ Pastoribus, adeoque & illis incumbet sacram Eucharistiam celebrare & distribuere. Nec dubium, quin sicut *intelligitur Apostolos* in prima Cœna *mensæ Domini accumbentes, totius Ecclesiæ personam sustinuisse*, quemadmodum ante dixerat Volkelius, ut in Apostolis omnibus fidelibus dictum sit, *Hoc facite, accipite, manducate*; sic etiam debeat intelligi, Christum distribuentē sacrum hoc epulum suis Apostolis, sustinuisse aliquo modo personam Pastorum in Ecclesia, eosque suo exemplo edocuisse, quid in reliquo cœtu ad sui imitationem facere debeant. Agnoscit quod dico utcunque ipse hæreticus; quandoquidem fatetur *simile quippiam in prima hujus ritus institutione factum* esse, & præterea addit *hoc pacto* τὸ εὐσχῆμον *seu decorum, cujus Paulus in Ecclesia rationem haberi vult* 1 Cor: XIV, 40. *observari omnium facillimè* posse. Igitur justo liberaliùs asserit hanc circumstantiam *neque à Christo nobis imperatam esse, nec ullam dari causam posse cur omninò fieri debeat*: Nititur enim contrarium & exemplo & mandato Christi, & iis rationibus firmis ac evidentibus quas modò produximus.

Sed ut religionis] Non satis assequor quonam illa particula adversativa *Sed* referatur. Non videtur spectare ad sequentia: Et si ad præcedentia pertineat, adstringit magis nostrum argumentum. Quis enim dubitet id omninò faciendum ex decoro Ecclesiæ, quod eò potissimum inservit, *ut religionis puritas ab omnibus superstitionibus vindicetur*?

Administretur igitur] Sed quod fit *ordinis* ex Dei verbo instituti causâ, illud quoque habet causam *necessitatis*, ut hæc perperam à Volkelio opponantur. Et necessariò ita faciendum ante demonstratum.

Hac tamen cautione] Hæc cautio est planè absurda: Nec enim minùs *ea in re* Pastor *Christi personam auctoritatemque sustinet*, quam in reliquis partibus muneris sui, in quibus *nomine Christi legatione* fungitur & agit 2 Cor:v, 20. & uti dicitur 2 Cor: 11,10. ἐν προσώπῳ Χριστοῦ, *in persona Christi*.

Nam proprius actionis] Quasi verò μνημόσυνον à Christo ipso institutum, nec Theoreticum tantum sed Practicum, ipsius nomine & authoritate celebrari non debeat.

Et cum actio frangendi] Hoc tribuitur fidelibus Act:11,42.46.xx,7. eo modo & ordine quo Christus instituerat. Intererant itaque actioni in qua panis frangebatur ex illius institutione; sic ut ei præessent proculdubio Apostoli, id facientes in cœtu piorum, quod à Christo factum inter se meminerant. *Generatim* igitur Christi fidelibus tribuitur quód perseverarent in fractione panis, tum activa, quoad Pastores, tum passiva quoad cœtera membra Ecclesiæ: Nec enim singulos fregisse, sed unum singulis, demensum residuo famulitio distribuentē, confitebitur omnis sanus, qui noverit ad unum προεστῶτα, sive Patremfamiliâs, pertinuisse panis fractionem inter Judæos & in eorum epulis; Quare Minister Ecclesiæ *in frangendo pane*, non reliquorum fidelium vices obit, sed potiùs vices Christi, per os ipsius singulis dicentis, *Accipite, manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur.* Etiam fideles in communi dicuntur convenire, ad prædicationem Euangelii; Minister tamen non obit vices populi in annunciando Euangelio, sed fungitur legatione nomine Christi.

Cujus rei gratiâ] Verum est, Ministrum debere semper communicare cum populo; sed contrariâ planè ratione quam profert Volkelius; Nam audacter & falsissimè definit de Christo quod *ipse cœnâ illâ usus non fuit, sed reliquis eam tantum dispensavit.* Etenim ipsemet de Calice quem distribuerat, disertè testatur se non amplius bibiturum de hoc genimine vitis, donec illud bibat novum cum suis in regno cœlorum Matt:xxvi,29. Unde satis liquet eum ergo ex illo calice, unà tum bibisse cum Apostolis. Adhæc nemo nescit Christum eos ritus hic adhibuisse, quibus utebatur Paterfamiliâs in epulo Paschali, panem azymum frangendo cœteris convivis, in memoriam servitutis Ægyptiacæ ex qua divinitùs fuerant liberati, & calicem à se priùs benedictum in circulum distribuendo, qui videtur doctis appellari *poculum salutis* Psal:cxvi, 13. Jam autem Paterfamiliâs hunc panem ita frangebat cœteris, ut ex eo quoque vesceretur; & calicem sic distribuebat aliis, ut ex illo prægustaret. Quidni ergo concludamus, idem Christum fecisse in ultima Cœna, in qua hunc ritum ita observavit, ut eum usui longè sacratiori in Ecclesia sua consecrarit? Et cum voluerit ipse baptizari, licet non egeret lotione, sed ut nobis prælucceret suo exemplo ad usum baptismi & eum nobis in sua persona consecraret, quis dubitet iisdem illum rationibus motum, unà cum Discipulis & ultimum Pascha celebrasse, & participasse Sacræ Cœnæ quam Paschati succenturiabat? Igitur, *providendum verbi divini ministro est, ne unquam per oblivionem à pane & vino abstineat*, tum quia eadem ratione quâ debet sibi

bet sibi applicare verbi Euangelici promissiones, consolationes & exhortationes, quas gregi toti proponit nomine Christi, tenetur quoque sibi applicare Sacra signa & sigilla nostræ Spiritualis communionis cum Christo quæ aliis distribuit in Eucharistia; tum quia ipsemet Christus sibi hac in parte præluxerit, vescens quoque Symbolis sacris in sua Sacra Cœna, cum ea voluit distribuere suis Apostolis.

Sequitur, ut in quem finem Christus hanc suam Cœnam instituerit, videamus. Luculentissimè autem tum ipse, (*Luc:22.19.*) tum Paulus Apostolus (*1 Cor:11.24,25,26.*) docet, hoc consilio id ab eo esse factum, ut ipsum, quatenus nimirum passus mortuusque pro nobis est, commemoremus, seu atrocem illam atque violentam ipsius mortem annunciemus. Annunciamus autem, dum non modò pane fracto corpus Christi fractum, seu excarnificatum ac crucifixum, potu autem, qui poculo continetur, sanguinem Christi pro nobis fusum adumbramus, omnibusque ante oculos mortem Christi cruentam ponimus; verùm etiam, dum panem illum edendo, atque è poculo bibendo, palàm testamur atque profitemur, nos corpus Christi fractum ac crucifixum pro animæ cibo, sanguinem fusum pro potu habere, quo ad vitam spiritualem ac sempiternam perinde alamur ac confirmemur, ac cibo potuque corpora nostra ad vitam terrenam ac temporalem sustentantur. non quidem quòd in hac tantùm sacra actione Christi carnem & sanguinem spiritualiter edamus ac bibamus; multò autem minùs, quòd id fiat earum rerum vi, quæ in sacro hoc ritu nobis exhibentur: sed quòd piâ mortis Christi meditatione, & verâ in eum fide id perficiatur, ac porrò etiam extra hunc ritum à nobis fiat, quamdiu meditatio illa, ac fides inde concepta, in animis nostris viget. 310.

‡ *Non quidem quod in hac*] Verum est quod *spiritualiter* etiam extra Sacram Cœnam, manducetur caro Christi & bibatur sanguis illius in alimentum vitæ æternæ; sed tamen *in hac tantum sacra actione*, Sacramentaliter quoque *Christi carnem & sanguinem* comedimus & bibimus: Nec dubium id fieri, quoad manducationem utramque Spiritualem ac Sacramentalem, *earum rerum vi quæ in sacro hoc ritu nobis exhibentur.* Non quod res significatæ lateant in, cum, & sub symbolis per indistantiam loci, ore unà deglutiendæ & in stomachum transmittendæ, adeoque ex ipsiusmet Christi regula generali in secessum deinceps ejiciendæ, Matt:xv,17. Sed primò quatenus in suo esse Sacramentali & significativo, sunt corpus & sanguis Christi, juxta ipsiusmet institutionem; Secundò quatenus dignè istis Symbolis utenti, ac perpendenti non tam quid sunt quam quid significant, sunt instrumenta moralia suæ communionis Spiritualis cum Christo, quæ carnis suæ manducatione, & sanguinis sui potu solet exprimi, per fidem adstringendæ; ut eodem quoque inservit prædicatio verbi, quæ dicitur *potentia Dei ad salutem omni credenti* Rom:1, 16.

Et hæc quidem, quam explicuimus, mortis Christi annunciatio, proprius est, atque adeò unicus Cœna Dominicæ finis, cum quo ita conjuncta est illa

 corporis

corporis & ſanguinis Chriſti communicatio, cujus ad Corinthios ſcribens mentionem facit Apoſtolus, (*1 Cor. 10. 16.*) ut partim in annunciatione illa contineatur, partim ex illa reſultet. Communicatio enim iſta corporis & ſanguinis Chriſti duo in ſe complectitur: primò quòd hac ceremoniâ profitemur, nos eâ, quâ dictum eſt, ratione corpus Chriſti edere, & ſanguinem ejus bibere, & ſic eorum bonorum, quæ morte ſua cruenta Chriſtus nobis peperit, h. e. remiſſionis peccatorum, & vitæ ſempiternæ, quam ſpe certa in hoc ſeculo veluti præcipimus, eſſe participes. Vox enim Participationis eo modo hîc ſumitur, quo paulò pòſt eodem loco ait Apoſtolus, (*ibid. v. 18.*) Iſraëlitas, qui victimas comedant, participes altaris eſſe, h. e. profiteri ac declarare, ſe religionis ac cultus illius, qui in altari peragitur, eſſe participes; & eos, qui comedant victimas idolis immolatas, participes dæmoniorum fieri, (*v. 21.*) h. e. profiteri, vel indicare, ſe cum illis aliquid habere commune, & ad illos pertinere. Deinde iſtud quoque in hac participatione corporis & ſanguinis Chriſti continetur, quòd hanc ceremoniam peragendo teſtificamur, nos unius corporis membra eſſe, &, quemadmodum (*vid. ib. v. 17.*) de uno pane
311. comedimus, ita nos omnes unum Chriſti corpus myſticum conſtituere; ac proinde inſtar membrorum unius corporis, alios aliorum curam habere, & nequaquam alios ab aliis contemni atque negligi debere.

‡ *Primò quod hac ceremonia*] Hæc non tantum *profitemur* in Sacra Cœna, ſed ea nobis ex parte Dei juxta ipſius inſtitutionem & promiſſiones firmiter obſignantur. Viderit autem Volkelius, qui non debeat eſſe certò perſuaſus de ſua ſalute, qui in perceptione Sacræ Cœnæ, ſe profitetur participem *remiſſionis peccatorum & vitæ ſempiternæ*; aut quomodo hæc ſint bona *quæ morte ſuâ cruentâ Chriſtus nobis peperit*, ſi Chriſtus ea nobis non acquiſivit obedientiâ, merito & ſatisfactione ſuâ.

Iſraelitas qui victimas] Nempe ut illi erant participes oblatorum Deo pro ſe in altari, qui ex victimis comedebant, ita qui veſcuntur Spiritualiter carne & ſanguine Chriſti in Euchariſtia, fiunt participes Sacrificii illius ἱλαςικῦ, quod pro nobis obtulit Deo Patri in ſua cruce.

Deinde iſtud quoque] Nec enim poſſumus habere veram cum Chriſto κοινωνίαν per fidem, quin adſtringamus cum ejus membris vinculum perfectionis per charitatem.

Quo in loco ſimul animadvertendum eſt, quales illos, quibuſque moribus eſſe oporteat, qui ritè actionem iſtam perficere cogitant. Cùm igitur hîc, ut vidimus, profiteamur, nos corporis & ſanguinis Chriſti, eorumque bonorum, quæ morte ſuâ cruentâ Chriſtus nobis peperit, eſſe participes; res ipſa poſtulat, ut iſta bona, quatenus ea in hoc ſeculum cadunt, poſſideamus. Poſſidere autem non poſſumus, niſi fiduciâ in ipſo poſitâ, mandatis ipſius pro viribus pareamus. Deinde, ut ad hanc ipſam ceremoniam, eam adferamus religionem ac devotionem, ut ſumma cum animi demiſſione Deo ac Chriſto pro

pro tanto beneficio gratias agamus, nec quicquam committamus, quod contemtum aliquem sacræ hujus actionis, ipsiusque adeò corporis ac sanguinis Christi, cujus memoria hîc celebratur, sapiat. Ideò præcipit Apostolus, (*1 Cor. 11. 28.*) ut nos ipsos probemus, seu probatos exhibeamus: id quod ii faciunt, qui istis, quas diximus, rebus instructi sunt. Neque enim probandi verbum apud Apostolum nudam quandam factorum nostrorum explorationem denotat: sed talem, quâ fiat, ut actiones tuas Deo approbare studeas. Aliàs ea nequaquam ejusmodi est, ut propterea dignè de sacro hoc pane edere, & è poculo Domini bibere censendus sis, quemadmodum de iis statuit Apostolus, qui seipsos probant. Quàm necessarium autem sit, ut quisque seipsum probet, & porrò dignè, h. e. ita, ut hujus sacræ actionis ratio postulat, de pane hoc edat, & è poculo bibat, inde facilè perspicitur, quòd Paulus indignè Cœnâ Domini fruentes, corporis sanguinisque Christi reos esse asserit, id est, reos violati ac contemti corporis & sanguinis Christi; eosdemque judicium, h. e. supplicium ac pœnam, sibiipsis comedere ac bibere affirmat. (*1 Cor. 11. 27. & 29.*) Dum enim illotis, quod dicitur, manibus illotové pectore ad mensam Domini, non secùs atque ad vulgarem mensam, accedunt, sacramque hanc actionem profanant; ipsum Christi corpus ac sanguinem, qui istic adumbratur, & ad cujus memoriam tota actio instituta est, contemnere & ignominiâ quadam afficere, ac, quantum in ipsis est, profanare proculcareque censendi sunt.

‡ *Cum igitur hîc ut vidimus*] Non solùm hîc profitemur *nos corporis & sanguinis Christi eorumque bonorum quæ morte suâ cruentâ Christus nobis peperit esse participes*; sed reverâ hic simus participes illorum bonorum, & carnis & sanguinis Christi per fidem. Siquidem *poculum benedictionis cui benedicimus communio sanguinis Christi est, & panis quem frangimus communio Corporis Christi*, 1 Cor. x, 16. Sed hic Sacramentarius & Anabaptisticus error Socinianorum paullò post erit refutandus.

Res ipsa postulat] Non repugnat nos jam incorporatos & insitos esse Christo per veram fidem, & tamen per novos actus fidei in usurpatione Sacræ Cœnæ, illam communionem cum ipso arctiùs adstringere, ac bonorum quæ morte sua nobis peperit, nova pignora consequi.

Ideo præcipit Apostolus] Violenta est hæc interpretatio Volkeliana istius mandati Paulini 1 Cor. xi, 28. Nam seipsum probare sive explorare, non est propriè se probatum Deo exhibere, (quanquam ad id sit unicuique nostrum connitendum cum ipso Paulo 1 Cor. ix, 27. ne ἀδόκιμος reperiatur;) sed ipsomet Apostolo interprete 1 Cor. xiii, 5. est seipsum tentare num sit in fide; diligenti scrutinio viarum suarum, in penitiorem propriæ indignitatis notitiam devenire; & seipsum ad actus fidei & resipiscentiæ excitare; adeoque ad ea contendere sanctificationis opera, quæ Deo approbentur.

Qui istic adumbratur] Adde & suo modo exhibetur & confertur, dignè communicantibus.

Præterea nihil magis divini numinis odium in homines incendit, quam pietas fallax, inque inani simulatione constituta, quâ sese illi tegunt, qui, cum in aliquo turpitudinis genere versentur, sacram tamen mensam adire non dubitant, præsertim si ab eo desistere seriò non cogitent, nec porrò ab eo desi-
312. stant. Quod sanè facinus audax capitaleque est; cùm isti non solùm propriâ reclamante conscientiâ, sed etiam Deo, qui hominum animos factaque intuetur, & justissimo judicio omnia ponderat, contrarium vidente; nec tantùm Deo, sed sæpè etiam hominibus illorum impietatem perspectam habentibus, studium tamen religionis gloriæque divinæ fallaciter assumere audeant. Hi igitur, quin judicium sibi comedant ac bibant, gravissimasque pœnas luant, fieri non potest. De his enim vel imprimis dici debet, eos corpus Domini non dijudicare, nec, ut dignum erat, æstimare, dum sic sacrum istud convivium accedunt, quasi profanum quippiam sit, ab omnique religione sejunctum: cum qui profanis utitur cibis ac potionibus, quamvis flagitiis sit coopertus, nullam tamen in eo ipso, quòd cibum capiat, & vires corporis eo pacto reficiat, culpam committat: sacro autem pane vesci, sacrumque vinum bibere, homo sceleratus, quin se peccato contaminet, & Christum ad iram provocet, nequaquam potest. Corpus igitur Domini dijudicandum est, itaque hæc actio ponderanda, ut nequaquam ad gulæ satisfaciendum hîc conveniri existimemus, sed ut Christi passiones mortemque cruentam adumbrantes, eam publicè celebremus, & tum ipsi Christo, tum Deo, cujus voluntate Christus pro nobis mortuus est, dignas agamus gratias, nosque illi, qui aliquando eum in modum tractatus fuit, toto animo adhærere profiteamur.

‡ *Tum ipsi Christo, tum Deo*] Studet semper Volkelius suum virus spargere, ita Christum à Deo distinguendo, ut ipse Deus esse negetur. Distinguendus sane est à Deo Patre, *cujus voluntate pro nobis ita mortuus est*, ut ipsemet se ultrò dederit ἀντίλυτρον pro suis; sed à Deo absolutè non debet distingui, cum sit ipse cum Patre *Deus super omnia benedictus* Rom: IX, 5. imò *verus Deus & vita æterna* 1 Joh: V, 20.

De judicio autem illo, quod indignè ad sacram mensam accumbentibus, non propter alia peccata, in quibus fortè hæreant, sed propter hoc ipsum, quòd indignè de pane edant, & è poculo Domini bibant, comminatur Apostolus, ita statuimus, per id non sempiternam damnationem nominatim, sed supplicium in genere intelligendum esse: præsertim cùm Apostolus eo in loco, non consuetudinis tantùm ea in re peccandi, sed singulorum etiam actuum rationem habeat. Patet id quod diximus, ex eo quòd Apostolus exemplo ipsorum Corinthiorum id illustrans, statim addat, (*v. 30.*) *Propterea inter vos multi sunt infirmi atque ægroti, & obdormiscunt multi. Si enim nos ipsos dijudicaremus, non judicare-*

judicaremur à Domino. Ubi vides, judicii istius nomine comprehendi infirmitates corporis, mortemque temporaneam. Dum enim ait, multos *obdormiscere*, satis indicat, haudquaquam esse necesse ut statuamus, eos æternùm perituros. Novi enim fœderis scriptores de hominibus, quos æterno exitio omninò destinatos esse censent, nuspiam ajunt, eos obdormiscere, vel obdormivisse. Eódem pertinent sequentia, ubi ait Apostolus: *Dum judicamur à Domino, castigamur, ne cum mundo damnemur.*

‡ *De judicio autem isto*] Nullus dubito quin κρίμα hoc loco denotet illum reatum omnem qui ex quolibet peccato, juxta Legis sanctionem, contrahitur coram Deo; ex quo sequitur pœna, ex rigore justitiæ divinæ in hypocritas, æterna; ex paterna castigatione in fideles & Dei filios justo oscitantiùs ad mensam Domini accedentes, temporaria, qualem multos ideo incurrisse testatur Apostolus 1 Cor:xi,30.

Non consuetudinis tantum] Hæc observatio est ridicula, ac nititur falsissimâ hypothesi; quasi aliàs, *supplicium* non mereatur divinum, actus quilibet vitiosus, contra expressissimam Scripturam Jac:ii, 10. sed sola consuetudo peccandi. Sanè non de habitu solo peccandi, sed de actu quolibet peccati, docet Apostolus ejus stipendium esse mortem Rom:vi,23.

Ea, quæ hucusque diximus, sufficere poterant ad rationem sacræ hujus ceremoniæ intelligendam, nisi ea gravissimorum errorum tenebris fuisset ab aliis involuta. Multi enim, cùm nec Christi verba, quibus in sacri hujus ritus institutione usus est, nec Pauli de eadem ceremonia loquentis dicta, justis momentis examinarent, in duo errorum genera funestissima inciderunt, quorum alterum falsas eorum continet interpretationes, alterum confictos Cœnæ Dominicæ fines complectitur. Primò igitur in hoc conveniunt omnes, qui illa Christi verba, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, falsò interpretantur, ut statuant, eum in Cœna sua revera corpus suum comedendum, sanguinemque bibendum dedisse. Qui error hoc solo repelli potest, quòd nequaquam in eum finem, uti vidimus, hic ritus est institutus, ut aliquid ex eo reportemus, sed ut jam antea acceptum beneficium commemoremus, & pro illo publicas solennesque Deo ac Christo gratias agamus. 313.

‡ *Ut statuant eum in Cœna*] Illud revera est valde ambiguum; Nam revera non manducatur corpus Christi oraliter, premendo dente: Sed revera tamen comeditur spiritualiter, credendo corde.

Qui error hoc solo] Ex iis quæ hactenus dixit Volkelius nullâ ratione probatum dedit S. Cœnæ ritum *nequaquam in eum finem* institutum esse *ut aliquid ex eo reportemus*. Cùm enim Christus Sacram Cœnam instituerit suam nobiscum communionem salutarem significaturus & obsignaturus; Cùm tradendo panem dixerit *Accipite, manducate, hoc est corpus meum*; Cùm debeamus hæc Sacra Symbola quasi ex illius manu accipere in memoriam & tesseram nostræ Redemptionis per ipsum; Cùm in ea speciatim invitemur ad illam carnis suæ manducationem, quam tantopere commendat Joh: vi; Insanus omninò

nino sit, qui illam neget eo fine institutam à Domino ut aliquid ex illa reportemus.

Sed ut jam antea] Absurdè opponuntur quæ commodissimè componenda fuissent. Nam primo eo ipso quod *beneficium* Redemptionis quæ est in Christo, hîc debemus commemorare, censemur etiam hîc à Deo consequi & referre μνημόσυνον & τεκμήριον certissimum tanti beneficii; Aliàs nihil obstaret quominus æquè in prandio nostro ordinario *acceptum* illud *beneficium* commemoraremus, ac in celebratione S. Cœnæ, nisi hæc eum in finem divinitùs esset instituta, ad illud beneficium ex parte Dei obsignandum, ac nobis in memoriam revocandum. Deinde subordinata non pugnant; Nam æquum est ut pro beneficio nobis collato in Christo, ac in usu Sacræ Cœnæ obsignato & suo sensu renovato, *publicas solemnesque Deo ac Christo gratias agamus.* Nec illi gratiarum actioni, in usu Sacræ Cœnæ, locus foret, nisi ipsa esset μνημόσυνον divinitùs institutum beneficii quod gratâ mente recolere debemus, illudque conscientiis nostris certò obsignaret.

Deinde speciatim animadvertendum, hoc erroris genus triplici modo committi, & sic triplicem hominum sectam constituere. Primò enim sunt, qui horum Christi verborum eam vim esse existiment, ut simul ac à sacerdote proferantur, statim panis in Christi corpus, & vinum in ejusdem sanguinem convertatur. Quam quidem sententiam & monstrosam, & à verò alienissimam esse, aliquot argumentis demonstrabimus, quorum hoc primum esto: Si vera hæc opinio est, nonnisi ex Christi verbis constare potest; idque vel quia illis exprimitur, vel quia vi consecutionis ex illis conficitur. At prius verum nequaquam est: quia nec Christus dicit, panem converti, aut transsub-stantiari, sed simpliciter dicit: *Hoc est corpus meum*; quâ quidem locutione, non panem corpus fieri, sed esse significatur: & vox *hoc* vel non ad panem, sed ad actionem totam referenda est; vel saltem non de pane simpliciter, sed quà frangitur, est accipienda. Consecutionis quoque vi sententiam istam ex Christi verbis effici nequaquam posse inde constat, quòd præter ea, quæ de his Christi verbis modò diximus, longè verior eorum interpretatio, tum ex similibus sacrarum literarum testimoniis, tum ex communi omnium linguarum consuetudine peti potest, atque adeò debet, ut nimirum corpus Christi adumbrari, figurari, significarique denotent. Omnibus enim hominibus, doctis, indoctis, ipsisque adeò pueris familiare est, figuram appellare nomine illius ipsius rei, cujus est figura: unde imagines quasvis, earum rerum nominibus vulgò insignimus, quarum sunt imagines. Quid apud eos, quibuscum hîc disputamus, familiarius est, quàm Christi crucifixi imaginem,
314 Christum crucifixum, aut passionem ipsius appellare? Quod ad sac. literarum consuetudinem attinet, inter alia illustre cernimus hujus loquendi modi exemplum apud Ezechielem vatem, cujus consideratio plurimum huic disputationi nostræ luminis afferre potest, ubi hunc in modum Deus Prophetam alloquitur: *(Ezech: 5. 1, & d)* *Et tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem*

tempilos, eumque sumptum duces per caput tuum, & per barbam tuam: & assumes tibi stateram ponderis, & divides eos: tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obsidionis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu ejus: tertiam verò aliam disperges in ventum, & gladium nudabis post eos. Et sumes inde parvum numerum, & ligabis eos in summitate pallii tui. Et ex eis rursum tolles, & projicies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eis egredietur ignis in omnem domum Israël. Hæc dicit Dominus Deus: Hoc est Hierusalem: in medio gentium posui eam, &c. &c. Quo in loco nemo non videt, figuræ tribui rei ipsius nomen, cùm dicitur, *Hoc est Hierusalem*; ac præterea non solos pilos Hierosolymam nominari, sed omne id, quod de pilis fiebat, nihilque aliud hîc dici, quàm isto pilorum negotio adumbrari, quid primo quoque tempore de Hierosolyma futurum esset, ut cuilibet totum illud caput diligenter legenti facilè patebit. Eodem igitur modo & Christus, ut quid mox de suo corpore sanguineque futurum esset, discipulis quodammodo repræsentaret, atque ante oculos constitueret, acceptum panem fregit, illisque comedendum dedit, hoc suum esse corpus asserens, quod nimirum mox, ut apud Paulum habetur, frangendum pro nobis erat. Sic & vinum calici infusum ad bibendum illis porrigens, sanguinem suum mox profusum iri significavit. Ubi animadvertendum, id quod de pane tanquam de re adumbrante verè proprieque dicitur, nonnisi per quandam dicendi figuram rei adumbratæ tribui. Panem enim frangi propriissimè dicitur, at minùs propriè idem Christi corpori assignatur, utpote quod non fractum revera, sed verberibus cæsum, clavis lanceâque perfossum, in cruce distentum, cruciatibus intolerandis afflictum fuit: contrà autem, quod verè proprieque sanguini tribuitur, nimirum profusio, id ad vinum nonnisi impropriè referri potest; utpote quod propriè loquendo non profunditur, sed infunditur.

† *Et vox* hoc, *vel non*] Neutrum verum est: Nam reverâ id pronomen est substantivum, & debet intelligi de eo quod Christus sumpserat in suis manibus, cui benedixerat, & quod frangebat, illud Discipulis suis distributurus. Et ridiculè fingas totam actionem isto pronomine *hoc* denominari, quasi ipsa tota actio dicatur esse corpus Christi, contra ipsummet Apostolum, qui hoc restringit ad ipsum panem 1 Cor. x, 16. Frustra etiam id intelligas, *saltem non de pane simpliciter, sed quà frangitur*; cùm panis ad corpus Christi significandum adhibeatur ex institutione ipsius; panis vero fractio ad corporis sui fractionem denotandam. Ut solidioribus rationibus sit evertenda Transsubstantiatio, quod nunc non agimus, quam ineptâ hac & supra modum ridiculâ observatione: Imò favet potius ea Transsubstantiationi, cujus patroni multi volunt, pronomen *hoc* esse individuum vagum, de cujus significatione nihil habent certi; quamlibet admittere parati, modò ad panem ipsum non pertineat; Norunt enim panem non posse statui corpus Christi alio sensu quam Sacramentali & significativo.

Ac præterea non solos] Primùm V. V. quâ solent potissimum uti Sociniani, non habet Ezech: v, 5. *Hoc est Hierusalem*, imò

imò nec Castalio, nec Leo Juda, nec Santes Pagninus, nec Junius, nec Græci interpretes; sed omnes *Ista est Hierusalem:* Sic ut pronomen demonstrativum videantur isti omnes sumere adjectivè, non substantivè, illudq; referre, non tam ad id quod præcesserat, quam ad ipsam Urbem Jerosolymorum designandam & connotandam. Præterea etsi admittatur interpretatio Volkelii quia particula זאת *Zoth*, quæ est in originali, æquè neutram habere potest significationem ac fœmininam, tamen non necessariò illud *Hoc* pertinebit ad immediatè præcedentia; cùm æquè possit referri ad illum *laterem* cujus meminerat Propheta cap: IV, I: in quo incidere vel *describere* debuit ipsam Civitatem Hierosolymitanam; quæ videtur esse Belgarum interpretũ sententia; à qua nec abludit Junius *in suis notis*. Denique si ad pilos ipsos referatur, certum est eos solos dici Hierosolymas, licet quæ in illis fiebant adumbrarent accidentia Hierosolymis eventura. Et absurdè confundas id quod subjectum significat, cum eo quod significat quid ei subjecto esset eventurum. Aliàs libenter damus tralatitium esse in Scripturis *ut figuræ tribuatur rei ipsius nomen*; quomodo Agnus erat Pascha, Circumcisio fœdus, & Petra deserti Christus.

Acceptum panem fregit] Sic igitur ut in pane corpus suum, in illius fractione suam mortem repræsentaret.

At minus propriè] Sed & separatio animæ à corpore, in Christi obitu, satis propriè dici potest fractio facta manu mortis: Ne dicam ipsa vulnera ei inflicta cum solutione continui, revera fractionis indolem palàm retulisse: Nec minùs propriè vinum dicitur infundi calici, aut etiam in calicem effundi. Quamvis his immorari nihil attineat, & omnis hæc analogia satis accuratè exprimatur *in Sententiis* Prosperi, iis verbis quæ Gratianus retulit *Dist. 2. de Consec. cap. 37. Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?*

Alterum argumentum, quo Transsubstantianionis commentum refellitur, est, quòd Paulus sacram Domini Cœnam diligentissimè explicans, luculenter docet, panem in ipso etiam ejus usu panem permanere, cùm his verbis utitur: (*1 Cor: 10, 16. & 11. 26, 27, 28.*) *Panem, quem frangimus, nonne est commu-*
315. *nicatio corporis Christi?* Item: *Quoties hoc pane vescimini*, &c. Item & illud: *Quisquis indignè panem hunc comedit*, &c. Sed quid opus est verbis, cum rei istius veritas ipsis etiam sensibus pateat? Panis enim nonnisi panem, & vinum nonnisi vinum sapit, oculisque exhibet. Nec nos quicquam movet, quòd sapor accidens sit: cùm proprium accidens sine proprio suo subjecto consistere nequeat; & porrò, ubi panis & vini proprius sapor est, ibi panem & vinum existere necesse sit. Adde, quòd panis iste, quem transubstantiari asserunt, nutriendi vim habeat, quod idem & de vino judicandum est, &, ipsis etiam testibus, putrescat, à vermibusque consumatur, quorum nullum in accidentia convenire manifestum est: ut necesse sit subjectum illis subesse, in quod istiusmodi affectiones cadant, quod sanè non corpus Christi, sed panis & vinum est. Tertium argumentum est, quòd tum Christus, tum Paulus apertissimè illud corpus Christi nominant, quod tunc frangendum erat, nunc verò ut fractum olim, & sic passionibus mortique obnoxium à nobis considetatur:

ratur :

ratur : id verò Christum nunc minimè habere, nos suprà satis docuimus. (*vid. lib. 3. c. 19, & 35.*) Adde quòd etiamsi id haberet, nihilominus tamen id pluribus in locis uno eodemque tempore existere non posset. qua de re in secundæ sententiæ refutatione plura dicentur.

‡ *Id verò Christum nunc*] Licet Christus non habeat nunc corpus quod sit *passionibus mortique obnoxium*, illud tamen ipsum habet quod *olim* tale, & quà tale *fractum* fuit pro nobis: Nam Carni suæ dedit immortalitatem, naturam non abstulit: quod suo loco sufficienter comprobavimus.

Verùm instant isti, Paulumque dicere ajunt, (*1 Cor. 11.27.*) eos, qui pane hoc vescuntur, exque poculo hoc bibunt indignè, reos esse corporis & sanguinis Christi: hoc autem fieri non posse, nisi panis vinumque realiter, quod ajunt, Christi corpus sanguisque existat. Atqui quis est, cui, quàm inepta hæc sit consecutio, clarissimè non pateat? cùm corporis sanguinisque Christi reus quispiam esse possit, quamvis nec ejus corpus revera comedat, nec sanguinem propriè bibat; præsertim cùm hoc loco Paulus luculentissimè dicat, hoc fieri, non ipsum corpus Christi comedendo, nec sanguinem bibendo, sed comedendo panem, bibendoque ex poculo; satis esse innuens ad aliquem corporis sanguinisque Domini reum faciendum, si is illis rebus abutatur, per quas Dominus corporis sui afflictiones sanguinisque profusionem adumbrare voluit: cùm, ut suprà explicuimus, contumelia hæc in ipsum Christi corpus ac sanguinem redundet.

‡ *Si is illis rebus abutatur*] Per has res Christus non solum *corporis sui afflictiones sanguinisque profusionem adumbrare voluit*; ac si nihil prçter inanes umbras cum Æsopico cane hîc sectandas haberemus; sed etiam per easdem voluit nos in spiritualem & salutarem communionem corporis & sanguinis sui traducere, nostramque salutem per suam passionem & mortem nobis confirmare & obsignare.

Altera hominum secta, qui in Christi verborum explicatione errant, ea est, quæ licèt istam panis & vini transsubstantiationem derideat: tamen ab ea non procul discedens, in, cum, & sub pane Christi corpus realiter adesse comedique asserit. Quod quidem quàm à vero sit alienum, non solùm ex superioribus quibusdam argumentis, sed etiam hinc patet, quòd & nusquam scriptum legitur, & illis, quæ divinis literis consignata sunt, apertissimè repugnat. Luculentissimè enim divinus spiritus testificatur, (*Act. 3.21.*) *eum* 316.
oportere cœlo capi, usque ad tempora instaurationis omnium. Et quo fit, ut ante ea tempora corpus illius de cœlo subinde detrahi, panique alligari atque includi non possit; nisi fortè verum ipsius corpus, veris suis proprietatibus constans, simul unoque tempore in pluribus locis esse volumus, quod planè absurdum, exque eorum numero est, quæ fieri non possunt. Atqui, inquiunt, Deum & hoc

hoc effecisse inde constare, quòd Christus Paulo Damascum eunti fuerit visus. Cùm autem Christum cœlo capi oporteat usque ad diem illum novissimum, consequens esse ajunt, Christum & in cœlis extitisse, & simul etiam Paulo in terris apparuisse; quod fieri nequaquam possit, nisi simul & in cœlis & in terris existat. Respondemus autem, nequaquam necesse esse, ut Christus corporaliter Paulo apparuerit: cum hoc per visionem & fieri potuisse, & factum esse constet. Apertè enim Paulus eadem de re verba faciens dicit: (*Act: 26. 19.*) *Non fui rebellis cœlesti visioni.* Cui simile & illud est, quòd Lucas asserit, (*Act: 23. 11.*) Dominum Paulo astitisse noctu, dixisseque: *Confide Paule* &c. Quod quâ ratione factum, ex iis intelligi potest, quæ Lucas alibi his verbis scribit: (*Act:18. 9.*) *Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: ne time, sed loquère.* Hinc apparet, adversarios ita argumentantes, ne hilum quidem proficere. Nec mirum, cum id, quod ipsi evincere conantur, sit unum ex iis, quæ suâ naturâ fieri nequeunt. Atqui apud omnes rerum intelligentes constat, Deum ea tantùm omnia posse, quæ suâ naturâ fieri possunt, nullamque contractionem involvunt.

Verùm esto, demus sanè hoc, quo de agitur, ex eorum numero esse, quæ à Deo fieri possunt: nihil tamen hoc ad rem propositam momenti afferet, nisi etiam ostendatur, Deum id facere velle. Atqui, inquies, velle Deum, ut Christus simul & semel sit in pluribus locis, ex illo Christi promisso intelligitur, quo sese suis usque ad consummationem seculi adfuturum confirmat. (*Matt: 28. 20.*) Verùm eo loco Christus sese suis corporaliter adfuturum nequaquam pollicetur; sed sese illis gratiâ, ope, virtuteque sua non defuturum promittit. Unde non aliis, quàm discipulis suis, præsentiam illam suam pollicetur.

Tertius error eorum est, qui Christi corpus sanguinemque revera quidem in sacra cœna à nobis comedi bibique existimant: verùm non corporali, sed spirituali ratione hoc à nobis fieri affirmant. Cujus quidem opinionis falsitas vel hoc uno convincitur, quòd non solùm Christi verbis nequaquam continetur; sed etiam cum sanæ mentis ratione pugnat, quæ dictat, fieri non pos-
317. se, ut Christi corpus tanto intervallo à nobis disjunctum, in Cœna revera comedamus. Idcirco & ille ipse, qui sententiæ istius autor est, fatetur, (*Calvinus Inst. l. 4. c. 17. sect: 7. 10. & 32.*) se hoc mysterium nec mente percipere, nec linguâ explicare posse.

‡ *Quod non solum Christi*] Imò *Christi verbis* apertè id *continetur:* Vult enim Dominus id à nobis accipi & comedi quod dat; id verò esse corpus suum, apertè profitetur. Ergo corpus suum vult hîc accipi ac comedi: Ut quemadmodum manu & ore accipimus & comedimus panem, qui signum est corporis sui, ita res significata fide & corde accipiatur & comedatur. Et cum tam frequenter toto capite

6. Jo-

6. Johannis, necessitatem & utilitatem inculcet manducationis carnis suæ & potionis sui sanguinis, quis dubitet quin specialiter invitemur in mensa Dominica, ad sacras illas epulas, per τὰ αἰσθητὰ & sensibilia, transcendendo ad τὰ νοητὰ & intelligibilia?

Sed etiam cum sacræ] Vel ludit Volkelius in voce *reVera*, vel cum umbra sua egregiè luctatur: Si enim putat id solum *revera* comedi, quod ore deglutitur & transmittitur in stomachum, ultrò ei largimur *fieri non posse ut Christi corpus tanto intervallo à nobis disjunctum, in Cœna revera comedamus*; nec quisquam nostrum talem unquam carnis Christi manducationem somniavit. At cùm *revera* etiam manducetur Christi caro dum in ipsum creditur, quam necessariò in Sacra Cœna & per eam actus fidei illius salvificæ eliciuntur, excitantur & promoventur, tam verè in illa caro Christi à dignè communicantibus manducatur, non orali & physicâ manducatione, sed morali & intelligibili, cui illa locorum intercapedo quâ Christi corpus à nobis distat, obstare non potest.

Idcirco & ille ipse] Hic sanè fit injuria Calvino, qui non aliam carnis Christi manducationem in Cœna admittit quam moralem & fidei, etsi quæ ex illa enascitur intima nostri cum Christo communio & incorporatio arctissima, suavissima, ac vivifica, nec mente satis percipi, nec linguâ sufficienter exprimi possit. Deberem hîc totam *sectionem* 10. *cap*. 17. *lib*. 4 *Inst*. Calvini describere, si vellem prolixiùs eum liberare à sycophantia Volkelii. Sed in re plana & omnibus obvia non est quod debeam esse nimis diligens: Calvini enim mens satis nota est, verè quidem edi & bibi carnem & sanguinem Christi in Sacra Cœna, non tamen ore & dente, sed corde & fide ac operatione Spiritus Sancti, cujus est *verè unire quæ locis disjuncta sunt*; illaque Spiritus *arcanâ virtute* fieri, ut *non aliter animæ nostræ carne & sanguine Christi pascantur, quam panis & vinum corporalem vitam tuentur & sustinent*: quatenus videlicet *sacram illam carnis & sanguinis communicationem quâ vitam suam in nos transfundit Christus, non secus ac si in ossa & medullas penetraret, in Cœna etiam testatur & obsignat, & quidem non objecto inani & vacuo signo, sed efficaciam Spiritus sui illic proferens, quâ impleat quod promittit. Et sanè*, inquit porrò Calvinus, *rem illic signatam offert & exhibet*, quantum in se est, *omnibus qui ad spirituale illud epulum accumbunt, quanquam à fidelibus solis cum fructu percipitur, qui tantam benignitatem, verâ fide gratitudineque suscipiunt*. Hæc paucula verba Calvini ejus menti percipiendæ, abundè sufficiunt; Et talia sunt, in quibus nihil habeat, vel ipse Momus, quod jure carpere vel reprehendere possit.

Illud quidem libenter fatemur, divinas literas spiritualem nobis Christi corporis manducationem sanguinisque potionem commendare: (*Ioh:6.51. & d.*) verùm hæc nec ea est, quam illi, cum quibus hîc agimus, urgent, nec Cœnæ Dominicæ propria est. Ac istorum quidem hanc sententiam minimè esse, inde perspicitur, quòd manducatio à Christo nobis commendata prorsus figurata est. nec reali quadam ipsius corporis ac sanguinis Christi sumtione continetur, quemadmodnm Christi mortis consideratio, ex qua tantum spei fideique concipiamus, ut haud aliter ac cibo potuque confirmati, ad omnes præclaras actiones, à Christo præscriptas, administrandas atque conficiendas apti simus.

‡ *Illud quidem libenter fatemur*] Atqui non aliam quam hanc *spiritalem Christi corporis manducationem sanguinisque potionem*, commemoratam Joh: VI, 51. & seqq. præter Sacramentalem & externam Symbolorum ipsorum, in Sacra Cœna urgemus & commendamus: ut falsò dicat Volkelius, nec eam esse quam urgent illi quos vult oppugnare, nec *Cœnæ Dominicæ* propriam esse: Quamvis enim non fiat tantum in Dominica Cœna, ad eam tamen promovendam & exerendam ipsa Cœna Dominica instituta est.

Ac istorum quidem] Neque isti, quos impugnas, Volkeli, hîc intelligunt manducationem propriam, quæ fiat ore, sed figuratam quæ fiat mente & fide; quæ tamen vera & *reali quadam ipsius corporis ac sanguinis Christi sumptione*, non physicâ, sed morali, *continetur*. Ut enim non minùs veritatis est in propositione figurata quam propria; ita figurata carnis Christi manducatio, per quam in unum corpus cum ipso coalescimus, non minus habet realitatis, animæ & vitæ spiritualis respectu, quam propria manducatio panis Eucharistici, respectu corporis & vitæ animalis. Nam ut vita hæc animalis cibo & potu fulcitur & alitur, ita cibamur & alimur ad vitam æternam, carne & sanguine Christi: Ac sicut ad vitam animalem, non prosunt panis & vinum nisi ore sumantur, in stomachum trajiciantur, & per varios coctionis gradus, evadant quadantenus nostra caro & sanguis per eam assimilationem, in qua Philosophi nutritionem ipsam formaliter constituunt; sic nihil prodessent caro & sanguis Christi ad vitam animæ, nisi corde & fide sumantur & in penitissimam arctissimamque eorum communionem deveniamus, ex qua dicere possimus cum Paulo Gal: II, 20. *Unà cum Christo crucifixus sum; Vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus; & vitam quam nunc vivo in carne vivo per fidem illam Filii Dei qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Quamvis inter hanc manducationem moralem carnis Christi, & illam oralem cibi ordinarii, hæc sit distinctio, quod hæc vitam duntaxat animalem fulciat, illa verò vitam Spiritualem etiam excitet & accendat: Et in hac cibus assimiletur nobis ad nutritionem corporis, sed in illa assimilemur Christo ad vivificationem animæ. Adhæc cibus temporalis, multum habet scoriarum quæ postea excernuntur; sed spiritualis, totus cibus est; totus retinetur, totus nobis intimè conjungitur & manet in æternum.

Sed est attentissima] Non satis hîc exprimitur natura hujus spiritualis comestionis, cùm in hac descriptione Volkeliana, nulla fiat mentio, vel applicationis illius cibi mystici, ad vitam illam Spiritualem excitandam & fovendam, vel vegetationis & nutritionis quæ ex illius sumptione enascitur: cujus demum effectus & consequens est illa alacritas & aptitudo, cujus author meminit, *ad omnes præclaras actiones à Christo præscriptas administrandas atque conficiendas*: Nec *tantum spei fideique* possumus concipere ex *attentissima Christi mortis consideratione*, quantum ad illam aptitudinem & alacritatem requiritur, nisi Christum ipsum totum nobis applicemus in fontem salutis & pabulum vitæ æternæ, prout haud ineleganter dixit Augustinus *lib.* 3. *de Doct. Christi cap.* 16. explicaturus quo sensu dictum fuit à Domino, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis. Figura*, inquit, *est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.* Sed cum Sociniani meritum & satisfactionem Christi pro nobis rejiciant, mirum non est, si ex attentissima mortis Christi consideratione non alium captent fructum, quam alacritatem & aptitudinem ad virtutis exercitium.

Quam

Quam quidem rem, ut diximus, cœnæ Dominicæ haudquaquam esse propriam, primò inde constat, quòd qui eâ, quâ apud Johannem docemur, ratione Christi corpus comedit, sanguinemque bibit, is sine ulla dubitatione conditionevé sempiternam felicitatem consecutus esse eodem loco dicitur. (*ibid. v.54,56,57,58.*) De iis autem, qui sacrâ Cœnâ fruuntur, idem affirmari nequaquam potest; cùm multi ex illis sine dubio cœlesti patrimonio sint excludendi. Quod enim alii asserunt, Christi verba, quibus corpus suum comedentibus sanguinemque bibentibus vitam æternam pollicetur, cum hac conditione accipienda esse, si ritè comedatur ac bibatur, in eo pro concesso sumunt, manducationem istam potionemque, quam Christus oratione complectitur, posse & ritè & non ritè fieri: cùm potiùs ex eo, quòd tam disertè, verbis etiam repetitis, vita sempiterna ei adscribitur, concludi debeat, eam nonnisi ritè fieri posse, & ideo conditioni isti sive exceptioni nullum esse locum. Adde, quòd cœna Domini, quantumvis conditione ista conservata, homines in vitæ æternæ possessione non constituat: cùm non ad æternam vitam parandam, sed ad Christi mortem, eo, quo docuimus, pacto annunciandam, instituta sit. Valet igitur conditio ista, si nimirum ritè manducetur bibaturque ad pœnam, quæ sanctissimi hujus instituti violatoribus constituta est, vitandam: sed non ad sempiternam salutem consequendam, non inquam, magis, quàm alterius alicujus mandati divini observatio.

1 *Primò inde constat*] Aliud est agere de manducatione carnis Christi in Cœna, aliud de ipsius Cœnæ externa usurpatione: Nam quam certum est, hanc duplicem esse, dignè communicantium, & indignè, sic ut illa demum sit eorum qui rem significatam verâ fide usurpant cùm signum & symbolum externè suscipiunt, tam certum est quod *qui eâ quâ apud Iohannem docetur ratione*, idest non premendo dente, sed credendo corde, sive extra Sacram Cœnam, sive in illa, *Christi corpus comedit sanguinemque bibit*, is certò vitam æternam est consequuturus, imò *sine ulla dubitatione conditione-ve*, ut loquitur Volkelius; quod quomodo conciliet cum sua doctrina de Sanctorum Apostasia ipse viderit: Alterutrum enim debet fateri, vel neminem eorum qui pereunt Christi carnem unquam comedisse & sanguinem bibisse, *eâ quâ apud Iohannem docetur ratione*; vel se hîc imprudentem, à suis & suorum principiis longiùs recedere. Quamvis autem non omnes qui *Sacrâ Cœna fruuntur*, censendi sint *eâ quâ apud Iohannem docetur ratione*, *Christi corpus* comedere, *sanguinemque* bibere, quia non fruuntur Sacrâ Cœnâ eo modo & ordine quo decuisset, corticeque contenti ad nucleum verâ fide non penetrant, hinc tamen non sequitur Sacram Cœnam ex rei natura & institutione Christi illi usui non esse destinatam, ut per illam ad *Spiritualem Christi corporis manducationem sanguinisque potionem* elevemur & traducamur. Benè quidem docet Adversarius non posse *ritè & non ritè* comedi corpus Christi & bibi illius sanguinem; cùm omnis nostra dignitas in ista spirituali manducatione & potione sita sit: Sed cum Paulus distinguat expressè inter dignè & indignè communicantes 1 Cor. xi, 26. 28. idest inter eos qui *ritè* & qui *non ritè* usurpant Sacramentum corporis & sanguinis Christi, meritò

meritò dicimus eos demum in Sacra Cœna spiritalis ac salutaris illius manducationis & potionis cujus fit mentio Joh. VI, 51.54.56,57.58. fieri participes, qui *ritè* ad illam accesserint.

Adde quod Cœna] Hæc ambiguè minimùm dicuntur. Nam *Cœna Domini*, ut habet rationem ritus externi, *homines in vitæ æternæ possessione non constituit* ex opere operato: Sed 1. Ut habet rationem Sacramenti ad id divinitùs instituti, illis omnibus qui eâ ritè utuntur significat & obsignat jus certum ad vitam æternam possidendam, per illam ipsam *Christi mortem* quæ illâ annunciatur & commemoratur. 2. Respectu rei significatæ, ipsa Spiritualis manducatio carnis Christi & potio sanguinis ejus, ad quam mens & fides piorum elevatur in legitima & devota horum symbolorum externorum usurpatione, homines proculdubio collocat in vitæ æternæ possessione, cujusmodi in hac via ex fide & intima cum Christo communione, potest haberi.

Deinde & hoc argumento demonstrari potest, Christum de comestione panis ac vini Eucharistici in illo Johannis loco nequaquam loqui, quòd ibi comedere ac bibere est in Christum credere, seu mavis, ex diligenti ejus rei, quæ
318. comedenda aut bibenda dicitur, consideratione fidem in ipsum concipere. Totus enim in eo est Christus, ut doceat, Judeæos in se credere debere. sed quia in hunc sermonem delapsus erat occasione illius panis, quo eos miraculosè antea paverat, ideò se panem cœlitùs datum ac vivificum appellat, & metaphoram hanc longiùs persequens, fidem in se, vel considerationem doctrinæ factorumque suorum, ex qua fides nascitur, comestionis nomine exprimit, & postea, cum potûs mentionem facit, etiam bibitionis. quam ob causam eundem fructum, quem fidei in se collocatæ non semel in hoc sermone adscribit, comestioni sui, aut comestioni carnis, & bibitioni sanguinis sui, aliquoties adscribit.

‡ *Deinde & hoc argumento*] Ultrò largimur *Christum de comestione panis ac vini Eucharistici in illo Iohannis loco nequaquam agere*; Sed pertendimus tamen, quod nondum evertit adversarius, in comestione & potione panis & vini Eucharistici, si ritè procedat, locum esse illi comestioni & potioni carnis & sanguinis Christi, cujus fit mentio apud Johannem; Cùm enim isthîc *comedere ac bibere*, sit *in Christum credere*, dubium non est quin eo ipso in Sacra Cœna à dignè communicantibus, comedatur caro Christi & bibatur ejus sanguis, quod tum varios fidei suæ actus in Christum eliciunt, eique per fidem intimè adhærescunt & uniuntur.

Totus enim in eo est Christus] Absurda est & jejuna hæc Paraphasis Volkeliana. Primò enim perperam vult eodem loco haberi, *fidem* in Christum, & *considerationem doctrinæ factorumque* Christi, *ex qua fides nascitur*: cùm sensus communis dictet eum toto cœlo errare, qui causam cum effectu confuderit & pro eodem sumpserit. Deinde fides in Christum *comestionis* & *bibitionis* nomine exprimitur, non quod attentè consideremus ejus doctrinam & facta, nam & illi considerationi vacare possunt homines increduli; sed quod in intimâ communionem Christi & beneficiorum suorum per veram fidem deveniamus, ut ex illa tam certò vitam æternam consequamur, quam certò nutrimur ad vitam hanc caducam ex cibo & potu qui ore sumuntur. Hoc sensu docet Scriptura Justum ex fide vivere, per fidem Christum

Christum nostra corda inhabitare, eum in nobis manere & nos in ipso &c. Tertiò cum etiam in usu legitimo Sacræ Cœnæ sit locus attentæ illi considerationi doctrinæ factorumque Christi & passionis acerbissimæ quam pro nobis sustinuit, nequit Volkelius, etiam ex suis hypothesibus, non agnoscere, locum esse in legitimo usu Sacræ Cœnæ, illi comestioni & potioni spirituali carnis & sanguinis Christi, cujus fit mentio apud Johannem.

Sed excipiunt hoc loco quidam ex Pontificiis, (*Bellarminus*) qui in isto Johannis loco Christum de Eucharistia omninò loqui contendunt, & in illis verbis, (*v.52.*) *Et panis, quem ego dabo, caro mea est*, de alio pane, quàm de quo antea egerat, sermonem esse ajunt. Sed id primùm argumentum nostrum non labefactat. Nam etiamsi detur, alium hunc esse panem ab eo, de quo superiùs agitur: non sequitur tamen, alio prorsus modo hunc, alio illum comedi; illum spiritualiter, hunc carnaliter, seu ore corporis: ac proinde hunc posteriorem nonnisi de pane eucharistico accipi posse: imò potiùs comestionis rationem eandem esse apparet, nempe spiritualem, utut panis ipse sit diversus. præsertim cùm Christus murmurantibus ea de re Judæis, & duritiem ejus sermonis accusantibus dicat, (*v.63.*) Carnem non prodesse quicquam: verba, quæ loquatur iis, spiritum esse. Deinde incertum est, de alio panis genere in illis Christi verbis sermonem haberi. Colligere id illi solent ex particula *&* verbis istis præfixa; maximè autem, quia ex græco sic legatur: *Et panis autem, quem ego dabo, caro mea est.* Hinc, inquam, concludunt, cùm Christus vocabulo *autem* non contentus, vocem *&* in principio adjunxit, ad alium panem eum transiisse. Atqui animadvertere debebant, particulam *&* sequente *autem* redundare posse, ut apparet ex simili loquendi modo, qui apud eundem Johannem extat: (*1 Ioh:1.3.*) *Et communio autem vestra cum Patre & filio ejus Iesu Christo.* quod perinde valet, ac si dixisset: communio autem vestra est cum Patre & Filio &c. Itaque ad hunc modum verba illa Christi possunt accipi, ac si dictum esset: Quod me panem vitæ nomino, id ideo à me fieri intelligendum est, quòd corpus meum eam in rem insumturus sum, quæ hominibus sempiternæ felicitatis fructum paritura est. Quemadmodum enim panis terrestris ad conservandam terrestrem hominum vitam maximam vim habet: ita corpus meum, quatenus ego illud morti obtulero, æternæ vitæ causam hominibus afferet. Hoc igitur vobis confirmo, vestram salutem planè desperatam esse, nisi ex corporis mei occisione mihi fidem habendi atque obtem- 319
perandi causam arripiatis. Quod si nihilominus indicatam à Christo volumus aliquam hujus panis à superiore differentiam; statuendum est, in superioribus Christum sese appellasse panem ratione doctrinæ suæ variis miraculis confirmatæ: hîc potissimùm ratione cruentæ mortis.

‡ *Nam etiam si detur*] At in eo justo est liberalior Volkelius. Si enim alterius panis fiat mentio com. 51. his verbis *Et panis quem ego dabo caro mea est*, quam illius de quo antea immediatè dixerat, *Ego sum panis vivus qui descendit è cœlo, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, utique oportebit alium panem, aliud genus manducationis requirere.

Imò potius comestionis] Imò ex verbis Christi com.63. patet carnis suæ comestionem salutarem nonnisi Spiritualem esse, quandoquidem non esset profutura ejus caro oraliter manducata, prout ejus auditores verba ipsius perperam de orali manducatione eo usque acceperant.

Deinde incertum est] Quin potius certum est *de alio panis genere in illis Christi verbis*, quam in præcedentibus *sermonem non haberi*, quod tota series textus satis indicat.

Colligere id illi solent] Sive pleonasmus sit in particula δὲ, quod potiùs dixerim & putavit author V. V. qui illam non reddidit, ut nec eam exprimunt ulli interpretes, sive in particula καὶ, quæ sæpè redundat, maximè apud Hebræos, res redibit eodem.

Quod si nihilominus] Sed neque sic ulla erit *hujus panis à superiore differentia*, cum semper utrobique sit Christus, & is panis est noster Spiritualis, non modò *ratione doctrinæ*, modò *ratione cruentæ mortis* disjunctim, sed conjunctim ratione utriusque: Cum maximè vis nutritiva suæ doctrinæ à cruenta illa sua morte pro nobis omninò pendeat.

Ex his ita constitutis tertium assertionis nostræ argumentum nascitur, nempe Christum eodem in loco de Cœna sua nullum verbum facere. Cœna enim Domini, ut suprà demonstravimus, ab uno homine rite celebrari nequaquam potest; at Christi corpus eâ, quâ diximus, ratione comedere, sanguinemque bibore, quilibet solus potest.

‡ *Cœna enim Domini*] Sed quod *quilibet solus potest* spiritualiter extra Sacram Cœnam, fit etiam aut saltem potest fieri à pluribus in Sacra Cœna, tum Sacramentaliter, tum etiam spiritualiter, si ritè ad eam accesserint.

Hactenus quomodo in Christi verborum, quæ de pane poculoque habuit, interpretatione multi errent, vidimus: sequitur, ut falsos Cœnæ Dominicæ fines examinemus. Hi autem quatuor potissimùm sunt. Quidam enim in hunc finem eam institutam esse volunt, ut promissionis gratiæ, fideique nostræ quædam obsignatio esset. Hoc autem quàm sit falsum, ex eo potest perspici, quòd tantò digniùs, tantoque rectiùs unusquisque ad mensam Domini accedit, quantò majori firmiorique fide est præditus: tantò autem (hac quidem in parte) indigniùs, quantò infirmiori: cum hìc pro fide jam nobis per Christi mortem facta atque confirmata, tum Christo, tum summo salutis nostræ autori Deo gratias agamus.

‡ *Quidam enim in hunc finem*] Non quidem instituta est propriè loquendo ut *fidei nostræ quædam obsignatio esset*, sed reverâ ut esset fidei nostræ quædam confirmatio & quoddam quasi fulcrum & pedamentum, dum ei obsignat promissionem gratiæ, & arctissimam illam nostri cum Christo communionem ex qua pendet salus

det salus

det salus & vita æterna. Hanc autem obsignationem meritò illi tribuimus, cum non minus ad id ordinetur, quam circumcisio olim, quæ *signum & sigillum* justitiæ fidei dicitur Apostolo Rom: IV, 11. Nec alio sensu posset statui *κοινωνία* corporis & sanguinis Christi 1 Cor: X, 16. quam quod fidem nostram confirmat de salutari & spirituali nostra communione cum Christo, eamque nobis obsignat vi istius sententiæ Paulinæ 1 Cor: XI, 26. quod quotiescunque manducamus ex hoc pane & bibimus ex hoc poculo *annunciamus mortem Domini* usque dum veniat; Hæc autem annunciatio non est merè theoretica, vel historica: ut pote cui etiam extra Sacram Cœnam & sine illa, atque ab impiis & apud illos, locus facilè esse queat; sed practica & fidei, quâ certiores reddamur Christum illâ suâ morte nobis salutem & vitam acquisivisse, in cujus rei tesseram & pignus, hunc ritum in sui memoriam à nobis peragi voluerit.

Hoc autem quam sit falsum] Absurda hæc est consecutio: Fides requiritur ut quis dignè & ritè accedat ad mensam Domini; ergo ibi fides nostra non confirmatur, & promissiones salutis quas amplectitur in Christo non obsignantur. Certè fides requiritur accessuro ad sacra pietatis exercitia & præconium verbi divini, quod nihil prosit nisi contemperetur fide apud illos qui audiunt Heb: IV, 2. An tamen ideo neges, fidem corroborari, confirmari & ali pabulo verbi divini? Opus est calore vitali ei qui utitur vestibus ut per illas incalescat: Nihil enim caloris potest homo mortuus ex vestibus consequi: An inde tamen sequitur calorem illum non foveri, conservari, augeri per vestes? Conspicilia requirunt oculos & facultatem videndi: frustra enim ea adaptaveris cœco; Imo quædam sunt istius generis, ut quo quis oculatior est, eo fœliciùs illis utatur: Nec tamen inde colliges, ergo tuborum opticorum & conspiciliorum ope, visum nec intendi, nec corroborari. Similiter nullo modo sequitur fidem non foveri, augeri confirmari usu Sacræ Cœnæ, ex eo quod *tantò digniùs tantoque rectiùs unusquisque ad mensam Domini accedat quanto majori firmiorique fide est præditus.*

Cum hic pro fide] Nesciat facilè lector percipere, quæ nam sit illa fides *jam nobis per Christi mortem facta atque confirmata*, pro qua gratias agimus in Cœna: Nam disputatur de fide nostra *subjectivè* considerata; hîc verò videtur author loqui, de eadem considerata *objectivè*. Jam autem non sequitur, fides promissionum divinarum, per Christi mortem nobis facta est & confirmata luculenter, pro quo & gratias agimus in Cœna; ergo nostra fides quâ illam veritatem indubitatam amplectimur, nullum nutrimentum, nullum incrementum, nullum fulcimentum consequitur in usu Eucharistiæ. Illâ enim non addit Deus aliquid ad certitudinem objectivam promissionum suarum, ratarum morte Filii sui, sed tantum ad certitudinem subjectivam, quam de illis debemus concipere. Ut usu conspiciliorum aut tubi optici, nihil additur ad magnitudinem, colorem & perspicuitatem objecti in se, sed tantum quoad nos, ut illud meliùs assequamur. Adhæc non dicitur hîc in quo sita & cujus rei sit illa fides quæ *jam nobis per Christi mortem facta atque confirmata* est: Sed ita ambiguè loquitur datâ operâ hæreticus, ut elevet vim & efficaciam mortis Christi, eamque faciat duntaxat confirmativam promissionum Dei, non verò satisfactoriam pro peccatis nostris & meritoriam nobis vitæ æternæ. Denique cum subordinata non pugnent, non sequitur, in Sacra Cœna agimus gratias Deo Patri Filioque, (Christum à Deo, ceu *summo salutis nostræ authore* perperam distingui ab Hæreticis, sæpiùs indicatum) quod Pater Filium suum dederit nobis in Redemptorem, & Filius acerbissimam mortem sustinuerit

pro nostra Redemptione & salute; ergo nobis in Sacra Cœna salutis nostræ per Christi mortem non obsignatur, & fides nostra de illa non corroboratur & confirmatur: cùm è contrario nemo pius queat se ut decet accingere ad illas gratias agendas, quin eo ipso novos fidei actus eliciat circa Christum apprehendendum & sibi applicandum, & ita pabulum novum lampadi huic mysticæ suppeditet ne extinguatur.

Unde colligitur, illos, qui cœnam Domini aspectabile verbum esse asserunt, quo Deus confirmet obsignetque promissa sua, toto cœlo errare. Si namque ita esset, certè alicubi apud divinos autores scriptum extaret; nec non apertè, qua ratione tantam rem ceremonia ista perficeret, divinis literis consignatum esset. Atqui non tantùm utrumque altissimo silentio suppressum est; verùm contrà etiam videmus, nequaquam eam actionis istius vim esse, ut tam admirabiles effectus producere possit. Nihil enim continet miraculi, nihil quod humanas vires superet, nihil quod vulgaris hominis etiam ope perfici nequeat; nihil denique eorum habet, quibus Deus ad sua promissa confirmanda uti solet. Qua de causa & illi, qui panem comedunt, vinumque bibunt, non solùm nihil sibi obsignari sentiunt, sed etiam ne adumbrari quidem: cum ipsi ii sint, qui aliis ea adumbrent, quæ sese divinâ gratiâ consecutos esse profitentur.

‡ *Unde colligitur, illos*] In hac doctrina, quæ fuit etiam Augustini *tract.* 80. *in Ioh.* ubi Sacramentum *verbum visibile* dicitur, nihil est quod jure erroris insimuletur: Siquidem S. Cœnæ debet convenire natura communis Sacramentorum, sive illorum sacrorum signorum quæ Deus instituit in subsidium fidei nostræ. Jam autem in id sunt instituta ut sint *signa* & *sigilla* justitiæ quæ est per fidem, quod conceptis verbis legitur de Circumcisione Rom: IV, 11. Hinc circumcisio, dicitur & *fœdus* sive testamentum Dei & *signum* illius Gen: XVII, 7. 10. 11. Utique quod promissiones fœdere Dei expressas ex illius parte obsignaret fidelibus. Nec posset ipsa Sacra Cœna dici *κοινωνία* corporis & sanguinis Christi 1 Cor: X, 16. nisi hoc sacro signo Deus sua promissa de salute per Christum & nostri cum ipso communione nobis confirmaret & obsignaret.

Si namque ita esset] Et id sufficienter divinis *literis* est *consignatum*, ut jam dixi; & eadem *ratione tantam rem cæremonia ista perficit*, quâ id ipsum perficiebat Circumcisio sub V. T. Per hæc sacra signa id quod communiter omnibus proponebatur in præconio verbi, singulis distinctè applicatur & obsignatur, activè ex parte Dei & natura rei, passivè quoque ex parte percipientium & communicantium si debitam fidem adhibuerint. Sic traditione clavium obsignatur contractus locationis vel venditionis ædium, & hoc ritu emptor vel conductor in earum possessionem immittitur: Sic per annulum pronubum, fidei conjugalis promissio significatur, obsignatur & rati habetur.

Verum contra etiam uidimus] Esset quidem planè miraculosus hic Sacramentorum effectus, si rem significatam physicè exhiberent, ceu involutam ipsis Symbolis Sacris atque in illis latentem, ut unguentum in pixide, per indistantiam loci: Sed cùm rem significatam exhibeant duntaxat moraliter, ut domum ipsam exhibent claves quæ traduntur, in eo nihil est quod miraculo propriè dicto sit deputandum.

dum. Non statim miraculis debet accenseri omne signaculum, quo Deus suis obsignat & confirmat sua promissa. Hunc fuisse usum Circumcisionis docet apertè Apostolus. Et tamen ille ritus *nihil continebat miraculi, nihil quod humanas vires superaret, nihil quod vulgaris hominis etiam ope peragi nequiret.* Prædicatio Euangelii, ut ab homine & ordinario Ecclesiæ Ministro peragitur, *nihil continet miraculi, nihil quod humanas vires superet, nihil quod vulgaris hominis etiam ope peragi nequeat*; Nec tamen per id desinit esse *potentia Dei ad salutem omni credenti* Rom: 1, 16. In signis & signaculis quibuscunque, non debet attendi quid in se sint in suo esse physico & absoluto, sed quid significent in suo esse morali & respectivo: Virtus enim illa quam habent signandi & obsignandi, non pendet ex natura, sed ex instituto sive humano, sive divino: Quod clavis ejusque traditio hominem immittat in possessionem ędium quas conduxit vel emit, pendet citra ullum miraculum ex hominum instituto & beneplacito.

Nihilque eorum habet] Id verò est falsissimum; Nam signis ejusmodi sensibilibus per quæ ad intelligibilia deducimur, *Deus ad sua promissa confirmanda uti solet,* quod ex circumcisionis exemplo nemini obvium non est. Hucque facit illud Chrysostomi *hom. 60. ad pop. Antioch. & 93. in Matth. Si incorporeus esses,* γυμνὰ καὶ ἀσώματα *tibi dedisset ipsa dona, sed quia* σώματι ψυχὴ συμπέπλεκται, ἐν αἰσθητοῖς τὰ νοητὰ παρέδωκε.

Qua de causa & illi] Hoc non sentire dignè communicantes, falsum est: aliàs non sentirent panem qui frangitur & calicem qui distribuitur sibi esse κοινωνίαν carnis & sanguinis Christi. Et nisi sentiant sibi in pane & calice significari & *adumbrari* ex Christi instituto corpus & sanguinem ipsius, non possunt illa symbola usurpando annunciare mortem Domini, juxta illius mandatum, usque dum veniat. Et quis sanæ mentis negaverit pane & vino unicuique communicantium significari & adumbrari corpus & sanguinem Christi, quorum ideo nomine appellantur, quod ex ipsius-met institutione, eorum sint significativa & suo sensu exhibitiva? Aut quis statuat actionem Sacræ Cœnæ in id institutam, non ut nomine Dei aliquid homini communicanti significetur & adumbretur, (siquidem hoc vocabulo utitur Volkelius) sed ut ipse aliis adumbret & significet quid profiteatur? Primò enim & directè Sacramenta signa sunt Dei ad homines; sed eorum publica usurpatio, est secundariò signum professionis fidei, quod alii ad alios exhibent.

Huc accedit, quòd Dominica cœna nulli divino promisso adjuncta est, ut quidem omninò fieri oportuit, si, ut fidem nostram obsignaret, constituta fuisset. Nam quòd quidam dicunt, in Cœna Dominica promitti corpus & sanguinem Christi, falsissimum est: cùm ista non promittantur, sed, ut ipsi volunt, dentur, modo tamen, ut isti loquuntur, sacramentali. Adde, quòd necesse est, aliud esse id quod promittitur, aliud id, quo promissio ejusdem rei obsignatur. At illi volunt, corpore & sanguine Christi sacramentaliter sumto confirmari divinam promissionem, ipsamque adeò fidem nostram. Quare aliud quippiam esse necesse est, quod promissum sit, & quod fide illa, quam usu Cœnæ Dominicæ confirmari ajunt, apprehendatur.

‡ *Huc accedit quod Dominica*] Quasi verò, ipsa verba institutionis, quibus panis dicitur corpus Christi & κοινωνία illius, non contineant evidens promissum commu-

communicandi spiritualiter corporis Christi, in alimentum vitæ. Τὸ annunciare mortem Christi, annunciatione non merè theoreticâ & historicâ, sed practicâ & fidei, magnis Dei beneficiis debet annumerari, cùm ita in communionem salutarem mortis Christi pro nobis deducamur: Atqui *Dominica Cœna huic divino promisso adjuncta est*, de annunciatione salutari mortis Christi usquedum veniat.

Nam quod quidam] Atqui eo ipso quod *modo Sacramentali* datur Christi corpus communicantibus Sacræ Cœnæ, in actu exercito, oportet illud promitti communicaturis in actu signato. Nam certum est id promitti nobis ex parte Dei in Sacra Cœna, quod nobis datur dum illam recipimus.

Adde quod necesse est] Et hîc aliud est corpus Christi spiritualiter sumendum in pabulum vitæ *quod promittitur*, aliud panis ipse qui est Sacramentum & signum corporis Christi, quo illa promissio nobis obsignatur, & res promissa modo Sacramentali exhibetur: ut traditione clavium obsignatur venditio vel locatio ædium, & suo sensu rei venditæ vel locatæ possessio exhibetur & confertur. Nec Sacramento corporis & sanguinis Christi confirmatur promissio divina in se, ut objectivè fiat certior, sed nobis & quoad nos, & quantum ad certitudinem subjectivam, prout ea nobis solent esse certiora quæ plurium sensuum testimoniis quadantenus confirmantur: His autem subsidiis confirmari & corroborari nostram fidem non minus per visum & gustum in Sacramento, quam per auditum in verbo, dubitari non potest.

Quare aliud quippiam] Quod promittitur in Cœna ex parte Christi instituentis est salutaris communio corporis sui; quæ & significatur & obsignatur & suo sensu exhibetur illis sacris symbolis, quæ inde corporis & sanguinis sui nomen adipiscuntur. Id verò ipsum quod promittitur, & fidei communicantium obsignatur, non quid piam aliud, debet apprehendi fide, in convenienti horum symbolorum usurpatione. Nec video quid absurdi putet Volkelius inesse ei sententiæ quæ statuat *corpore & sanguine Christi Sacramentaliter sumpto*, idest Sacramento corporis & sanguinis Christi extrinsecè & oraliter percepto, nobis obsignari & *confirmari divinam promissionem* de carne & sanguine Christi spiritualiter percipiendis in alimentum fidei, & eâ ratione *fidem nostram* de communione cum ipso salutari corroborari & *confirmari*. Debet posse submergi in scypho aquę, qui vel minimam in re tam perspicua difficultatem reperiat.

Hic verò eandem esse Cœnæ Dominicæ vim asserent, quæ olim fuit circumcisionis; & cum hæc sigillum appellata fuerit, (*Rom: 4.11.*) idem & de Cœna Domini sentiendum esse contendent. Respondemus autem, non solum nullo argumento doceri eandem Cœnæ Dominicæ cum circumcisione rationem esse, sed etiam circumcisionem, quantumvis sigillum nominatam, non alicujus divini promissi, sed justitiæ fidei, quâ Abrahamus, antequam circumcideretur, donatus fuerat, obsignationem fuisse: quâ postea Deus Abrahamum unà cum universa illius posteritate notare voluit, ab omnibusque aliis terræ nationibus discriminare, ut perpetuò omnibus constaret, quanto tum ipsum, tum omnes ex eo natos prosequeretur amore. Hoc autem amore gentem illam nequaquam complexus fuisset, nec, quod consequens est, hanc illi notam apposuisset, nisi Abraham antè illi confisus & sic fide justitiam consecutus fuisset.

‡ *Respon-*

‡ *Respondemus autem*] At quo jure nequeat nobis esse Sacra Cœna *signum & sigillum* justitiæ fidei, ut fuit Circumcisio non Abrahamo tantum sed omnibus fœderatis sub V. T? Sacram Cœnam non negaverit Volkelius *signum* esse fœderis Novi, ut fuit circumcisio Veteris; Cur ergo ei abrogabit vim obsignativam, quam habuit Circumcisio, quasi plus habuerint signa Sacra Vetera quam Nova? Sic autem obsignabat Circumcisio Abrahamo justitiam fidei *quâ antequam circuncideretur donatus fuerat*, ut primùm esset signum & sigillum ex parte Dei ad hominem, non inane signum hominis ad alios; secundò ut esset sigillum non tantum justitiæ jam acceptæ, sed beneficiorum cœterorum, ex illa justitia fidei suo tempore sequuturorũ, juxta Dei promissionem; tertiò ut in præsenti confirmaret fidẽ Patriarchæ de sua justificatione gratuita quam jam antea consequutus fuerat. Eodem autem modo res se habet in Eucharistia, quæ signum & sigillum dici potest communionis Spiritualis cum Christo, quâ jam ante sunt donati, qui dignè accedunt ad sacram mensam; sic tamen ut sit ipsis sigillum non solum hujusce communionis spiritualis, sed etiam beneficiorum omnium per Euangelium promissorum quæ illam consequuntur; & fides eorum ad actus suos circa hanc communionem exerendos excitetur ac confirmetur. Porrò subordinata non pugnant. Nec enim tollitur vis obsignativa Circumcisionis, per alium ejus usum, & quod illâ *Deus Abrahamum unà cum universa illius posteritate notare voluit, ab omnibusque aliis terræ nationibus discriminare*; Nec dicitur Circumcisio sigillum *amoris* Dei erga Abrahamum & omnes illius posteros, sed justitiæ fidei, prout gratuito Dei fœdere proponebatur & promittebatur: Neque in Isaaco v. g. vel Jacobo, fuit signum & sigillum Abrahami olim justificati, sed ipsorummet suo tempore justificatorum quoque per fidem. Ne quid dicam de eo quod Volkelius amorem Dei erga *gentem illam* inædificat fidei & justificationi Abrahami, cùm tamen amor ille solo Dei beneplacito nitetur, ex quo & indebita gratia processerat quoque fides & gratuita justificatio Abrahami.

Alter finis scopusque Cœnæ Dominicæ affictus est, quòd propterea eam institutam esse multi arbitrantur, ut mors Christi nobis, qui hunc ritum celebramus, in memoriam redigatur, inducti nimirum illis Christi verbis: *Hoc facito in mei commemorationem*. Quia enim hîc habetur ἀνάμνησις, idcirco recordationem Christi mortis hîc fieri statuunt. Atqui hæc vox non tantùm recordationem, sed etiam commemorationem significat: nec usquam fortassis alibi in N. Testam. extat, præterquam apud divinum illum Epistolæ ad Hebræos autorem, (*Heb: 10.3.*) qui posteriori, non priori significatu, hac voce utitur, dum ita loquitur: *In ipsis commemoratio fit quotannis peccatorum* &c. Constat igitur in hoc loco nostro vocem istam commemorationis vocabulo reddi posse, quod prædicationis solennis vim habet. Debere autem omninò id fieri, ipsa Cœnæ Dominicæ natura convincit, quæ efflagitat, ut, si quis dignè sacrâ mensâ uti velit, is jam antea Christi mortem non solùm firmissimâ memoriâ custodiat, sed ejus etiam fructum, tum in mente animoque infixum habeat, tum præclaris actionibus exprimat; eaque mente ad sacram mensam accedat, ut Deo ac Christo pro tanto beneficio, quod probè agnoscat, sentiat, ac me- 321.
moriâ

moriâ teneat, dignas agat gratias: tantum abest, ut ex ceremoniæ demum istius usu tantæ rei sit petenda recordatio.

t *Alter finis scopusque*] Sed oportet insanire homines qui negant id fieri *ad recordationem* mortis Christi, quod fit ad illius *commemorationem* ejusque mortem annunciandam donec venerit. Nam eorum est recordari mortis Christi quibus illa vel commemoratur in usu Sacramenti, vel etiam aliis commemoranda venit. Et cùm nobis qui eam usurpamus, Eucharistia sit instituta non aliis, debet eo ipso esse instituta ut *mors Christi nobis, qui hunc ritum celebramus: in memoriam redigatur*, quod ejus memoriam celebrare in ea debemus. Distinguere enim hic inter *recordationem* & *commemorationem*, est subtilitatis præposteræ, cùm recordatio & commemoratio saltem sint relativa quæ se mutuo ponunt & tollunt, adeo ut hæc semper ad illam ordinetur. Quin *ἀνάμνησις recordationem* frequentiùs significat, præsertim in institutione Cœnæ, quâ ex Christi instituto commonefimus de illius morte & salute nobis parta per eam. Quamvis enim verbum ipsum *ἀναμιμνήσκω*, aliquando sumatur activè pro *commemoro*, vel *mentionem facio*, ut 1 Cor: IV, 17. 2 Tim: I, 16. sæpiùs tamen sumitur passivè pro *recordor* vel *reminiscor*, ut Marci XI, 21. XIV, 72. 2 Cor. VII, 15. Heb: X, 32. Imò & illa *ἀνάμνησις* annua cujus fit mentio Heb: X, 3. æquè benè potest sumi sensu passivo pro recordatione, ac activo pro commemoratione. Saltem ita peccata commemorabat quotannis Sacerdos victimas annuas offerendo, ut eorundem peccatorum recordationem excitaret in mente populi: Ita *ἀνάμνησις* sumitur pro recordatione Num: X, 10. apud interpretes Græcos V.T. Sed esto, dicatur Sacra Cœna fieri in *commemorationem* Christi, ut etiam reddiderunt Beza & vetus interpres apud Lucam & Paulum: an poterit qui distribuit Sacramentum commemorare publicè mortem Christi communicantibus, quin illi ejus recordentur? Imò an poterunt quadantenus ipsi communicantes prædicare & commemorare solemniter mortem Domini, quin ejus reminiscantur, & grato animo tanti beneficii recolant memoriam? Etenim non accedunt ad Sacram mensam, ut aliis sive secum non communicantibus sive communicantibus, commemorent Christi mortem, sed sibimet ipsis, quo ex illius solemni recordatione in fide sua confirmentur & ad gratiarum actionem solemniorem excitentur. Eò videlicet λιτολογίας solent redire isti homines, dum Soli tenebras student offundere.

Debere autem omninò] Sed hæc non sunt ἀσύςατα, ut volens accedere ad mensam Dominicam, meminerit Christi & mortis suæ pro nobis, ejusque *fructum tum in mente animoque infixum habeat, tum præclaris actionibus exprimat, eaque mente ad sacram mensam accedat ut Deo* Patri *ac Christo pro tanto beneficio quod probè agnoscat, sentiat ac memoriâ teneat, dignas agat gratias*; & tamen ex *ceremoniæ istius usu* hujus rei recordationem novam consequatur, sicque Christo agat gratias quod mortem pro se oppetierit, ut illius mortis pro se oppetitæ, tesseram & pignus in Sacramento hoc referat, cujus efficaciâ ejus fides foveatur & confirmetur. Ita qui venit in Templum auditurus verbum Dei, & vacaturus exercitiis pietatis, jam credit & fide justificatus est; an tamen ideo novâ concione verbi divini, fides ejus non corroboratur & confirmatur? Adde quod gratiarum actio quæ præstatur Christo in Eucharistia *pro tanto beneficio*, non præcedit sed subsequitur illam expressiorem recordationem illius,

illius, quæ per hæc ipsa sensibilia symbola excitatur in mente communicantium, & sibi per novum actum fidei hoc ipsum beneficium applicantium ad salutem.

Nec secùs de illorum sententia judicandum est, qui ideo Cœnam Dominicam institutam esse persuasum habent, ut ex ipsius usu condonationem peccatorum consequamur. Cujus quidem opinionis suæ magnum argumentum illis Christi verbis contineri existimant, quibus calicem novum Testamentum esse docet in suo sanguine, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Verùm quis non videt, peccatorum remissionis mentionem, non ad ipsum calicem, nec ad totam Domini Cœnam, sed ad effusionem Christi sanguinis, qui vino in poculum infuso haustoque adumbratur, istis in verbis referri? Quare hic finis non Cœnæ Dominicæ, sed cruentæ Christi mortis est.

‡ *Nec secus de illorum*] Quamvis non sit instituta *ut ex ipsius usu condonationem peccatorum consequamur*, tamen illi nobis contestandæ & obsignandæ, eam esse destinatam, ex superioribus liquet. Admittimus interea quod fatetur Volkelius, peccatorum remissionem finem esse *cruentæ Christi mortis*: Unde sequitur ergo mortem Christi illam nobis conficere & producere.

Quartus error eorum est, qui Dominum in Cœna sua constituenda hoc spectasse ajunt, ut ea esset solenne quoddam corporis sanguinisque ipsius sacrificium, quod pro vivis ac mortuis fieret. Quod quidem inanissimum commentum esse, duobus modis convincemus; nimirum tùm nostra argumenta in medium proferendo, tum ea, quæ à sententiæ istius patronis excogitata sunt, refellendo. Primò igitur ipsum Domini consilium, quod in Cœna ista instituenda secutus est, quodque, ut aliquoties jam à nobis dictum est, tum ipse, tum Paulus plenissimè expressit, evidentissimè demonstrat, nihil minùs eum cogitasse, quàm corporis sanguinisque sui hostiam constituere. Cùm enim unum tantùm hìc videamus Cœnæ Dominicæ scopum finemque ante *oculos* nostros constitutum esse, nimirum Christi commemorationem, sive mortis ejusdem annunciationem: quæ audacia est, in re tanta, præter omnem rationem, & præter Christi mentem, illud statuere, quod & per se absurdissimum est, & nihil planè cum negotio, quod hìc agitur, conjunctum habet?

‡ *Cum enim unum tantum*] Equidem adstipulor Volkelio, quoad rejectionem hujus commentitii sacrificii: Sed tamen scopus Sacræ Cœnæ qui hic proponitur, non tollit alios, quod sit instituta ut sit *κοινωνία* corporis & sanguinis Christi, sigillum justitiæ fidei, pignus Redemptionis nostræ æternæ, vinculum unionis mysticæ inter membra Ecclesiæ, & si quæ sunt istius generis. Sed hactenus hoc procedit argumentum, quod cùm Cœnæ Dominicæ omnis scopus & usus sit Sacramentalis, eo ipso usum Sacrificalem obtinere nequeat; quoniam eundem ritum eodem sui respectu esse simul Sacrificium & Sacramentum tam repugnet, quam repugnat

idem simul esse dare & accipere: Nam Sacrificium offertur ab homine Numini; sed Sacramentum homo accipit à Numine, ex illius institutione & promisso.

Nihilominus tamen hoc suum commentum ipsis Christi verbis stabiliri ajunt. Primò enim, cùm Dominus dicit, *hoc facite*, perinde valere asserunt, quasi dixisset, hoc offerte, sive sacrificate. Sed prætérquam quòd hæc vox nusquam in sacris literis *sacrificandi*, vel *offerendi* significationem habet: falsam esse hanc interpretationem, ipse verborum contextus convincit, qui illud *facere*, panem fractum comedere, & è poculo bibere esse planissimè docet. Ad id enim
322. refertur, quod antea in eadem historia fuit expressum ac præceptum. Id autem fuerat expressum, quod diximus. sacrificii, quod Christus tunc obtulerit, nulla planè fit mentio. Quare non hoc, sed illud, in sui commemorationem Christus facere nos jubet. quod etiam clarissimè ex istis Pauli verbis, (*1 Cor: 11. 26.*) quibus illa Christi explicat, patet: *quotiescunque* (non quidem, ut isti volunt, sacrificaveritis, sed) *comederitis de pane isto, & ex calice biberitis, mortem Domini annunciatis.* Frustra igitur nonnulli laborant, (*Bellarm.*) ut alibi verbum *facere*, sacrificandi significationem habere demonstrent: cum hoc in loco longè secùs rem sese habere manifestum sit. Quòd autem dicunt, Dominum discipulos suos idem jussisse facere, quod & ipse fecerat, idque indicari pronomine *hoc*; id etiamsi concedatur, nihil illorum causam juvat, sed potiùs labefactat, ac penitús convellit: cum Christus nec panem vinumque, nec, ut isti volunt, sub panis vinique specie seipsum obtulerit, sed panem fractum discipulis suis comedendum, vinumque bibendum dederit. Hîc verò inquient: Christum his uti verbis, *pro vobis datur, frangitur, effunditur*, quæ cum præsentem actionem declarent, nihilque cum comedendo aut bibendo conjunctum habeant; hinc necessariò consequi ajunt, eam illis vim inesse, ut dari aliquid Deo in sacrificium significent. Atqui quàm inepta ista sit consecutio, nemo intelligens non videt: cúm verba ista, quamvis in præsenti tempore posita, mox tamen futuram Christi mortem, usitatissimâ dicendi figurâ, significent. quod vel sola *effundendi* vox monere unumquemque potest, quæ effusionem sanguinis Christi in passione ac morte factam apertissimè denotat; & Pauli testimonium, qui ait, hac ceremoniâ mortem Domini annunciari, quod haudquaquam fieret, si verba illa ad futuram Christi mortem non referrentur, sed præsentem actionem denotarent.

† *Sed prætérquam quod*] Saltem vox Græca ποιεῖν quâ utuntur Euangelistæ, *nusquam in sacris literis sacrificandi, vel offerendi significationem habet.*

Quod autem dicunt] Ut debent facere fideles quod fecerunt tum Apostoli, ita debent facere Pastores inter eos quod tunc fecit Christus, quoad consecrationem & distributionem panis & vini. Sed eum ibi semetipsum obtulisse pro remissione peccatorum, nusquam dicitur, imò non semel asseritur in Epistola ad Hebræos

id eum

id eum fecisse ἅπαξ in sua morte Heb: IX,26. 28. X,10. Adde 1 Pet: III,18.

Atqui quam inepta] Imò in ipso Canone Missæ, in verbis consecratoriis extat futurum *effundetur*. Aliàs tralatitium est jam jam cingendum pro cincto haberi.

Aterum nostrum argumentum est, quòd Christi corporis oblatio non in
terris, sed in cœlis perficitur, per ipsius Christi in Dei conspectu apparitio-
nem. *Si enim in terra esset*, inquit Autor ille divinus, (*Heb:8.4.*) *ne sacerdos qui-
dem esset*: id quod dici nequaquam posset, si Christus seipsum tunc, cum Eu-
charistiam institueret, Deo obtulisset, & nunc etiam subinde per manus sa-
cerdotum in terris offerretur. Cur enim, si in terris & à seipso, & ab aliis
offerri potest, sacerdos esse non posset, si in terris esset? Adde, quòd neces-
se esset, si Christus à sacerdotibus in terris offerretur, ipsum etiamnum in ter-
ris esse; id quod autor divinus negat, asserens, eum sacerdotem non fore, si
in terris esset. Quòd enim ajunt, hæc verba, *si esset in terra*, perinde intelli-
genda esse, quasi dixerit: Si hostia immolanda esset aliquid terrenum; vanita-
tis plenum est: cùm istam suam interpretationem à verbis ipsis planè receden- 323.
tem, nec ullo probent argumento; nec consequentia Autoris divini verba
ullum explicationi huic locum relinquant. Nam & ex eadem rationis com-
plexione perspicuum est, ibi nequaquam de qualitate hostiæ offerendæ, sed
de loco, seu tabernaculo, in quo Christus sacerdotio fungatur, hostiamque
suam offerat, verba fieri: & verba ista, *Si foret in terra*, tum ad illa antece-
dentia respectum habent, (*v.2.*) *Minister sanctuarii, & veri tabernaculi, quod
fixit Dominus, & non homo*; tum ad mox sequentia, (*v.5.*) quibus apertissima
tabernaculi terreni, veri illius umbræ, cui ministrârint sacerdotes legales,
mentio fit. Quid, quòd idem autor sequente capite multò clariùs eandem
rem explicans asserit, (*Heb:9,11,12.*) *Christum in majus perfectiusque taberna-
culum, non manibus factum, id est, non hujus creationis, nec per sanguinem hircorum
& vitulorum, sed per proprium sanguinem, semel intrâsse in sancta, adeptum æternam
redemptionem*. Qualia autem sint sancta ista, postmodum exponit clariùs his
verbis: (*v.24.*) *Christus non ingressus est in sancta manu facta, quæ sunt figura ve-
rorum, sed in ipsum cœlum, ut nunc appareat in conspectu Dei pro nobis*, h. e. ut su-
prà dixerat, ut seipsum pro nobis offerat.

‡ *Alterum nostrum argumentum*] In hoc loco Heb: VIII,4. parum est præsidii contra Sacrificium Missæ, nisi quatenus ex illo probatur Christum amplius in terra non esse, adeoque nec in terra posse offerri, sub speciebus panis & vini. Sed ut perperam & falsò volunt inde colligere Sociniani, Christum dum in terris esset non potuisse semetipsum offerre Deo in cruce pro peccatis nostris expiandis, cùm hæc duo tantum sibi velit Apostolis; primò, Christum, si foret in terra, non posse esse Sacerdotem, *manentibus illis Sacerdotibus qui secundum Legem offerrent dona*, cum non fuerit stirpis Leviticæ, vel idoneus qui illo Sacerdotio legali defungeretur; secundò, Sacerdotium Christi post ipsius immolationem in cruce, non fuisse

fuisse ultra continuandum in Atrio hujus mundi, sed in Sanctuario & Tabernaculo cœlesti, ubi sanguinis sui vim & efficaciam jugiter repræsentat Patri suâ pro nobis intercessione: Adeoque si post suam mortem & resurrectionem gloriosam mansisset in terris, Sacerdotii sui residuis partibus defungi non potuisset, quæ in cœlo supererant obeundæ: Ita perperam colligas ex eodem loco Christum non potuisse Sacerdotalem ullum actum in Eucharistia exercere, si ita ipsi libuisset, quasi non ante Sacerdos fuerit quam in cœlum ascenderet. Id enim esse falsissimum suo loco ostendimus.

Sed de loco seu Tabernaculo] Nempe post primum Sacerdotii sui actum solemniorem, in morte peractum sui ipsius immolatione pro peccatis nostris.

Ut seipsum pro nobis] Non dicit Apostolus Heb: IX, 24. Christum ingressum nunc esse in cœlum, *ut seipsum pro nobis offerat*, sed *ut nunc appareat in conspectu Dei pro nobis*, ibique assiduè repræsentet vim & efficaciam proprii illius sui sanguinis, quem tum effudit, cum *per Spiritum æternum seipsum obtulit Deo inculpatum* pro nobis Heb: IX, 14.

Illi verò, ut causam suam constituant, hunc in modum argumentantur: Aut oblatio, quæ fit in cœlo, est propriè dictum sacrificium; aut solùm impropriè & figuratè. At primum falsum est: quod & nos facilè concesserimus, imò planè urgemus. Hinc autem rursus ajunt necessariò consequi, verum Christi sacrificium in terris offerri: alioqui Christum non esse propriè sacerdotem; quod est, inquiunt, absurdissimum, & contra manifestas scripturas. Nos verò nec absurdum hoc esse, nec cum divinis literis ullo modo pugnare, statuimus: cùm, ut suo loco demonstratum à nobis est, sacra volumina haud obscurè Christum impropriè sacerdotem esse ac dici doceant, dum illi ea tribuunt, quæ cum sacerdotio propriè dicto convenire nequaquam possunt, nimirum omnem in cœlo terraque potestatem datam illi esse. (*Matth: 28. 18.*) Sacerdotis quippè propriè sic appellati officium est, pro hominibus interpellare, & remissionem peccatorum illis ab alio impetrare: quod quidem propriè acceptum à regia Christi majestate, summoque in omnes res imperio, planè abhorret: ut facilè appareat, multò magis absurdum sacrisque literis contrarium esse propriè dictum Christi sacrificium confingere.

‡ *Illi vero, ut causam*] Sed nec uspiam commemoratur Christi *oblatio quæ fiat in cœlo*, cùm in cœlo non seipsum offerat, sed duntaxat repræsentet vim & efficaciam Sacrificii illius cruenti, in quo seipsum cum pateretur obtulit pro nobis; nec erit Christus Sacerdos *impropriè* nisi ponatur Sacrificium Missæ, cùm in Sacrificio crucis verè Sacerdotem se præstiterit, ut & nunc talem se præstat, sui comparitione pro nobis in Sacrario cœlesti, quæ etiam annuo ingressu summi Sacerdotis in loco Sanctissimo olim præfigurabatur. Impiè verò & perabsurde statuit Volkelius Christum nonnisi *impropriè Sacerdotem* dici debere; cùm ille verè & propriè Sacerdos sit, cujus typum non modò Melchisedek sed omnes Sacerdotes Levitici sustinuerunt; & cui omnia Sacerdotalia tribuunt sacræ literæ, quod sanguinis sui effusione propitiationem nostram & remissionem peccatorum ex illa nobis confecerit, quod seipsum obtulerit victimam piacularem pro peccato,

quod

quod jugiter intercedat pro nobis in Sanctuario cœlesti, quod inde sit egressurus ut finalem suam benedictionem nobis impertiat &c.

Dum illi ea tribuunt] Sed cùm in Melchisedeco hæc duo potuerint conciliari, quod simul Sacerdos & Rex esset, quî potest pugnare cum Sacerdotio Christi Regia illius dignitas, juxta quam dicitur *omnem in cœlo terraque potestatem datam illi esse* Matt:XXVIII,18?

Sacerdos quippe] At verò in eo nihil est absurdi, vel ex hypothesi Sociniana, vel ex sententia Orthodoxorum. Ex illa non: Cum enim summum Christi imperium in res omnes, subordinent Deo, & divino minus faciant, quidni præditus illo imperio in omnia, poterit adhuc apud Deum, à quo id imperium accepit, & cui subordinatur, *pro hominibus interpellare, & remissionem peccatorum illis ab eo impetrare*, quod agnoscit Volkelius, esse *Sacerdotis propriè sic appellati officium*? Ex ista multo minus; quia intercessio & interpellatio Christi in cœlis pro nobis, non procedit, ut sic loquar, per modum *suffragii* sive humilis alicujus deprecationis apud potentiorem, sed potiùs per modum *jurisdictionis*, quatenus fretus suo merito & mortis suæ Sacrificio, obtinet à Patre ut ejus efficacia & virtus nobis in remissionem peccatorum applicetur; imò eandem nobis applicat ex illa plenitudine potestatis quam à Patre est consequutus.

Tertium nostrum argumentum est, quòd ex divinis constat, Christi oblationem, quam semel suscepit, propter suam perfectionem iterari nec debere
nec posse. Cum igitur Missam, ut isti volunt, crebrò iterari oporteat, pa- 324.
rumne apertum est, eam Christi oblationem minimè esse; & sic falsò hoc sibi sacrificulos arrogare, quòd Christum in missa offerant. Hujus autem argumenti vim illi declinare volentes, cruentam Christi oblationem ab incruenta distinguunt, & incruentam tantùm repeti, cruentam unicam esse contendunt. Atqui animadvertendum est primùm, eam Christi oblationem, quam unam esse D. Auctor ad Hebr. asserit, incruentam revera esse; licet non nisi præcedente sanguinis fusione perfici potuerit. siquidem eam oblationem in cœlis peragi docet, ubi sanguinis fusioni nullus est locus. Itaque dum incruentam Christi oblationem sæpiùs repeti volunt, id ipsum affirmant, quod divinus spiritus negat. Deinde in hac oblationis cruentæ & incruentæ distinctione id ipsum pro concesso sumitur, quod controversum est, imò quod falsum esse sacræ literæ esse pronunciant. Nam qui oblationem Christi expiatoriam, de qua Auctor Epist. ad Hebræos agit, aliam cruentam, aliam incruentam facit, is eo ipso plures Christi oblationes, contra manifesta divini Auctoris verba constituit. Et ratio, ob quam D. Auctor unam tantùm Christi oblationem constituit, nullam isti distinctioni locum relinquit. Tam enim valet ad excludendas plures oblationes Christi expiatorias diversi generis, quales essent cruenta & incruenta, quàm ad plures ejusdem generis. Ratio enim cur semel tantùm pro nobis oblatus fuerit Christus, hæc est, quòd una ejus oblatio ad omnes in perpetuum expiandos sufficiat. Ubi autem una sufficit oblatio, pluribus sanè opus non est. Ita autem rem sese habere, ex illis D. Autoris verbis patet,

(*cap. 10, 11, & d.*) qui postquam asseruisset, *nos esse sanctificatos per oblationem Christi semel factam*, addit: *& omnis quidem sacerdos adstat quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam auferre possunt peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, h. e. quotquot unquam expiandi erunt, eos unâ illa oblatione ab omni labe repurgavit. Quid ergo alia oblatione Christi expiatoriâ est opus? Quòd si alia oblatio, sive cruenta, sive incruenta, ei succedere deberet, ea prioris argueret imperfectionem, & efficaciæ defectum.

‡ *Atqui animadvertendum est*] Id verò quod hic nugatur Volkelius, & falsissimum est, cùm agat Apostolus de ea oblatione Christi quæ in sua morte & in sanguinis sui effusione peracta est; & evidentem implicat contradictionem: Quid enim absurdius quam *incruentam reverà* statuere eam oblationem, quæ tamen *nonnisi præcedente sanguinis fusione perfici potuerit?* An negabis cruentas fuisse oblationes victimarum legalium, quæ in altari non consumebantur, nisi præcedente earum jugulatione?

Siquidem eam oblationem] Id falsum esse jam ante monuimus: Et affirmanti incumbit probatio: Oblatio Christi semel facta pro nobis, ut omnibus hominibus constitutum est semel mori, est aliquid transiens; sed illius comparitio in cœlo pro nobis est aliquid continuatum & permanens; quare hæc duo confundi non debent. Quę porrò hic disputantur de unica Christi oblatione, & rejectione distinctionis in cruentam & incruentam ultrò admittimus: si hoc unum monuerimus eo ipso *cruentam* omninò statuendam illam oblationem Christi, quod sine sanguinis effusione non fiat remissio Heb: IX, 22.

Quòd autem isti Christi mortem cruentam, oblationem appellant, id nimirum, si expiatorium intelligant sacrificium, & quidem perfectum, de quo Auctor Epist. ad Heb, agit, à vero alienissimum est; ut & suo loco docuimus, (*lib. 3. cap. 18.*) & ex iis, quæ paulò antè divinissimi illius autoris testi-
325. monio comprobavimus, clarissimè patet. (*Hebr: 8. 4.*) Is enim negat, Christum, si in terris degat, sacerdotem esse, nedum seipsum offerre. Ut autem hoc facere posset, in cœleste tabernaculum ei ingrediendum fuisse, clarissimis verbis docet. Valde igitur ridiculum est, quòd isti erroris sui stabiliendi causa, illa ejusdem autoris verba in medium afferunt: (*ib. v. 8.*) *Omnis pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. unde necesse est & hunc habere quod offerat.* Etenim ut ex toto orationis contextu apparet, istic Christum in cœlis esse, & ibi Deo pro nobis offerre docetur: qui cœli ibidem (*v. 2.*) sanctum tabernaculumque nominantur, quod fixit Deus, & non homo, cujusque Christus administer ibidem appellatur, id est, in quo sacrificat, omniaque administrat: hoc quippe est tabernaculi ministrum esse. Sensus autem horum D. Autoris verborum hic est: Quemadmodum pontifices terreni habeant necesse est, quod

quod in terris offerant: ita & hic cœlestis pontifex habeat oportet, quod in cœlis libet. Sed ajunt, ex illis verbis consequi, Christum assiduè aliquid offerre, alioquin ex mente Auctoris divini, Pontificem æternum non fore. Verùm si id illi volunt, Christi oblationem assiduè repeti, quemadmodum Eucharistia subinde & absolvitur, & repetitur, id planè contra D. Auctoris est mentem, nec ex illius verbis ullo modo consequitur. Si verò id tantùm volunt, Christum in illa oblatione, quæ unica est, ac semel tantùm cœpta, adhuc versari, perpetuoque versaturum; verum quidem est: sed id ad oblationem, quæ in Eucharistia infinities repetatur, nihil quicquam pertinet: cùm id de oblatione cœlesti, quam ipsemet Christus perficit, dici & possit & debeat.

‡ *Quod autem isti*] Sed & nos supra *ad cap.* 18. *lib.* 3. demonstravimus mortem Christi esse *cruentam* illam *oblationem*, cujus vi expiantur peccata nostra coram Deo. Et quam non faveat impietati Volkelianæ locus Heb: VIII, 4. modò etiam visum est. Quid enim stultius quam ita argutari; Si Christus adhuc in terris esset postquam mortem oppetiit & victima piacularis in illa factus est pro nobis, non posset censeri Sacerdos, cùm debuerit necessariò ad alterum Sacerdotii sui actum subire sacrarium cœleste; ergo nequidem ipsius mors cum in terra adhuc esset actus Sacerdotalis dici potest: A dicto secundum quid ad dictum simpliciter non procedit argumentum. Non negat igitur Apostolus absolutè, vel Christum Sacerdotem fuisse cum adhuc in terris versaretur, vel in morte sua seipsum obtulisse pro nobis; licet ad Sacerdotii continuationem ex hujus mundi atrio ubi victima cæsa & immolata fuerat, instar summi Sacerdotis sub Lege, debuerit Sanctuarium illud cœleste subire cum suo sanguine.

‡ *Valde igitur ridiculum*] Equidem *ridiculum* est id afferri pro Sacrificio Missæ, sed optimè adfertur ad probandum Christum propriè dictam *oblationem* in sua morte obtulisse: Nam quod habuit offerendum Heb: VIII, 3. fuit illud ipsum corpus quod ei fuerat adaptatum eum in finem, ut liquet ex Heb: X, 5. Hoc autem non offert usque & usque in cœlo, sed obtulit semel in cruce, cum peccata nostra in *corpore suo* bajulavit super lignum 1 Pet: II, 24. Neque dicit Apostolus Christum *in cœlis* quippiam Deo pro nobis offerre, sed tantum continuare Sacerdotium suum in Sanctuario cœlesti, quod per suum proprium sanguinem ingressus est Heb: IX, 12. Et sanè ut sanguis ille hircorum & taurorum per quem Sacerdos Leviticus ingrediebatur Sacrarium terrestre, erat sanguis victimalis oblationum propriè dictarũ quæ factæ fuerant in atrio, ita proprius ille sanguis Christi per quem subiit Sacrarium cœleste, omninò debet fuisse victimalis, oblationis factæ in sua morte pro peccatis nostris. Imò Apostolus ita constituit Christum Sanctuarii veri ministrum Heb: VIII, 2. ut non dicat quod in *illo sacrificet*, sed tantum, quod in illo peragat quæ supererant peragenda post sui ipsius oblationem & immolationem in Cruce: Etenim quemadmodum Sacerdos Leviticus sic erat minister Sanctuarii terreni cum illud subibat per sanguinem hircorum & taurorum, ut tamen supponeretur jam eum in antecessum ex munere Sacerdotali eas victimas obtulisse quarum sanguinẽ inferebat in Sacrarium; ita Christus sic est Minister Sanctuarii cœlestis quod subiit per suum sanguinem, ut supponatur illum jam antea ex Sacerdotali officio sanguinem

nem illum suum effudisse in remissionem peccatorum pro nobis.

Sensus autem horum] Hic sensus spurius est & alienus à mente & scopo Apostoli: Sed hoc sibi vult Apostolus quod *quemadmodum Pontifices terreni habeant necesse est quod in* atrio *offerant* priusquam subeant sacrarium terrenum cum victimarum suarum sanguine, compariturі pro toto populo coram Deo, ut eâ ratione Ministri sanctuarii possint censeri; *ita & hic cœlestis Pontifex habuerit oportet* quod offerret in terris priusquam subiret Sacrarium cœleste per suum sanguinem, compariturus pro omnibus suis coram Deo, ut eâ ratione Minister Sanctuarii cœlestis ac veri illius tabernaculi posset reputari: Huic luci se ultrò ingerenti, nullas unquam tam densas tenebras offundent Sociniani, quin perrumpat apud omnes bonos, quibus non est decretum quo jure quâ injuriâ per excogitata commenta τῇ ὑποθέσει δουλεύειν.

Sed ajunt, ex illis verbis] Qui hoc dicant, nescio: Sed scio ex Apostoli mente *Pontificem æternum* esse Christum, non quod assiduè aliquid offerat, sed quod oblatio quam fecit in cruce habeat vim æternam, quam jugiter repræsentat Patri per suam intercessionem pro nobis, & per quam etiam illi nos conjunget in æternum. Ut autem non debet Christi oblatio *assiduè repeti*, cùm *unica* sit & semel facta pro peccatoribus redimendis, ita etiam perfecta est, non adfecta tantum nec *semel tantum cœpta*, ut nugatur Hæreticus, adeoque adhuc perficienda; sed ita plenè ac perfectè consummata in ejus morte, ut per eam possit *perfectè servare eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro eis* Heb: VII, 25. Et sanè Apostolus passim loquitur de unica Christi oblatione, ita facta simul & semel, ut usque & usque continuanda & perficienda non veniat: nominatim Heb: IX, 25. 26. 27. 28. negat Christum *sepè* semetipsum offerre, cum eum aliàs *sæpiùs* pati oporteret; sed asserit id factum ab eo *semel*, cum in *consummatione sæculorum ad peccatum per immolationem sui ipsius tollendum, factus est manifestus*, & ita *semel* oblatus, ut constitutum omnibus semel mori; quod hæc oblatio in ipsius morte facta fuerit. Ita Heb: X, 10. 12. 14. *oblationem corporis Christi semel factam* docet, utique in cruce; sic ut demum *post unicam illam oblatam in perpetuum victimam, consederit ad dextram Dei* & Sacrarium cœleste subierit, ut meritò statuatur *unicâ oblatione consummasse in perpetuum eos qui sanctificantur.*

Argumenta adversariorum.

Sed jam tempus est, ut videamus, quibus argumentis hæc divina veritas oppugnetur, contrariaque sententia fulciatur. Et quoniam Bellarminus hac ætate in controversiis istis tractandis omnium felicissimus habetur; placet, ut illius potissimùm ratiocinationes examinemus, eas præsertim, quas è divinis voluminibus elicere studuit. Nihil enim ea attinet refellere argumenta, quæ ex Patrum scriptis ab eo afferuntur: cùm si, quæ ex sacris literis ducit, ea id, quod probare instituit, minimè concludere ostenderimus, hoc ipso & omnia Patrum testimonia nihil habere ponderis facilè convicturi simus. Non solùm enim ipse Patres plus sibi, quàm scriptis divinis, fidei habere nolunt: sed etiamsi maximè vellent, nequaquam tamen id facere cogeremur. Nam in rebus divinis, vel totius orbis consensus, nequaquam tantam vim habet, ut ea nobis

nobis persuadere possit, quæ præterquam quòd apud divinos autores minimè 326.
reperiuntur, illorum etiam scriptis repugnant.

Primò igitur ea videbimus testimonia, quæ ex Vetere, tum quæ ex novo Testamento depromuntur. Ex V. T. illud primò adducit Bellarminus, quod apud Mosen scriptum legitur, (*Gen: 14, 18.*) idque hoc modo exprimit: *Melchizedech rex Salem protulit panem & vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi.* Hoc, inquit, à viris divinis ita ad Christum accommodatur, ut non solùm Melchizedecum Christi typum imaginemque gessisse asserant, quippe quod & in Aarone cernatur: sed etiam ut Christus non secundùm Aaronis, verùm Melchizedeci ordinem, sacerdotem factum esse confirment. Hîc primùm dicimus: etsi viri divini Melchizedecum Christi typum atque imaginem gessisse, & Christum secundùm illius, non Aaronis ordinem sacerdotem factum esse confirment: nuspiam tamen id, quod de pane & vino à Melchizdeco aliquando prolato in sacra historia legitur, ad Christum accommodari: imò in cap. 7. Hebr. in quo uno loco comparatio inter Christum & Melchizedecum ratione sacerdotii prolixè explicatur, nullam prorsus ejus rei fieri mentionem: cum cætera, quæ in historia illa de Melchizedeco narrantur, satis accuratè, quamquam brevibus verbis, recenseantur. id autem haudquaquam fieri debuisset, si in prolatione illa panis & vini pars aliqua comparationis inter Christum & Melchizedecum ratione sacerdotii, & quidem præcipua, ut Bellarminus censet, consisteret. Sed videamus, quid ex his, quæ modò vidimus, porrò deducat. Nondum enim sacrificium missæ stabilitum vidimus. Atqui, inquit, cùm Aaronis sacrificium cruentum, Melchizedeci verò incruentum fuerit, utpote panem & vinum offerentis; cumque sub specie panis & vini Christi corpus sanguinemque figuraverit, & Christus secundùm illius ordinem sacerdos constitutus sit; consequens esse, ut in panis vinique specie incruentum sacrificium instituere Christi fuerit officium; idque non solum vi ordinis, sed etiam ratione typi; ac proinde cùm Eucharistiam institueret, panem vinumque sacrificâsse. Atqui primùm neutiquam probari potest, Melchizedecum incruentum sacrificium obtulisse, cùm panem vinumque proferret: multò autem minùs planum fieri potest, eum panem uinumque offerendo, Christi corpus sanguinemque figurâsse: cum aliud sit offerre, aliud proferre panem & vinum. Proferre enim potuit, &, ut Josephus etiam docet, omninò protulit ad reficiendum Abrahamum sociosque ejus. Sed ait, panem & vinum prolatum fuisse ad offerendum. Ejus enim rei hanc rationem ab ipso Spiritu sancto appositam esse, quia nimirum Melchizedecus sacerdos fuerit 327.
Dei altissimi. Ex quo necessariò consequi dicit, hoc ab ipso in sacrificium factum fuisse. Atqui ex Hebræo minimè apparet, eam ob causam dictum Melchizedecum fuisse sacerdotem Dei altissimi, ut constaret, cur is panem &

vinum protuliſſet. Neque enim in Hebræo legitur, *Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi*; ſed, *Et erat ſacerdos Deo altiſſimo*, neque parentheſi ea verba ſunt includenda, & à ſequentibus divellenda. Sic enim locus integer in Hebræo legitur: *Et Melchizedec rex Salem attulit* (vel *protulit*) *panem & vinum: & ipſe* (erat) *ſacerdos Deo altiſſimo: & benedixit ei, ac dixit* &c. Verba nempe illa, *& erat ſacerdos Deo altiſſimo*, ideo afferuntur, ut oſtendatur, cur Melchiſedecus Abrahamo, tanto Dei amico, qui promiſſiones ſingulares à Deo acceperat, benedixerit, quemadmodum ex Epiſtola ad Hebræos patet. Et hic quidem, quem diximus, iſtorum verborum ſenſus, in magnis Bibliis Rob: Steph. egregiis verbis expreſſus eſt: *Porrò Melchizedecus Rex Salem protulit panem & vinum, & ipſe, cum eſſet ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei.* Occurrit autem hoc loco Bellarminus, huicque ſententiæ noſtræ illud obſtare aſſerit, quòd & Abrahamus Sacerdos fuerit, ideoque Melchizedecum, non quatenus ſacerdotis perſonam ſuſtinuit, ei benè precatum fuiſſe, ſed quatenus Rex, & ea re Abrahamo dignitatis claritate præſtantior fuit: cùm minoribus benedicere ſolent. Non ſolùm enim ſacerdotum eſſe benè alicui peccari, ſed regum etiam, inde perſpici ait, quòd Salomon, quòd Joſua, quòd alii divini populi principes illi benedixerunt. Atqui hîc nihil agit Bellarminus. Nam primùm Auctori Epiſt. ad Heb. repugnat, qui benedictionem illam Melchizedeci inter actus ſacerdotales commemorat. (*Hebr:7.6,7.*) Nam ut Melchizedecum Leviticis ſacerdotibus præſtantiorem fuiſſe doceat, & porrò Chriſtum quoque, qui ſecundùm illius ordinem ſacerdos factus ſit, iis longè antecellere demonſtret, primùm actus quoſdam commemorat, unde ſacerdotum Leviticorum præſtantia æſtimari poterat, nempe dicimarum à populo Iſraëlitico acceptionem, & decimationem; & utraque in re Melchizedecum illis præſtitiſſe docet, ſatis apertè oſtendens, ſe benedictionem etiam Melchizedecianam actibus ſacerdotalibus annumerare. Deinde quod ad Abrahamum attinet, nuſquam eum divinus Spiritus tanto decorat titulo, ut Dei altiſſimi ſacerdotem eum nominet, quantumvis eum Deo ſacrificâſſe minimè negemus. Intelligendum quippe eſt, hunc titulum non in quemlibet, quantumvis Deo libantem, ſed
328. in eum convenire, cui ſingulari Dei voluntate hæ partes datæ ſunt, qualem Melchizedecum fuiſſe nemo non intelligit. Quòd verò & reges aliique hominibus benè precati fuerunt, id minimè vetat, quominus hoc maximè ad ſacerdotes pertinuerit; utpote quibus Deus ſingulari quadam ratione hoc benedicendi officium impoſuerat, eorumque benedictionem ratam fore promiſerat. (*Num.6.27.*) Hîc verò nondum quieſcens Bellarminus dicit, nuſquam ſacrificii, quod Melchizedecus obtulerit, mentionem fieri, niſi hoc in loco fieri velimus. Hoc autem Spiritus ſancti officium omninò fuiſſe ait, ut quia Melchizedecum Dei altiſſimi ſacerdotem nominavit, ejuſdem quoque ſacrificium

ficium nobis ob oculos poneret: cùm sacerdotium ad sacrificium ordinetur,
sacrificioque ignorato, sacerdotium ignorari necesse sit. Nos verò consecu-
tionem istam pessimè constitutam esse dicimus: cùm ut altissimi Dei sacerdos
quispiam nominetur, nequaquam necesse sit, totam ipsius sacerdotii rationem
explicari; satisque sit, vel unum factum commemorari, quod ad Sacerdotis
pertinet officium; veluti hoc loco est benedictio: præsertim si ei, qui eum
hoc titulo ornat, nequaquam propositum sit, totam rei istius tractationem in-
gredi; sed per ejus occasionem unum aliquod ipsius factum lectori ante ocu-
los constituere. Adde, quòd tunc temporis sine dubio notissimum fuit, quæ
sacerdotis divini partes essent: ideoque sacerdote cognito, sacrificium etiam
minimè memoratum cognoscitur. At, inquit Bellarminus, nullum planè pa-
nis vinique usum ostendi posse, nisi in sacrificium cesserunt; illisque, qui ad
reficiendum Abrahamum sociosque ejus hæc à Melchizedeco prolata esse
ajunt, Abrahamum nihil illis indiguisse respondet, utpote qui ex prælio ma-
gna cum præda rediisset. Quàm verò inanis ista sit exceptio hinc patet, quòd,
ut alia multa, quæ hic dici possent, omittam, nihil prohibuit, quominus
Melchizedecus vir tantus, Abrahamo etiam minimè indigenti, de via tamen
defesso, humanitatem benevolentiamque, ut tunc consuetudine comparatum
erat, præstaret. Neque enim necesse erat, ut qui in aliquem hospitalis esse
vellet, is curiosè inquireret, an ille, quem complectebatur, beneficio indi-
geret nec ne; cum satis esset, qaanti illum faceret, quacunque tandem ratio-
ne ostendere. Verùm, ut suprà jam indicavimus, Melchizedecum panem
vinumque nequaquam sacrificâsse, nec porrò ea in re Christi, qui similiter
panem vinumque in cœna obtulerit, typum gessisse, inde clarissimè intelligi-
tur, quòd divinissimus ille autor, (*Hebr: 7.*) Christi sacerdotium cum Mel-
chizedeci sacerdotio comparans, benedictionis quidem, quâ Abrahamo fau-
sta precatus est, meminit: panis verò ac vini nullam mentionem fecit. Quem
nodum Bellarminus ita solvere conatur, ut primariam hujus omissionis cau- 329.
sam eam esse asserat, quòd panis vinique oblationem commemorare ad Apo-
stoli propositum minimè faciebat. Volebat enim, inquit, idem ex Melchi-
zedeco ostendere Christi excellentiam supra Leviticos sacerdotes. Sed nihil
hic proficit Bellarminus. Primùm quia non solùm præstantiam Christi supra
Levicos sacerdotes ex Melchizedeco demonstrare voluit divinus autor, sed
simpliciter etiam ab iis diversitatem; ut exinde postmodum ostenderet, Aa-
ronicum sacerdotium unà cum lege Mosaica, quâ populus ad illud fuerat ad-
strictus, hoc sacerdote novo constituto fuisse sublatum: uti ex v. 11. & seqq.
liquidò apparet. Atque hac de causa illud etiam commemorat, quòd Christus
non ex Levitica, sed Judaica tribu, de qua nihil, quod quidem ad sacerdo-
tium spectet, Moses scripserit, ortus fuerit: præcipuè autem illud, quòd

secundùm ordinem seu similitudinem Melchizedeci fuerit constitutus : quæ
similitudo qua in re potissimùm sita sit explicans, ait: (*v.17.*) *qui non secundùm*
legem mandati carnalis (id est, mandati illius de sacerdotibus constituendis, in
quo carnis habebatur ratio) *factus est*, (nempe sacerdos:) *sed secundùm vim*
vitæ indissolubilis. Testatur enim, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchi-
zedech; apertè indicans, similitudinem Christi cum Melchizedeco, & sic
dissimilitudinem à Leviticis sacerdotibus, in eo præcipuè esse sitam, quòd
uterque æternùm fuerit sacerdos: licet illa æternitas sacerdotii Melchizede-
ciani, imago tantùm & umbra quædam fuerit æternitatis sacerdotii Christi.
Quare omnia, quæ ad dissimilitudinem ordinis Melchizedeciani ab ordine
Aaronico pertinet, ad institutum Autoris faciunt. Quòd si ergo conficta
ista panis vinique oblatio ad ordinem istum Melchizedecianum, ejusque ab
Aaronico dissimilitudinem constituendam pertinuisset; nequaquam homo
tam divinus, tamque fidelis cœlestium mysteriorum interpres, eam silentio
involuisset; multò autem minùs, si eam præcipuè ob causam Christus secun-
dùm ordinem Melchisedeci sacerdos dictus fuisset. Deinde ratio Bellarmini
pro nobis contra ipsum militat. Ait enim, propositum fuisse D. Auctori ex
Melchisedeco ostendere Christi supra Leviticos sacerdotes excellentiam. At
quodnam est universæ illius demonstrationis fundamentum? nonne illud,
quòd Christus sit sacerdos secundùm ordinem Melchizedeci? Certè non
aliud. Quod ergo ad declarandum hoc fundamentum maximè pertinebat,
quomodo ad propositum Auctoris minimè faciebat? At id ex Bellarmini sen-
330. tentia est illa panis ac vini oblatio. Cur igitur ea, si sententia ipsius vera est,
ne verbo quidem fuit commemorata? Sed enim aliam causam Bellarminus
affert, cur idem divinus auctor panis vinique mentionem omiserit, nempe,
inquit, ne cogeretur explicare mysterium Eucharistiæ, quod altius erat,
quàm ut ab illis tunc capi posset. Hæc autem ratio frivola admodum est.
Nam nec cum vero conjunctum est id, quod hîc ponitur; nec si verum esset,
legitimam efficeret consequentiam. Illud ideo, quòd Epistola ista ad homi-
nes Christianos scripta est, quibus doctrina de Eucharistia, à Domino Jesu
primò traditâ, ab Apostolis inculcatâ, ab ipsismet denique frequenter cele-
bratâ, nequaquam nova inauditaque, & porrò altior, quàm pro illorum ca-
ptu, esse potuit. Quòd si Bellarminus putat, eam de Eucharistia doctrinam,
quæ hodie ab ipsis tantopere urgetur, non ausum fuisse D. Actorem Hebræis
proponere, tanquam captu ipsorum altiorem; apparet, eam tunc Ecclesiis
illis Christi incognitam fuisse; ac proinde, nisi contra manifestam veritatem
statuere velimus, Eucharistiæ ritum, & verborum institutionis sensum illis
prorsus incognitum fuisse; necesse est aliam tunc ea de re in Ecclesia Christi
valuisse sententiam. Hoc verò alterum eam ob causam asserimus, quòd si hoc
myste-

mysterium vel maxima esset implicatum difficultate; nequaquam tamen silentio prætereundum fuit. Primò enim illud Christi præceptum continet, quod ritè exequi atque conservare usque ad ultimum illum diem omnes, qui ipsius nomen usurpant, debere, Paulus luculentissimè testificatur. Deinde cùm Autor iste diligentissimè divini istius sacerdotii rationem explicare voluerit; nequaquam, ut istam effugeret difficultatem, illud præterire debuit, quod, ut Bellarmino placet, sacerdotii istius, quo de agitur, executionem continet, atque in oculis hominum constituit. Quid quòd, si dicendum quod res est, ea omnia, quæ hic divinus autor de vero, non autem ficto isto sacrificio disserit, multò majore obscuritate sunt involuta, quàm disciplina, quæ de Eucharistico ritu tradita nobis est: non tamen eum difficultate ista deterritum fuisse videmus, ne, quem cœperat cursum, eum teneret. Satis igitur constare arbitramur, istam difficultatis rationem nihil ad rem facere, nec unquam viros divinos ea homines propter ipsorum ruditatem celare voluisse, quibus obedientia divinis præceptionibus debita contineretur. Qua de causa ipse Christus Apostolis, quantumvis valdè adhuc rerum cœlestium imperitis, Eucharistiam proponere, celebrandamque tradere non dubitavit. Et Apostoli Christo jam excitato à mortuis, inque divinæ majestatis solio collocato,
inter Judæos adhuc degentes, omnibus qui sese ad Christum conferebant, 331.
nulla difficultatis ratione habita, ceremoniam istam sanctè conservandam tradebant, ut testis est Lucas, (*Act:2.42,46.*) qui eos panem domatim fregisse ait, qua de re suprà. Ex quo fit, ut frustra Bellarminus Chrysostomi & Theophylacti autoritatem nobis opponat, qui ad fideles quidem Epistolam divini illius Auctoris missam fuisse concedant: non tamen ad solos fideles. Hoc quippe ad rem nihil facit, sive hoc, quod hîc dicitur, verum est, sive non. Si enim, ut diximus, ea, quæ difficiliora erant, non dubitavit Autor iste Epistolâ suâ comprehendere; quid tandem de cœna Dominica existimandum nobis est? Adde, quòd parùm fideliter munus suum administrâsset, si in hominum infidelium gratiam, illos, qui fideles erant, tantam rem celare cogitâsset. Urget nihilominus Bellarminus, ipsumque hunc Autorem fateri dicit, se aliquid de Melchizedeco omisisse: hoc autem nonnisi panis vinique oblationem esse ait: cum omnia (hac tantùm excepta) quæ apud Mosen de Melchizedeco commemorantur, exposuerit. Hinc igitur colligit Bellarminus, scriptorem istum propter imbecillum Judæorum captum eam prætermisisse. Quam quidem suam opinionem quò confirmatiorem efficiat, Autoris istius hæc verba in medium adfert: (*Heb:5.13*) *de quo* (*Melchizedech*) *grandis nobis sermo & ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Hîc primùm dicimus, Bellarminum audacter admodum facere, qui nomen Melchizedeci infarciat. Si enim illud hoc loco subaudiendum esse contendit,

 nulla

nulla ratione nititur: cùm verba ista *de quo*, non ad Melchizedecum, sed ad totum Christi sacerdotium referenda sint. Adde, quòd nequaquam Autor hic confitetur, se aliquid prætermittere, sive de Melchizedeco, sive de quacunque alia vel re, vel persona sermonem esse volumus. Non enim dicit, *grandis nobis sermo esset*: sed simpliciter: *grandis nobis sermo*: & res ipsa convincit, ut mox patebit, non verbum, *esset*, sed *est* subaudiendum esse, ut sensus sit: sunt mihi adhuc multa dicenda, eaque explicatu difficilia, de Christi sacerdotio. Nec obstat, quòd statim subjungit: *quoniam segnes facti estis*. Hoc enim non eo animo ab illo dicitur, quasi grandi isto sermone jam uti nolit: sed ut partim difficultatis istius causam ad eorum segnitiem referat; partim ut eos ad animi tarditatem ejiciendam, diligentiusque auscultandum exusciret, ut nimirum non semper infantium more lacte ali postulent, sed ut solidioribus cibis uti adsuescant, hoc est, ut omissis Christi sermonis rudimentis, ad perfectionem tendant. Hanc admonitionem suam autor ille per totum epistolæ
532. suæ sextum caput producit, & tandem illorum animis egregiè præparatis, grandem illum sermonem ingreditur, deque Christi sacerdotio copiosè plenissimeque explicat.

Secundum Bellarmini argumentum ex agni Paschalis ceremonia ductum est. Hanc enim expressam Cœnæ Dominicæ figuram gessisse ait: & quia immolatio victimæ Deo oblatæ fuerit; consequens esse asserit, ut simili modo & de Eucharistiæ celebratione judicemus. Nos verò argumentationis istius fundamentum haud admittimus. Quod tamen cum adversarius aliquot rationibus firmare nitatur; videamus sanè, quàm feliciter hæc illi res succedat. Primò igitur inde ejus veritatem patere ait, quòd Paulus agnum pro nobis immolatum, Christum esse testatur. (*1 Cor: 5, 7.*) Verùm hoc pacto non Cœnæ Domini, seu Christi pro nobis immolati, agnum illum imaginem gessisse docemur. Bellarminus, ut quacunque tandem ratione verba ista Pauli ad Eucharistiam detorqueat, probationis loco affert id, quod & falsum est, & hoc ipso loco in controversiam venit. Ait enim ex Euangelio constare, Apostolos ante Christi passionem manducasse Christi carnem in novissima Cœna, & proinde verum agnum Paschalem comedisse, ad ejusque epulas Apostolum nos hortari his verbis: *Itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis*. Hinc colligit, immolationem nunc præcessisse: cum agnus priùs immoletur, postea comedatur. Qua ratiocinatione nihil poterat excogitari vanius. Falsum enim est, ex Euangelio constare, Apostolos in novissima Cœna Christi carnem comedisse, ut suo loco demonstratum est. Falsum est, Christi carnem in ultima Cœna immolatam fuisse: cum post illam Cœnam demum illud factum esse liquidissimó constet. Falsum est denique, Paulum ad ejus epulas nos hortari verbis à Bellarmino adductis: cùm apertè non azymos Cœnæ Dominicæ,

minicæ aut etiam carnis Christi, sed azymos sinceritatis ac veritatis, fermento malitiæ ac nequitiæ oppositos memoret; totoque illo loco nihil aliud agat, quàm per quandam dicendi figuram, ad agni illius Paschalis celebrationem alludens, nos adhortetur, ut omnibus vitiis, veteris fermenti nomine significatis, prorsus abjectis, pietatis studium, quod novæ conspersionis nomine intelligit, amplectamur, in eoque diligentissimè versemur; propterea quód Pascha nostrum immolatum sit. Quemadmodum igitur Israëlitæ olim dies illos festos ita agitabant, ut, dum quidem durabant, à fermento abstinerent, azymisque vescerentur: ita & nos, dum quidem nostrum istud festum durat, (durat autem per universum vitæ tempus) ab omni criminis contagione, tum animum, tum corpus purum conservare, idque ardentissimo sanctimoniæ studio ætatem consumere debemus. 333.

† *Falsum enim est, ex Euangelio*] Equidem non constat ex Euangelio *Apostolos in novissima Cœna Christi carnem comedisse* oraliter per ingestionem illius in suos stomachos, sed dubitari non debet quin eam spiritualiter comederint, ut à nobis suo loco fuit explicatum: Sic etiam spiritualiter poterat edi in Paschate, ab iis omnibus qui à signo externo ad rem signatam verâ fide transcendebant. Sed inde non sequitur, Pascha typum fuisse Sacræ Cœnæ, aut immolationem aliquam ideo in illa fieri.

Altera Bellarmini ratio est, quòd ex Euangelio constare asserit, Dominum statim post agni Paschalis celebrationem instituisse Eucharistiam, ut ostenderet, se novâ ceremoniâ finem imponere veteri. Quæ quidem consecutio primùm & vitiosa est, & divinæ veritati adversa. Vitiosa, quia nihil vetat, quominus manente vetere ceremonia, hæc altera illi opposita fuisse dici possit. At inquit Bellarminus, id magnum rei istius, quam asserit, argumentum continere, quòd statim hanc ceremoniam illi subjunxit, nec in aliud tempus actionem istam rejecit. In quo quidem ridiculum sese præbet, cum jam aliud tempus huic rei accommodatum non restiterit: sed confestim ab illa cœna surgendum, afflictionumque ac mortis hora subeunda fuerit. Divinæ autem veritati ideò istam argumentationem repugnare diximus, quòd nondum tum Christus ad eum dignitatis gradum pervenerat, ut veteres Dei leges abrogare posset. Sustinebat quippe adhuc propheticum officium, cujus tanta non erat autoritas, ut ei propterea leges ceremoniales abrogare liceret: cùm ea res, ut suprà demonstravimus, regii ipsius muneris propria esset. Deinde etiamsi Christus hac ceremonia finem voluisset imponere veteri; non sequeretur tamen, ideò id factum, quòd hæc illius esset typus: sed quòd typus esset ejus rei, quam jamjam sequuturam Christus Eucharistico ritu instituto adumbrabat, cui tanquam corporis umbra illa cedere debebat. ea verò est mors ipsius cruenta, seu facta pro nobis immolatio.

† Quæ

t *Quæ quidem consecutio*] Nec *vitiosa* est hæc *consecutio*, ut fingit Volkelius, cùm veteribus Cæremoniis novę adjiciendæ non fuerint ut unà servarentur, sed ut hæ illis substituerentur ex pacto novi fœderis; nec *divinæ veritati adversa*: cùm impiè statuat Hæreticus, *quod nondum tum Christus ad eum dignitatis gradum pervenerat, ut veteres Dei Leges abrogare posset*. Nam de jure omnes illi ritus Levitici fuerunt abrogati morte Christi, in qua ipse exclamavit *Consummatum est*, & velum fuit discissum ab imo ad summum; quin transegit Sabbathum in sepulchro, quasi illud unà cùm reliquis cæremoniis ibi sepulturus. Nec solum tunc *sustinebat Propheticum officium*, sed etiam Sacerdotale & Regium: Et potiùs Sacerdotalis, quo etiam defungebatur in sua morte, quam *Regii muneris* fuit, quicquid somniet in contrarium Volkelius, *Leges ceremoniales abrogare*; cùm vero Agno Dei exhibito & mactato in cruce, (nam talis est mactatio cujus meminit Paulus 2 Cor:v,7.) typico & umbratili locus ultra non esse debuerit. Verùm non sequitur Cœnam esse Sacrificium propriè dictum, eo quod Christus eam *post agni paschalis celebrationem instituerit, ut ostenderet se novâ Ceremoniâ finem imponere veteri.* Nec enim subrogata est Eucharistia Paschati, ut Sacrificium Sacrificio, vel prototypus suo typo, sed ut Sacramentum novi fœderis clarius & facilius Sacramento Veteri; quemadmodum Circumcisioni, quod erat Sacramentum initiale voteris fœderis, Baptismus est subrogatus ex novo Christi instituto Col:11,11.

Tertia ratio est, quod Christus eodem tempore suam Cœnam instituerit, quo agnus Paschalis immolari solebat, nempè decimoquarto mensis die ad vesperam. Hinc enim effici Bellarminus asserit, illam agni ceremoniam cœnæ Dominicæ figuram extitisse. Atqui nullum consecutionis istius vinculum apparet: cùm nihil prohibeat, quominus diversorum generum res eodem tempore evenire possint, quamvis neque altera adumbret alteram, neque hæc in illius locum reponatur. Adde quod planè ex accidente evenisse necesse est, ut quo die Christus Pascha ex Legis præscripto celebravit, eo etiam Cœnæ suæ ceremoniam constitueret, nimirum quatenus in idem tempus ipsius inciderunt afflictiones morsque truculenta. Hæc enim Christus pauló antè, quàm exitu complerentur, discipulis suis repræsentare, idemque in posterum ab illis fieri voluit.

334. Sed jam videamus quartam Bellarmini rationem. Agnus, inquit, immolabatur in memoriam transitûs Domini & liberationis populi ex Ægypto: & Eucharistia celebratur in memoriam transitûs Domini per passionem ex hoc mundo ad Patrem, & nostræ liberationis de potestate Satanæ, quæ per ipsam Christi mortem facta est. Hîc respondemus, tantum abesse, ut quæ à Bellarmino hoc loco commemorantur, efficiant, ut agni Paschalis celebratio cœnæ Dominicæ figuram gerat, ut ne plenam quidem inter utrumque similitudinem constituant. Quamvis enim in hoc similitudinem agnoscamus, quód utrobique liberatio quædam celebratur: in transitu tamen magnam dissimilitudinem esse nemo non videt. Quid enim transitus ille, qui domuum Israëliticarum in puniendo quædam præteritio erat, cum illo Jesu Christi transitu, qui commigratione

gratione ex hoc mundo in cœlum continebatur, commune habere potuit? Adde quòd, si vel perfectissimam hæc inter se similitudinem habere ostendisset: non protinus tamen alterum alterius figuram gessisse demonstrasset. Ut enim omnis typus seu figura similitudo quædam sit, non tamen contrà omnis similitudo in typis sive figuris habenda est. Ut enim secundùm sacræ scripturæ consuetudinem, res vel persona aliqua ritè alterius rei aut personæ typus seu figura dici possit, duo potissimùm requiri videntur: primò ut ad hoc ipsum divinitùs sit designata: deinde ut sese ad rem figuratam habeat, tanquam umbra ad corpus. qua de causa typi figuræque apud divinos autores umbræ etiam nominantur. (*Col:2.17. Heb:8.5. & 10.1.*) Unde colligitur, rem figuratam solidius quippiam continere, quàm figuram sive typum; & quod consequens est, ceremoniam externam, alterius externæ ceremoniæ figuram sive umbram gerere non posse: cùm una umbra non alteri umbræ, sed corpori opponatur. Ostendat igitur Bellarminus, agni Paschalis ceremoniam ad figurandam Eucharistiam institutam fuisse: ostendat, Eucharistiæ celebrationem non itidem ceremoniam, sed reale quiddam, seu illius umbræ corpus extitisse; & vincet. Itaque constat, ut diximus, non omnem similitudinem seu figuram typum esse. Ut enim similia quæpiam rectè dicantur, nec Dei ordinatione, nec futuræ rei tanquam per umbram figuratione opus est: cum absque his rectæ rationis judicium, animadversa rerum duarum vel plurium eadem qualitate, aut ratione, earum collationem constituere possit: quemadmodum vel ex parabolis à Christo usurpatis apparere potest; & ex aliis similitudinibus, quas sac: literæ plurimis in locis usurpant, nulla habita ratione ejus, quód rerum, quæ inter se comparantur, una sit alterius typus. Idem & de Eucharistia agnoque Paschali sentiendum est, quæ in eo sunt similia, quód quemadmodum Israëlitæ festum illum diem agentes, celebrabant memoriam liberationis illius à cæ- 335.
de primogenitorum, & emissionis è vinculis Ægyptiacis: ita Christiani per cœnæ Dominicæ ceremoniam solenniter commemorant Christi illam mortem truculentissimam, quâ ex peccati Diabolique servitute in filiorum Dei libertatem vindicati, & ab æterno interitu liberati sunt: nec tamen hinc consequitur, illam hujus typum gessisse, id est, eo consilio institutam, ut hanc figuraret. Simile est, quod multi dicunt, quemadmodum olim per circumcisionem homines in Dei populum adscribebantur: ita Apostolos post Christi in cœlos ascensum, per baptismum homines recepisse in numerum Christianorum. Quod fortasse rectè dici potest, propter quandam utriusque similitudinem: nec tamen circumcisio baptismi figura seu typus ritè nominabitur.

‡ *Quod fortasse rectè*] Hîc illo *fortasse* opus non erat; cùm res sit in propatulo: Itaque ut convenit Circumcisio cum Baptismo in re significata, ita Eucharistiæ esus cùm agni Paschalis manducatione: Nam in hoc Christus ipse significabatur, cujus

cujus sanguine respersæ nostræ conscientiæ, immunes præstantur à vastatoris gladio Itaque Pascha ut mactabatur, significabat immolationem Christi pro nobis; ut comedebatur, manducationem Spiritualem carnis suæ ad vitam æternam. Sic Eucharistia nobis ponit ob oculos cruentam mortem Christi pro nobis, nosque deducit ad communionem corporis & sanguinis sui; Sed quid hoc ad Sacrificium Missæ? Ut esset quod miraremur superfluam Volkelii diligentiam in refutandis ficulneis cæteroquin Bellarmini argumentis, nisi datâ operâ subinde hanc captaret occasionem, Sacrificium unicum & cruentum Christi impugnandi & evertendi.

Quinta Bellarmini ratio hæc est: Agnus, inquit, immolabatur, ut manducaretur, & esset quasi viaticum peregrinorum &c. & Eucharistia quid est aliud; quàm refectio & viaticum peregrinantium ad veram ac cœlestem patriam? Sed falsum hoc esse inde constat, quòd, ut suprà demonstravimus, non in eum finem Cœna Domini instituta est, ut ex ea aliquid reportemus: sed ut pro jam acceptis beneficiis Deo gratias agamus, ut quidem Bellarminus, vel ex ipso Eucharistiæ vocabulo toties à se usurpato, addiscere potuit. Nihil de hac refectione & viatico peregrinantium ad cœlestem patriam Christus, nihil Apostoli testantur, qui rem tam salutarem, tam necessariam, nequaquam fuissent præterituri, sed identidem inculcaturi.

† *Sed falsum hoc esse*] Hoc simpliciter falsum dici nequit, cùm à veteribus etiam Eucharistia ἐφόδιον ζωῆς haud inconcinnè appelletur. Nec dubium quin sicut Elias refocillatus cibo & potu quem illi subministravit Angelus, faciliùs confecit magnum iter quod sibi incumbebat 1 Reg. XIX, 7. 8. ita etiam pii quilibet plurimùm refocillentur legitimo usu Eucharistiæ, ut iter suum ad Patriam cœlestem alacriùs emetiantur: Nos enim nihil *ex Cœna Domini reportare*, insolentissima est assertio Volkelii, quam jam satis superque suo loco confutavimus. Sic sanè in illa *Deo gratias* agimus *pro jam acceptis beneficiis*, nempe pro Redemptione nostra per mortem Christi, ut ejus quoque ope altiùs descendamus in istius Redemptionis communionem & Spiritualem carnis suæ manducationem, quâ nostra fides fulcitur & corroboratur in expectatione indubia fœlicitatis æternæ. Et quid de usu & efficacia Sacræ Cœnæ *Apostoli testentur*, antea satis demonstratum est.

Sexta Bellarmini ratio est: Ut agnus Paschalis non poterat manducari, nisi à circumcisis, mundis, & in Hierusalem: ita Eucharistia non potest sumi nisi à baptizatis, & mundis, & intra Catholicam Ecclesiam existentibus. Nos verò hoc totum facilè concesserimus: præsertim si de vero baptismo, qui veram affert mundiciem ac pietatem, sermo habeatur: verùm, ut in quartæ rationis examinatione diximus, non hoc demonstrandum Bellarmino erat, utrobique nimirum simile quiddam fieri, sed illud hujus fuisse figuram seu typum.

Verùm esto, tulerit sanè illa agni ceremonia figuram Eucharistiæ, quanquam

quam hoc repugnare veritati nobis persuasissimum est: num continuò id inde conficietur, quod vult Bellarminus, nempe Christi corpus in Cœna omnino immolari? nequaquam. cùm minimè necesse sit, rem figuratam in omnibus, etiam minimis partibus, cum re figurante convenire. Satis quippe est, hanc 336.
illi in re præcipua, & de qua potissimùm agitur, respondere. Nisi ergo typorum leges suprà memoratæ reclamarent, & solius habenda foret ratio similitudinis; ad id, ut Paschalis Cœnæ Dominicæ figura esse posset, illud sufficeret, quòd utrobique solennis quædam gratiarum actio fiat, illic pro liberatione ex Ægypto, hìc pro redemptione ex vinculis peccati & mortis.

‡ *Verum esto, tulerit*] Neque id concedendum, neque si concedatur Pascha fuerit typus Cœnæ, aliter quam in ordine Sacramentali, nec possit ex hypothesi Bellarminiana immolatio cruenta agni Paschalis fuisse typus Sacrificii incruenti quod fingit in Eucharistia; Convenientia verò Sacramentalis utriusque, non fuit tantum εὐχαριστικὴ diversorum Beneficiorum, ut hîc vellet persuadere Hæreticus, sed quod in illo proponeretur fidei manducantium caro Christi exhibendi & redemptio ejus sanguine facienda, hîc verò proponatur nobis Spiritualiter manducanda caro Christi exhibiti, & obsignetur Redemptio jam facta ejus morte.

Tertium argumentum Bellarminus ex fœderis antiqui percussione ducit. Quia enim illud solenni sacrificio & sanguinis aspersione sancitum fuit his verbis: (*Exod:24.8. Heb:9.20.*) *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Dominus*: idcirco cum Christus Eucharistiam instituens, iisdem verbis usus fuerit: (*Luc:22.20. 1 Cor:11.25.*) *Hic calix est novum testamentum in sanguine meo*, & sic novum Testamentum in cœna constituerit; consequens esse ait, complètam esse in Eucharistia figuram illam; & proinde quemadmodum sanguis testamenti veteris fuerit sanguis victimæ jam immolatæ, & verè ac propriè sacrificatæ: ita etiam sanguinem novi testamenti esse sanguinem victimæ jam immolatæ ac sacrificatæ, nempe Christi. Christum ergo ipsum fuisse victimam in Eucharistia immolatam & sacrificatam. Hæc Bellarmini ratiocinatio multis modis vitiosa est: Primò enim falsum est, Christum in Eucharistia novum testamentum fecisse: cum illud jam antè constitutum seu propositum hominibus fuerit, & in Eucharistia nonnisi ejusdem confirmatio morte Christi facta commemoretur. Falsum similiter est, Christum iisdem verbis uti, quibus Moses usus fuerat: cum aliud sit dicere: *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit vobis Dominus*; aliud, *Hic calix est novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Nec solùm literis syllabisque ista inter se differunt, sed etiam diversissimas continent sententias. Etenim Moses sanguinem, quo conspergebat populum, sanguinem testamenti vocat, h.e. sanguinem quo testamentum sanciatur: at enunciationis Christi subjectum non sanguis est, sed calix; & de eo in illis, quæ ex Luca & Paulo citantur,

verbis non dicitur, quòd sit sanguis testamenti, sed quòd sit testamentum in sanguine. Quòd si dicat Bellarminus Calicis nomine sanguinem Christi intelligendum esse, quia continens pro contento ponatur; in poculo autem contineatur sanguis Christi: ut alia nunc omittam, falsitatem ejus sententiæ prædicatum enunciationis Christi satis evincit. Is enim ut vidimus, dicit, calicem esse testamentum novum in sanguine suo. At quis dixerit, sanguinem Christi esse testamentum novum in sanguine Christi? Præterea illud quoque
337. sententiæ diversitatem, quæ est inter verba Mosis & Christi, ostendit, quòd Moses de sanguine loquebatur jam fuso: Christi autem sanguis nondum fusus erat, sed mox ad confirmationem Novi fœderis fundendus. Falsum igitur & tertium illud est, quod hinc Bellarminus colligit, nimirum Christum in Eucharistia oblatum fuisse. Imò si sanguis ipsius nondum fusus fuit, ut sanè non fuit; quomodo, quæso, sacrificari Christus potuit? cum offerri ac sacrificari res animata, nisi antecedente mactatione seu immolatione, nequeat. Priscam denique illam sanguinis aspersionem, quod itidem asserit Bellarminus, figuram gessisse bibitionis è poculo Eucharistico, tuncque impletam fuisse, cùm Christus illis de poculo verbis uteretur, nullâ ratione probari potest; quamvis ejus futuram impletionem tunc adumbratam fuisse, minimè negaverimus. Quantò igitur satius fuisset, Bellarminum unà cum suis in ea mentem intendere, quæ ipse divinus spiritus hac de re loquitur, qui aspersionem sanguinis Christi, Legali illi seu Mosaicæ respondentem, quatenus ipsius Christi actio quædam est, non in porrectione poculi Eucharistici, sed in morte ipsius collocat, hunc in modum loquens: (*Heb:9.15,16.*) *Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato Legis à Mose universo populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens, Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Ex his verbis intelligi potest, aspersionem sanguinis rem ejusmodi esse, quâ fœdus jam penitus confirmetur, & vim suam ac robur accipiat: unde porrò consequitur, eam in Cœna fieri non potuisse. Alioquin fœdus seu testamentum novum, testatore adhuc vivo valuisset, seu vim ac robur suum habuisset, contra apertissima D. Auctoris verba, qui Testamentum in mortuis confirmatum, seu firmum esse dicit, quia nondum valeat, dum vivit is, qui testatus est. Atqui, inquit Bellarminus, omnis testator sui juris est, aliquidque præcipiat oportet. Cum igitur Christus in morte constitutus, nec sui compos fuerit, nec porrò quic-
quam

quam præcipere potuerit; consequens esse ait, ut in Eucharistia eum Fœdus novum fecisse statuamus. At verò, mi homo, non in morte illum testamentum fecisse dicimus; confirmasse autem morte, planè asserimus. Nec quia 338.
in morte fœdus non percusserit, sequitur, eum hoc in Cœna fecisse. Tempus enim fuit ante Cœnam, cùm & præcepta traderet, & promissa faceret, factaque tum summâ vitæ innocentiâ ac sanctimoniâ, tum inauditis miraculis confirmaret. Quibus in rebus maxima ex parte Novi fœderis rationem constitutam esse, quivis facilè intelligere potest. Hinc constat, hunc nostrum testatorem, cùm negotii istius administrationem susciperet, sui juris fuisse, nihilque ad totius rei perfectionem defuisse, præter truculentissimæ mortis perpessionem. Hanc quippe omnia consecutura erant, quæ ad novum hoc fœdus planè corroborandum pertinebant, id est, quæ nos in firmissimam spem vitæ æternæ adipiscendæ, si dictis illius pareremus, excitare poterant. Cujus quidem rei adumbrationem in Cœna Domini contineri, haud diffitemur. Pro nobis autem facit Bellarm., dum negat responderi posse, Christi sanguinem in Cœna fuisse sanguinem victimæ futuræ in cruce; propterea quod in Exodo priùs immolata est victima, deinde populus sanguine aspersus. Item, non priùs sanguinem haberi posse, quàm victima immoletur. Hinc enim apparet, sanguinem Christi revera in Cœna non fuisse haustum aut sparsum. Quandoquidem immolatio tunc nulla præcesserat. Siquidem immolatio nil est aliud, quàm mactatio, sacrificii offerendi causâ facta. Mactatio autem tunc nulla antecesserat. Quòd si Bellarminus per immolationem intelligat oblationem corporis Christi incruentam; non modó à proprietate vocabuli discedit, nec meminit, ante oblationem cujusque rei animatæ, debere mactationem ejusdem præcedere: sed etiam ridiculus est, dum nullam rationem pati ait, ut sanguis ante hujusmodi immolationem habeatur; quasi veró post incruentam oblationem, quam nulla sanguinis fusio antecesserit, magis possit haberi sanguis, quàm antè; cum is æquè in victimæ corpore maneat post oblationem illam, atque antea. Quid porró hujusmodi immolatio commune habet cum immolatione victimæ, à Mose in sanciendo fœdere cæsæ, præsertim quod attinet ad sanguinem, qui post eam immolationem hauriatur aut spargatur? Et nihilominus Bellarminus ista ad Cœnæ Domini administrationem applicat his verbis: In figura veteris testamenti tria inveniuntur. Primó promulgatio Legis coram populo: secundó immolatio victimæ: tertió aspersio sanguinis, & manducatio victimæ. Hanc figuram dicit Christum implevisse: primum, cùm ait: *Hoc est præceptum meum:* & tertium, cùm ait: *Comedite & bibite*: secundam autem, inquit, rem, nimirum victimæ immolationem, omissam esse quis credat? Sed vix digna hæc 339.
sunt ulla refutatione. Primó enim, non tunc primùm Christus novum fœdus

nem esse allegoricum; ita ut nihil aliud significetur, quàm sapientiæ ingentia commoda ac fructus jucundissimos omnium oculis esse expositos, qui vim habeant magnam ad ejus cultum alliciendi: perinde ac si constructa domo magnifica, victimisque cæsis, ac convivio opiparè parato, omnes homines ad epulas suas invitaret. Quid autem ineptius, quàm missæ sacrificium hinc velle exprimere?

Tertium apud Esaiam (*cap. 66. 21.*) extat hoc pacto: *Et assumam ex eis sacerdotes & Levitas, dicit Dominus.* Cui simile esse Bellarminus ait illud Hieremiæ: (*Hier: 33. 17.*) *Non interibit de Davide vir, qui sedeat super thronum Israël, & de Sacerdotibus, & de Levitis, non interibit vir à facie mea, qui offerat holocautomata.* Respondemus autem, neutrum testimonium missæ sacrificium comprobare. Ac prius quidem aut propriè de populo Israëlitico loquitur, ex quo Deus sese Levitas sacerdotesque assumturum esse dicit, ut quidem ex ipsa verborum complexione patere videtur: (paulò antè enim de fratribus Israëlitarum ex cunctis gentibus adducendis sermo habetur; & mox subjunguntur hæc verba: *& assumam ex eis Sacerdotes & Levitas:*) aut verba ista figuratè mysticeque de illis fieri statuendum est, quos suo tempore Deus ex omnibus populis per Christum sibi adjuncturus erat. Eos enim regale sanctumque sacerdotium, vel Reges & sacerdotes Christi operâ factos esse, divinus spiritus luculentissimè testificatur; (*1 Pet: 2. 5, 9. Apoc: 1. 6. c. 5. 10: 20. 6.*) ut nimirum Levitarum instar obtinentes, non solùm electissimus ipsius populus essent; sed etiam spiritualia, ipsique accepta sacrificia per Christum facerent. Eodem planè modo de altero, nempe Hieremiæ testimonio, existimandum est, nimirum vel propriè illud de sacerdotibus ac Levitis agere, à munere suo nunquam removendis, dum quidem Politia illa Judaica duraret, legesque ceremoniales locum haberent: vel mysticè de Christianis, qui, ut dictum est, spirituales hostias nunquam non offerunt. Verùm in quemcunque tandem sensum vaticinationes istæ accipiantur, nihil, quod ad missæ sacrificium pertineat, elici ex illis potest: cum nec sacrifici isti propriè loquendo sese Levitas dicere audeant; nec sacrificium, quod facere conantur, spirituale sit, sed, ut Bellarminus pugnat, propriè sic appellatum; nec tandem ullo sacrarum literarum fundamento nitatur.

Quarta ratiocinatio apud Malachiam extat: (*Malach: 1. 10, 11*) *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sanctificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Qui quidem locus, quid 341.
cum missæ sacrificio commune habeat, non video: cum hîc nihil quicquam dicatur, unde vel levissima de illo conjectura capi possit: contrà verò inter omnes constet, ipsa nimirum ratione suadente, hîc novi Fœderis sacrificia commo-

commemorari. Si igitur diligentissimè in omnia Christiani populi sacrificia animum intenderis, nullum proprium, quale missam esse illi contendunt, sed spiritualia omnia illis præscripta esse comperies, (*1 Pet: 2.5.*) nimirum legalibus illis sacrificiis olim, utpote horum figuris, designata: veluti est gratiarum actio ac laudes Deo redditæ; (*Heb:13.15.*) beneficentia, aliaq; insignitas charitatis opera; (*Heb: 13, 16. Phil: 4.18. Ephes:5.2.*) & denique totius vitæ sanctitas. (*Rom:12.1.*) Hujusmodi enim sacrifica in sac: literis opponi solent illis externis ac corporalibus, & iis anteferri. (*Sam:15.22. Psal:40.7. & d. & 51.18, 19, 21. Esa:1.11. & d. conf. cum v. 16. & seqq. Os: 6. 6. Matth: 9. 13. Eccl:4.17.*) Respondent autem ea, atque inprimis gratiarum actio, & divini nominis celebratio, sacrificiis pacificis, atque Eucharisticis: quanquam ea, quæ ad remissionem peccatorum à Deo impetrandam magis referuntur, expiatoriis respondent: quo in genere sunt inprimis, cor contritum & coram Deo demissum, peccati conscientiâ, dolore, suppliciorum divinorum metu, ac misericordiæ ipsius desiderio anxium, (*Psalm:51.18,19. Act:3.19.*) indeque profectæ preces & lachrymæ, (*Psalm.32.6. Esa:55.6,7.*) peccatorum coram Deo confessio, (*Psalm:32.5. 1 Joh:1.9.*) cæteraque pœnitentis animi signa; misericordia erga lapsos, afflictos, pauperes. (*Ion: 2. 24. Prov: 16. 6. Dan: 4. 24. Matth: 6. 14. Iac: 2. 13.*) Hujusmodi enim rebus ad misericordiam ac peccatorum remissionem flectitur Deus. Nam quod Bellarminus ait, ea tantùm in veteribus scriptis per typos & ritus externos describi, quæ tunc in usu non erant; id non est simpliciter admittendum. Nam & David (*Psalm:51.*) sacrificii nomine describit spiritum afflictum, cor contritum & humiliatum: cum tamen de eo loquatur, quid ipse Deo pro peccato suo offerat, & offerre porrò velit. Jeremias c.4.4. ad resipiscentiam & vitæ correctionem Judæos vocans, jubet eos circumcidi Domino: quod statim explicat, dum jubet auferre præputia cordium. Elegantissimè enim res internæ ac spirituales, per externas ac corporales, similitudinem quandam cum iis habentes, describuntur. Quòd si ea, quæ tunc fiebant, ad cultum quendam spiritualem pertinentia, licèt imperfecta adhuc, per res illas externas describuntur: multò magis res spirituales sub Christo longè pleniùs ac perfectiùs extituras, eo modo describi censendum est.

‡ *Quanquam ea quæ*] Id est falsissimum: Nam Sacrificia propitiatoria sub Lege, non adumbrarunt pœnitentiam aliaque nostra officia, sed unicum Christi Sacrificium, in quo solo expiationem peccatorum nostrorum consequimur Rom: III, 25. 1 Joh: II, 2. Quod si *cor contritum* dicitur Dei Sacrificium Psal: LI:18.19. hoc non intelligitur per oppositionem relationis ad Sacrificia propitiatoria, quasi contritioni significandæ à Deo ordinarentur; sed per oppositionem contrarietatis ad Sacrificia in communi, prout ab hypocritis offeruntur; aut quasi ex opere operato, salutem peccatorum conficerent. Minus facit ad rem locus Psal: XL, 7. & seq.

& seq. quem ipse Apostolus Heb: x, 5. 6. 7. 8. 9. 0. de Sacrificio Christi interpretatur: Nec enim Deus ab ipso exegit pro peccatis nostris revera delendis, victimas & hecatombas legales, sed oblationem sui ipsius corporis, in quo pertulit pœnas nobis debitas.

Hujusmodi enim rebus] Hæc quidem Deus exigit à nobis per modum conditionis *sine qua non* remissionis peccatorum: Ipsa tamen peccatorum remissio, causaliter & meritoriè nititur unicâ Christi satisfactione & oblatione: De locis porrò hic citatis à Volkelio diximus aliàs.

Nam & David Sacrificii] Cor contritum David non erat oblaturus pro peccato suo, ut vi suæ contritionis deleretur & remitteretur; Sed ostendit se non niti ad remissionem peccatorum à parte sui ullo Sacrificio externo quod offerre quiret; nihil habens quod Deo offerat, ceu ipsi intrinsecè acceptum & gratum, præter resipiscentiam & emendationem vitæ.

Quod si ea quæ tunc] Et hoc falsum est, ea quæ fiebant à piis & sanctis sub V. T. *ad cultum Spiritualem pertinentia*, fuisse nostris imperfectiora, cùm nullum putem tam effrontem Socinianum, qui jactet se ad perfectionis Davidicæ culmen in eo genere conscendisse. Distinctiùs quidem & clariùs nobis proponitur ratio cultus Spiritualis, quam olim sub Lege, quo spectare potest locus Joh: iv, 23 24. Sed interea tamen ipse cultus Spiritualis ut exercebatur à piis,& situs erat in corde contrito, precibus sanctis, peccatorum confessione, misericordia in pauperes &c. eoquem hodie exhibemus imperfectior statui non potest.

Est autem res ex eo quoque manifesta, quòd Petrus (1 Pet: 2. 5, 9.) non ad certum tantùm quoddam Christianorum genus, sed ad quosvis promiscuè scribens, eos sacerdotium, h. e. veluti sacerdotum quoddam collegium vocat, eosque ad spirituales hostias per Christum Deo offerendas vocatos esse indicat, & Mosis verba, (Exod: 19. 6.) de populo Israëlitico olim pronunciata, ad eosdem accommodat, dum eos sacerdotium regium vocat. Atqui Christiani homines promiscuè sumti, ipsis adversariis fatentibus, non ideo dicuntur sacerdotes, quòd missam celebrent, & sacrificium corporale proprieque sic dictum offerant: hoc enim certorum tantùm hominum volunt esse proprium: sed quòd, ut ipse Petri locus ostendit, spirituales hostias offerant Deo, quas tamen in usu jam olim fuisse, Bellarminus hoc loco contendit. Ex quo apparet, in verbis Mosis à Petro ad Christianos accommodatis, si mysticè sumantur, describi per typum id quod aliqua ratione jam tum in usu fuit, sed perfectiori ratione erat sub novo fœdere extiturum. Sed animadvertendum præterea est, spiritualia propria quodammodo censeri novi fœderis, corporalia atque externa veteris: non quidem quòd nulla prorsus sub veteri fœdere extiterint spiritualia, sive opera hominum, sive dona divinitùs data respicias; sed quòd & pauca, & imperfecta: adeò quidem, ut collata cum iis, quæ sub novo extiterunt, propemodum evanescant. Quare hoc pacto admittere dictum Bellarmini, quod hucusque examinavimus, possemus: sed simul etiam negare, illa, quæ nos apud Malachiam oblationis nomine intelligimus, sub veteri fœdere extitisse, præsertim inter gentes extraneas, de quibus ibi

342.

propriè ſermo eſt. Nam nec veri Dei cultus in omni loco inter gentes extraneas vigebat; nec, qui inter Judæos vigebat, ſpiritualis cenſeri debebat; nec tanta vitæ integritas morumque ſanctitas, quantam hodie præſcripſit Chriſtus, tum temporis præcipiebatur, multo autem minùs exercebatur.

‡ *Nam nec veri Dei*] Prima quidem obſervatio vera eſt; ſecunda, certo ſenſu concedi, certo etiam negari poteſt: Nec enim abſolutè negari poteſt cultum *qui inter Iud cos* vigebat ſuo ſenſu Spiritualem fuiſſe, quod & ſupra agvovit quadantenus adverſarius; ſiquidem inter eos Deo offerebantur vituli labiorum, Sacrificia laudis, Spiritus contritus &c. Sed hactenus poteſt concedi cultum illum *σαρκικον* non Spiritualem fuiſſe quoad typos & umbras, & in quantum nonniſi per varios ritus externos ad cultum Spiritualem permovebantur & deducebantur. Tertia eſt abſolutè falſa & ſuo loco à nobis refutata. Etenim *hodie* non major *vitæ integritas morumque ſanctitas*, quam olim ſub V. T. præſcribitur, vel exercetur à piis: Eadem enim manet norma & regula ſanctitatis ſub utroque Fœdere, nempe Lex Dei æterna, Spiritualis & immutabilis.

Quæ verò argumenta Bellarminus ducit ex voce *munda*, nomini *oblationis* apud Malachiam addita, ea nulla adverſus noſtram ſententiam vim habent. Nil enim dubitamus, quin & ſingula piorum hominum opera, ex Dei præſcripto præſtita, & tota illorum vita, quam Chriſto agnito, ad ejus nutum componunt, verè ac propriè munda puraque dici queat; licèt eam impura vita, cujus ſordes jam abluit Deus, aliquando præceſſerit; & aliquid etiamnum labis eorum pietati interdum aſpergatur, cujus tamen Deus rationem habere non vult; utpote qui ex eo, quod ut plurimùm fit, non ex eo, quod nonnunquam ex fragilitate humana intervenit, vitæ integritatem ac puritatem æſtimat. Neque enim protinus purum id eſſe deſinit, quod ad ſummum puritatis gradum non pervenit: quemadmodum ex ſacris literis planum eſt, quæ puritatem, ſeu, quod perinde eſt, integritatem ac ſanctitatem vitæ, juſtitiæque laudem iis quoque tribuunt, qui pro viribus Dei præceptis obtemperant, etiamſi nonnunquam ex imbecillitate labantur. (*Pſal: 18. 21, & d. 24. 4: 36. 16, & d. 119. 1. & d. Epheſ: 1. 4. Col: 1. 22. Iac: 1. 27. 2 Pet: 3. 14. 1 Ioh: 3. 3.*
343. *1 Theſſ: 5. 23. Luc: 1. 6, 75. 2 Cor: 7. 1. 1 Pet: 1. 15, 16. 1 Ioh: 3. 8.*) Neque eſt, quod Bellarminus dicat, Malachiam loqui de oblatione, quæ pollui nulla ratione poſſit: opera autem noſtra pollui poſſe. Nihil enim aliud dicit Malachias, quàm oblationem illam mundam eſſe vel fore: quòd autem non poſſit non eſſe munda, de eo nullum apud ipſum extat indicium. Quanquam ſi oblationis nomine non ſimpliciter opera hominum, ſed opera ſecundùm Dei & Chriſti præſcriptum perfecta intelligas; ea non magis pollui, quàm mala fieri queunt, ſeu talia, quæ divinis mandatis ſint adverſa.

† *Nil*

‡ *Nil enim dubitamus*] Opera nostra *munda* sunt non tam Legaliter quam Euangelicè, non tam in se ipsis quam ex Dei gratuita acceptilatione & Christi justitia & merito, quo nostræ sordes conteguntur apud Deum ne nobis imputentur ad condemnationem. Sed in hanc disputationem devenire vix opus erat contra Bellarminum, cùm locum Malachiæ 1, 10. de precibus potissimum esse intelligendum, pateat ex parallelo loco 1 Tim: 2, 8. ubi vult Apostolus *viros orare in quovis loco, puras manus attollentes absque ira & disceptatione.*

Quod autem non possit non] Atqui ita debet esset *munda*, sensu quo exposui, ut absolutè immunda esse nequeat; tunc enim accuratè loquendo nequidem oblatio dici posset. Ad hanc porrò munditiem, sinceritas quidem ἀνυπόκριτος, & partium aliqualis perfectio, sed non item graduum juxta Legis ἀκρίβειαν, requiritur.

Instat Bellarminus, & duobus adhuc argumentis suam de Malachiæ loco sententiam adstruere conatur. Ac prius quidem hujusmodi est: Nomen Dei per Sacerdotes fuit contemptum, per Gentium verò oblationem glorificatum fuit, Atqui sacerdotes illi Deum offendebant in publico & visibili sacrificio. Ergo & gloria Dei apud gentes nasci debuit ex publico visibilique sacrificio. Nos verò totum hoc facilè concesserimus, nec tamen missam istam hinc colligi posse concedimus. Quòd enim Bellarminus Dei gloriam, quæ ex spiritualibus hostiis nostris resultat, privatam tantummodo esse dicit, vehementer errat: cùm hic cultus Deo publicè etiam, idque non in uno loco, sed in toto terrarum orbe adhibendus sit, quemadmodum tum Christi, (*Ioh: 4. 21. usque ad 25.*) tum Paulus (*1 Tim: 2. 8.*) luculentissimè docet. Quid enim? annon publicè solenniterque Deus invocatur, adoratur, eique gratiæ aguntur in Ecclesiis Christi? Charitatis etiam officia nónne in publicis locis exerceri possunt & solent, per mutuas cohortationes, orationes, doctrinas, auxilia mutua, quibus fides, multis etiam aliis virtutibus munita, quasi publicatur, inque apertum producitur? Quid est, quod Christus ait, (*Matt: 5. 16.*) Lucere debere lucem nostram coram hominibus, ut videant bona nostra opera, & glorificent Patrem nostrum in cœlis?

Posterius argumentum ducit Bellarminus ex oppositione Sacerdotum. Malachias, inquit, non opponit omnes Christianos omni populo Judaico: sed certos homines, propriè succedentes in sacerdotio, illis sacerdotibus. Ergo non loquitur de sacrificio spirituali, quod ab omnibus Christianis offerri solet: sed de sacrificio propriè dicto, quod à solis veris sacerdotibus offerri potest. Hujus argumenti antecedens bipartitum, & neutra pars planè vera est. Quod enim ad priorem attinet; quid prohibet, quominus vatem sub sacerdotum nomine tacitè totum populum reprehendisse intelligamus? Quamvis enim oblationes illæ per Sacerdotum manus administrarentur, non tamen id sine populo factum fuisse apparet, utpote qui pollutas illas victimas ad offe-

344. ad offerendum tradebat. Nihil igitur absurdi continet, populum Christianum universæ Israëlitarum nationi, & sic etiam sacerdotibus illis oppositum intelligere. Altera quoque pars quomodo à Bellarmino probari possit, non video: cum, ut sacerdotes sacerdotibus opponantur, non necesse sit, utrosque propriè dictos sacerdotes esse. satis quippe est, alteros spiritualiter hoc officio fungi: veluti sunt omnes, qui Christo se addixerunt. Bellarminus tamen, ut utrobique de propriè dictis sacerdotibus sermonem esse demonstret, illa verba repetit: *Offeretur nomini meo oblatio munda.* Et ut eam nonnisi à propriè dictis sacerdotibus offerendam esse doceat, adducit ex eodem vate (*Malac: 3 3.*) hæc verba: *Purgabit filios Levi, & colabit eas, quasi aurum & argentum, & erunt offerentes Domino sacrificium in justitia.* Hîc antequam testimonium istud excutiamus, operæ pretium est hoc loco notare duplicem Bellarmini errorem. Primò enim, Levitas, ut sacrificium in justitia offerre possent, purgandos colandosque fuisse docet Propheta. Ex quo consequitur, illorum oblationem non esse mundam, nec Deo gratam accidere, nisi priùs ipsimet purgentur atque colentur. Quod quidem iis, quæ suprà Bellarminus dixerat, planè adversatur. Dixerat enim, oblationem istam ex se generaliterque mundam esse, nec sacrificorum malitiâ immundam effici. Deinde in sua de purgatorio disputatione, his Prophetæ verbis, in quibus de purgandis Levi filiis agitur, ad quandam purgatoriam pœnam demonstrandam usus est. Quod quidem quomodo cum isto missæ sacrificio conveniat, non video; nisi fortè eos, quos hoc in loco Levitas nominat, postquam purgatorio igne fuerint repurgati ac colati, atque adeò post mortem suam, missas offerre existimandum est. Qui ergo hoc loco ad missæ sacrificium ea verba audet referre? Verùm ut ad ratiunculam Bellarmini respondeamus; dicimus, Levitarum nomine nationem Christianam intelligendam esse. Hanc enim Deus filii sui sanguine purgavit, & ad sibi debitum cultum adhibendum aptam reddidit. Unde de Christo, per quem id Deus fecit, ita legimus: (*Apoc: 1. 5, 6.*) *qui dilexit nos, & abluit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo.* Quod cum ita sit in promtu, ut res disputatione non egeat; fatendum est, ipsum eventum istam Malachiæ vaticinationem nobis explicare: & porrò nequaquam necesse esse ut aliunde verborum ipsius sententiam exquiramus. Verùm Bellarminus ideò omnes Christianos per filios Levi intelligendos esse negat, quòd hi unam tantùm populi partem constituebant: & ideò non totam Christianorum nationem, sed aliquam ejus partem illis respondere, nimirum eos, qui verè proprieque sunt sacerdotes, sacrificiaque vera ac propria

345. offerunt. Hæc autem Bellarmini responsio tunc demùm locum habebit, cùm Christianorum populum ita divisum demonstraverit, ut alii sint sacerdotes propriè dicti, propriaque sacrificia facientes; alii verò sint spirituales, spiri-

tuales-

tualesque victimas offerentes. Quod quidem si fecerit, illud inter spirituales secularesque homines discrimen, ab illis sæpè inculcatum, convellet; & sic, non se eum sui ordinis hominibus spiritualem esse convincet: sed communem Christianorum hominum plebem hoc titulo ornabit. Tum igitur, cum carnales ceremoniæ, carnaliaque sacrificia essent divina lege constituta, istiusmodi erat inter Israëlitas discrimen, ut alii sacerdotes essent, alii non essent: nunc, postquam illa sunt abrogata, & spiritualia in eorum locum substituta, quæ omnibus Christianis communia sunt, discrimen istud sublatum est. Unde efficitur, filiorum Levi nomine, hoc in loco omnes in universum fideles Christi intelligendos esse. Non sumus nescii, alios in Christi Ecclesia esse, qui divinam illius disciplinam proponant; alios etiam, qui sese illis auditores præbeant: sed aliud est, docendi audiendique munere inter se distingui, ‡ utpote divinorum donorum varietate ex se hoc discrimen constituente: aliud verò in re omnium communi, veluti sunt sacrificia Christianorum propria, alios ab aliis discriminari. Nihil quidem prohibet, quominus, ut olim sub Lege alii alios victimarum multitudine ac præstantiâ superare poterant, ita etiam nunc spiritualium victimarum copiâ & excellentiâ alii alios antecellant: sed ut diversi prorsus generis sacrificia offerant, alii spiritualia, alii corporalia, id religionis Christianæ natura non patitur: ac proinde nec illud, ut alii sint sacerdotes propriè dicti, alii impropriè. Illud inter sacerdotes novi Fœderis mansit discrimen, quod olim cernebatur inter sacerdotes legales, ut nimirum unus esset summus, cæteri inferiores. Sic enim & nunc est unus Pontifex summus, cæteri sacerdotes illo sunt inferiores. Summus Pontifex unà cum anniversario suo sacrificio Christum Dominum adumbrabat, qui semel in cœleste tabernaculum ingressus, perpetuam salutis nostræ procurationem habet. Minores verò sacerdotes, quotidie sacrificantes, omnium Christianorum, & illorum victimæ, spiritualium sacrificiorum, quæ hi assiduè faciunt, umbram imaginemque gerebant.

‡ *Ut pote divinorum donorum*] Hæc sola varietas *ex se* non constituit *hoc discrimen* inter docentes & audientes in Ecclesia; cum sola donorum divinorum vel fiducia vel etiam præsentia, non faciat hominem Ministrum Ecclesiæ, & sæpè inter *auditores* reperiantur doctiores & magis versati in rebus divinis quam sint ipsi docentes; sed pendet potissimum hoc discrimen ex vocatione & ordinatione publica juxta Paulum Rom: x, 14. 15. quamvis in illa & ad illam debeant dona expendi & explorari.

Illud inter Sacerdotes] Sed & hoc est discriminis inter Sacerdotes minores Veteris & Novi Testamenti, quod etiam illi offerrent quotidiana quædam Sacrificia propitiatoria pro peccatis, in quibus ipsius quoq; Christi typum sustinebant: hi vero nulla talia habeant offerenda, cùm post oblationem Christi semel factam, alteri in eo genere locus esse non possit.

Atque ut ita sese rem habere planè constet, non alienum fuerit, egregium illud divinissimi autoris testimonium in medium afferre, ex quo universum

Christianum populum in locum veterum Sacerdotum & Levitarum successisse docemur, simulque admonemur, non carnalia, sed spiritualia esse sacrificia
346. nostra: *Habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* (*Heb:13.10,11.*) Quæ quidem verba, si cum illis, quæ paulo antè ab Autore isto dicta sunt, conjungantur, hanc continere sententiam patebit: Christianos nequaquam in cibis divini cultus rationem collocare debere: idque inde constare, quòd, cùm tabernaculo serviant, id est, sacerdotum munere fungantur, illis hac in parte similes, qui olim quotidiana in tabernaculo ministeria obibant, edere tamen de victima pro nobis oblata iis non liceat; propterea quòd tale nunc est factum sacrificium, (quod Altaris nomine per quandam metonymiam isto in loco exprimitur) de quo illis, qui serviunt tabernaculo, seu sacerdotibus, comedere fas non est. Ut enim olim, summo pontifice cum sanguine mactatæ victimæ tabernaculum ingrediente, nullo pacto sacerdotibus pecudis jugulatæ carne vesci licebat: id quod cæteroquin ad complendam penitus sacrificiorum plærorumque ceremoniam pertinebat: ita & nunc Christianis nequaquam istiusmodi ciborum religione Deus colendus est: quandoquidem Pontifex noster Jesus Christus per cruentam mortem in cœleste sacrarium ingressus est. Potuitné novi Fœderis sacerdotum ordo, à divino isto Autore luculentiùs ostendi? Et porrò, potestné ullus reperiri intelligens homo, qui non videat, sacerdotum à reliquo Christianorum numero sejunctionem nullum locum habere?

‡ *Quæ quidem verba*] Hæc interpretatio est planè nova & violenta: Nec enim hoc loco Heb:XIII,10. vult Apostolus nos conferre cùm Sacerdotibus minoribus V.T. qui jus non haberent edendi ex iis quæ à summo Sacerdote offerebantur in propitiationis festo, ut dicat tale nobis altare nunc contingere ex quo edendum non sit; sed è contrario confert cùm Levitis oppositè ad Sacerdotes, qui vescebantur ordinariè ex oblatis in Altari, Judæos inhærentes cultui suo Levitico, & maximè in ciborum delectu occupatos, sollicitè distinguentes inter mundos & immundos, omnesque eodem morbo laborantes ex *doctrinis variis & peregrinis* Pythagoricorum, à quo vitio nos versu præcedenti volebat deterrere, his verbis; *Doctrinis variis & peregrinis ne circumferimini; bonum enim est gratiâ constabiliri cor, non cibis unde nullam perceperunt utilitatem qui in ipsis ambularunt*, prout alibi dicit, *non esse regnum* Dei *escam & potum* Rom:XIV,17. & escam *nos non commendare Deo* 1 Cor:VIII,8. Atque sic nos abducturus à scrupuloso illo & inutili ciborum delectu, in quo toti sunt qui cæremonias legales earumque observationem adhuc sectantur, nobis longè excellentiorem cibum proponit, nempe communionem ex altari mystico quod habemus, ex quo *non habent jus edendi qui tabernaculo deserviunt*. Nam deservire Tabernaculo erat speciatim gregariorum Levitarum, ut videre est Num:VIII,15. 24. servire verò altari Sacerdotum, ut colligere est ex 1 Cor:IX,13. Quare tantum dignitate superamus Judæos cum Levitis

Levitis suis deservientes Tabernaculo, in cæremoniali cultu servando, quantum superabant Levitas gregarios ipsi Sacerdotes: Ut enim hi ex altari participabant, cujus non erant participes Levitæ, sic & nos ex altari nostro mystico participamus, communicantes beneficio mortis Christi, à cujus communione Judæi, inhærentes suis umbraticis cæremoniis penitùs arcentur. Sanè Volkelius negare nequit *altare* hoc *quod habemus*, esse Christi beneficium & mortem; Nam sub hoc altari vidit Johannes Apoc: VI, 9. martyrum animas placidè quiescentes, id est acquiescentes merito & morti Christi; & eidem altari ipsemet imponit suffitus Apoc: VIII, 3. quoniam preces nostras acceptas reddit Deo Patri in sua intercessione, merito & vi mortis suæ. Et hoc quoque debet fateri nobis jus esse vesci ex hoc altari, cùm tam sæpè Christus Joh: VI. per totum ferè, nos hortetur ad carnis suæ pro nobis oblatæ comestionem, & sanguinis sui pro nobis effusi potionem ad vitam æternam. Quare debebit agnoscere quod Apostolus non opponat manducationi, non manducationem, sed cibis externis, cibum augustiorem & utiliorem quem ex nostro altari percipimus, juxta illam regulam, quam alium in finem proponit I Cor: IX, 13. *An nescitis eos qui sacris operantur ea quæ ex sacrario sunt edere? Et qui altari assident cum altari participare?* item I Cor: X, 18. *Nonne qui edunt victimas consortes sunt altaris?* Quod si tamen mordicùs velis Apostolum propter comma sequens, in quo monet *eorum animalium quorum sanguis infertur pro peccato in sacrarium per Pontificem, corpora exuri extra castra*, id omninò respicere cùm meminit eorum qui inserviunt Tabernaculo, quod *olim summo Pontifice cum sanguine mactatæ victimæ tabernaculum ingrediente nullo pacto Sacerdotibus pecudis jugulatæ carne vesci licebat*, (quanquam illud sequens comma de corporibus victimarum crematis extra castra, potius ad illam quę immediatè sequitur doctrinā spectat, com. 12. & 13. *Quapropter & Iesus ut sanctificaret populum per proprium sanguinem, passus est extra portam, exeamus igitur ad eum extra castra probrum ejus portantes:* Nam Apostolo tralatitium est in hac Epistola, ex variis ritibus Leviticis, licet non ita inter se connexis, varias doctrinas ἀλληγορικῶς colligere;) nihilominus alia omninò debebit esse ἀπόδοσις istius allegoricæ similitudinis quam quæ fingitur à Volkelio; sic ut hîc non assimilemur Sacerdotibus, quibus *nullo pacto pecudis jugulatæ carne vesci licebat*; Inde enim non sequeretur quod vult Volkelius, *nunc Christianis nequaquam in istiusmodi ciborum religione Deum colendum esse, quandoquidem Pontifex noster Iesus Christus per cruentam mortem in cœleste sacrarium ingressus est*; verum potius id absurdi & impii, quod ita nunc Christianis collatis cum Sacerdotibus V. T. nequaquam liceret vesci carne Christi, in communionem mortis suæ; Sed potius opponamur illis Sacerdotibus, ut pro eo quod etiam cùm in cibis & potionibus variis occuparetur θρησκεία publica, tamen ipsis non licebat vesci carne pecudum jugulatarum in festo propitiationis, nobis è contrario à cibis illis exterioribus avocatis, jus factum sit vescendi carne victimæ pro nobis oblatæ in cruce; cujus eo ipso participes esse nequeunt qui legalia sectantur, quod juxta suos ritus nequidem iis qui inserviunt Tabernaculo fas esset vesci carne victimæ illius, cujus sanguis inferebatur in sacrarium; quasi ad significandum non habituros communionem cum Christo Judæos, qui detrectantes illum sequi extra castra, inhærent suo Tabernaculo, & toti sunt in ritibus & legibus suis Leviticis sectandis & observandis. Hinc itaque optimè colligas *novi fœderis Sacerdotum* prærogativam, supra veteres illos Sacerdotes, quod cum hi non haberent jus vescendi ex victimis quarum corpora extra castra comburebantur,

bantur, nobis è contrario jus sit vescendi ex Altari propitiationis nostræ & carne Domini nostri Jesu Christi extra portam passi & per suum proprium sanguinem ingressi in sacrarium cœleste.

Quintus locus apud Esaiam extat: (*Esa:19.21.*) *Cognoscent*, inquit, *Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in muneribus & hostiis.* Hîc tametsi haud inviti Ægyptiorum nomine Gentiles esse intelligendos concedimus: missam tamen hinc rectè colligi pernegamus: cùm, ut hactenus demonstravimus, nonnisi spirituales oblationes à Christianis ritè libari possint. Nec obstat, quòd altare in certo loco, ut vult Bellarminus, id est, in medio Ægypti collocatum iri prædictum est: (*v.19.*) cùm nequaquam necesse sit, altare lapideum ligneumvé, vel ex quacunque alia materia confectum, hoc loco cogitare, ut ex superiori testimonio constat, quo & nobis altare esse divinus autor comprobat. Nec quod dicit vates, *Altare Domini in medio Ægypti futurum*, certi cujusdam loci, ut Bellarmino placet, significationem habeat necesse est: cùm hæc locutio sæpissimè apud Hebræos perinde valeat, quasi simpliciter in loco illo, cujus fit mentio, vel inter aliquos, quippiam geratur. quo pacto Deus Abrahamo dicit: (*Gen:18.26.*) *Si reperero in Sodomis quinquaginta viros*
346. *justos in medio civitatis, parcam toti loco propter eos.* Et filii Het eundem Abrahamum hunc in modum, ut est in Hebræo, alloquuntur: (*c.23.6.*) *Princeps Dei es in medio nostri*, id est inter nos vel apud nos, ut habet Vetus interpres. Huc & illa Baptistæ pertinent verba (*Ioh:1.26.*) *In medio vestrûm stat, quem vos non nôstis*, id est, inter vos versatur. Quòd si verba illa propriè accipienda essent, unum aliquod altare in medio omnium terrarum, quas incolunt Gentes extraneæ, extare oporteret, quod ab omnibus præcipua quadam religione côleretur ac celebraretur, & de eo solo Prophetam vaticinari necesse esset.

Sextus locus apud Danielem extat, (*Dan:8.11, & 12. & c. 12.31.*) ubi Antichristum juge sacrificium aboliturum prædicitur. Hinc enim colligit Bellarminus, in Ecclesia sacrificium juge propriè intellectum vigere, duraturumque usque ad Antichristi adventum. Atqui consecutio ista nihil habet momenti: cum, ut hactenus à nobis dictum est, nullum in Novo fœdere propriè dictum sacrificium præscriptum sit; ideoque per juge sacrificium nonnisi cultus divinus à Christo nobis traditus intelligi possit. Quem quidem ab Antichristo eversum fuisse, ipse rerum eventus apertè convincit.

‡ *Atqui consecutio ista*] Et Antiochus Epiphanes abolevit ad tempus Sacrificium juge, & Antichrstus non solum *cultum divinum* à Christo nobis traditum evertit, sed etiam quantum in se fuit, vim & efficaciam mortis Christi, quæ quidem *juge Sacrificium* Ecclesiæ Christianæ meritò statui potest.

Sequitur, ut ea testimonia ponderemus, quæ ex N. T. in medium proferri solent. Ea autem tria potissimùm sunt Primum est apud Johannem, (*Ioh:4.23.*) ubi

ubi Christus hunc in modum loquitur : *Venit hora, & nunc est , quando neque in hoc monte, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Et paucis interjectis: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Ergo, inquit Bellarminus, est sacrificium missæ. Quam quidem consecutionem hoc pacto probare nititur. Hoc enim, inquit, in loco per adorationem non intelligitur quævis adoratio, sed solennis & publica per sacrificium propriè dictum. Hoc autem tribus argumentis confirmare instituit : Primum ducit ex illa quæstione, quam mulier Samaritana de schismate Judæorum proposuerat, quod quidem erat circa locum publicorum ac propriè sic dictorum sacrificiorum. Alterum elicit ex adorationis novitate, quam in Christi verbis cernimus. Tertium indè sumit, quòd Christus de publica externaque adoratione loquatur. Sed totam hanc Bellarmini argumentationem nihili faciendam esse, ex eo quivis colligere ac perspicere potest, quòd si de adoratione ea sermo esset, quę fiat per oblationem sacrificii missæ, ea nonnisi sacrificulis competeret, qui soli, ut ipsemet urget, sacricium istud offerunt, nullâ ejusmodi ad eam rem cæterorum Christianorum operâ interveniente, qualis olim sæpè interveniebat, cùm privati etiam sacrificia adducerent, ac per sacerdotum manus offerrent. Atqui fatetur Bellarminus, 348.
id quod etiam ex ipsius Christi verbis liquidò apparet, adorationem hanc omnibus veris Christianis esse communem, & verorum adoratorum nomine, omnes veros Christianos intelligi. Deinde hujusmodi sacrificium, quod Bellarminus ex his verbis exprimere nititur, huic ipsi adorationi, quam Christus hìc describit, prorsus adversatur. Missæ enim sacrificium corporale est, externum, ceremoniale, quod manuum operâ, certis quibusdam ritibus Deo offertur, & altari indiget. Atqui Christus adorationem hanc omnibus rebus sacrificiisque corporalibus, externis, ac ceremonialibus opponit, dum ait, eam in spiritu & veritate fieri debere, id est, ut ipse Bellarminus explicat, sacrificio spirituali & vero, non carnali & typico, ut Judæi faciebant. Opponitur enim, inquit, spiritus carni, & veritas figuræ. Nam quòd Bellarminus Eucharistiæ sacrificium, quod ipse spiritualibus sacrificiis toties opposuerat, spirituale nominat, quia per spiritum sanctum & verba consecrationis efficiatur, id non modò falsum, & ipsius dictis contrarium, sed & ridiculum est. carnale enim sacrificium est sacrificium corporeum, quod ipsis manibus elevatur, ac Deo offertur: quale illud est, quod ipsi confinxerunt. Verba autem consecrationis, quid cum spiritu habent commune? Quod verò ad rationes attinet, quibus argumenti sui consecutionem stabilire nititur, respondemus, agi quidem eo in loco de solenni etiam ac publico Dei cultu, vel, si ita placet, de adoratione, quæ per sacrificia fiat; & mulierem, quæ illam quæstionem moverat, nonnisi de externo, seu carnali & ceremoniali cultu cogitasse, loquutamque esse : sed Christum, ut ex ipsius verbis patet, à carnali

numinis divini cultu ad spiritualem, à ceremoniali & umbratili ad verum, &, ut ita dicam, realem solidumque, sermonem sapienter traduxisse, & significasse solennem etiam Dei cultum atque adorationem, quæ per sacrificia fiat, jam porrò certo loco alligatum non fore: qnandoquidem veri adoratores seu cultores Dei, non victimis carnalibus, quæ nonnisi in loco ad eam rem divinitùs sacrato, ritè ac legitimè offerri possint, Deum sint in posterum honoraturi, sed sacrificiis spiritualibus, quæ nullius loci religionem aut celebritatem desiderent. Et hactenus adorationis rationem innovatum iri, id quod in secunda Bellarmini ratione urgetur, Christus indicat. Neque verò quicquam in eo absurdi est, quòd Christus à cultu carnali ad spiritualem, à propriè sic dicto ad figuratum, sermonem suum deflexit. Idem enim in eodem capite facit aliquoties: primùm in voce *aquæ* (*v 10 & d.*) cum eadem muliere lo-
349. quens: deinde in voce *cibi*; (*v. 33 & d.*) ac denique *messis*, cum discipulis suis sermonem miscens: (*v.35. & d.*) licet sciret, eos, cum quibus loqueretur, propriè voces istas accipere. idem fecit inf. cap. 6. in voce *cibi* ac *panis*. (*v.27 32. & d.*) Tertia Bellarmini ratio multis etiam modis vitiosa est. Dominum ait sine dubio loqui de adoratione externa, publica & solenni; non de interna & privata. Sed quid prohibet de utraque simul loqui? Quæstio Samaritanæ, quam hîc iterum urget, non prohibet, privatam etiam atque internam intelligi: sed prohibet solam intelligi. Neque verò illa tantùm, sed & hæc successit ei, quæ nonnisi in templo Hierosolymitano legitimè fiebat. nam ibi privata quoque offerenda erant sacrificia. At (inquit porrò) adoratio simplex, & sacrificia impropriè dicta, possunt omnia privatim fieri, & sæpè sola mente. quasi verò missa quoque privatim fieri nequeat: quanquam non solâ mente: quemadmodum nec laudes divini numinis, & cætera sacrificiã seu actiones, quæ corde simul & ore, aut alio quocunque ministerio corporis accedente perficiuntur. Quare nihil est, quod infert: Dominum non de istis loqui, sed de vero, externo, & publico sacrificio, quod aut nullum sit, aut Eucharistia. Quid enim? an publicæ preces, gratiarum actiones, eleemosynæ, & similia, non sunt uera, (hoc est minimè typica) externa, & publica sacrificia, ut proinde missæ sacrificio sublato nullum aliud restet?

Alterum novi Testamenti testimonium illis Lucæ verbis continetur: (*Act. 13.2.*) *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus S.: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Hinc Bellarminus sacrificium missæ colligit. quàm rectè verò, imò quàm ineptè, hinc facilè constat, quòd licet de ministerio publico oratio habeatur, nequaquam tamen consequens est, illud missam esse: cùm multi, ut ex parte jam vidimus, Deo publicè serviendi modi sint; ideoque nihil vetet, quominus alia ratione, quàm per commentitium missæ sacrificium ministrâsse intelligantur. Ministrare enim

enim potuerunt Domino, partim docendo populum Christianum, & eum Deo hac ratione consecrando; de quo ministerii genere Paulus eadem utitur voce, (*Rom.* 15.16. *Phil*: 2.17.) quâ hîc usus est Lucas; partim precibus ac gratiarum actionibus, quas victimas semper, sed in publicis Ecclesiæ conventibus maxime Deo offerendas esse, ex sacris literis didicimus, Ecclesiæ præeundo. Nec quicquam Bellarminum juvat vox *jejunantes*, quæ ministerio illi fuerit adjuncta. Quid enim prohibet, quominus ista jejunantes fecerint? Imò cum Eucharistia sine comestione ac bibitione ex Christi instituto minimè fiat; eam tunc haudquaquam celebratam fuisse credendum est: cùm jejunium apud veteres ejusmodi esset ab omni cibo ac potu abstinentia, ut ne gustarent quidem quicquam. 350.

Tertius locus novæ scripturæ est apud Paulum, (1 *Cor*:10.14,15, *&c.*) quem hoc pacto citat: *Fugite ab idolorum cultura: Vt prudentibus loquor; vos ipsi judicate quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis & unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus. Videte Israël secundùm carnem; nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid, aut quòd idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Ex his Pauli verbis Bellarminus tria argumenta elicit. Primum est: Mensa Domini comparatur cum altari Gentilium & Hebræorum. Ergo & mensa Domini est altare; & sic Eucharistia est sacrificium. Quæ quidem consequentia falsissima est: cùm ut aliquid cum altero rectè comparetur, nequaquam necesse sit, ut per omnia cum illo conveniat, satisque sit, ea in re utriusque convenientiam esse, de qua agitur. Jam ad mensam Domini quod attinet, tum ipsa vox mensæ, tum tota verborum complexio satis indicat, nequaquam hîc mensam Domini oblationis ratione habita cum altaribus comparari: sed respectu comestionis ac participationis, ad quam nequaquam necesse est, ut mensa Domini sit altare, & sic Eucharistia sacrificium. Satis quippe est, eos, qui ad sacram mensam accumbunt, hoc ipso facto declarare, se omnium eorum participes esse, quorum gratiâ Christus mortem oppetiit, communiaque cum illis habere sacra, qui ad eandem Domini mensam accedunt. Quemadmodum & illi qui apud Israëlitas comedebant hostias, hoc ipso ostendebant, se eorum sacrorum participes esse. Similiter & de iis judicandum est, qui illis vescebantur victimis, quæ idolis libatæ erant, nimirum eos hoc faciendo, consortium dæmoniorum professos fuisse.

‡ *Primum, mensa Domini*] Atqui id ipsum falsum est quod liberaliùs videtur largiri Volkelius, *Mensam Domini comparari cum altari Gentilium & Hebræorum*:

Sed comparatur duntaxat mensa Domini in qua simus participes oblatorum pro nobis, sive ut loquitur Apostolus Heb. XIII, 10. comedimus *exaltari* quod habemus, cum mensa tum Gentilium tũ Hebræorum in qua ex iis quæ aris priùs fuerant imposita, solenniter epulabantur, & ita altarium suorum *participes* quadantenus fiebant. Nec enim Gentiles vel Hebræi ex suis immolatitiis epulabantur in ipso altari, sed in mensa ab eo distincta, & cui ex altari inferebantur: Ut per hoc simile magis constet, nec mensam Eucharistiæ altare esse vel dici, & nos in mensa Eucharistiæ traduci ad communionem & participium carnis & sanguinis Christi quæ in morte sua obtulit pro nobis. Itaque juxta hanc participationem, *nequaquam* equidem *necesse est ut mensa Domini sit altare, & sic Eucharistia Sacrificium*; sed tamen necesse est, ut mensa Domini sit mensa sacrificalis, & Eucharistia sacrificale epulum, in quo coram Domino vescamur ex oblatis ipsimet pro salute nostra, idest carne & sanguine Christi.

Alterum agumentum hujusmodi est: Apostolus apertissimè dicit, ita nos fideles sumere de mensa Domini corpus & sanguinem Domini, ut sumunt Judæi hostias, & Gentiles idolothyta ex suis altaribus seu mensis. Quæ comparatio inepta sit necesse est, & perperàm ab Apostolo adducta, si Eucharistia non est sacrificium Deo immolatum, sicut cibi illi Gentilium & Judæorum sunt sacrificia Deo vel idolis immolata. Hæc ille. Atqui, mi homo, Paulus
351. ad istum modum non loquitur. dixit enim: *Calix benedictionis cui benedicimus nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?* id est, nónne hoc ipso profitemur, nos corporis & sanguinis Christi participes esse: quo pacto illi, qui idolothyta comedunt, participes, seu socii fiunt dæmoniorum, hoc est, consortium se cum iis habere profitentur. Quòd autem de mensa Domini ipsum illius corpus & sanguinem sumamus, hoc nuspiam dixit Apostolus: ac præterea inde nondum sequeretur, Eucharistiam, ut ipse loquitur, esse sacrificium Deo immolatum: cum satis sit, rem eam cum idolothytis conferri ratione sumtionis ac participationis, nulla immolationis ac oblationis, quæ tum fiat, habita ratione.

‡ *Alterum argumentum*] Equidem largimur nos *sumere de mensa Domini corpus & sanguinem* ipsius, ut vescebantur Judæi & Gentiles oblatis in altaribus suis, licet ea non sumpserint in suis altaribus, ut videtur fateri Volkelius, sed ex altaribus in quibus oblata fuerant, in suas mensas, quò ex illis vescerentur, illata fuerant: Verum negamus modum comestionis esse eundem: Nam Judæi & Gentiles, ore comedebant in suis mensis illas ipsas hostias quæ priùs suis altaribus impositæ & oblatæ fuerant; nos verò non sumimus ore in Eucharistia carnem & sanguinem Christi quæ pro nobis obtulit in sua morte, sed partim Sacramentaliter in symbolis illa significantibus, partim Spiritualiter per fidem vim eorum vivificam percipiendo & nobis applicando in pabulum vitæ æternæ. Nec Paulus 1 Cor. x, 16. innuit meram & nudam professionem nostræ cum Christo communionis in Cœna, sed veram & realem cum illo communionem, tum Sacramentalem, tum Spiritualem. Non dicit enim panem quem frangimus esse professionem publicam nostræ communionis cum Christo, sed ipsammet esse κοινωνίαν corporis Christi; unde

unde ſequi debet nos *de menſa Domini ipſum illius corpus & ſanguinem* ſumere, tum quo ſenſu panis & vinum quæ in menſa ſumimus ſunt & dicuntur eſſe corpus & ſanguis Chriſti, *ſuo modo, non rei veritate ſed ſignificante myſterio*, ut habet Canon *Hoc eſt,* ex Auguſtino, ſive *Sententiis* Proſperi deſumptus, apud Gratianum *diſt. 2. de Conſecr.* tum quatenus per iſta ſenſibilia & ſigna, mens & fides noſtra in legitimo & devoto uſu Sacramenti elevatur ad rerum intelligibilium & ſignificatarum communionem ſalutarem. Ut nihil ſit abſurdi rem quæ ſumitur in Euchariſtia *cum idolothytis conferri, etiam ratione immolationis & oblationis*, non quod illius ulla fiat in Euchariſtia oblatio & immolatio, prout nec idolothyta denuò immolabantur & offerebantur in ea menſa in quam ex altari deferebantur comedenda; ſed quod ſicut eorum ex quibus veſcebantur Gentiles in ſuis menſis ſacris immolatio & oblatio præceſſerat in altari, ita eorum ad quorum comeſtionem & potionem invitamur in Sacra Cœna, nempè carnis & ſanguinis Chriſti, non quidem oralem & corpoream, ſed tum Sacramentalem tum Spiritualem, præceſſerit immolatio & oblatio in ipſius morte pro nobis.

Tertium argumentum hanc ſententiam continet: qui comedit idolothyta, is idolorum altaris fit particeps, cumque illis ſocietatem facit, qui idolis ſacrificant. Ergo etiam is, qui Euchariſtiam manducat, fit particeps altaris Domini: & porrò Domini menſa altare eſt, in quo ſacrificium offertur. aliter enim comparatio inepta eſſet. Hoc argumentum idem ferè eſt cum ſuperioribus duobus; ideoque eodem modo quo & illa, diluendum. Ipſa enim ſanæ mentis ratio convincit, nequaquam neceſſe eſſe, ut per Domini menſam altare propterea intelligamus, quòd gentiles altaribus uſi, conjunctionem & inter ſe & cum idolis teſtarentur. quandoquidem Chriſtiani, cùm menſæ Domini fiunt participes, non minùs ſuam & cum Chriſto, & inter ſe communionem conjunctionemque teſtari poſſunt, etiamſi menſa illa altare non ſit, nec in ea quicquam offeratur: quàm Ethnici tum, cùm ab altaribus acceptas victimas ederent: quemadmodum ex iis conſtare poteſt, quæ ſuprà de participatione corporis & ſanguinis Domini diximus.

‡ *Hoc argumentum*] Hoc argumentum nihil juvat cauſam Bellarmini & poſſet totum concedi quoad priorem conſequentiam, videlicet quod ſicut *qui comedit idolothyta, is idolorum altaris fit particeps*, ita *is qui Euchariſtiam manducat, fit particeps altaris Domini*, illius videlicet ex quo non habent jus veſcendi qui adhuc deſerviunt Tabernaculo Heb: XIII, 10. Etenim veſcimur in menſa Domini ex hoc altari myſtico, ſive ex oblatis pro noſtra ſaluto, ut illi in ſuis epulis ſacris fiebant participes altaris idolorum, veſcendo iis quæ idolis oblata fuerant: Sed inde non magis ſequitur, quod inferebatur *porrò*, videlicet *menſam Domini altare eſſe in quo Sacrificium offertur,* quam altare fuiſſe menſam Gentilium in qua ex idolothytis, & quæ priùs impoſita fuerant altari idolorum, epulabantur. Quod ſi Gentiles fuiſſent in ipſis altaribus ſuis epulati ex idolothytis, ut videtur largiri perperam Volkelius, tum procederet argumentum: Sed cùm menſæ in quibus fiebant participes altaris idolorum, revera ab ipſomet altari diſtinguerentur, ut diſcrimen notum eſt inter convivium Sacrificale & ipſummet Sacrificium, non magis debet ſtatui menſa Domini

mini altare, eo quod ex altari Domini in illa participemus, quam altaria erant dicendæ mensæ in quibus Gentiles ex idolothytis convivabantur & sic altaris idolorum fiebant participes. Et cùm ipsemet Vokelius de Ethnicis agnoscat quod *ab altaribus acceptas victimas ederent*, eo ipso satis distinguit altaria victimarum, à mensis idolothytorum, in quibus comedebantur.

CAP. XXIII.

De peccato in Religionem Christianam.

POstquam jam de divina voluntate satis, ut videtur, explicavimus, consequens est, ut de peccatis illis agamus quæ in eam committuntur; & eorum hominum statum consideremus, qui Christi religione imbuti, flagitiis sese obstringunt. Peccatum igitur in religionem Christianam est, quicquid cum ejus præceptis & analogia pugnat. Hinc efficitur, peccatum istud duplex esse: aliud, quod cum Christi præceptis penitùs pugnat; aliud, quod cum analogia tantùm sanctissimæ ipsius disciplinæ non convenit.

‡ *Peccatum igitur in religionem*] Sed quæ postea dicuntur à Volkelio non spectant specificè, ut plurimùm, religionem Christianam quà talem, sed pleraque spectant officium omne quo ex Lege naturali & morali Creatura rationalis tenetur erga Deum. Imò obest principiis adversarii hæc illius sententia; Cùm enim ea ipsa quæ dicit impingere in religionem Christianam, etiam sub Veteri Testamento & ante promulgationem Euangelii peccata fuerint, & quà talia pœnæ obnoxia coram Deo, aut debet agnoscere, jam tum certo sensu viguisse sub V.T. religionem Christianam, aut saltem hæc scelera non committi specificè in religionem Christianam.

Hinc efficitur peccatum] Hæc distributio est absurda: Nam peccatum in communi est ἀνομία 1 Joh: III, 4. Rom: IV, 15. VII, 7. 9. Cùm verò semper debeat attendi sensus Legis & mens Legislatoris, æquè peccati rationem habet quod in sensum & finem Legis impingit, ac quod ipsius verbis apertis repugnat.

Præcepta porrò, alia affirmantia, alia negantia sunt: quorum illa prætermit-
352. tendo, hæc faciendo violantur. Sive igitur hoc, sive illud fiat, peccatum committitur. Unde vulgò alia peccata omissionis, alia commissionis dicuntur. Omissionis, cùm bonum, quod præcipitur, non fit: Commissionis, cùm malum, quod prohibetur, fit. quæ divisio iis etiam peccatis communis est, quæ cum analogia tantùm religionis Christianæ pugnant. Tam enim, verbi causâ, is peccat, qui cùm, ut proximus diligatur, præceptum sit, eum non diligit, quàm, qui, cum, ne quem injuriâ afficiamus, prohibitum sit, afficit tamen alterum injuriâ; & id genus alia. Ex quo fit, ut neque in dextram, neque in sinistram declinandum sit illis, qui peccatum vitare cupiunt: id est, nec quæ mandata sunt, prætermittenda, nec quæ interdicta sunt, facienda.

Utrum-

Utrumque autem vel uno alterové actu fit, vel habitu committitur. Unus altervé peccandi actus est, cùm semel atque iterum in Christi præcepta delinquitur. Veluti si quis semel atque iterum in ebrietatis vitium incurrat, aut charitatis officium negligat. Habitus autem peccandi ex crebris peccatorum actibus conflatus est, nilque est aliud, quàm peccandi consuetudo. Quæ quidem varie à divinis autoribus exprimitur. Jam enim simplici verbo Peccandi effertur; ut cùm in Christo manentes, ex Deoque nati non peccare dicuncuntur; (*1 Ioh:3 6,9.*) & cùm Deus illis infensus fuisse dicitur, qui peccaverant, (*Heb:3.17.*) id est, in peccatis contumaciter permanserant. Jam verò idem peccandi habitus locutione Peccatum faciendi explicatur. ut cùm illi ex Diabolo esse dicuntur, qui peccatum faciunt. (*1 Ioh:3.8.*) Jam rursus, qui ita vitam instituunt, justitiam non facere dicuntur, (*1 Ioh:3.10.*) id est, justitiæ seu pietati operam non dare, eamque non colere. Jam etiam servi peccati, subque eo venundati dicuntur; (*Ioh:8.34. Rom:6.20:7.14.*) propterea quòd ei ita indulgent, ac si ejus forent mancipia, nec se ab ejus vinculis expedire nôrunt. Jam denique non secundùm spiritum, sed secundùm carnem ambulare dicuntur. (*Rom:8.1,12,13.*)

† *Quæ quidem variè*] Admitto distinctionem inter peccatum actuale & habituale; sed nego omne peccatum habituale esse acquisitum per varios actus repetitos; cùm vel interdum unus actus talem habitum vitiosum inducat, ut contigit in primis hominibus; & detur in singulis habitus peccati innatus sive congenitus, ex originaria labe; nego item de habitu peccandi simpliciter loca hîc citata esse intelligenda: Nam 1 Joh:III,6.9. *non peccare*, dicitur qui natus est ex Deo, non quod nihil habitualis corruptionis in ipso remaneat, illius maximè quæ omnibus inest ab utero, sed quod non subsit regno & imperio peccati, ut ambulet secundum carnem. Et Heb:III,17. non tam notatur consuetudo peccandi quam atrocitas peccati, quo se implicuerunt murmuratores & idololatræ in deserto. Sic *facere peccatum* 1 Joh:III, 8. 10. est illi uni rei vacare, & hanc solam artem factitare, abjecto omni justitiæ cultu & studio. Servus autem peccati est qui totus ei subjicitur & liberaliter ei servit Joh:VIII,24. Rom:VI, 17.20. VII,14. & qui talis est juxta Apostolum *ambulat secundum carnem & non secundum Spiritum* Rom:VIII,1,12. 13.

Quæ quidem loquendi forma, cum Apostolo Paulo usitata, nec tamen omnibus perfecta sit, & insuper ipsius explicatio toti huic nostræ disputationi lucis plurimum afferre possit; non alienum hoc loco fuerit, ita eam excutere, ut, tum quid carnis spiritusque nomine hîc significetur, tum quid sit secundùm carnem spiritumque ambulare, planissimè explicemus. Primò igitur Carnis nomine Apostolus vel appetitum in carne seu corpore nostro habitantem, in eoque se exerentem intelligit, vel ipsum quidem corpus, sed quatenus appetitu hoc præditum est, ejusque vi agitatur ac commovetur. Impellit autem appetitus ferè ad turpia, utpote sentibus corporis jucundiora: contem

tem

trà retrahit ab honestis, utpote carni molestis, vel saltem nullam ei voluptatem adferentibus. Hinc actiones turpes ab Apostolo Actiones corporis, aut Opera carnis nominantur. (*Rom:8.13. Gal:5.19.*)
353.

‡ *Primò igitur Carnis*] Nec *carnis* nomine intelligitur corpus, cùm illius membra possint & debeant sisti *arma justitiæ Deo* Rom: VI, 13. unde quisque in suo corpore referet secundum id quod fecerit benè vel malè; nec etiam illa vox debet restringi ad eum appetitum venereum qui impellit *ferè ad turpia*; sed extendenda est ad totam illam massam nativæ nostræ per peccatum corruptionis, quæ omnes nostras facultates tam superiores quam inferiores pervasit, instar nocentissimi fermenti, & aliàs *Vetus homo*, ac *corpus peccati*, solet in Scripturis appellari. Hinc fit ut etiam fructibus *Carnis* annumerentur à Paulo peccata quæ *Spiritualia* vulgò dicuntur, nec promanant ab appetitu inferiori, cujusmodi sunt *idololatria, lites, æmulationes, dissidia, hæreses, invidiæ* &c. Gal:v,19.20.21.

Jam Spiritûs nomine hoc loco intelligitur, vel mens hominis, Christi disciplinâ informata atque illustrata; vel ipsa Christi doctrina, seu vis quædam illius, mentem ac voluntatem hominis informans, eamque afficiens; cui sese illa Dei virtus adjungere solet, quæ Spiritus S. in sac. literis appellatur, quæque eâdem spiritus voce, unà cum illa Euangelii Christi vi, comprehendi nonnunquam solet. Quia verò disciplina Euangelica ad omnem virtutem ac pietatem homines impellit, eodemque studio eorum animos Spiritus sanctus accendit; ideo virtutes Christianorum hominum, ex eo fonte manantes, fructus spiritus appellantur. (*Gal:5.22. Eph:5.9.*)

‡ *Iam Spiritus nomine*] Quî vero *mens hominis*, obtenebrata, corrupta, depravata, hoc nomine posset intelligi, iis in locis Scripturæ de quibus agit Adversarius, cùm homo suæ menti obsequendo fit ψυχικὸς & animalis qui non capit ea quæ sunt Dei? 1 Cor: II, 14. Nec etiam *Christi doctrina*, nomine Spiritus debet hic intelligi, sed ipsemet Spiritus Sanctus, nos regenerans & sanctificans, & cujus templa esse dicimur 1 Cor: III, 16. VI, 19. cujus nutui, ductui, illuminationi, inspirationi, quam exerit in doctrina Christi & per illam, qui se permittit, dicitur homo *Spiritualis* oppositè ad *Animalem*, 1 Cor: II, 12. 13. 14. 15. & ambulare secundem Spiritum Rom: VIII, 1.

Jam ut, quid secundùm carnem, quidque secundùm spiritum ambulare sit, explicemus; intelligendum est, primò secundùm carnem ambulare nihil aliud esse, quàm aut semper aut plærumque appetitui obtemperare, vel saltem tale flagitium committere, quod nonnisi in eum cadat, in quo appetitus rationi dominatur. Et illi quidem habitu peccati vel unius, vel plurium tenentur: hi habitus improbitatem ac turpitudinem facto æquant. Neque verò is tantùm peccati habitu teneri censendus est, qui ejusdem generis peccata subinde repetit; sed etiam is, qui nunc hoc, nunc illud delicti genus committendo, consuetudine peccati teneri jure dici potest. Secundùm spiritum verò ambulare

ambulare est, aut semper, aut saltem plærumque id facere, quod Christiana disciplina, quâ mens nostra illustrata est, dictat atque præscribit; seu omni peccati habitu ac consuetudine, omnique ejusmodi scelere vacare, quod in hominem vero Dei timore præditum cadere nequeat: contrà verò omnium Christianarum virtutum usum atque consuetudinem habere. Ad hunc autem sanctimoniæ gradum omnes ex Deo natos pervenisse, Johannes luculentissimè testificatur, (*1 Joh:3.9.*) qui illos nec peccare, nec peccare posse, id est, nullius peccati consuetudine implicatos teneri, nec teneri posse, quamdiu nimirum Dei filii sunt, asserit. Animadvertendum enim est, non protinus illum secundùm spiritum minimè ambulare dici posse, qui in unum atque alterum peccandi actum, vel per imprudentiam, vel per fragilitatem humanam labitur; nec id esse apud divinos scriptores peccare aut peccatum facere, cum negatur, Dei filios peccare, vel peccatum facere posse. Hoc enim ut vites, satis est, te nec in peccato ullo perseverare, nec tale quippiam committere, quod te vero Dei timore non esse præditum argueret.

‡ *Iam ut quid secundum*] Tali circuitu non est opus: Ambulare secundum carnem est servire peccato & destitui Spiritu & gratiâ regenerationis, cujus efficaciâ peccatum inhabitans retundatur, & affectus carnis intra rectæ rationis & officii circulum contineantur.

Vel saltem tale flagitium] Nec statim censendi sunt absolutè ambulare secundũ carnem, qui in gravius peccatum inciderint, quale fuit Davidis & Petri; nec potest ullum committi peccatum, sive levius sive gravius, cujus respectu appetitus non prędominetur rationi, sive potiùs caro Spiritui: Nam ita hæc duo sunt in jugi lucta, ut quasi per vices obtineant in homine, qui quandoque agit ex infirmitate carnis ad tempus prævalentis, quandoque ex virtute Spiritus Sancti, eam supprimente & superante.

Sed etiam is qui nunc hoc] At cum nemo sit qui non peccet, teste Scripturâ, & in multis impingamus omnes, modo *hoc* delicti genere modò illo, ex hac regula falsæ positionis sequeretur neminem esse fidelium, cui non conveniret secundum carnem ambulare.

Ad hanc autem sanctimoniæ] De isto loco 1 Joh: 3, 9. jam ante diximus. Ibi enim *non peccare* nihil aliud est quam peccati regnantis imperio non ampliùs subjici, etsi regenitis sua lucta supersit jugis cum reliquiis peccati inhabitantis.

Nec tale quippiam] Neque hoc satis accuratè dicitur. Etenim de eo qui in aliquem *peccandi actum*, *vel per imprudentiam vel per fragilitatem humanam labitur*, si missis cœteris vitę suæ circumstantiis, sit ex illo actu judicandum, non video qui eo respectu, *vero Dei timore* illum *esse præditum* nihilominus cognoscatur. Si attendatur tantum ad Davidis adulterium & homicidium, quamvis in utrumque crimen ex fragilitate lapsus sit, vix poterit illi laus integra remanere veri Dei timoris. Et quamvis peccatum in subjecto, sive concretè consideratum, possit etiam in eum cadere qui cæteroquin timet Deum, tamen præterea quod ille Dei timor debeat eo ipso censeri imperfectus, quod hominem ab omni omnino peccato non revocet, certum est insuper quod in se & abstractè consideratum peccatum quodlibet vero Dei timori adversetur. Hæc duo sunt instar duorum polorum in mundo, sic ut unius exaltatio sit depressio alterius.

Apparet igitur, peccandi habitum multò immaniorem esse, quàm peccati
354. actum; cùm ille (ut alias hujus rei causas in alium locum rejiciamus) hominem denominet, quod hic facere non solet: nisi ejusmodi actus intelligamus, quibus propter magnam facinoris atrocitatem, quantumvis habitus non sint, gravissimæ pœnæ institutæ sunt, veluti est proditio, homicidium, adulterium, aliaque similia. Inter eos autem peccatorum actus, qui habitibus quibusdam comparari, & hominem denominare possunt, eminet blasphemia in Spiritum sanctum, quæ nec in hoc, neque in futuro remittenda esse dicitur. (*Matt:12.31,32. conf: cum v. 24. Marc: 3.29,30. conf:cum v. 22.*) Ea verò est, cùm quis contra suam ipsius conscientiam, & sic non per errorem, sed per malitiam, divinum illum spiritum, diabolum, aut impurum spiritum appellare non dubitat, vel agnitam veritatem negat & impugnat. Ac illud quidem Pharisæos & Scribas quosdam fecisse, Euangelistæ testificantur. (*dd. ll. apud Matth: & Marc:*) Qui Pharisæi ac Scribæ, quamvis nequaquam ignorare possent, Jesum divino spiritu dæmonia expellere, aliaque portenta edere: invidiâ tamen mirum in modum excœcati, spiritu immundo eum præditum esse, & per Beelzebub diabolorum principem, ejicere dæmonia asebant. Si enim per ignorantiam hæc verba emisissent, non quidem verè ac propriè blasphemassent; cùm ad blasphemandum aliquam rem ejusdem requiri videatur notitia: sed in spiritum sanctum peccassent; quod etiam rei, qua de agitur, ignoratione fieri posse, compertum est. Hæc igitur Spiritus sancti blasphemia quamvis uno actu perficiatur, tamen ob summam sceleris istius immanitatem, non minùs quispiam blasphemus dici potest, si semel sese illo obstringat, quàm si idem sæpiùs concipiat. Hoc verò alterum, nimirum agnitæ veritatis abnegationem eodem genere contineri, ex illis apparere videtur, quæ apud Lucam eadem de re scripta leguntur. (*Luc:12.10,11.*)

‡ *Apparet igitur peccandi*] Contrarium vulgò statuunt Scholastici, ut videre est apud Thomam 1.2.*q.*71.*art.*3. & ut dicam quod sentio, si hæc duo inter se *compositè* considerentur, pejor est habitus, quia viceversâ habitus alicujus virtutis præstantior est aliquo ejus actu singulari; & habitus malus plura mala continet eminenter, sed actus vitiosus unum tantum. Si tamen considerentur seorsim & quasi *opposité*, actus est pejor habitu; quia per & per propter actum vitiosum habitus, qui est ex illo & ad illum, noxius est & vitiosus: Jam autem propter quod unumquodque tale est illud magis tale est: Tum actus omnis witiosus, habitum vitiosum vel ponit, ut factum in primis parentibus, vel supponit, ut in nobis omnibus; quia omne peccatum actuale fluit ab originali, quod est habituale vitium: Quin habitus nisi ad actum processerit non punitur inter homines, sed actus quilibet: Et quamvis denominatio habitualis fiat ab habitu, ut cùm quis ebriosus appellatur, tamen denominatio peccatoris ad reatum fit ex unico actu, & ubicunque peccatum est in abstracto, ibi peccator in concreto constituitur: Homicida est qui vel unum occiderit; adultera, quæ vel semel alteri quam suo viro corporis sui copiam fecerit. Ut hinc liqueat falsã esse rationẽ Volkelii, quod *habitus hominẽ denominet*, non actus.

Nisi

Nisi ejusmodi actus] Eccur verò non tales quoque dabuntur actus, qui statim habitum vitiosum inducant, ut factum pertendimus primi parentis peccato?

Ea vero est cùm]. Nec satis accuratè describitur hæc blasphemia, ad quam requiritur Euangelicæ veritatis certo cognitæ odium & impugnatio perseverans; & absurdè distinguitur inter *blasphemiam* in Spiritum Sanctum, & *peccatum* in illum; cum hæc Christo sint planè synonyma, ut liquet ex Matt: XII, 31. 32. neque peccatur unquam in Spiritum Sanctum, speciali illo peccato quod irremissibile est, ex ignorantia, ut fingit Volkelius: Et tantum abest ut *Spiritus Sancti blaspemia uno actu perficiatur*, ut è contrario perseverantia, impœnitentia finalis & contumax odium veritatis cognitæ, sit de illius intrinseca constitutione & essentia; quod vidit quoque Augustinus *lib. I. retract. cap.* 19. *Peccatum ad mortem puto esse cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Iesu Christi, quisque oppugnat fraternitatem & adversus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo*, (non formaliter sed eminenter, idest quæ ex sui natura ad hominis reconciliationem cum Deo ordinatur,) *invidentiæ facibus agitatur*; cui vult addi, *si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam*: cujus exemplum habemus luculentum in Juliano emansore, qui equestri hastâ impetitus in medio suorum, manum plenam sanguinis cum quo efflabat animam, versus cœlum projecit, dicendo *Vicisti Galilæe*; apud Theodoretum *lib.* 3. *Hist. Ecc. cap.* 20. & Baronium *ad annum* 363. §. 14.

Hoc vero alterum] Abnegatio *agnitæ veritatis* ad id genus peccati refertur, si processerit ex malitia & ipsiusmet veritatis aversione & odio; non item si processerit ex infirmitate carnis & metu mortis vel tormentorum: quò illud pertinet Cypriani *ad Anton.* de lapsis: *Nec putemus mortuos esse, sed magis semianimes jacere eos quos persecutione funestâ sauciatos videmus, qui si in totum mortui essent, nunquam de eisdem postmodum & confessores & martyres fierent; sed quoniam est in illis quod pœnitentiâ sequente revalescat, ad fidem & ad virtutem de pœnitentia robur armatur.* Porrò ex eo quod hoc peccatum in Spiritum Sanctum est planè irremissibile deberent Sociniani agnoscere, quorundam saltem peccatorum remissionem, repugnare justitiæ & veracitati divinæ; nec magis repugnare misericordiæ Dei necessitatem satisfactionis, quam resipiscentiæ & fidei, ad peccatorum remissionem impetrandam.

His ita constitutis, distribuenda rursus sunt omnia, quæ ab initio definivimus, peccata, in Venialia & Mortalia. Venialia dicuntur, quibus Deus æternæ mortis pœnam non constituit, adeò ut vitâ æternâ per se neminem privent. Ea verò vel in uno actu consistunt; vel habitum quidem complectuntur, non tamen ejusmodi, qui religionis pietatisque naturæ prorsus adversetur: nempe quia aliquid tantùm indecori, non autem veram turpitudinem in se contineant; ac præterea non datâ operâ, sed vel naturali quadam inclinatione, vel quacunque aliâ virium humanarum fragilitate, ob quam occasionibus invitantibus difficulter resisti queat, committantur: veluti sunt innoxii, & à verborum obscænitate sejuncti joci, risus, ludi, & his similia. Quòd si tamen homo de industria vitiis istis det operam, in illis non immeritò potest haberi, qui secundùm carnem vitam suam instituunt; cùm qui ita se gerit, is non solùm carni nequaquam resistat, sed datâ operâ ejus imperio pareat;

reat; & tantò quidem magis, quantò longiùs, vel ob ætatem, vel ob munus ac personam, quam gerit, ab ejusmodi vitiis abesse deberet. Neque enim in hominem verè Christianum cadit, inanissimæ vanitati, sed cœlesti potiùs gravitati unicè studere: cùm ea sit futuræ felicitatis præstantia, ut qui ejus cupiunt esse participes, ii nulli labori parcere debeant, quò ab omni futilitate sese puros ac integros conservent. Atqui, inquiet quispiam, qua fronte tu jocos ludosque in peccatis venialibus numerare audes; cùm Christus etiam otiosi verbi nobis rationem reddendam esse asserat? (*Matt:12.36.*) Respondeo, hæc Christi verba continere tacitam conditionem nempe, si Deus summo jure nobiscum agere velit. Aliter enim plurimos in fidei studio perpetuò versantes, & porrò nequaquam secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulantes, propter istas fragilitates cœlesti hæreditate excludi statuendum foret, & fidei justificatio, quæ divinâ clementiâ, non autem operum perfectione nititur, consistere nequaquam posset.

‡ *His ita constitutis*] Si venialitas peccatorum *ex eventu* per Dei misericordiam & gratiam Jesu Christi æstimetur, omnia peccata sunt venialia, excepto peccato in Spiritum Sanctum, de quo modò diximus. Si verò repetatur ex rei natura, contradicetur Apostolo disertè statuenti peccati stipendium mortem esse Rom:vi,23. Adde ipsam sanctionem Legis Deut:xxvii,26. Gal: iii, 10. & loca Matt:v,19. Jac:ii,10. Veniale peccatum si quod dabitur ex rei natura, ei venia debebitur à Deo, vel ex promissione speciali, prout omne promissum abit in debitum, vel ex interna & æterna ipsius justitia, cui repugnet, talis peccati pœnas exigere: At nec promissionem illam profert adversarius, nec admittit posterius; cùm etiam statuat Deum vindicem futurum eorum qui *de industria vitiis istis* dederint operam. Ac licet omne peccatum non destruat in homine viatore *religionis pietatisque* naturam, tamen dubium non est quin omne peccatum ut est Legis transgressio, religionis & pietatis officiis eatenus adversetur, quatenus ex illis Deus erat diligendus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, & nihil agendum, dicendum, vel cogitandum, quod cum sanctissima ejus Lege accuratè non conspiraret. Nullam habet rationem peccati, quod *aliquid tantum indecori continet* apud homines & ex eorum judicio; sed revera turpe est, non indecorum tantum, quicquid à Dei Lege vel tantillum deviat: & loquetur incompossibilia, qui aliquod statuet peccatum, quod *veram turpitudinem in se* non contineat. Nec constituit venialitatem peccati, quod *non datâ operâ, sed vel naturali quadam inclinatione, vel quacunque alia virium humanarum fragilitate, ob quam occasionibus invitantibus, difficulter resisti queat, committatur*; sic enim nullum esset peccatum quod veniale dici non mereretur; quandoquidem nullum est quod humanæ fragilitati, & vitiosæ in natura corrupta inclinationi, & occasioni blandè invitanti, adscribi nequeat. Quid quod ipsa εὐτραπελία, quam sigillatim videtur designare Volkelius, annumeratur à Paulo Eph: v,4. gravissimis peccatis, quæ nequidem inter nos debent nominari, & conjungitur scortationi & avaritiæ?

Atqui, inquiet quispiam] Et sanè illud Christi dictum Matt:xii, 36. magni momenti est ad hanc quæstionem: Verè enim dictum ab Authore *Asceticarum brev. quæst.* 4. sive is Basilius sit, sive quis alius,

alius: *Nullum peccatum est parvum dicendum; quia de omni verbo otioso, in quo nullum peccatum videtur animæ, reddenda erit ratio in die judicii: Et omne peccatum est legis transgressio: per legis vero transgressionem Deus ignominiâ afficitur; De omni etiam peccato dictum, Aculeus mortis peccatum: Non hoc aut illud sed indefinitè omne peccatum.* Adde Hieronymum *dial.* 2. *contra Pelag. Si ira & sermonis injuria, atque interdum jocus, judicio, concilioque & gehennæ ignis delegatur, quid merebitur turpium rerum appetitio & avaritia quæ radix est omnium malorum?* Et cùm dicit Volkelius hanc Christi sententiam *continere tacitam conditionem, nempe si Deus summo jure nobiscum agere velit,* eo ipso fatetur, verba otiosa de quibus Christus dicit reddendam esse rationem in die judicii, & quorum per consequens pœnam exacturus est à reprobis, non esse venialia ex rei natura, sed tantum ex misericordia Dei, illa per & propter Christum dissimulantis & condonantis. Quare quod pii & fideles, suo cæteroquin modulo, *nequaquam secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulantes, propter istas fragilitates cœlesti hæreditate* non excluduntur, earum venialitati per se non est adscribendum, sed Dei in Christo favori, misericordiæ & gratiæ, quæ ubi peccatum abundabat superabundare solet Rom: v, 20. Nec aliàs constaret *fidei justificationem divinâ clementiâ* & Christi beneficio, *non autem operum perfectione niti,* nisi illa peccata quotidianæ incursionis, talia omninò essent quæ repugnent illi operum perfectioni, quam Lex commendat & exigit.

Jam quod ad peccata mortalia attinet; animadvertendum est, ea alia esse, quibus mortis æternæ pœna est à Deo constituta, licèt interim fieri possit, ut quibusdam ex illis, non quidem per se, sed per accidens venia tribuatur, quatenus nimirum homines illis polluti resipiscunt, Deus eam ipsam ob causam, peccata ista pro sua clementia iis condonat. Quod quò rectiùs intelligatur, dividenda sunt peccata mortalia in ea, quæ suâ quidem naturâ, non tamen necessariò, & in ea, quæ & naturâ & necessariò mortem afferunt. Ac illa quidem ejusmodi peccatorum habitus sunt, ut ab eis quispiam discedere, eorumque veniam assequi possit. Qui habitus rursus in duo genera distribuuntur. Vel enim ejusmodi sunt, ut faciliùs abjici; vel ejus generis, ut difficulter admodum excuti queant, ideoque pauci admodum reperiantur, qui illis excussis divinam clementiam experiantur. Ac illa quidem ab eo hominum genere suscipi solent, quod, licet Christi nomen usurpet, ejusque disciplinâ imbutum sit, nondum tamen eò usque in pietatis itinere progressum est, ut à peccandi consuetudine sese removeat, inque sanctimoniæ studium toto impetu incumbat: in quo genere illi sunt, quos Johannes hunc in modum alloquitur. (*Ioh:2.1.*) *Filioli, hæc scribo vobis ne peccetis: quòd si quis peccet,* (sic enim legendum est,) id est, si quis nondum sese ex peccatorum vinculis ita expediverit, ut vitam ex Christi lege componat, *advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum,* id est, poterit talis homo, si Christo se totum tradat, ipsius curâ 356

‡ *Animadvertendum est ea*] Imò cujus libet peccati stipendium est mors, ut modò demonstravimus; & verè dictum à Nazianzeno, πᾶσα ἁμαρτία θάνατος

ἐςι ψυχῆς: Nec eorum quæ venialia facit Volkelius *venia*, aliunde quam à *clementia* Divina est arcessenda: Et supponit omninò resipiscentiam peccantis, absque qua nulla remissio obtinetur: Mira est istorum hominum perversitas, quod leviorum suorum peccatorum veniam, *per se* deputent ipsismet peccatis, ne videantur nimium obstricti clementiæ Divinæ, licet agnoscant, quod si Deus jure summo suo uteretur, hæc non minus quam alia punire posset, quia proculdubio hoc est jus Dei ut qui talia patrant sint digni morte Rom: 1, 32.

Quòd quo rectius intelligatur] Equidem fateor, quod tum demum *necessariò* peccata quæ *suâ naturâ* sunt *mortalia*, (quod omnibus peccatis convenit) *mortem* afferant, cùm qui eorum reus est manet incredulus & impœnitens, nec veniam à Deo per Christum consequitur; Sed tamen in hac subdivisione, multa veniunt observanda: Primò enim videtur Adversarius nulla peccata *suâ naturâ* mortalia agnoscere, præter *habitus peccatorum* vitiosos; quasi ipse peccati actus, præcisè in se consideratus, quantumlibet atrox & conceptis verbis à Deo prohibitus, prout omnia Decalogi præcepta, de actibus loquuntur, non de habitibus, ex Legis sanctione & divina comminatione mortem non mereatur. Secundò videtur supponere quod quis suis viribus possit ab habitibus peccatorum jam contractis *discedere*, cùm id sit tam impossibile homini peccatori, absque speciali auxilio gratiæ regenerantis, quam Æthiopi mutare suam cutem aut pardo suas liventes maculas eluere Jerem: XIII, 23. Tertiò dum habitus vitiosos distinguit in eos *qui faciliùs abjici*, & eos *qui difficulter admodum excuti queant*, bifariàm peccat in rectam rationem: Nam plus & minus non variant speciem, uti notum est; & deinde omnis habitus hæc est indoles, ut sit qualitas tenacior, & quæ nonnisi *difficulter* exuitur.

Ac illa quidem ab eo] Non secum consentit Volkelius; nam si peccandi consuetudo eorum est qui secundum carnem ambulant, non secundum Spiritum, non potest cadere in eos qui *disciplinâ Christi* uti par est imbuti sunt, & quos tanquam filiolos, & quorum Christus sit advocatus apud Patrem, compellat Apostolus, loco hic citato 1 Joh: II, 1, Mens vero Apostoli est aliàs obvia, & planè alia quam fingit hæreticus. Vult enim ita pios à peccatis abducere & dehortari, ut cum interea sciat eorum quemlibet sibi conscium esse quotidianorum peccatorum, uti paullò ante dixerat, *Si dixerimus nos peccatũ non habere, nos ipsos seducimus, & ipsum mendacem constituimus* 1 Joh: 1, 8. 10. subjungat consolationem Euangelicam ex Christi intercessione & merito, quò debemus confugere tanquam ad certissimum remedium, quoties in aliquod peccatum incidimus: Itaque illud *ne peccetis* est dehortatorium à peccato, maximè regnante; istud vero *quod si quis peccat*, spectat quodlibet peccatum, in quod pii, subinde solent incidere; cum nemo unus reperiatur, qui *sese ex peccatorum vinculis ita expediverit*, *ut vitam ex Christi lege* absolutè & accuratè *componat*, nec debeat quotidie dicere Deo, *dimitte nobis debita nostra*: Imò videtur supponere noster Perfectista, posse talem dari in hac vita qui deinceps non debeat *Christo se totum* tradere, *ipsius curâ atque ope ex peccatorum vinculis* emittendus, & *porrò etiam eorundem veniam* consequuturus, & *æternum* servandus. Socinianis enim nonnisi venialiter peccantibus, Christo opus non est ut suorum peccatorum vinculis eximantur, & veniam consequantur.

Jam ut ad hoc alterum peccati genus veniamus, quod difficulter admodum, ut diximus, removere à se homines possunt; intelligendum est, illud *eos* peccato-

peccatorum habitus continere, quibus qui jam ita sese Christo addixerunt
ut vitam etiam corrigerent, implicantur. de quibus loquitur Petrus: (*2 Pet: 2.
20. & d.*) *si postquam effugerunt inquinamenta mundi, per cognitionem Domini & ser-
vatoris Iesu Christi, bis autem rursus implicati vincuntur; facta illis sunt postrema dete-
riora prioribus. Melius enim erat ipsis non cognovisse viam justitiæ, quàm postquam co-
gnoverunt, reverti à tradito ipsis sancto mandato.* Quem locum confer cum illis
Christi verbis Matt: 12. 43. & seqq. Quomodo autem posteriot ejusmodi ho-
minum conditio deterior esset priore, si æquè facilè peccata excutere, & sic
eorundem veniam consequi possent, atque antea? Propterea autem fit, ut
non perinde facilè, atque antea, id præstare queant, partim quòd in illis religio
Christiana, utpote jam aliqua ratione ab iis proculcata atque contemta, vim
tantam quantã antea, habere nequat; partim quòd Deus hominibus adeò ingra-
tis, & singularissimâ suâ beneficentiâ tam malè utentibus opem suam meritò
subtrahat, & beneficia illis sua eripiat. Nam, ut ait D. Auctor Epistolæ ad
Hebr. (*cap. 6. 7, 8.*) *terra, quæ bibit pluviam, quâ sæpè rigatur, & parit herbas uti-
les illis, propter quos etiam colitur, accipit benedictionem à Deo; ea verò quæ profert spinas
& tribulos, reproba est, & maledictioni vicina, cujus finis est ad combustionem.* Itaque
ad hoc hominum genus non immeritò referre possis illa ejusdem Autoris ver-
ba, (*Ibid:*) ad quorum confirmationem ista, quæ modò adduximus, subji-
ciuntur: *Impossibile est*, inquit, *ut qui semel collustrati, cœleste donum gustârunt, &
participes facti sunt spiritus sancti, præclarumque Dei verbum, & avi futuri virtutes gu-
stârunt, & tamen relabuntur, ii iterum vitæ correctione renoventur.* Impossibile au-
tem id dicitur, non Deo, cui omnia possibilia; sed hominibus. Tacitè enim
ponitur, Deum id efficere jam ampliùs non velle: non quòd nunquam velit,
sed quòd non soleat. Cæteroquin enim Auctor hic divinus de iis ipsis quos in
istiusmodi hominum censu non obscurè collocat, ait, (*v. 9. 10.*) se quippiam
de iis sperare melius, & cum salute conjunctius: propterea quòd nondum
pristinam in Christianos homines charitatem deseruissent. Est enim discri-
men aliquod hac in parte constituendum inter eos, qui longiùs à Christiana
pietate recesserunt, & inter eos, qui aliquantò propiùs adhuc ab ea absunt.
Mitiùs enim de illis sentiendum est, qui non destinato ac pertinaci animi con- 357.
silio, sed factis ferè tantùm à pietate deficiunt, quique quantumvis peccato-
rum consuetudine denuò implicati sunt, tamen de resipiscendo quandoque
cogitant. Cujus rei argmentum est quod Johannes (*1 Ioh: 5. 16.*) pro hujusmodi
hominibus Deo preces nos adhibere posse, Deumque precibus nostris com-
motum, vitam illis concessurum asserit, id est, pro incredibili sua benignitate
illis, nisi sibi ipsis deesse velint, ad veram pœnitentiam, atque adeò ad vitam
sempiternam, aditum patefacturum esse confirmat.

‡ *Iam*

1 *Iam ut ad hoc alterum*] Apoſtolus 2 Pet: II, 20. & ſeq. agit de Apoſtatis, quos ſupra Volkelius reos peragebat peccati in Spiritum Sanctum: Adeoque hîc non intelligitur peccatum *naturâ ſuâ* duntaxat mortale, ſed etiam quod *neceſſario* mortem adfert: Quia abnegatio ultronea Chriſti priùs cogniti & profeſſi, & deſertio voluntaria veritatis Euangelicæ, hanc pœnam apud Deum judicem juſtum meretur, ut qui hujus criminis reus eſt ſibi ipſi relinquatur, nec ad pœnitentiam renovetur, Heb: VI, 6. X, 26. 2 Theſſ: II, II. Poſteriora autẽ talis hominis ſunt prioribus deteriora, non ob rationem quam hic fingit adverſarius, ſed quod ad poſteriora acceſſerit ἀναπολογησία ex cognita olim Religione Chriſtiana, & ea penitus *ab iis proculcata atque contempta*: quo etiam ea ſpectant quæ hic refert Volkelius ex Heb: VI, 4. 5. 6. 7. 8.

Impoſſibile autem id] Imò hoc *impoſſibile* dicitur abſolutè, ut nec fiat unquam, nec fieri poſſit: Etenim agit Apoſtolus de iis qui reatum contrahunt peccati in Spiritum Sanctum, quod ſimpliciter & neceſſariò irremiſſibile eſſe ſuprà viſum eſt. Nam alia peccata offendunt quidem Dei juſtitiam, hoc verò etiam inſurgit in illius miſericordiam & gratiam: Alia peccata ſunt morbi, ſed hoc eſt furor qui medicum conſpuit & oblatum ab eo poculum effundit atque conculcat. Hinc tales dicuntur Heb: VI, 6. *rurſum ſibi crucifigere filium Dei*, item Heb: X, 29. *profanum ducere ſanguinem fœderis, & Spiritum gratiæ contumeliâ afficere*. Imò cum dicit Volkelius *tacitè* hic poni, *Deum id efficere jam ampliùs non velle*, falsò ſupponit aliquando id effectum à Deo, quod nunquam probabitur; & abſurdè ſtatuit, id quod Deus dicitur efficere nolle, non abſolutè intelligendum eſſe, ſed ὡς ἐπὶ τὸ πολύ; cum abſolutè Blaſphemia in Spiritum Sanctum, quę hic notatur, ſit irremiſſibilis: Nec recurrendum hic ad omnipotentiam Dei, *cui omnia poſſibilia*; nam ut ei impoſſibile eſt mentiri aut ſeipſum ab negare, ita ei impoſſibile eſt remittere peccatum, illud quod perſeveranter odit & inſectatur veritatem Chriſti Servatoris priùs cognitam cùm omnis remiſſio peccati ſupponat reſipiſcentiam & fidem in Chriſtum.

Cæteroquin enim author] Id verò eſt longè falſiſſimum: cùm Apoſtolus eos de quibus meliora ſperat disertè diſtinguat ab illis quos tanto crimine implicitos deſcripſerat: ita enim loquitur Heb: VI, 9. 10. *Sed nobis perſuaſimus de vobis dilecti, quæ meliora ſunt & ſaluti adhærentia: Non enim injuſtus eſt Deus ut obliviſcatur operis veſtri & laborioſæ charitatis quam oſtendiſtis erga ipſius nomen.* Annon hoc eſt διαρρήδην eos quos alloquitur, ex *iſtiuſmodi hominum* quos ante deſcripſerat *cenſu* & numero expungere, illoſque ab his tanto intervallo diſtinguere, quanto cœlum diſtat ab inferno?

Eſt enim diſcrimen] Fateor varios gradus in peccatis eſſe diſtinguendos; Sed Heb: VI, 6. & ſeq. eos homines deſcribit qui ad culmen nequitiæ pervenerunt, eoſque iis annumerat pro quibus Johannes orandum eſſe negat 1 Joh: V, 16.

Sequitur ut de illis peccatis mortalibus explicemus, quæ & naturâ ſuâ & neceſſariò mortem afferunt. Intelligendum igitur eſt, eorum duo eſſe genera. Quorum primum eſt, cum quis ſalutarem veritatem agnitam probeque perceptam, datâ operâ omnibuſque viribus oppugnat. Hoc enim ejuſmodi peccatum eſt, quod excelſo brachio perque ſummam ſuperbiam committi, ideoque omni venia excludi, in divinis literis videmus. Qua de cauſa illis, qui per ignorantiam cœleſti veritati ſeſe oppoſuerant, Deo quidem preces adhibitas fuiſſe ſcriptum legimus; (*Rom: 10. 1, & d. 1 Ioh: 5. 16.*) at pro iſtis, qui ſcientes vo-

tes volenteſque ſeſe hoc ſcelere conſtrinxerant, factum id aliquando fuiſſe, vel fieri debere, nullo ſacro teſtimonio docemur. Animadvertendum autem eſt, hîc non de uno eoque ſubito rei iſtius actu, ſed de habitu, vel actu quodam ex deſtinata animi malitia profecto orationem fieri. Videtur enim fieri poſſe, ut ſi quis ſubito aliquo affectu abreptus, unum aliquod alterumque verbum contra divinam veritatem emittat, ſtatim tamen ad ſe redeat, & dolore propter admiſſum ſcelus perculſus, nunquam in illud relabi conſtituat, ut, inquam, is veniam impetret.

‡ *Sequitur ut de illis*] Omne peccatum quod *naturâ ſuâ* mortem adfert, eam quoque *neceſſariò* trahit, niſi Deus illud remiſerit per & propter ſatisfactionem Chriſti.

Quorum primum eſt] Hoc eſt illud peccatum in Spiritum Sanctum de quo etiam agitur Heb: VI, 6. ut ex ſuperioribus liquet. Quare perperam hoc ab iſto diſtinguere Volkelius annititur.

Factum id aliquando] Imò nec faciendum dicit Apoſtolus 1 Joh: V, 16. cùm ex illo dono Spirituali quod *diſcretionis* dicitur 1 Cor: XII, 10. de aliquo nominatim conſtat eum illo ſcelere implicari.

Videtur enim fieri] Quin id certò eſt futurum ex Dei promiſſione, ut quoties peccator, cujuſcunque demum ſceleris reus fuerit, *ad ſe redit, & dolore propter admiſſum ſcelus perculſus nunquam in illud relabi conſtituit*, indubitatò *veniam impetret*. Eſ: LV, 7. Ezech: XVIII, 21. 22.

Alterum genus eſt, cùm quis ad cœleſtem Chriſti diſciplinam mores ſuos, non ſolùm non componit, ſed etiam ſciens volens, eam conculcare pergat. Quod quidem utrumque ſceleris genus à divino illo autore voluntarium peccatum nominatur, quia nimirum, qui eo ſe obſtringunt, non facto tantùm, ſed conſilio etiam à veritate agnita atque perſpecta deficiunt. ideoque illis, qui factis propè tantùm ab ea deficiunt, non omnis quidem ſpes veniæ impunitatiſque adimitur; his verò omnis planè præciditur: ut ex his ſcriptoris divini verbis intelligitur: (*Heb: 10. 28.*) *Si poſtquam veritatis cognitionem aſſecuti ſumus, voluntariè* (ſeu *datâ operâ*) *peccamus: non jam ſupereſt ullum pro peccatis ſacrificium: ſed horrenda quædam expectatio judicii, igniſque ſævitia adverſarios confectura. Si quis Moſaicam legem contempſit, is citra ullam miſericordiam ex duorum trium-ve teſtimonio* 358.
moritur: quantò graviore putatis afficiendum pœnâ, qui Dei filium proculcaverit, teſtamentique ſanguinem, per quem ſanctificatus eſt, profanum duxerit, & gratiæ ſpiritum contumeliâ affecerit. Scimus enim quis dixerit, Mea eſt ultio, ego rependam, inquit Dominus. Item: Dominus judicabit populum ſuum. Horribile eſt in viventis Dei manus incidere. Huc & blaſphemia in ſpiritum ſanctum à pleriſque refertur; propterea quòd Chriſtus eam neque in hoc, neque in futuro ſeculo condonandam eſſe aſſerit. Verùm cum in Chriſti verbis unius tantùm ſceleris iſtius actûs mentio fiat, evenireque poſſit, ut quis in eo minimè perſiſtat; hæc ſubintelligenda videtur exceptio, nempè niſi ſubitò quempiam facti pœniteat, iſque ab eo ſcelere diſcedat, & Deum, ut ſibi id clementer condonare velit, nomi-

natim, idque ardenter ac constanter, roget. Quòd si divinum spiritum blasphemare pergat, eo sese facinore obligat, quod planè ad hunc locum spectat, omninoque & temporariis & sempiternis pœnis vindicandum est.

‡ *Alterum genus est*] Non sunt multiplicanda entia citra necessitatem: Nam peccatum illud de quo agitur Heb:x,26. ejusdem est indolis cum illo de quo modò disserebat adversarius, & cujus fit mentio Heb: vi, 6. Eò quoque pertinet *blasphemia in Spiritum Sanctum*, quæ non esset irremissibilis, ut disertè asserit Christus, si *evenire possit, ut quis in ea minimè persistat: Unius* quidem *tantum sceleris istius actûs mentio* fit à Christo, quem tum edebant Pharisæi; sed ille actus, ex habitu confirmatissimo proveniebat, & supponebat odium constans veritatis & cor ἀμετανόητον in istis hominibus. Quod si in dicto Christi de irremissibilitate hujus peccati venit *subintelligenda conditio, nempè nisi subito quempiam facti pœniteat*, &c. nihil dixerit Christus de hoc scelere quod itidem blasphemiæ in Patrem & Filium non conueniat: Nisi enim qui hujus reus fuerit ex animo resipuerit, & ardentibus precibus ad aram misericordię Divinæ confugerit, ejus veniam omninò impetrare non poterit: Deus enim nemini ullum condonat peccatum, nisi pœnitentiam egerit, & veniam seriò deprecatus fuerit.

His ad eum modo explicatis, haud alienum hoc loco fuerit considerare, an si in cœlestem veritatem jam agnitam quispiam vel semel peccet, pœnitentiâ illi sit opus. Respondemus, Pœnitentiæ nomine vel simplicem quendam animi dolorem intelligi qui ex eo proficiscatur, quòd factum nostrum improbemus, idque vellemus infectum; vel animi ac vitæ totius mutationem in melius, quæ omnium frequentissimè μετανοίας voce in sacris literis designatur, de qua nos superiùs hoc libro egimus. (*cap. 4.*) Priori significatione acceptâ pœnitentia in hominibus, etiam postquam divinâ disciplinâ imbuti atque regeniti sunt, locum habet, & habere, quoties lapsus suos agnoscunt, debet. Lapsus enim illos, ex quibus is dolor percipitur, nequaquam ab omnibus, qui Christo sese planè consecrârunt, abesse palàm est. Pœnitentiam verò illam, quæ totius vitæ conversionem continet, in hominibus regeneratis nullum ampliùs locum habere liquet. Ut enim eâ quispiam indigeat, non satis est, illum interdum in peccatum aliquod labi, nisi de justitiæ statu prorsus dejiciatur, exque justo injustus fiat. *Non enim* (inquit Christus) *veni vocatum justo*, id est, pro virili sua parte justitiam colentes, quamvis interdum prolabantur, *sed peccatores*, id est, eos, qui peccati consuetudine tenentur, *ad pœnitentiam*. (*Matt:9.13.*)

‡ *Respondemus, Pœnitentiæ*] Nec respondet directè quæstioni à se propositæ; cùm priùs debuisset declarari num qui *in cœlestem veritatem jam agnitam vel semel peccat*, eam ejerando vel abnegando, *ex justo injustus* fiat & *de justitiæ statu prorsus dejiciatur*: videntur quidem id vulgò affirmare Sociniani Apostasiæ Sanctorum cum aliis reliquiis Pelagii patroni; sed de eo Volkelius hic nihil definit; imò videtur

videtur perseverantiam in justitia cum lapsibus ex quibus dolendum est conjungere; Nec satis Theologicè negat, vel μετανοίας officium convenire hominibus regeneratis, idest piis & sanctis, in peccatum aliquod prolapsis; cùm hæc *vitæ totius mutatio in melius*, sive potiùs illius immutandæ serium propositum susceptũ à quolibet pio in prima sua vocatione ad Christum, ab ipso sit continuandum per totam vitam, & toties renovandum quoties in lapsum aliquem inciderit, cujus gratiâ seriò & ex animo dolere teneatur; Vel dolorem de lapsu citra μετανοίας propriè dictæ actus & officium sufficere piis ad salutẽ, cùm talis dolor, si solus maneat, eos potiùs ad restim adigat & desperationẽ, ex dicto Pauli 2 Cor: VII,10. nec possit distingui *tristitia secundum Deum*, à *tristitia mundi*, juxta Apostolum, nisi quod illi μετανοίας officium & exercitium conjungatur: Vel posse verè pium aliquem, quod supponi hîc videtur, *de justitiæ statu prorsus* dejici, *& ex justo ita injustum* fieri ut novâ regeneratione egeat; cùm regenerationis semen sit *incorruptibile* 1 Pet: I,23. & maneat in regenito 1 Joh: III.9. & justitia Euangelica pertineat ad dona Dei ἀμεταμέλητα Rom: XI, 29. Quid quod impertinens & absurda est depravatio loci Matt: IX,13. cùm ibi Christus per *justos* intelligat homines opinione suæ justitiæ & perfectionis turgentes, qui eo ipso ad Christi beneficium participandum inepti sunt; planè quo sensu Luc: XV,7. uni peccatori resipiscenti & se convertenti ad Christum opponuntur nonaginta novẽ justi, qui suo judicio pœnitentiâ non egent. Et sanè Matt: IX,11,12.13. per *justos* Christus notat Pharisæos, qui justificabant seipsos, quibuscum ideo non ita conversabatur ac cum Publicanis, quòd qui *sani sunt*, sua opinione, idest suum morbum non sentiunt, *medico non egeant, sed qui malè habent*; pro quibus etiam apparuit ipse summus animarum medicus, qui, *non venit vocatum justos* illos Pharisæos, *sed peccatores* Publicanos, (*onustos & laborantes* ut Matt: XI, 28. tales demum ad se vocat,) *ad pœnitentiam* eique conjunctam fidem & salutem. Hinc Luc: XVIII,10.11.12.13.14. Pharisæus suâ nixus justitiâ suam refert condemnationem ex Templo, ex quo redit justificatus Publicanus peccator & resipiscens. Hinc etiam Paulus omnem propriæ justitiæ fiduciam abjicit ut Christo potiatur Phil: III, 7.8.9.10.

Sequitur ut de illis peccatis nonnihil adhuc agamus, quæ in religionis
Christianæ analogiam tantummodò committuntur. Hæc igitur hujusmodi
sunt, quæ religionis præstantiam minimè decent, & à perpetuo ejus tenore 359.
abhorrent. Est enim Religio Christiana, tum in cœlestium spiritualiumque bonorum promissis constituta, tum ipsa per se planè cœlestis spiritualisque existit, & porrò omnem respuit vanitatem levitatemque carnalem: contrà verò summæ gravitatis, integritatis, castitatis, modestiæ magistra est, hominemque sibi deditum ab omni terrena cupiditate, omnique voluptatum titillatione ita abstrahit, ut vix eorum illi concedat usum, sine quibus vita ejus consistere nequit. Ex quo fit, ut vehementer illi errent, qui, verbi causâ, chorearum, ludorum, aleæ, & rerum similium usum sibi licitum esse putant, quia eas expressè interdictas non videamus: cum interim satis appareat, eas admodum esse vanas, & à gravitate Christiana alienas, etiamsi nihil accedat aliud, (quod tamen facillimo negotio fieri solet) quod Christi præceptis ac

pietati ab eo nobis præscriptæ penitus adversetur. Eodem modo & de vestium luxu splendoreque judicandum est: cum religionis nostræ summa, ut in aliarum virtutum cultu, ita maximè in animi demissionis modestiæque studio consistat; & ideò nihil unquam à Christiano homine fieri debeat, quod cum ea minimè conveniat. Atque huc respicit Paulus, (*Tit: 2.3.*) cùm de vestibus mulierum loquitur, videlicet eas habitu sanctimoniam decente uti debere. Unde colligitur, rationem vestiendi, ad religionis sanctimoniam accommodandam esse. quanquam fatendum est, rationem quandam sexûs, ætatis, vitæ statûs atque conditionis, aliarumque rerum habendam esse, salvâ tamen religionis gravitate.

‡ *Sequitur ut de illis peccatis*] At verò cùm quæ hîc notat Volkelius, modestiæ, sobrietati, temperantiæ, castitati, charitati Christianæ adversentur, non video cur in solam *analogiam* religionis Christianæ illa committi statuat: Speciatim choreæ, alea, luxus, quæ etiam Ethnicis sapientioribus damnata leguntur, ut fusè ostensum à nostro Taffinio in pio & erudito suo opere quod inscripsit *de l'Amendement de vie*, satis expressè prohibentur in Scripturis, ut ad meram analogiam non sit hîc recurrendum: Choreas Veneris & Bacchi comites, damnatas reperies Rom: XIII, 13. Alea est avaritiæ proles, ganeonum exercitium, temporis redimendi jactura Eph: V, 16. & modus acquirendi planè illicitus ac contrarius dicto Apostoli 2 Thess: III, 6. 8. 10. 11. 12. Luxus vestium, qui eleemosynas pauperibus debitas solet absorbere, damnatur non solum eo loco quem citat Volkelius Tit: II, 3. sed etiam 1 Pet: III, 3. 4. 5. & 1 Joh: II, 16. Quamvis in eo servandum esse *τὸ πρέπον sexûs, ætatis, vitæ status & conditionis aliarumque rerum*, ultrò agnoscimus.

Animadvertendum autem hoc loco est, tribus potissimùm rationibus fieri posse, ut quis in religionem Christianam peccet, etiamsi id quod committit, expressis verbis interdictum non legatur. Primùm cùm id quod committitur est species universi generis expressè interdicti, ut peculatus furti, quo interdicto, satis etiam illo prohibitus censeri debet. Sic cùm impuritas interdicitur, satis omnes ejus species interdictæ putandæ sunt, etiamsi non omnes fortè sint expressæ. Secundò, cùm ea quæ admittuntur, prohibitis sunt similia: quo pacto Apostolus, cùm recensuisset multa carnis opera, addit, *& similibus*, de quibus idem fieri vult judicium. Sic quia non licet unâ uxore dimissâ aliam ducere, quin adulterium committatur: similiter non licet priori adhuc retentâ aliam ducere, quin idem scelus committatur. Tertiò, cùm vel pars, vel adjunctum est, vel causa, vel effectum denique ejus rei, quæ apertè pro-
360. hibetur. Sic choreæ vel pars sunt, vel adjunctum comessationis; simul etiam libidinis sunt incitamenta, sæpè etiam fructus atque effectus. Sic luxus in vestitu pars quædam censenda est superbæ vitæ, quam Johannes inter res, quæ in hoc mundo sint, nec diligi à nobis debeant, collocat. (*1 Joh: 2:16.*) Idem superbiam

perbiam animi & prodere solet, & alere: ac præterea beneficentiam in pauperes, quæ nobis omninò præcepta est, impedit. Sed his de rebus suo loco diximus. (*sup. c. 16. 17.*)

‡ *Animadvertendum autem*] Hæc animadversio non erat tanti, cùm evertat ipsam Volkelii distinctionem inter peccata *expressè* & *analogicè* tantum prohibita; Nam universo genere prohibito, species non minus expressè, licet non αὐτολεξεὶ, prohiberi est certissimum; & omnes norunt etiam in legibus humanis ad facta applicandis, de similibus simile faciendum esse judicium. Imò quæ hîc habet Volkelius de *choreis* & *luxu vestium*, sufficiunt demonstrando satis expressè utrumque vitium prohiberi in Scripturis; cum non *in verborum foliis* sed *in radice rationis*, ut aliquando dixit Hieronymus, verbum Dei situm sit. Etiam id in eo continetur expressè, licet non totidem verbis, quod ex illo per claram & evidentem consequentiam deducitur. Quamvis pro Monogamia, sive contra Polygamiam simultaneam, non militet sola ratio quam adfert Adversarius: Hæc disertè satis prohibetur Levit: XVIII, 18 juxta plerosque interpretes: Et Christus urget potissimum ad hanc rem primariam institutionē Conjugii quâ divinitùs cautum, ut duo tantum sint in carne una; sic ut ei unitioni tertio locus esse nequeat Matt: XIX: 4. 5. 6. Sed has minutias pluribus discutere nihil attinet. Ex iis quæ hactenus disputata sunt satis liquet Socinianos non fœliciùs procedere in sua Theologia Morali, quam solent in Dogmatica, dum id unum agunt ut everso Christi beneficio & merito, propriâ suâ nitantur justitiâ coram Deo, cùm omni verè Christiano præstet dicere cum Davide Psal: CXLIII, 2. *Ne congrediaris judicio cum servo tuo, nam non justificabitur coram te ulla caro*; quibus verbis hunc nostrum secundum Anti-Volkelii tomum claudimus, Deo Opt. Max. gratias agentes quod vitam & valetudinem huc usque prorogaverit, ut huic labori finem possemus imponere: tertium & ultimum volumen suo tempore submissuri, si vires corporis & animi tamdiu nobis concedere dignabitur supremus vitæ & mortis arbiter; cui Uni & Trino, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, sit laus honor & gloria in sæculo sæculorum, Amen.

Finis libri quarti.

ELENCHUS LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

qui in hoc libro [*quoad tertium & quartum librum Volkeliani Systematis*] vel integri explicantur, vel in parte aliqua illustrantur; [*sive potius corrumpuntur & depravantur.*]

***NB.** In hoc & sequenti elencho, pagina illa denotantur quæ ad textum Volkelianum in margine exprimuntur.*

Sapient.

12 272.

ELENCHUS RERUM PRÆCIPUARUM;

quæ in hoc libro [*tertio & quarto Systematis Sociniani*] tractantur.

Amor

Avaritia

B.

C.

Castitas

 111.

D.

E.

in illis

F.

G.

H.

Hospes,

I.

Israëli-

L.

M.

N.

O.

P.

Πλεονε-

S.

AD LECTOREM.

Quamvis ex duobus Indicibus præcedentibus ad textum Volkelianum, possit utcunque liquere tibi, Benevole Lector, *& quæ loca Scripturæ venerint nobis explicanda ac vindicanda, & quas res præcipuas pertractare debuerimus, tamen, ut antea factum in priori tomo, sequentes duos, concinnatos operâ & studio nonnullorum ex Ornatiss. illis Iuvenibus, qui de his materiis in Academia disputarunt, insuper adjecimus; primum quidem Locorum Scripturæ, alterum verò materiarum quæ in nostris Censuris occurrunt, ut tuis commodis magis studeremus. Vtere, & Vale.*



INDEX

INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ,

quæ in Censuris Anti-Volkelianis hoc tomo citantur, explicantur, aut vindicantur.

Genes.

Exod:

18 173.

9 13 738.

2 Cor.

10 535.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM quæ in Censuris Anti-Volkelianis hoc tomo secundo continentur.

A.

quomodo

Dari

D.

E.

Gehenna

Prose-

T.

FINIS.

INDEX AUTHORUM QUI SPARSIM vel laudantur vel citantur in Censuris Anti-Volkelianis.

Iſocrates.
Junius.
Juſtinianus.
Juſtinus.
Juſtinus Martyr.
Juvenalis.

K.

R. Kanan.
Kimchi.

L.

Lactantius.
Launæus.
Lempereur.
Leo Hebræus.
Leo Judæ.
Lombardus.
Lucanus.
Luctatius.
Lucretius.
Lutherus.
Lyranus.

M.

Macchiavellus.
Macrobius.
Mæmonides.
Marnixius.
Menahem Rachanat.
Menander.
Martialis.
Matthæus, ICtus.
Menaſſes Ben Iſrael.
Mercerus.
R. Moſes Ægyptius.
R. Moſes Gerundenſis.
Munſterus.

N.

Nonius.
Novatus.

O.

Oecumenius.
Onkelos.
Origenes.
Ovidius.

P.

Pagninus.
Papinius.
Pedianus.
Perronius Cardinalis.
Perſius.
Philo Judæus.
Philoponus.
Phocylides.
Plato.
Plautus.
Plinius uterque.
Plutarchus.
Porphyrius.
Prochorus.
Prudentius.
Procopius Gazæus.
Proſper.
Publius Syrus.
Puteanus.

Q.

Quintilianus.
Quiſtorpius.

R.

Reuchlinus.
Robertus Stephanus.
Rupertus.

S.

Sa.
R. Salomo.
Sandis.
Sasbout.
Scaliger.
Scholiaſtes Græcus.
Schindlerus.
Seidelius.
Seldenus.
Sheringamius.
Seneca uterque.
Servius.
Sextus.
Joh: Simplicius.
Smalcius.
Stobæus.
Suetonius.
Stuckius.
Socinus.
Soranus.
Symmachus.
Syrus Interpres.

T.

Tacitus.
Taffinius.
Tatianus.
Terentius.
Tertullianus.
Thalmud.
Thargum.
Theodoretus.
Theophylactus.
Theophilus.
Tholoſanus.
Thomas.
Tigurina verſio.
Toletus.
Tremellius.

V.

Valentinianus.
Valerius Max.
Varro.
Vatablus.
Viegas.
Virgilius.
Voſſius Pater & Filius.
Weſſelus Groning.
Vulgata Verſio.
Walafridus Strabo.
Vultejus.

Errata

Errata Typographica, quæ raptim annotari potuerunt.

Pag.	lin.	col.	pro	lege
6	34,35. 36.	a	Adam, Angelus, Eva	Adamum, Angelum, Evam
11	33	b	discessisse	decessisse
14	31	b	opponatur	opponantur
16	15	b	habet Symbolum Nicænum	habebat Symbolum Aquilejense
21	1	a	τερατολογίας	τερατολογιας
ibid.	4	b	Hieronymus	Hieronymum
23	3	b	loci	loco
26	34	b	nititur	innititur
29	27	b	annuncaturus	annunciaturus
37	10	b	absorbetur	absorbebitur
38	20	b	morte	monte
40	1	a	*tertiam*	*tertium*
49	17	b	à persione	aspersione
ibid.	30	—	συνωνομῶς	συνωνύμως
51	23	a	Apostolis	Apostoli
ibid.	antepen.		*profundi*	*perfundi*
63	28	a	dictum	dicto
68	41	a	nommine	nomine
ibid.	antepen.		bro	pro
73	24	b	quum	quam
74	22	a	quid	quod
78	9	a	ebedientiæ	obedientiæ
80	4	b	visi	nisi
74	8	a	badito	abdito
102	19	b	fidei	fides
106	30	b	II,10.	I,10.
116	31	a	Volkelius Observetur quod	Observetur quod Volkelius
ibid.	38	b	in carne, ei	in carne cum esset, ei
119	18	b	corruptioni illi & morti	à corruptione illa & morte
124	ult.	b	consequutæ	consequuta
125	2	a	ammabus	animabus
137	3	b	resectur	resecetur
138	30	b	illud	illum
139	5	b	At omnium	(*deleto* At) omnium
ibid.	7	—	die, sententiã	die ut sententã

Pag.	lin.	col.	pro	lege
146	25	a	Christ,	Christi,
169	28	b	responderet libellos	responderet ad libellos
187	23	b	unigenti	unigeniti
196	38	a	*hominum*	*hominem*
198	1	b	triqlex	triplex
200	7	a	Heb:IV,	Heb:IX,
216	28	b	non intelligitur reatus	non tam intelligitur actualis reatus
225	8	a	συγχύσιν	σύγχυσιν
ibid.	12	—	Christus	Christum
ibid.	23	b	Christi	Christus
229	28	a	perpetuæ	perpetui
230	39	b	illa nobis	illud nobis
242	2	a	confirmatur	confirmetur
264	34	b	II. Cum	III. Cum
268	1	b	terræ	terra
269	6	a	ita non signif.	(*deleto* non,) ita signifi.
273	37	a	Augelorum	Angelorum
282	23	b	etiam ipso	etiam liquet ipso
284	24	a	*post* potestatis,	*adde*, non privativè sed cumulativè.
286	20	b	authorite	autoritate
289	28	b	nationis	nationi
292	9	a	utrumque	utramque
ibid.	10	b	decedit	ideo decedit
294	26	a	Christo	Christi
306	28	a	dicerint	dicerent
307	23	a	quos	quas
ibid.	27	b	solvis	solius
312	26	a	tanrum	tantum
317	27	a	imvexisse	invexisse
321	3	a	*quin*	*quos*
328	38	a	abierint	abierunt
329	*ult.*	b	fumenti	frumenti
340	37	b	possit	possint
345	16	b	induit	induti
360	*ult.*	a	ἡμερῶν	ἡμερῶν
361	8	a	εὑράμενος	εὑράμενος
383	1	a	loco	cœlo
393	8	a	conformationem	confirmationem

393 3 b

Pag.	lin.	col.	pro	lege
393	3	b	*opulum*	*populum*
ibid.	——		loquimip	loquimi
400	7	a	Smegmata	Smegmate
402	10	b	ceſceoant	creſcebant
404	4	a	agnoſcit	agnoſcit ſe
407	32	a	horum	harum
ibid.	38	b	Quid	Quod
409	14	a	ejut	ejus
425	38	a	junitatione	invitatione
431	23	b	inſeviſſe	jeciſſe
442	2	a	cenſentio	conſentio
ibid.	39	—	Hac	Hæc
444	11	a	*μονογένης*	*μονογενὴς*
448	8	b	Joh:v,	1 Joh:v,
452	27	b	*autem Chriſtus*	*autem erat Chriſtus*
454	22	b	*μαθήτας*	*μαθητὰς*
456	9	a	*τελειώτης*	*τελειότης*
463	25	b	uſupetur	uſurpetur
465	22	b	appre	apprehen.
466	42	b	peecatorum	peccatorum
468	18	a	*πολυποίκιλω*	*πολυποικίλῳ*
470	3	a	*temperatus, non*	*temperatus non*
485	18	a	manis	mavis
505	24	a	inſinuit	inſinuat
508	16	b	vioiati	violati
515	5	a	molius	meliùs
523	26	b	verum, eſt	verum eſt,
531	9	b	ipſe	ipſi
539	5	b	&	de
542	38	b	cum eſſentiæ	cum eo eſſentiæ
543	17	b	*rognum*	*regnum*
545	26	a	nunnullis	nonnullis
548	28	a	ſepè	ſæpè
550	26	a	*ἔρως ἐμὸς ἐςαύρωθη,*	*ὁ ἐμὸς ἔρως ἐςαύρωται*
552	30	a	Fllium	Filium
556	*ant.*	a.	optimæ	optimè
558	20	a	Pſal:LI,	Pſalm:L,
560	26	a	ab	ad
578	4	a	*ipſius*	*ipſis*
ibid.	11	b	*devincere*	*devincire*
581	34	a	Jovinanus	Jovinianus
582	34	b	*Laſchave*	*Leſchave*

Pag.	lin.	col.	pro	lege
583	3	a	Origines	Origenes
ibid.	19	b	*ὁμόσαι*	*ὀμόσαι*
587	21	b	*τουλῶν*	*τούτων*
ibid.	22	—	Secundò, ut dicta rebus & fa-faciamus *ναὶ* quod eſt *οὐ* aut viceverſa, ctis conveniant, ideſt non dicamus aut ſed pactis	Secundò, ut dicta rebus & factis conveniant, ideſt non dicamus aut faciamus *ναὶ* quod eſt *οὐ* aut viceverſa; ſed pactis
ibic.	44	—	*νομιζέσθε*	*νομίζεσθαι*
606	12	a	doctina	doctrina
ibid.	24	b	majeſtratem	majeſtatem
613	31	a	Jeroboamus	Jeroboamum
615	7	b	præteria	præterea
617	37	a	noſtra	noſtri
622	39	b	axtiomatis	axiomatis
624	31	a	diſputavimis	diſputavimus
ibid.	37	—	Hometum	Homerum
626	2	a	illitæ	illicitæ
627	38	a	ae	ea
629	39	b	peccatum eſſet	peccatum non eſſet
639	21	a	רבה	רבה
643	20	b	juneni	juveni
655	15	a	Jonatham	Jonathan
ibid.	16	—	proſpexetunt	proſpexerunt
657	28	a	*σάρκος*	*σαρκὸς*
ibid.	39	b	turæ	naturæ
658	17	b	iis-ve ve tit.	iisve titill. (*uno* ve *deleto.*)
672	30	a	Redeptorem	Redemptorem
673	*ult.*	a	Chriſt	Chriſti
678	14	a	*μυςήειυ*	*μυςηείυ*
686	17	b	diſtribuera	diſtribuerat
689	31	a	inſtituerar	inſtituerat
694	1	a	Juda	Judæ
700	*ult.*	a	paraphaſis	paraphraſis
704	2	a	ſalutis noſtræ per	ſalutis noſtræ promiſſio per
705	2	b	*Antriocb.*	*Antioch.*
ibid.	4	—	*σώμαται*	*σώματι*
708	28	a	*ἀναμμινήσμω*	*ἀναμιμνήσκω*
716	16	b	*ſepè*	*ſæpè*

734 15 a

734	15	a	σαρηικὸν	σαρκικὸν	748	30	b	fecundem	secundum
735	4	b	esset	esse	751	*ult.*	b	sæculo	sæcula.

In paginis quoque annotandis immediatè transitum est à 560. ad 565: sic tamen ut ideo nihil deficiat, & post 569. notantur duæ sequentes per 560. & 561. cum sint 570. 571.

In textu verò Volkelii, cujus correctionem accuratam non suscepimus, cùm Typotheta uterentur exemplari impresso, & sic viderentur minus aberraturi, aliquot irrepserunt menda quæ æquus Lector facilè per se poterit corrigere; Nisi quod de duabus in illo alicujus momenti omissionibus sit præmonendus. Prima extat pag: 697. lin. 41. ubi post quemadmodum *adde* illa, quam à quibusdam ex cogitatam diximus: sed est attententissima *& pag: 753. lin. antep. post* ipsius curâ *adde* atque ope ex peccatorum vinculis emitti; & porrò etiam eorundem veniam consequi, & æternùm servari.

Similia si qua supersint Benevolus Lector vel condonabit, vel emendabit.

Ooooo

